
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
16 — M
3
ROMA

BENEDICTI
PLAZZA, S. J.
CAUSA
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
B. V. MARIÆ
PROPUGNATA.

CAUSA
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
SANCTISSIMÆ MATRIS DEI
MARIÆ
DOMINÆ NOSTRÆ,
SACRIS TESTIMONIIS,

ORDINE CHRONOLOGICO, UTRINQUE ALLEGATIS,
& ad examen Theologico - Criticum revocatis, agitata, & conclusa.

AUCTORE

BENEDICTO PLAZZA

SYRACUSANO,

SOCIETATIS JESU,

IN ACADEMIA PANORMITANA EJUSDEM SOCIET. STUDIORUM
Præfecto, & S. Inquisitionis Siculæ Censore, & Consultore.

ACCEDIT ORATIO S. PETRI ARGORUM EPISCOPI,

In Conceptionem S. Annæ, quando concepit Sanctam DEI Genitricem, ex Græcis Mss. Monasterii S. Salvatoris prope Messanam Latine reddita, & nunc primum edita.







Juxta Exemplar Panormi.

COLONIÆ,

Sumptibus FRATRUM DE TOURNES.

M. DCC. LI.

CAROLO III.

HISPANIARUM INFANTI,

UTRIUSQUE SICILIÆ REGI.

BENEDICTUS PLAZZA E SOC. JESU.

D*IU deliberandum non fuit, Rex Serenissime, cuinam potissimum hoc opus inscriberem. Cui porro magis dicandi fuerant labores mei, qui Integerrimam Virginis Conceptionem illustrant, nisi piissimo Regi erga Beatam Matrem, tibi nimirum, & Domino meo, & prærogativæ istius cultori*

facile

facile principi? Qui, quam a Majoribus tuis veluti ingenitam cum ipso spiritu hausisti religionem pro tutela illibati, sincerique Conceptûs Deiparæ, eamdem brevi ætatis cursu, ea præcipue grati animi significatione cumulasti, qua te, tuaque omnia, regnum, opes, victorias, liberos ipsos Virgini accepta refers. Quorsum enim spectant cùm præclara illa omnium ore pervulgata vox tua: Omnia tibi per Virginem bona tributa : *tùm immensæ molis Pyramis sumptuosa, propediem celeberrimo in loco Neapoli collocanda; quæ Majestatem tuam, quæ Augustam Reginam, quæ suavissimam Sobolem ad pedes Excelsæ Cœli, Terræque Dominatricis supplices exhibebit? Intellexisti profecto, quàm vere non de Filio modo, sed etiam de Genitrice scriptum sit :* Per me Reges regnant, & Legum Conditores justa decernunt. *Unum, si fas est dicere, tibi restat, Rex Optime, quo Beatæ Matris amorem expleas, ornamentum, (& illud, spero, te auspice, atque auctore brevi futurum,) ut quemadmodum de pietate sententiæ super integra, sanctaque Conceptione judicium, de hujusce Cultus amplificatione, de Festi titulo, definitaque materie, silentio cum primis adversæ Parti denuntiato, Majorum tuorum postulationibus (Philippos loquor hujus nominis III, & IV. Carolum II., Ludovicum XIV. Philippum denique V. Invictissimum Parentem tuum) Petri Sedes usque adeo protulit; ita de veritate rei decretoria formula, te petente, tandem pronuntiet. Quod si per te fiat (& quare non fiet?) neque summus meis laboribus fructus, neque tuæ Pietati erga Virginem eximium incrementum, neque Ecclesiæ voluptas, quam potest habere maximam, neque demum tuis laudibus recordatio deerit sempiterna.*

AD LECTOREM.

ALIQUOT ante menses Ideam, & Synopsim hujus Operis, dum adhuc sub Prælo esset, flagitante Typographo, evulgavi. Eandem tibi Præfationis loco, erudite Lector, repræsento: in qua scopum, & consilium meum clare perspicies; meque in tanta librorum copia de hoc argumento, actum non agere, spero, deprehendes. Non parva res esse videtur, cuncta suis in locis apte disponere, suisque assignare temporibus: inutilia resecare, falsa respuere, vera confirmare, abdita reserare, omnia demum ex propriis fontibus haurire. Quantulumcunque vero istud est, non mihi, sed illi, cujus Causam ago, refer acceptum: sin aliquod erratum invenias, imbecillitati meæ tribue, & pro tua humanitate excusa. Quis est tam linceus, (*ajebat Tullius*) qui in tantis tenebris, nihil offendat, nusquam incurrat? *Ceterum si errat calamus, non errat animus; quo me, & opus hoc meum, Sanctæ, Romanæ, & Apostolicæ Sedis correctioni, ac censuræ libentissime committo, atque subjicio.*

IDEA, ET SYNOPSIS

OPERIS,

ORDO, ET RATIO SCRIBENDI.

SEPTEM Actiones hæc Causa complectitur, quot sunt Loci proprie Theologici, scilicet: Scriptura, Traditio, Ecclesia, Concilia, Pontifices, Patres, Scholastici. Præcedit Apparatus ad Causam, subsequitur Causæ Conclusio. Unaquæque Actio dividitur in Articulos, & interdum subdividitur in §§. Singulas etiam præcedit Prolusio, subsequitur Anacephalæosis. Ubi res postulet, interseruntur Appendices, Vindicationes, & Observationes, modo breviores, modo fusiores.

E Sacris Testimoniis potissimum constat, quæ hac in re, a Divinæ Voluntatis arbitrio pendente, certiora, & fere unica sunt argumenta; etsi rationibus quoque, præsertim inde deductis, fulciatur. Miraculis non innititur: quæ licet Testimonia quædam divina sint, & Piæ Parti abundantissime suppetant; inter Locos Theologicos non recensentur, & aliâ trutinâ, quàm Theologicâ, examinantur.

Series temporum ubique servatur, exceptis Sacræ Scripturæ Testimoniis, quæ juxta ordinem Biblicum proferuntur. Nullum fere in hac Causa, seu Patrum, seu aliorum Auctorum, producitur Testimonium, quod e propriis ipsorum locis desumptum non sit, variis etiam editionibus non raro consultis; quæ proinde loca exactissime citantur, usque ad paginam, & editionem. Nullum quoque Factum recipitur, quod probatissimorum Scriptorum auctoritate non firmetur. Ex iis, quæ ab Adversa Parte allegantur, nihil, quod alicujus sit momenti, prætermittitur, nihil dissimulatur. Falsa insuper a veris, supposititia, & spuria a sinceris, & legitimis, apocrypha ab authenticis, hinc, vel illinc allegata, secernuntur: quæque controversa sunt, juxta Solidioris Criticæ Regulas, vel vindicantur, vel refelluntur. Quod si propterea non pauca in hac Causa desiderantur, quæ in favorem Piæ Sententiæ ab aliis adducta leguntur; non pauca etiam subrogantur, ex Veterum scriptis, non sine magno labore, & studio, eruta, quæ apud alios minime invenias. Omnia denique propriis in sedibus, distincte, & ordinate collocantur. Nihil hìc promittitur, quod non abunde præstetur.

Apparatus ad Causam.

ARticuli I. §. I. Ex quatuor Concilii Tridentini documentis eruit, quid sit, quidve non sit Originale Peccatum. §. II. Per quinque Consectaria, Originalis Peccati propagationem exponit.

exponit. Et hic inferitur Appendix, in qua Dogma de Creatione Animæ Rationalis, vetus esse demonstratur. §. III. Peccati Originalis Pœnas enarrat, occurrentes difficultates diluit, & B. Virginis a Peccati fomite Immunitatem adstruit.

Articuli II. §. I. Ab aliis affinibus Causis præsentem Causam discernit: uti sunt Præservatio ab omni Actuali Peccato, Sanctitas Nativitatis, (cujus Festi Antiquitas asseritur in Appendice) & Conceptio Seminalis, seu inchoata secundùm carnem. §. II. Plures modos recenset, quibus hæc Causa ab utraque Parte defenditur: minus veros repellit, solidiores admittit. §. III. Triplex hujus Causæ Momentum expendit: Originalis Peccati gravitatem, pretium Gratiæ Sanctificantis, & consummatam B. Virginis Gratiam, & Gloriam; quas, negato Originali Peccato, immensùm crevisse, deprehendit.

ACTIO PRIMA.

Sacræ Scripturæ Testimonia.

PRolusio de triplici Scripturæ Sensu, Mystico, Metaphorico, & Virtuali præfatur. Sensum Mysticum in re nostra utilem esse ad persuadendum; Metaphoricum autem, & Virtualem, Sensus verissime litterales esse, atque adeo ad Veritatem inferendam efficaces; multiplici Auctoritate, determinat.

Articulo I. Octo Scripturarum Testimonia ab Adversa Parte allegata, proferuntur. Singulis congrua, & necessaria expositio subjicitur. Generales locutiones enodantur: & Redemptio Præservativa stabilitur.

Articulo II. Quatuor supra viginti Scripturarum Testimonia, quædam in Sensu Mystico, alia in Sensu Litterali, etsi Metaphorico, aut Virtuali, a Pia Parte allegata, exhibentur: Patrum, & Insignium Interpretum explanatione illustrantur.

ACTIO SECUNDA.

Apostolicæ Traditionis Testimonia.

PRolusio monet de Traditione hic agi Generali, & Implicita; quam solam in re præsenti exhiberi posse, quamque magni ponderis esse, demonstrat. Monet præterea, quæ Patrum Testimonia hinc sint removenda, quæque huc arcessenda.

Articulo I. Viginti septem Patrum Testimonia, ab adversa Parte allegata referuntur. Singulis breves Notationes subjiciuntur; & plurima ex illis vel mutila, vel exorbitantia, vel minus sincera deprehenduntur.

Articulo II. Eadem Testimonia ad accuratius examen revocata, in quinque classes distribuuntur: & unicuique classi consentanea expositio adhibetur; quam necessario adhibendam esse, quatuor validissimis Argumentis, *ab absurdo* petitis, ostenditur.

Articulo III. Tres supra sexaginta Patrum Testimonia, a Pia Parte allegata ex J. CHRISTI Sæculo, usque ad XII. producuntur. Quædam in singulis observantur, quæ ipsis lucem afferant, & ipsorum declarent efficacitatem. Aliquorum Operum, quæ hic citantur, justæ, & eruditæ Vindicationes, contra Intemperantes Criticos, interponuntur. Est & in fine Appendix, duo præferens axiomata Theologica, & Patrum Traditione collecta, quæ sensum, ac cultum promovent Conceptionis Immaculatæ.

ACTIO TERTIA.

Catholicæ Ecclesiæ Testimonia.

IN Prolusione summa Catholicæ Ecclesiæ Auctoritas, Sanctorum Patrum, & gravissimorum Theologorum suffragiis extollitur. Et duo illius Testimonia, alterum Virtuale in aliquo facto, seu more situm; alterum Formale, communi voce, ac sensu Fidelium expressum; declarantur.

Articulo I. Proponuntur, quæ Ecclesiæ nomine, ab Adversa Parte allegantur. Ea, nec propria Catholicæ Ecclesiæ Testimonia, nec etiam authentica, & efficacia esse demonstratur.

Articulo II. Virtuale Catholicæ Ecclesiæ Testimonium, Marianæ videlicet Conceptionis Festum, a Pia Parte allegatum, copiose tractatur. §. I. Hujus Festi Chronologicam, & Topographicam Descriptionem, ex certis, & legitimis monumentis exhibet; & Epistolam S. Anselmi *de Festo Conceptionis*, legitimam esse probat. §. II. Festum Conceptionis Marianæ, de ipsius Sanctitate, & Innocentia luculentum Ecclesiæ Catholicæ Testimonium esse, multiplici ratione commonstrat. §. III. Hujusmodi Catholicæ Ecclesiæ Testimonium, indubitatum esse, ostendit, duobus stabilitis principiis:

principiis : quorum unum est, Ecclesiam non esse obnoxiam errori in Canonizatione Sanctorum : alterum, Ecclesiæ præcepto de Festo Conceptionis celebrando, æquipollentem esse Canonizationem. Subtexitur Appendix, in qua defenditur, diem VIII. Decembris esse diem propriam Sanctæ, & Immaculatæ Conceptionis B. Virginis secundùm Animam; quin propterea ad miracula sit recurrendum.

Articulo III. Catholicæ Ecclesiæ Formale Testimonium, Communis videlicet Fidelium Sensus, a Pia Parte allegatur, & luculenter exponitur. §. I. Communem Fidelium Sensum de Immaculata DEI Genitricis Conceptione, olim quidem tacitum, sed a Sæculo XIV. expressum, in Catholica Ecclesia jugiter invaluisse, singulorum Sæculorum Testimoniis evincit. Et ab hoc Pio, Communique Fidelium Sensu, ipsum Sacrum Ordinem Prædicatorum, non omnino recessisse, similiter ostendit. §. II. Eundem Communem Fidelium Sensum, firmissimum esse Catholicæ Ecclesiæ pro Pia Sententia Testimonium; nec a contrario paucissimorum dissensu infirmari; multiplici Auctoritate, ac Ratione concludit.

ACTIO QUARTA.

Conciliorum, & Synodorum Testimonia.

PRolusio distinguit varia Synodorum, seu Conciliorum genera; Provincialium, & Episcopalium Conciliorum auctoritatem astruit; & Testimoniorum loco habenda esse notat, quæ in eis de Festo Conceptionis decernuntur.

Articulo I. Quinque Conciliorum Testimonia, ab Adversa Parte allegata, examinantur. Primum, vitiose descriptum; Secundum, a Concilio Tridentino jam declaratum; reliqua tria vel exorbitantia, vel inutilia deteguntur.

Articulo II. Quatuordecim Conciliorum Testimonia a Pia Parte allegata recensentur, & ubi opus sit, enucleantur. Concilii Basileensis Decretum, & ab imposturis vindicatur, & quatuor gravissimis titulis commendatur. Concilii Tridentini declaratio contra Launoium asseritur; & quantum ponderis ad firmandam Piam Sententiam habeat, exponitur.

ACTIO QUINTA.

Summorum Pontificum Testimonia.

PRolusio docet locum hìc non habere illa Pontificum Testimonia, quæ ante susceptum Pontificatum edita sunt; nec etiám, quæ Pontifices, ut privati Doctores Scripserunt : etsi datur Adversæ Parti, ea allegare.

Articulo I. Duodecim ab Adversa Parte in hoc genere allegata Testimonia, exhibentur. Quorum alia plane conficta, vel vitiata, vel apocrypha; alia aut a scopo aberrantia, aut valde generalia, & expositioni obnoxia deteguntur.

Articulo II. Sex supra viginti Summorum Pontificum, fere continuata Testimonia, in suis Constitutionibus, & Decretis a Pia Parte allegantur : & quæ præcipua sunt, integra referuntur, & adjunctis observationibus explanantur.

ACTIO SEXTA.

Patrum, & Sanctorum singularia, & expressa Testimonia.

IN Prolusione duo prænotantur : I. Sanctorum posterioris ævi Testimonia, ad Doctrinam sacram confirmandam, auctoritate pollere. II. Privatas Sanctarum Mulierum revelationes, Ecclesiæ præsertim probatas, parvifaciendas non esse.

Articulo I. Tredecim Patrum, & Sanctorum Testimonia, ab Adversa Parte allegata, discutiuntur. Quædam inveniuntur ficta, & supposititia, nonnulla revocata, reliqua (uno dumtaxat excepto) facilis, vel etiam necessariæ interpretationis.

Articulo II. Quadraginta quatuor Patrum, & Sanctorum, a Sæculo CHRISTI IV. usque ad XVII. a Pia Parte allegata Testimonia, enucleantur : quæque Vindicatione indigent, nervose vindicantur.

ACTIO SEPTIMA.

Theologorum Scholasticorum, & Academiarum Testimonia.

IN Prolusione I. Theologorum Scholasticorum, etiam Juniorum, Auctoritas asseritur. II. Pontificii Juris Peritorum Testimonia a præsenti causa removentur, etsi Piæ Sententiæ non desunt. III. Magistri Petri Lombardi Sententia exponitur. IV. Testimonia, ex utraque Parte alleganda, præfiniuntur.

Articulo I.

Articulo I. Scholasticorum, qui primis duobus Scholæ Sæculis claruerunt, Testimonia ab Adversa Parte allegata, exhibentur: plura quidem ingenue recipiuntur, sed vel infirmantur, vel revocata esse dicuntur. Alexander de Hales explicatur: de mente D. Thomæ late differitur.

Articulo II. Scholasticorum, qui tribus prioribus Scholæ Sæculis claruerunt, Testimonia a Pia Parte allegata, ipsorum interdum argumentis indicatis, in aciem educuntur. Inter eos D. Thomam, & D. Bonaventuram recensendos esse, probatur.

Articulo III. Quarundam celebriorum, & antiquiorum Academiarum, firmata Sacramento Testimonia, pro Pia Parte allegantur: iis additur Societas Jesu, quæ Academia quædam est universalis, per totum Orbem diffusa, & ab sui exortu Piæ Sententiæ asserendæ jugiter addicta.

CONCLUSIO CAUSÆ.

EX disputatis in tota causa concluditur I. Piam de Immaculata DEI Genitricis Conceptione Sententiam ita firmam esse, ut certitudinis saltem Theologico-Moralis supremum gradum attingat. II. Eandem Sententiam ita ratam in Ecclesia esse, ut intra proximæ Definibilitatis fines contineatur, non minus, ac continebantur veritates aliquæ, postmodum ab Ecclesia definitæ.

MARCELLUS TIPA

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS SOC. JESU

in Regno Siciliæ.

CUM Librum, cui Titulus: *Causa Immaculatæ Conceptionis SS. Matris DEI Mariæ, Dominæ nostræ, Sacris Testimoniis, ordine Chronologico, utrinque allegatis, & ad examen Theologico-Criticum revocatis, agitata, & conclusa*, Auctore P. Benedicto Plazza Syracusano, Theologiæ olim Professore, nunc Studiorum Præfecto in hac nostra Academia Panormitana, aliqui ex nostris Theologis recognoverint, & Typis edi posse probaverint; facultate Nobis facta a R. P. N. FRANCISCO RETZ Præposito Generali, ultro concedimus, ut Typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, nostroque Sigillo munitas dedimus

Panormi die 21. Augusti 1747.

MARCELLUS TIPA.

Locus ✠ Sigilli.

Aliæ Approbationes.

QUod unum Respublica Litteraria de Immaculatæ Conceptionis BB. Virginis Mysterio expetebat, ut nimirum supremum Certitudinis gradum Pia Sententia a Viris Sapientioribus attingere demonstraretur, id Adversariis veluti adjuvantibus, inter cæteros præstitisse Virum doctissimum R. P. Benedictum Plazza Syracusanum è Societate JESU Theologum, & Studiorum Præfectum, omnibus, qui Librum hunc sedulo perlegerint, in aperto erit. Id profecto aliquorum incredulitas effecit, ut veritatis hujusce radices altiùs figerentur, ipsoque difficultatum criterio intrà proximæ Definibilitatis terminos contineretur. Librum igitur totius Catholici Orbis, & Siculæ præsertim Nationis votis respondentem, dignum existimo, qui Typis tradatur, cunctis procul dubio profuturum.

Dabam Panormi Die 9. Octobris An. 1747.

Michael Canonicus Scavo S. T. & U. J. Doctor,
& Librorum Censor Ordinarius.

Stante supradicta Approbatione, imprimatur.

FRANCISCUS TESTA VIC. GEN. CAP.

Ex

EX mandato Illustrissimi Domini D. Johannis Thomæ Loredani, Tribunalis M. R. C. Præsidis, & in Siciliæ Regno Magistri Justitiarii Locum tenentis, perlegi Librum, qui inscribitur: *Causa Immaculatæ Conceptionis Sanctissimæ Matris DEI Mariæ, Dominæ nostræ, Sacris Testimoniis, ordine Chronologico, utrinque allegatis, & ad examen Theologico-Criticum revocatis agitata, & conclusa, Auctore Benedicto Plazza &c.* Nihil in eo habet Doctissimus, juxta, ac Religiosissimus Auctor ex Inclyta, & Exemplarissima Societate JESU, in Maximo Panormitano Collegio Studiorum Præfectus, quod juribus Augustissimi, ac Pientissimi CAROLI III. Borbonii, Hispaniarum Infantis, utriusque Siciliæ, & Hierusalem Regis, Parmæ, Placentiæ, & Castri, Hæreditarii Ducis &c. &c. Regnique sanctionibus refragetur. Sed Piam, Veramque Doctrinam de Conceptione SS. Deiparæ Virg. ab Originaria noxa immuni, ex locis proprie Theologicis septem, in totidem Actiones, improbo labore, præstantique ingenio suo dispertitis, erutam, mire patefacit ad oculum; proinde Optimus Philaletes, & novissimus totius sacræ Antiquitatis pervestigator adeo docte, ac nervose ad libram veritatis hujusmodi Causæ Anacrisim Theologicam appendit, expenditque rationes profecto solidas, efficacesque, & omnia nova, ac vetera, quæ ad hoc Argumentum disertissimè faciunt, appositè discernit, profertque in lucem, summa fide, ut apud cordatos, doctosque Catholicos emunctioris naris, ipsummet, quo Scriptor quidam doctus à Cassiodoro *lib. 3. var. Epist. ep. 5.* exornatur, elogium sibi comparasse videatur: *Cum multa de Antiquis trahat, meruit placere de propriis*: imò quia in Opere, quod est numeris omnibus absolutum, & emicant, & pollent egregiè vis in argumentis, fides in testimoniis, opportunitas in exemplis, proprietas in epithetis, in verbis nitor, in eruditione ubertas, in confutationibus modestia; ex disputatis in tota Causa Analogismis quisque vere Catholicus æquioris judicii Censor inferre cogitur, Sententiam de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis, Moralis Certitudinis gradum attigisse, proximæque Definibilitatis. Unde rectiùs, quàm quod M. T. Cicero *lib. 2. de Orat.* de Carneade asseruit, de eximio dixeris hujus Libri Auctore, *nullam rem unquam defendisse, quam non probarit, nullam oppugnasse, quam non everterit.* Idcirco Opus hoc, ut typorum beneficio publici juris, publicæque laudis fiat, cedro dignissimum censui, omnibus Catholicis, doctisque Viris, præsertim Siculis, à pervetustis Sæculis Piæ Sententiæ, ejusque publico, ac religioso cultui addictissimis, ad tantum Mysterium Immaculatæ Conceptionis BB. Virginis recte, ac fortiter propugnandum, maxime profuturum.

Dabam Panormi ex Regio Conventu S. Mariæ à Misericordia,
die 8. Septembris an. 1747.

Fr. Salvator Maria Ruffo à Panormo ex Tertio Ordine
S. Francisci S. T. M. & Libror. Censor Deputatus.

Stante supradicta Approbatione, imprimatur.

LOREDANUS PRÆSES.

NOTÆ

NOTÆ EDITIONUM

Aliquorum Operum, quæ frequentiùs citantur in hac Causa.

Collectio Conciliorum Novissima, curante Nicolao Coleti, edita Venetiis Anno 1733.

Bullarium Romanum Laertii Cherubini, ab Angelo M. Cherubino auctum, & editum Romæ An. 1638.

Idem Bullarium, magis auctum, editum Lugduni An. 1692.

Bullar. Romanum Novissimum, a Tomo septimo, editum Romæ ab An. 1733.

Bibliotheca Maxima Veterum Patrum, vigintiseptem Tomis comprehensa, edita Lugduni An. 1677.

Bibliotheca Veterum Patrum Græco-Latina, duobus Tomis contenta, edita Parisiis An. 1624.

Bibliotheca Virginalis per Fr. Petrum de Alva, & Astorga collecta, & edita Matriti An. 1648.

Veterum Scriptorum, & Monumentorum &c. amplissima Collectio, novem Tomis digesta, opera, & studio Edmundi Martene, & Ursini Durand, Benedictinor. edita Paris. ab An. 1724.

Armamentarium Seraphicum, & Regestum authenticum, & Universale pro tuendo Tit. Concept. Immacul. a Familia Cismontana Ord. Minor. editum Matriti An. 1619.

Collectio Judiciorum de Novis Erroribus &c. elaborata per Carolum Du-Plessis de Argentrè, Episcopum Tutelensem, edita Parisiis An. 1728.

S. Ambrosii, Mediolanensis Archiepiscopi, Opera omnia, ex Romana editione, impressa Parisiis An. 1614.

S. Hieronymi Presbyteri Opera omnia, curante Johanne Martianay Benedict. edita Parisiis An. 1693.

S. Aurelii Augustini, Hipponensis Episcopi Opera omnia ex recensione Benedictinor. Congr. S. Mauri, edita Parisiis ab An. 1689.

SS. Leonis Magni Pontificis, Maximi Episcopi Taurinensis, Petri Crysologi Ravennatis, & Fulgentii Ruspensis Opera, edita Lutetiæ An. 1623.

S. Gregorii Magni Papæ Opera omnia, studio, & labore Benedictinorum ejusd. Congreg. recognita, & edita Parisiis An. 1705.

S. Johannis Damasceni Opera, ex versione, & recensione Jacobi Billii, edita Parisiis An. 1603.

B. Petri Damiani S. R. E. Cardinalis, Episc. Ostiensis Opera, a Constantino Caetano Ord. S. Bened. Congr. Cassinens. recognita, & edita Romæ An. 1606.

S. Anselmi Cantuariensis Archiepisc. Opera, a Gabriele Gerberone Benedict. recognita, & secundò edita Parisiis An. 1721.

S. Bernardi Abbatis Clarevallensis Opera, iterum recognita, & illustrata a Johanne Mabillone Bened. Congregat. S. Mauri, edita Parisiis An. 1690.

D. Thomæ Aquinatis Ord. Præd. Doctoris Angelici, Opera omnia, sub auspiciis S. Pii V. Summi Pontific. edita Romæ An. 1570.

D. Bonaventuræ S. R. E. Cardinalis, Episcopi Albanensis, Doctoris Seraphici, Ordin. Minor. Opera omnia Sixti V. Pontificis jussu emendata, & edita Romæ An. 1588.

Johannis Gersonis, Cancellarii Parisiensis, Opera omnia, a Ludovico Ellies Du-Pin recognita, & edita Antverp. An. 1706.

Ven. Petri Canisii Soc. Jesu Commentariorum de Verbi Dei Corruptelis tomi 2. quorum prior de S. Joh. Baptista, posterior de SS. V. Deipara, editi Parisiis An. 1584.

Ven. Roberti Bellarmini, S. R. E. Cardinalis Soc. Jesu Disputationes de Controversis Christianæ Fidei &c. editæ Pragæ An. 1721.

Theophili Raynaudi Soc. Jesu Opera omnia, undeviginti Tomis contenta, impressa Lugduni An. 1665.

R. P. Fr. Petri de Alva, & Astorga Ord. Minor. Sol Veritatis, cum Ventilabro Seraphico, editus Matriti An. 1660.

Johannis Launoii Opera omnia, ab Anonymo collecta, & cum notis edita Coloniæ Allobrogum An. 1731.

Apparatus Sacer Antonii Possevini Soc. Jesu, editus Venetiis An. 1606.

Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum Gulielmi Cave Anglicani, novissimè edita Coloniæ Allobrogum An. 1720.

Commentarius de Scriptoribus Ecclesiæ Antiquis, Casimiri Oudini, olim Ord. Præmonstratensis, dein Apostatæ, tribus Tomis editus Lipsiæ An. 1722.

Scriptores Ordinis Prædicator. recensiti, & illustrati a FF. Jacobo Quetif, & Jacobo Echard ejusdem Ordin. duobus Tomis editi Parisiis An. 1721.

Historia Ecclesiastica R. P. Fr. Natalis Alexandri, Ord. Prædicatorum, iterum edita Parisiis An. 1699.

APPA-

APPARATUS
AD CAUSAM
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
SS. MATRIS DEI MARIÆ
DOMINÆ NOSTRÆ.

ARTICULUS I.

Peccati Originalis Natura, Propagatio; Effectus.

1. QUEMADMODUM *ad videndum*, ut ajebat D. Anselmus, (*a*) *qualiter DEUS Hominem assumpsit de generis humani massa peccatrice, sine peccato; primùm de Originali Peccato necesse est investigare, quia de hoc solo nascitur hæc quæstio:* ita ad videndum, quo pacto idem DEUS Matrem sibi delegit de generis humani massa peccatrice, servans eam a peccato; primùm de eodem Originali Peccato, de quo solo hæc etiam quæstio nascitur, opus est investigare: nempe ut sciamus, quodnam, & quale malum sit illud, quod a Beatissima Virgine prorsus removere satagimus.

2. Unde dicatur Originale Peccatum, & in quo a personali differat, ab eodem S. Doctore (*b*) audiamus: „ Est, *inquit*, peccatum, quod quisque „ trahit cum natura, in ipsa sua origine: & est „ peccatum, quod non trahit cum ipsa natura, „ sed ipse facit illud, postquam est persona discreta ab aliis personis. Illud, quod trahitur in ipsa „ origine, vocatur Originale: quod potest etiam „ dici naturale, non quòd sit ex essentiâ naturæ, „ sed quòd propter ejus corruptionem cum illa „ assumitur. Peccatum autem, quod quisque „ facit, postquam persona est, *hoc est sui juris*, „ *& arbitrii*; Personale potest nominari, quia „ vitio personæ fit. „ Potest etiam Actuale dici, quia propria actione committitur. Similiter distinguit Anselmus Originalem, & Personalem Justitiam. Originalem Justitiam appellat, qua *Adam, & Eva originaliter, hoc est in ipso sui initio, mox ut Homines extiterunt, sine intervallo justi simul fuerunt*: Personalem verò, *cùm injustus accipit Justitiam, quam ab origine non habuit.*

3. Præter peccata personalia singulorum propria, ex prima Adami prævaricatione transfundi in omnes Homines, per naturalem generationem ab illo propagatos, Originale Peccatum; est Orthodoxæ Fidei dogma, pluries definitum ab Ecclesia, contra Pelagium, & ejus discipulum Cœlestium: primò quidem in Synodo Diospolitana, in Palestina, quatuordecim Episcoporum; cui (referente D. Augustino) (*c*) interfuit, & ficte consensit Pelagius: Paulo post, Anno 416. in Concilio Milevitano secundo, (*d*) quod Innocentius I. Papa confirmavit: (*e*) & iterum anno 529. in Concilio Arausicano secundo, (*f*) quod postea approbavit Bonifacius II. in epistola ad Cæsarium Arelatensem: (*g*) & novissime in Concilio Tridentino Œcumenico (*h*).

§. I.

Definitur Originalis Peccati Natura.

4. QUàm explorata est apud Catholicos veritas Originalis Peccati, tam explicatu difficilis semper visa est ejusmodi Peccati Natura, & Propagatio. *Antiquo peccato*, ajebat D. Augustinus, (*i*) *nihil esse ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius*: Et alibi: (*k*) *Ut quod dimissum est in Parente, trahatur in Prole, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Hæc invisibilia, sed tamen vera &c.* Et hinc magna dissensio, & varietas opinionum inter Scholasticos. Cæterum si decretum illud Concilii Tridentini, quo totum dogma Originalis Peccati luculenter explanatur, perscrutemur; inveniemus certa quædam documenta, quorum præscripto inter illas opiniones dijudicare valeamus.

(a) *Lib. de Conceptu Virginali, & Originali Peccato cap. 1. pag. 97.*
(b) *Ibid.*
(c) *Lib. de Gestis Pelagii c. 11. n. 23. col. 204. tom. 10. Vide etiam tom. 3. Concilior. a col. 367.*
(d) *Canone 1. & 2. col. 382. t. 3. Concil.*
(e) *Ibid. col. 47.*
(f) *Canone 1. & 2. col. 809. t. 5. Concil.*
(g) *Ibid. col. 830.*
(h) *Sess. 5. in decreto de Pecc. Orig.*
(i) *Lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 22. n. 40. col. 702. tom. 1.*
(k) *Lib. 1. de Nuptiis, & Concupisc. c. 19. n. 21. col. 291. t. 10.*

DOCUMENTUM I.

5. PEccatum Originale non solo nomine, sed revera peccatum est, seu veram, & propriam peccati rationem habet. Nam Tridentinum (*l*) damnat eum, qui dixerit: *Adæ prævaricationem, mortem, & pœnas corporis tantum, in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est Animæ.* Quibus verbis vera peccati ratio denotatur, dum illud a malo pœnæ secernitur. Rursus (*m*) Anathema dicit ei, qui *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum Originalis Peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud tantum radi, aut non imputari.* Quo in loco Concilium, etsi directe non definiat, Peccatum Originale veram, & propriam peccati rationem habere, hoc tamen præsumit, tanquam rem certam, & confessam.

6. Opposita Sententia tribui solet Durando a S. Portiano, (*n*) & Ruardo Tappero (*o*), quasi absolute, & simpliciter docuerint, Peccatum Originale in ipsis Parvulis non esse proprie peccatum. At revera Durandus non loquitur absolute, sed comparate ad peccatum actuale: sic enim concludit: *Ergo peccatum Actuale in Adulto est magis proprie culpa, seu peccatum, quam Originale in Parvulo.* Et clarius infra se explicans, ait: „ Patet ergo quod Peccatum Originale non est in „ Parvulo voluntarium, personali voluntate Par- „ vuli, quemadmodum Actuale est voluntarium „ propria, & personali voluntate peccantis actua- „ liter; & ideo non est illo modo proprie pec- „ catum, vel proprie culpa. Et sic intellexi, ubi- „ cumque aliàs sive asserendo, sive recitando, si- „ ve absolute, sive sub conditione dixi, vel scri- „ psi; Peccatum Originale non esse proprie pec- „ catum. „ Tapperus etiam, sponte fatetur, quod *nos impietatem participamus, qua ipsi in nobis culpabiles, & DEO abominabiles constituimur*; & hujus rei arduitatem exaggerat: ubi ergo significare videtur, Originale Peccatum non esse proprie peccatum, de proprietate loquitur peccati actualis; quandoquidem illud constituit *in macula, conversione ad Creaturam, & aversione a DEO, habitualibus, ex Adami peccato derivatis.*

DOCUMENTUM II.

7. QUamquam origo Peccati Originalis fuit unicum Adami peccatum, ab eo tamen, per naturalem generationem, in singulos Posteros derivatur peccatum, unicuique proprium. Liquet hoc ex verbis illis Tridentini: (*p*) *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium &c.* Id ipsum alibi tradit Concilium, (*q*) ubi comparans cum Adæ peccato CHRISTI meritum, ait: *Sicut revera Homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia, per meritum Passionis ejus, Gratia, qua justi, fiunt, illis tribuatur.* Sicut ergo unusquisque ex merito CHRISTI propriam Justitiam adipiscitur, ita ex Adæ peccato propriam injustitiam contrahit. Et sicut error est, ab eodem Concilio (*r*) damnatus, asserere, nos esse justos, non justitia nobis propria, & inhærente, sed Justitia unius CHRISTI: ita error est, asserere, infantes esse injustos, seu peccatores, non peccato unicuique proprio, & inhærente, sed peccato unius Adæ: etsi non peccaverint ipsi, nisi in Adam, quia, *peccare*, simpliciter denotat actuale peccatum, quod nullum fuit in Parvulis, sed solùm in Adamo.

8. Hinc lapsos esse depræhendimus Viros alioqui doctos, ac pios, Albertum Pighium, (*s*) & Ambrosium Catharinum, (*t*) qui agnoscentes in Originali Peccato veram, & propriam rationem peccati, sed nihil, quod sit hujusmodi, in ipsis Parvulis invenire sperantes; docuerunt, Peccatum Originale esse illud unum unius Adæ peccatum, quod ille libera voluntate commisit, cujus Reatu constringantur ejus Posteri, indeque Peccatores denominentur. Nam hæc opinatio destruit, quod adstruit Tridentinum, nempe Homines, dum concipiuntur, *propriam injustitiam contrahere, & peccatum originis inesse unicuique proprium.*

9. Ad hæc, si Originale Peccatum Parvulorum, illud unum esset unius primi Parentis peccatum, propter quod ipsi puniantur; cum peccata aliorum Parentum interdum puniantur a DEO *in tertiam, & quartam generationem*; (*u*) Jam uniuscujusque Hominis Filii, aut Nepotes, qui ob ejus delicta punirentur; suum quoque ab eodem contraherent Originale Peccatum. Rursus, cum Adæ peccatum per ejus pœnitentiam, & Christi merita deletum fuerit, si nihil inde in nobis manet, præter pœnam luendam; ubinam Gentium erit Originale Peccatum? Demum illud Adæ peccatum nonnisi per imputationem nobis tribueretur: per gratiam ergo, in Baptismo nobis collatam, non aufertur, sed dumtaxat non imputatur Originale Peccatum. At hic est error, a Concilio Tridentino proscriptus. (*x*)

Ab ista Pighii, & Catharini opinatione non multum distare mihi videntur duæ aliæ de Peccati Originalis Natura, Recentiorum Scholasticorum Sententiæ, etsi diversas præferant explicationes, quibus illa mitigari videatur.

10. Una est Francisci de Oviedo, Soc. Jesu Clari Theologi, docentis, (*y*) Peccatum Originale esse illud idem Adæ peccatum actuale, quod Posteri non solum in ipso, sed etiam cum ipso commiserunt; per modum habitus in eis moraliter perse-

(l) *Canone 2. ejusd. decreti.*
(m) *Canone 5. ibid.*
(n) *Comment. in lib. 2. Sentent. dist. 30. quæst. 2. a n. 6. f. 155. col. 3. edit.* Lugd. an. 1560.
(o) *Articulo 2. ex 20. explicatis contra Sectarios §.* ex his videmus *a pag. 42. edit.* Coloniæ Agripp. an. 1583.
(p) *Can. 3. ejusdem decreti.*
(q) *Sess. 6. cap. 3.*
(r) *Ibid. Canon. 11.*
(s) *In Explicat. Controver. 1. ex Tractatis in Comitiis Ratisponens. a fol. 33. edit.* Parisiis an. 1541.
(t) *Opusc. de Casu Hominis, & de Pec. Orig. cap. 8. pag. 181. edit.* Lugdun. an. 1542.
(u) *Exod. 20. 5. & 34. 7.*
(x) *Canone 5. decr. de Pecc. Orig.*
(y) *In 1. 2. D. Th. tract. 6. contr. 9. pun. 9.*

perſeverans, & ad eoſdem formaliter contractum. Ait enimvero (z) Poſterorum voluntates fuiſſe a DEO alligatas voluntati primi Parentis, quoad ipſam formalem obſervantiam, & tranſgreſſionem præcepti; ita ut Adam phyſice peccante, ipſi quoque moraliter elicuerint actum illum peccati.

11. Profecto hæc explicatio id unum præſtat, ut Peccatum Originale *inſit unicuique proprium moraliter.* At hunc ſenſum a mente Concilii Tridentini alienum eſſe, non obſcure colligitur ex eodem Concilio *Seſſ. 6.* citata, ubi *Cap. 3.* docet, ita unumquemque ex merito Chriſti *propriam juſtitiam* adipiſci, ſicut ex Adæ peccato *propriam injuſtitiam* contrahit: & *Canone X.* damnat dicentem, *Homines per ipſam Chriſti juſtitiam moraliter juſtos eſſe.* Quemadmodum ergo, juxta Tridentinum, Homines non per ipſam Chriſti juſtitiam *moraliter* juſti ſunt, ſed alia magis propria ratione: ita neque per ipſam Adami injuſtitiam *moraliter* ſunt injuſti, ſed alia magis propria ratione.

12. Illa vero cogitatio, de peccato a nobis una cum Adam commiſſo, nec firma eſt, nec caret difficultate. Legimus ſane in Scripturis, & Patribus, *Nos peccaſſe in Adamo*, *mortuos eſſe in Adamo*, *lapſos eſſe in Adamo &c.* Nullibi vero legimus, nos, quaſi communicatis conſiliis, una *cum ipſo Adamo peccaſſe*, *eumdemque cum ipſo peccati actum elicuiſſe.* Potius oppoſitum inſinuant Patres: Divus Auguſtinus (*a*) loquens de Originali peccato, *Parentum*, inquit, *peccata*, *aliena*, *proprietate ſunt Actionis*, *noſtra ſunt autem*, *contagione propaginis.* D. Anſelmus (*b*) *Aliud fuit*, inquit, *peccatum Adæ*, *aliud eſt peccatum Infantium. Illud enim fuit cauſa*, *iſtud eſt effectus. Adam caruit debita juſtitia*, *non quia alius*, *ſed quia ipſe deſeruit: Infantes carent ea*, *non quoniam ipſi*, *ſed quoniam alius dereliquit.* Et clariſſimè S. Cyrillus Alexandrinus: (*c*) *Neque enim*, ait, *omnino veluti cum ipſo mandatum*, *quod acceperat*, *infringentes*, *punimur: ſed quia*, *ut dixi*, *mortalis factus*, *execrationem in progeniem ſuam tranſmiſit*, *&c.*

13. Frequenter etiam audimus, cum verſamur in ſubjecta materia, *noſtras voluntates incluſas eſſe in voluntate Adami*, *transfuſas in eam voluntatem*, *ei voluntati alligatas.* At non aliud ſonant hujuſcemodi phraſes, quàm ſolius primi Parentis voluntati, & arbitrio commiſſam a DEO fuiſſe juſtitiam, & ſanctitatem Poſterorum: ſeu ab ejus unius libera obedientia, vel contumacia dependiſſe, quod nos ex eodem propagati, præditi, vel privati juſtitia, & ſanctitate conciperemur, ut colligitur ex Tridentino *Canone II.* inferius declarando. Alioqui damnata eſt in Michaele Bajo propoſitio illa *num.* 48. *Peccatum Originis eſt habituali Parvuli voluntate voluntarium.* Ubi verò D. Auguſtinus ſcripſit, (*d*) quod *omnes*, *ille unus Homo fuerunt*; ad originem allusit, non ad voluntatem, ut alibi (*dd*) ſe explicat: *Omnis Homo terrenus*, *quid eſt origine*, *niſi Adam?* Quod D. Anſelmus amplius declarans, (*e*) ait: *Negari nequit*, *Infantes in Adamo fuiſſe*, *cum peccavit: ſed in illo cauſaliter*, *ſive materialiter*, *velut in ſemine fuerunt*; *in ſe ipſis perſonaliter ſunt: in illo fuerunt ille*, *in ſe ſunt ipſi: fuerunt igitur in illos*, *ſed non ipſi*, *quoniam nondum erant ipſi.*

14. Alia vero incluſio Poſterorum in Adamo, quam comminiſcitur Oviedus, difficilè percipitur, & abſurdè defenditur. Cum enim iſta alligatio quoad formalem ipſam præcepti obſervantiam, & transgreſſionem, non ex natura rerum, ſed ex ſola DEI voluntate proveniret; quid, quæſo, vellet DEUS in ejuſmodi alligatione conſtituenda? Non aliud ſane, niſi quod Adamo peccante, tunc quoque una cum illo moraliter peccarent & Poſteri, & quidem eo peccato, quod in ipſis moraliter perſeverans, veram & propriam peccati rationem habeat, qualem habet Originale Peccatum. Et jam vides, quàm divinæ Bonitati, ac Sanctitati diſſona ſit hujuſcemodi voluntas.

15. Altera Sententia eſt Johannis de Ulloa Soc. Jeſu, Theologi noſtra ætate acutiſſimi, qui (*f*) diſcernens Peccatum Originale, ut actuale in nobis, ſeu ut contractum in primo noſtræ conceptionis inſtanti, a Peccato Originali, ut habituali, ſeu ut permanente in reliquis inſtantibus; illud prius in his quatuor reponit: Primum eſt Peccatum ipſum perſonale Adami: (*& hoc eſt*, ait, *quod Originale dicit in Recto*) 2. Propagatio noſtra naturalis ex Adamo per ſexuum commixtionem. 3. Lex, ſeu Decretum divinum creandi nos abſque Gratia, ſi Adam peccaret; cum Gratia, ſi obediret. 4. Defectus exceptionis ab iſta lege. De Peccato autem Originali, ut habituali, perinde philoſophatur, ac de peccato perſonali habituali.

16. Hæc quoque explicatio facilè rejicitur ex dictis: quia in illo quaternario nihil apparet, quod veram, & propriam peccati rationem habeat, niſi unum Adæ peccatum perſonale. Hoc autem, ſponte fatente Ulloa, (*g*) *moraliter tantum*, *& æquivalenter eſt noſtrum*, *& ineſt unicuique noſtrum proprium*, *quatenus perinde ſe habet in ordine ad reddendum nos indignos Gratia*, *& Gloria*, *ac ſi fuiſſet peccatum noſtrum.* Itaque ſicuti dicere vetamur a Tridentino, (*h*) quod Parvuli regenerati ſint juſti, juſtitia ſibi propria tantum moraliter, moralitate ſita in his tribus, meritis, & juſtitia CHRISTI, collatione Baptiſmatis, & Decreto divino applicandi in Baptiſmate CHRISTI merita, & juſtitiam Parvulis: ita nec dicere poſſumus, Parvulos non regeneratos eſſe injuſtos, injuſtitia ſibi propria tantum moraliter, moralitate ſita in illis quatuor ab Ulloa recenſitis.

(z) Ibid. pun. 4.
(a) Lib. 6. contra Julianum cap. 10. num. 28. col. 678. tom. 10.
(b) Lib. de Concept. Virg. &c. cap. 26. pag. 105.
(c) In libro adverſus Antropomorphitas cap. 8. pag. 375. tom. 6. edit. Lutetiæ Pariſior. an. 1638. ex recenſione Johannis Auberti.
(d) Lib. 3. de Peccator. Merit. & Remiſſ. & de Baptiſmo Parvulorum cap. 7. n. 14. col. 78. & lib. 1. ejuſd. Tit. cap. 10. col. 7. tom. 10.
(dd) Lib. 1. Retract. cap. 15. num. 5. col. 25. tom. 1.
(e) Lib. cit. c. 23. pag. 104.
(f) Tom. 1. Theolog. Schol. diſp. 2. c. 4. & c. 5. & tom. 5. diſp. 1. c. 9. n. 166.
(g) Diſp. 1. cit. cap. 9. num. 164.
(h) Seſſ. 6. Canon. 10. & 11.

17. Displicet insuper in hac Sententia discretio illa Peccati Originalis, ut actualis, a Peccato Originali, ut habituali, veteribus ignota. Nam cum Peccatum Originale non contrahatur per propriam actionem, sed simul cum Natura trahatur; nequimus in illo discernere Actum ab Habitu; & neque Parvuli, cùm primo concipiuntur, dicuntur propriè, & simpliciter peccare, sed tantum concipi in peccato, seu concipi Peccatores: quia, *peccare*, manifeste innuit peccatum actionis, cujus illi sunt incapaces. Et ideo Apostolus (*i*) postquam scripsit de præterito, & cum addito: *in quo omnes peccaverunt*; subjungit absolute: *per inobedientiam unius Hominis, peccatores constituti sunt multi.* Quare Peccatum Originale per respectum ad peccatum actuale Adami, in quocumque instanti consideretur, se habet potius instar peccati habitualis, quod manet post actum peccati.

DOCUMENTUM III.

18. ORiginale Peccatum nihil est eorum, quæ manent in Renatis fonte Baptismatis. Etenim Tridentinum (*k*) anathemate ferit eum, qui *per Jesu Christi Gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum Originalis Peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari.* Et ideo, cum ibi S. Synodus, *manere in Baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, fateatur, & sentiat*; consequenter *declarat, hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus* (*l*) *peccatum appellat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse, peccatum appellari, quod vere & proprie in Renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem*, inquit, *contrarium senserit, anathema sit.*

19. Utroque hoc dogmate profligatur error Lutheranorum, & Calvinistarum communis, asserentium, Originale Peccatum, aliud non esse, quam concupiscentiam, sive fomitem peccati, hoc est totam illam Potentiarum intemperiem, quam in nobis experimur, inclinantem ad Malum, & retrahentem a Bono; atque adeo Originale Peccatum per Baptismi gratiam dumtaxat radi, aut non imputari.

20. In sui erroris patrocinium arcessunt Novatores D. Augustinum. Sed S. Doctor clarissime mentem suam aperuit, (*m*) ubi Pelagianis Catholicos incusantibus, quasi dicerent, *Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere*; incunctanter respondet: *Quis hoc adversus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus ergo, Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere.* De Concupiscentia vero, quæ per Baptisma non deletur, inferius (*n*) docet: *Hæc etiamsi vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura, manus cujusque dicitur, quòd manus eam fecerit.* Et alibi (*o*) de eadem Concupiscentia tractans, similiter ait: *Modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod & peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit.... Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, sicut vocatur lingua, locutio, quam facit lingua; & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vicit, facit: sicuti vocatur frigus pigrum, non quòd a pigris, fiat, sed quod pigros faciat.* Alia ejusdemmodi Augustini loca ponderat Bellarminus, (*p*) quæque a Sectariis objiciuntur, convenienter exponit.

21. Ex eadem Tridentini doctrina efficacissime refellitur sententia Henrici Gandavensis, (*q*) Roberti Holckot, (*r*) Gregorii Ariminensis, (*s*) & aliorum Antiquorum, Peccatum Originale exponentium per quasdam morbidas, seu vitiosas qualitates physicas. Ajebant enim vero Auctores isti, ex libidine, & infecta carne Generantium, a primo Parente usque ad ultimum, per semen derivari in carnem Prolis morbidam quandam qualitatem ipsi inhærentem: ex hac autem morbida carnis qualitate, obvenire, & imprimi Animæ, simul atque infunditur corpori, morbidam aliam qualitatem ipsi propriam. Et in priori quidem qualitate reponebant Originale Peccatum, tanquam in radice; posteriorem vero dicebant, esse formaliter ipsum Originale Peccatum, quia sola Anima est subjectum capax peccati. In hujuscemodi etiam qualitatibus morbidis constituebant hi Auctores habitualem ipsam Concupiscentiam tam in corpore, quam in Anima. Eandem Sententiam, nomine Magistri Sententiarum, proponit etiam Gabriel Biel: (*t*) etsi Magister non satis se explicet, nec ipse Gabriel eam simpliciter amplectatur.

22. Refellitur, inquam, hæc Sententia ex allegata Tridentini doctrina. Vel ista qualitas morbida inhærens Animæ, omnino deletur per lavacrum regenerationis; vel adhuc manet quoad substantiam in Renatis? Si manet; ergo *per Gratiam, quæ in Baptismate confertur, non tollitur totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet.* Qui est error damnatus a Concilio Tridentino *Canone V. citato.* Sin autem deleri dicatur; ergo non manet post Baptismum eadem concupiscentia quoad substantiam, quæ erat prius. At concupiscentiam simpliciter manere in baptizatis, eadem S. Synodus fatetur, & sentit; & ipsa quoque experientia demonstrat. Quapropter non video, in quo hæc Sententia discriminetur ab illo errore Sectariorum, nisi in eo, quod Sectarii istas morbidas qualitates derident, & quidem merito.

23. Enimvero si ejusmodi qualitatum genesis expendatur, fabulosa statim apparet. Undenam emanavit prior illa qualitas morbida in semen

(i) *Ad Rom. cap. 5. v. 12. 19.*
(k) *Canon. 5. decr. cit.*
(l) *Ad Rom. 7. 20. & alibi.*
(m) *Lib. 1. contra duas epist. Pelagianor. c. 13. n. 26. col. 423. tom. 10.*
(n) *Ibid. n. 27.*
(o) *Lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 23. num. 25. col. 293. tom. 10.*
(p) *Tom. 4. Controvers. Fidei lib. 5. de Amiss. Gratiæ, & Statu Peccati c. 8. & 13.*
(q) *Quodlib. 2. quæst. 11.*
(r) *Post Comment. in lib. Sentent. disquisit. de Imputabilitate Peccati ad 1. principale §.* Ideo videtur.
(s) *In 2. Sentent. a dist. 30. quæst. 1. art. 1. a fol. 102.*
(t) *In 2. Sentent. dist. 30. quæst. 1. art. 2.*

men primi Parentis, quæ per succeſſivas generationes in ejus Poſteros traducta eſt? Non ab ipſo Adami peccato: ſecus, cur alia aliorum Parentum peccata non imprimunt ipſorum ſemini ejuſmodi qualitates, in ſuos Poſteros traducendas? Non a DEO: quia *DEUS intentator malorum eſt*. (*u*) Non a Diabolo: quia hic non agit in corpora, niſi per motum localem, applicando activa paſſivis. Non ab eſu Pomi vetiti, (ut quidam ajebat apud Ariminenſem) quia, docente D. Auguſtino, (*x*) *eſca illa non erat mala, nec noxia, niſi quia prohibita: Neque enim quidquam mali DEUS in illo tantæ felicitatis loco crearet, atque plantaret.* Non demum ab illo Serpente, ſub cujus ſpecie Diabolus Evam ſeduxit, (ut ipſe Ariminenſis comminiſcitur;) Nam etſi quorumdam Serpentum flatus noceat Homini quoad corpus, non tamen quoad Animam. Nec unquam illud ſomniavit D. Auguſtinus: verba, quæ citat Ariminenſis ex libris Hipognoſtici, (*y*) non ſunt Auguſtini, cujus illud opus certe non eſt, ut Benedictini editores oſtendunt, & cujuſcumque ſint Auctoris, nihil proſunt, cum aperte per flatum Serpentis diabolicam ſuggeſtionem figurate ſignificent.

24. Rurſus etiamſi admitteretur in carne qualitas illa morbida; quî fieri poteſt, ut ob conjunctionem cum infecto corpore, Anima rationalis ſpiritualis inde contrahat qualitatem aliam morbidam, quæ ipſam peccato inficiat? Ubinam invenies, quod res corporalis agat in ſpiritum, &, quod abſurdius eſt, ſic agat, ut ei peccatum imprimat? Fatetur hoc Ariminenſis, ſed de qualitate illa neceſſum eſſe, ait, ſentire oppoſitum, ob auctoritatem D. Auguſtini, ita loquentis: (*z*) *Profecto aut utrumque*, hoc eſt Anima, & Caro, *vitiatum ex Homine naſcitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vaſe corrumpitur, ubi occulta juſtitia divinæ Legis includitur.* Verum hæc verba non inferunt, quod ſit in carne qualitas aliqua vitioſa, quæ in Animam peccati infectionem derivet; ſed quod Anima non intelligatur habere peccatum, niſi cùm infunditur corpori, quando nimirum primùm incipit eſſe Homo, Filius Adæ. Corpus vero ante infuſionem Animæ dicitur eſſe vas vitiatum; quia ex vi ſuæ originis ab Adamo, habet, ut ſit morti, ac variis ægritudinibus futurum obnoxium.

25. Videamus jam, quid ad noſtrum argumentum reſpondeat Ariminenſis. (*a*) Peccatum Originale, *ait*, „ aliquo modo tolli, & aliquo „ modo manere poſt Baptiſmum; nam tollitur „ quoad Reatum, non tollitur autem quoad eſ„ ſentiam. Hoc eſt vitium illud, ſeu qualitas illa, „ quæ dicitur concupiſcibilitas, & eſt ante Bap„ tiſmum Originale Peccatum, manet quidem „ ſecundùm eſſentiam ſuam etiam poſt Bap„ tiſmum; non manet autem quoad Reatum, „ ideſt, non per eam eſt Homo poſt Baptiſmum „ reus damnationis æternæ, ſicut erat ante Bap„ tiſmum. „ In quàm rem plures adducit D. Auguſtini locos.

26. Sed recurrit difficultas. Tridentinum *Can. V. cit.* non ſolùm damnat eum, qui per gratiam collatam in Baptiſmate, *Reatum originalis peccati remitti negat*; verum etiam eum, qui *aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam pecca'i rationem habet*; *ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari.* Vel ergo qualitas iſta morbida ex ſe, & ſuapte natura aliquam habet veram, & propriam peccati rationem; vel non habet? Si habet, manere non poteſt, adhuc ſecundùm eſſentiam ſuam poſt Baptiſmum. Si non habet; ergo, cum, juxta idem Tridentinum ibidem, & alibi, (*b*) Peccatum Originale ſit vere peccatum, & veram, & propriam peccati rationem habeat; qualitas iſta, ſecundùm eſſentiam ſuam, ad illud peccatum ſpectare non poteſt, pluſquam materialiter; & ſolus Reatus erit formaliter Originale peccatum. Neque enim dici poteſt, quod eadem res prorſus invariata nunc habeat, nunc vero non habeat rationem peccati, niſi quoad ſolam imputabilitatem extrinſecam, ut Hæretici illi ſomniabant.

27. Quod ſi fateatur Ariminenſis, in ſolo Reatu eſſe totam formalem rationem Originalis Peccati, ſic, ut tolli Reatum, idem ſit, ac tolli peccatum; etſi qualitas illa, ſive concupiſcentia remaneat: Ab errore quidem Novatorum recedit, at in primis quid opus erat, pro explananda Peccati Originalis eſſentia, ad iſtas commentitias confugere qualitates, ſine quibus ipſam etiam concupiſcentiam conſiſtere poſſe videbimus? Deinde vel nihil explicat, vel in Pighii, & Catharini ſententiam concedit. Nam ſive Reatum intelligatur obligatio, aut dignitas ad pœnam, ſive obligatio, ſeu conſtrictio ipſius culpæ; cum ipſa obligatio, ſeu conſtrictio non ſit culpa, Reatus iſte aliquam ſane culpam, ſeu peccatum præſumit in eo, qui dicitur Reus, cujus culpæ, ſeu peccati ratione, maneat obligatus, ſeu conſtrictus pœna, vel culpa. Si ergo Parvuli Rei ſunt pœnæ, vel culpæ, aliquo peccato hunc Reatum contraxerunt, vel proprio, vel primi Parentis. Si proprio, inquirendum reſtat, quodnam illud ſit. Si primi Parentis tantum; ergo a ſolo Adæ peccato denominantur Rei, & Peccatores.

28. Fateor, D. Auguſtinum pluribus in locis (*c*) ſignificaſſe, Originale Peccatum eſſe Concupiſcentiam, non quidem ſecundum ſe, ſed ratione Reatus, atque adeo Reatum eſſe formalem rationem peccati; Concupiſcentiam vero, quaſi materiam; ut bene obſervat P. Vaſquez. (*d*) Sed mirum non eſt, S. Doctorem in Fidei dogma ſtabiliendum unice intentum, ut ab ejuſmodi difficultate ſe expediret, pro Originali Peccato Reatum pœnæ deſignaſſe, tanquam effectum notiſſimum illius; quemadmodum, qui poſtquam actu peccaverunt, Rei manere dicuntur. *Magis enim*, ajebat, (*e*) *curandum eſt, ſive in Parvulis, ſive in Grandibus, quo Anima ſanetur auxilio, quam quo vitiata ſit merito: quæ tamen ſi vitiata negabitur, nec ſanabitur.* Cæterum non ſenſit Auguſtinus, Peccatum Originale eſſe ſolum Reatum, ſed Reatum cum ſuo fundamento.

(u) Jacobi 1. 13.
(x) *Lib. 14. de Civit. Dei cap. 12. col. 364. tom. 7.*
(y) *Lib. 4. cap. 1. col. 38. Appendicis tom. 10.*
(z) *Lib. 5. contra Julianum cap. 4. nu. 71. col. 637.*
(a) *Ibid. art. 4. fol. 102. col. 4.*

(b) *Canon. 2. ejuſd. decr.*
(c) *Lib. 1. de Nuptiis, & Concupiſc. c. 26. n. 29. col. 294. & lib. 2. de Peccator. Merit. & Remiſſ. c. 28. num. 45. col. 64. tom. 10. & alibi.*
(d) *Tom. 1. in 1. 2. D. Thom. diſp. 132. c. 3.*
(e) *Lib. 5. contra Julian. c. 4. n. 17. col. 638.*

Documentum IV. et Postremum.

29. Primus Homo Adam conditus fuit à DEO cum Justitia Originali, prout hæc complectitur tum subjectionem virium, seu facultatum inferiorum ad voluntatem, & rationem; tum præterea Gratiam sanctificantem, seu Gratum facientem. Hanc insuper Justitiam, & Sanctitatem a DEO accepit, non tantum sibi conservandam, verum etiam in Posteros transfundendum, sub conditione observantiæ illius Præcepti: (*f*) *de ligno scientiæ Boni, & Mali ne comedas.*

30. Prior pars hujus documenti eruitur ex illa Tridentini definitione: (*g*) *Si quis non confitetur, primum Hominem Adam, cum mandatum DEI in Paradiso fuisset transgressus, statim Sanctitatem, & Justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse &c. Anathema sit.* Nam si Adam per illam mandati transgressionem, Justitiam, & Sanctitatem, in qua constitutus fuerat, amisit; utramque proculdubio ab initio suæ constitutionis habuerat: ut & multi Patres tradunt apud Card. Bellarminum, (*h*) consentientibus Theologis cum D. Thoma. (*i*) Legatur & P. Franciscus Suarez *de Opere sex dierum.* (*k*) Posterior pars in hac alia ejusdem Tridentini definitione continetur: (*l*) *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse; & acceptam a DEO Sanctitatem, & Justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam perdidisse &c. Anathema sit.* Si enim Adam per suam prævaricationem nobis quoque Sanctitatem, & Justitiam perdidit; profecto utramque etiam nobis, merito suæ obedientiæ, communicandam, seu transfundendam acceperat.

31. Idem documentum explanatum habemus a D. Anselmo (*m*) his verbis: „ Omnis Homo, „ si peccatum non præcessisset, simul esset, sicut „ Adam, & Justus, & Rationalis. Quoniam „ vero Adam subditus noluit esse DEI voluntati, Gratiam, quam de se propagandis servare „ poterat, perdidit; atque omnes, qui operante „ natura, quam acceperat, propagantur, ejus „ astricti debito nascuntur. Quamobrem quoniam humana natura, (quæ sic erat in Adam „ tota, ut nihil de illa extra illum esset;) peccando sine omni necessitate, DEUM exhonoravit, unde per se satisfacere non potuit; „ Gratiam, quam acceptam propagandis de se „ semper potuit servare, perdidit. „

32. Ad rem hanc fuit utique necessarium Decretum aliquod Divinæ Voluntatis, quo legem statuerit, ut Adamo obediente, Justitia Originalis traduceretur ad Posteros; Eo tamen prævaricante, non traduceretur: Quippe neutrum ex his rerum Natura postulabat. Et verisimillimum est, totam hanc legem, seu dispositionem Divinam, Adamo revelatam, & denuntiatam fuisse a DEO; ut ille ad omne bonum, ac malum, quod in suo actu esset, mentem advertens, magis voluntarie obediret, vel repugnaret præcepto, non tantum sicut Persona privata, verum etiam sicut Caput physicum, & morale totius Generis humani. Id etiam innuunt illa verba Genesis: (*n*) *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Quæ quidem ad omnes Adami Posteros pertinebant, & mortem minabantur tam Corporis, quam Animæ, ut D. Augustinus communiter receptus exponit. (*o*) Immo D. Gregorius de morte tantum Animæ ea intelligit. (*p*) Videatur P. Benedictus Pererius commentario in Genesim. (*q*) Quamobrem Lex ista nuncupari solet Pactum DEI cum Adamo, non quòd expectandus fuerit ipsius consensus, sed ea ratione, qua promissiones, & comminationes Divinæ passim appellantur in Scripturis Pacta DEI cum Hominibus. (*r*)

33. Porro hoc statutum, seu Pactum DEI, pro nobis initum cum Adamo, cui nos nec consensimus, nec consentire potuimus; æquissimum fuit, quin & commodum nobis. Quia totum illud negotium, de bonis supernaturalibus erat, quorum alioquin Homines suapte natura expertes nasci deberent, tametsi nemo unquam peccasset. Juste igitur DEUS, pro eis donis in nos conferendis, exigere potuit conditionem, quam ipse maluerit. Eam vero pro sua benignitate conditionem postulavit, quæ erat observatu facillima, nempe unius dumtaxat, & levissimi præcepti obedientiam, a primo Parente præstandam, quem propterea DEUS tot Gratiæ donis, & auxiliis cumulaverat, atque ab internis impedimentis expedierat.

34. Itaque Nuditas Justitiæ, & Sanctitatis, in qua nunc procreamur, propriam habet rationem Privationis Moralis: Privationis quidem, quia beneficio, illius Legis, & Ordinationis Divinæ, eramus velut initiati ad Justitiam, & Sanctitatem habendam, & utraque erat nobis debita a nostro primo exortu, nisi Adam peccasset: Moralis vero, quia licet non sit in nostra potestate, Justitiam, & Sanctitatem habere, cùm concipimur; in potestate tamen nostri primi Parentis erat, utrumque donum in nos transfundere, quod ipse per voluntariam præcepti transgressionem sibi, & nobis perdidit. Qua ratione utitur D. Anselmus, (*s*) ut probet, Parvulos non excusari a debito habendi justitiam, propter impotentiam; *quoniam ipsa*, Natura humana, *sibi facit eam, deserendo Justitiam in primis Parentibus, in quibus tota erat, & semper debitrix est habere potestatem, quam, ad servandam semper Justitiam, accepit.* Aliud esset in statu, quem vocant, Puræ Naturæ; ubi nulla interveniente ejusmodi ordinatione divina, nuditas Justitiæ, & Sanctitatis, cum qua nasceretur Homo, non foret stricta Privatio, sed simplex Negatio. Sicuti popularis Homo non dicitur privatus Regia dignitate, quæ ad ipsum nullo jure pertinebat.

Veri-

(f) *Genesis* 2. 17.
(g) *Canone* 1. *decr. cit. de Originali Peccato.*
(h) *Tom.* 4. *lib. unico de Gratia primi Hominis cap.* 3.
(i) 1. *Par. quæst.* 95. *art.* 1.
(k) *Lib.* 3. *cap.* 17.
(l) *Canone* 2. *ejusd. decr.*
(m) *Cap.* 10. *lib. cit. pag.* 101.
(n) *Cap.* 2. *v.* 17.
(o) *Lib.* 13. *de Civit.* DEI *c.* 12. *col.* 333. *tom.* 7.
(p) *Lib.* 7. *Regist. epist.* 34. (*al. lib.* 6. *epist.* 31.) *ad Eulogium, & Anastasium col.* 883. *tom.* 2.
(q) *Lib.* 4. *disp. de Pœna Mortis quæst.* 2.
(r) *Lege Concordant. Biblior.* V. Pactum.
(s) *Cap.* 2. *lib. cit. pag.* 97.

VERISIMILIOR SENTENTIA.

35. EX hactenus statutis apparet, illam esse verisimiliorem de Originalis Peccati Natura Sententiam, quæ ipsum formaliter constituit in Privatione Originalis Justitiæ debitæ: ut primores Theologi senserunt, D. Thomas, (t) D. Bonaventura, (u) Scotus, (x) quos proxime secutus Durandus, (y) testatur, eandem esse communiorem Sententiam. Illis præivisse videtur D. Anselmus, (z) ubi ait: *Hoc Peccatum, quod Originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem Infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ, Justitiæ debitæ nuditatem.*

36. Quia vero non omnes uno modo explicant hanc Sententiam, interest explanare, qualis Justitiæ Originalis sit illa privatio, quæ Peccatum Originale definiat. Justitiæ Originalis, in Adamum collatæ, & in nos traducendæ, duæ partes erant: Subjectio mentis ad DEUM, seu conjunctio cum DEO per donum Gratiæ, & Caritatis; & subjectio, seu subordinatio virium, & facultatum inferiorum ad superiores Voluntatis, ac Rationis. Hujus secundæ subjectionis Privatio, ne quidem ex parte ad Originalis Peccati Naturam spectare potest. Quia cum per Gratiam, quæ in Baptismate confertur, non restituatur nobis ista virium Animæ subordinatio; per eam Gratiam non tollitur a nobis Privatio Justitiæ Originalis, qua parte hæc dicit subordinationem istam. Privatio ergo hujuscemodi Justitiæ Originalis, nihil habet de peccato, seu culpa Originali; secus *per Gratiam, quæ in Baptismate confertur, non tolleretur totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet.* Qui est error a Concilio Tridentino damnatus. (a) Eadem igitur ratione, ob quam Concupiscentia non spectat ad formalem rationem Peccati Originalis; neque ad eam spectat illa Privatio, cum præsertim una non discriminetur ab altera, ut videbimus.

37. Quod autem ait Gabriel: (b) Per Gratiam, quæ confertur in Baptismate, etsi non tollatur Privatio istius Originalis Justitiæ, tolli tamen debitum habendi illam, commutato hoc debito in debitum habendi Gratiam: Non subsistit, quia cum ex divina ordinatione peræque deberet inesse Homini ista Originalis Justitia, ac Gratia, sanctificans, nisi Adam peccasset; adhuc infusâ Gratiâ, manet in Homine debitum habendi talem Justitiam; nec debitum unius commutari potest in debitum alterius.

38. Per Justitiam igitur Originalem, cujus Privatio sit formaliter Originale Peccatum, aliud intelligi nequit, nisi Gratia sanctificans, seu justificans, quæ erat pars potissima, & primaria in Originali Justitia, quippe quæ vere, & proprie reddit Hominem Justum apud DEUM. Significatur autem nomine Justitiæ Originalis, quia illam ab sui origine habere deberet Homo. Et in hoc sensu D. Thomas, si bene perpendatur, docuit in summa, (c) Peccatum Originale formaliter esse Privationem Justitiæ Originalis; ut etiam clarius se explicat in Commentariis super libros Sententiarum: (d) etsi utrobique admittat, inordinationem virium inferiorum, seu concupiscentiam, se habere in Peccato Originali, *sicut quiddam materiale.*

39. Hanc itaque Sententiam sic intellectam, ut Peccatum Originale dicatur esse formaliter, (de materiali non curo) Privatio ipsa Gratiæ sanctificantis, quæ Gratia Homini ab sui origine inesse deberet, & ob peccatum primi Parentis denegatur; eo maxime amplector, quòd ipsam videam, præter Alios quamplures, a Primariis Societatis nostræ Theologis defendi, P. Francisco Suarez, (e) & P. Gabriele Vasquez, (f) quibus reipsa consentit Ven. Robertus Cardinalis Bellarminus. (g) Eandem eruditione sua illustrat P. Theophilus Raynaudus. (h)

40. Allegari solet pro hac Sententia D. Anselmus loco superius laudato; ubi certe nomine *Justitiæ* non intelligit inferiorum virium Animæ subordinationem, sed veram, & propriam Justitiam apud DEUM, ut ex præcedentibus, & subsequentibus patet. Verum, ut ingenue loquar, *Capite ultimo* illius libri significare videtur, Peccatum Originale esse in Parvulis Nuditatem Justitiæ, non habitualis, sed actualis; quæ maneat quidem post Baptismum, sed tunc ab eis non exigatur, quasi ex debito; & ideo illos ait, non esse injustos, *quia non est in eis absentia justitiæ debitæ; ac proinde, si sic moriantur, non damnari, sed & justitia Christi, qui se dedit pro illis, & justitia Matris Ecclesiæ, quæ pro illis credit, quasi Justos salvari.* Quæ sane difficilia sunt.

41. Rectius allegatur S. Dionysius Areopagita in libro *de Ecclesiastica Hierarchia*, (i) ubi docet, Animam per Baptismum exuere *sibi insitum dissimilitudinis statum.* Hæc enim verba de Peccato Originali interpretatur P. Franciscus Turrianus Soc. Jesu, Vir in divinis Scripturis, Græcaque lingua apprime versatus. (k) Cum ergo per Gratiam, & Sanctitatem adipiscatur Homo veram cum DEO similitudinem; ut idem Areopagita ib. dixerat, & alii Patres apud Bellarminum (l) tradunt: consequens est, ut Privatio Gratiæ sanctificantis sit Originale Peccatum, a D. Dionysio

(t) 1. 2. *quæst.* 82. *art.* 2. & 3.
(u) *In* 2. *Sentent. distinct.* 30. *art.* 2. *quæst.* 1.
(x) *In* 2. *Sentent. distinct.* 32. *quæst. unica* §. Quoad Primum.
(y) *In* 2. *Sentent. distinct.* 30. *quæst.* 3. *fol.* 157. *col.* 3.
(z) *Lib. cit. cap.* 17. *pag.* 106.
(a) *Canone* 5. *decr. cit.*
(b) *In* 2. *Sentent. distinct.* 32. *quæst. unica.*
(c) 1. 2. *quæst.* 82. *art.* 3.
(d) *In lib.* 2. *distinct.* 32. *quæst.* 1. *art.* 1. *in Respons. ad* 1. & *ad* 2.
(e) *In* 1. 2. *D. Thomæ tract.* 5. *de Peccatis disp.* 9. *de Pecc. Orig. sect.* 2.
(f) *Tom.* 1. *in* 1. 2. *D. Thom. disp.* 132. *a capite* 8.
(g) *Tom.* 4. *Controv. Fid. l.* 5. *de Amiss. Gratiæ & Statu Peccati cap.* 19.
(h) *In Pietate Lugdunensi &c. card.* 2. *tract. num.* 42. *pag.* 313. *tom.* 8.
(i) *Cap.* 2. §. 3. *num.* 48. *pag.* 83. & V. §. 1. *pag.* 74. *edit. Græco-Latinæ* Paris. an. 1615. *curatæ a* Petro Lanzellio S. J.
(k) *In epist. ad Episcop. Antisiodorensem de Definit. prop. Pecc. Orig. ex* S. Dionysio Areopag. *edita* Ingolstadii an. 1581.
(l) *Tom.* 4. *lib. unico de Gratia primi Hominis cap.* 2.

Dionyſio ſignificatum per *inſitum diſſimilitudinis ſtatum*, quem exuit Anima per Baptiſmum.

42. Optima ratio hujus ſententiæ eſt: quia, & nihil aliud inveniri poteſt, in quo, juxta Concilii Tridentini doctrinam, reponatur Originale Peccatum, ut in ſuperioribus oſtenſum eſt: & Privationi Gratiæ ſanctificantis debitæ quadrant Notæ omnes, quas Scripturæ, & Concilia nobis conſignarunt ad dignoſcendum Originale Peccatum. De hoc peccato habemus primo, quod *inſit unicuique proprium:* (*m*) & Privatio iſta ſuo modo ineſt unicuique propria, ſicuti Gratia, quam excludit, ineſſet unicuique propria. Secundo, quod ſit *Mors Animæ.* (*n*) Privatio autem Gratiæ eſt mors Animæ: Mors enim eſt privatio vitæ, & Gratia eſt vita Animæ, per quam ipſa DEO vivere dicitur. Tertio, quod nos per illud *fuimus natura*, hoc eſt Origine, *Filii Iræ:* (*o*) Et ſicuti per Gratiam ſit Homo DEO amicus, gratus, & acceptus; ita per Privationem Gratiæ debitæ naſcitur Infans DEO inviſus, inimicus, & offenſus; non quòd male fecerit, ſed quia ſine Gratia, & Juſtitia natus eſt, cum qua naſci deberet. Quarto, quod ſit macula illa, quæ *Regenerationis lavacro expiatur:* ſeu quam *neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam.* (*p*) Cum autem per Baptiſmum conferatur Infanti Gratia ſanctificans, quæ eſt ſemen vitæ æternæ; ejuſdem Gratiæ Privatio eſt id, quod per ſe primo expiatur per Baptiſmum, ad vitam æternam conſequendam. Quinto denique, quod *veram, & propriam peccati rationem habeat*, (*q*) non quidem perſonalis, & actualis, ſed Originalis: Et hanc quoque rationem habet Privatio Gratiæ, quia licet non ſit formaliter in ſeipſa receſſus a lege DEI, (qui character eſt peccati actionis) eſt nihilominus receſſus, ſeu averſio habitualis a DEO, ut ab ultimo fine ſupernaturali, in ſua Origine voluntaria: quemadmodum Gratia eſt acceſſus, ſeu converſio habitualis ad DEUM, ut ad finem ultimum ſupernaturalem.

43. Duo ſunt, quæ huic ſententiæ difficultatem ingerere videntur: 1. Omne peccatum, voluntarium, & vitabile eſt ei, cujus eſt peccatum. Privatio autem originalis Gratiæ nec voluntaria, nec vitabilis eſt Parvulis, omni rationis uſu carentibus. 2. Nullum malum culpæ a DEO eſt, ſed ſolum malum pœnæ. At illa Privatio a DEO eſt, ſubtrahente Gratiam, cujus ipſe eſt unica cauſa efficiens: Non ergo ad malum culpæ, ſed tantum pœnæ ſpectare poteſt.

44. Prior difficultas omnes tangit, quotquot cum Tridentino fatentur, Peccatum Originale *ineſſe unicuique proprium*; *ac veram, & propriam peccati rationem habere.* Dicendum ergo eſt, quod uti peccatorum diverſa ſunt genera, ſic & diverſa ratio voluntarii (idem dico de Vitabilitate,) ad ea poſtulatur. Peccatum Perſonale, quod eſt defectus in Operatione, quæ Perſonæ tribuitur, poſtulat, ut ſit voluntarium, voluntate ipſius Perſonæ operantis. At Peccatum Originale, cum ſit defectus in Eſſe, quod convenit naturæ, ſolùm poſtulat, ut ſit voluntarium voluntate Originis, unde trahitur natura. Hoc pacto ab iſta difficultate ſe expedit D. Auguſtinus in libris Retractionum: (*r*) *Illud*, inquit, *quod in Parvulis dicitur Originale Peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non abſurde vocatur etiam voluntarium, quia ex prima Hominis mala voluntate contractum, factum eſt quodammodo hæreditarium.* Et infra, recolens principia, quæ alibi (*s*) tradiderat de libertate neceſſaria ad peccandum; ſubdit, quod ea *propterea non perturbat de Parvulis quæſtio, quia ex Illius origine Rei tenentur, qui voluntate peccavit, quando libero ad faciendum, & non faciendum motu animi non carebat, eique ab opere malo abſtinendi ſumma poteſtas erat.*

45. Jam Privatio illa Gratiæ ſanctificantis eſt proculdubio Parvulis hoc modo voluntaria, hoc eſt voluntate Originis. Quia, cum voluntati primi Parentis commiſſa fuerit a DEO Gratia, & Juſtitia, non tantum ſibi conſervanda, ſed & in Poſteros transfundenda; ipſe prorſus voluntarie, per liberam præcepti transgreſſionem, & ſibi, & Poſteris eandem Gratiam, & Juſtitiam perdidit. Cujus rei convenientiam luculenter exponit D. Anſelmus: (*t*) „ Quid convenientius, *inquit*, ad oſtendendam magnitudi„ nem bonitatis DEI, & ad plenitudinem Gra„ tiæ, quam Adæ concedebat, quam ut quorum „ eſſe in illius poteſtate ſic erat, ut quod ille „ naturaliter erat, hoc illi per illum eſſent; ita „ quoque in ejus eſſet arbitrii libertate, ut qua„ lis erat ipſe juſtitia, & felicitate, tales eos „ propagaret? Hoc igitur illi datum eſt. Quo„ niam itaque in tanta Gratiæ celſitudine poſi„ tus, bona, quæ ſibi, & illis ſervanda acce„ perat, ſponte deſeruit: idcirco filii perdide„ runt, quod (*al.* quæ) Pater illis, cum ſer„ vando dare poſſet, non ſervando abſtulit. Hæc „ mihi ſufficere videtur ratio, cur ad Infantes „ Peccatum, & mala deſcendant Adæ.„

46. Quærere vero in Peccato Originis ſtrictiorem aliam voluntarii rationem, eſt, velle *fugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.* Eſt enim quærere in Originali Peccato id, quod ſolius peccati Perſonalis character eſt. Satis eſt, ut vitemus errorem illum, in Michaele Bajo proſcriptum, (*u*) videlicet *Peccatum Originis vere habet rationem peccati, ſine ulla ratione, ac reſpectu ad voluntatem, a qua originem habuit.* Fateor equidem, adhuc eſſe captu difficile, quo jure Parvuli ex ſola voluntate primi Parentis verum peccatum contrahant. At hæc eſt ipſiusmet Peccati Originalis difficultas, quam fide ſuperare debemus. Sed & plurima etiam ſunt id generis in natura, quorum cauſam, & modum non aſſequimur. Quis enim ſatis explicet, qua ratione Infans, maternis obvolutus viſceribus, materni appetitus aberrantis ſignum præ ſe ferat? Aut quo pacto equinis pullis, in materna alvo latentibus, equorum generantium gentilitia ſtigmata inurantur?

47. Ad

(m) Tridentinum *Canon.* 3. *decr. cit.*
(n) *Idem Canon.* 2. *&* Arauſicanum 2. *Can.* 2.
(o) *Ad Epheſ.* 2. 3.
(p) Milevitanum 2. *Can.* 2. *&* Tridentinum *Canone* 4.
(q) *Idem Trid. Canone* 5.
(r) *Lib.* 1. *c.* 13. *n.* 5. *col.* 20. *& c.* 15. *n.* 6. *col.* 25. *tom.* 1.
(s) *Lib. de duab. Animab. contra Manich. cap.* 12. *n.* 17. *col.* 82. *l.* 8.
(t) *Cap.* 23. *lib. cit. pag.* 104. *col.* 2.
(u) *Propogt.* 47. *ex* 79. *damnatis a S. Pio V. Conſt.* Ex omnibus.

47. Ad posteriorem difficultatem respondemus, Privationem Gratiæ debitæ considerari posse *Active*, qua est suspensio Gratiæ; & *Passive*, qua inest Infantibus, in sua origine voluntaria. Primo modo considerata, Privatio ista est a DEO, subtrahente in fluxum suum; & Gratiam denegante: & hoc pacto fatemur, quod sit pœna, non quidem Peccati Originalis, a singulis contracti, sed peccati primi Parentis, cui eadem privatio non est peccatum, sed alia ratione malum. Secundo modo considerata, Privatio Gratiæ non est a DEO, sed a voluntate primi Parentis, ut a propria causa emanat: Et hoc pacto defendimus, Privationem Gratiæ debitæ habere rationem culpæ, & non pœnæ respectu Parvulorum.

48. Et ratio ulterior est, quam affert P. Vasquez: Nullus defectus, qui dignus est aliqua pœna, potest esse pœna: Una enim pœna non facit Hominem dignum aliâ pœnâ, sed sola culpa reddit Hominem dignum pœnâ. Atqui defectus Gratiæ sanctificantis in Parvulis reddit illos dignos pœnâ damni hoc est exclusione ab æterna gloria. Sicut enim dignitatem, & jus ad Gloriam non erant accepturi Parvuli ex merito primi Parentis, tanquam ex proxima radice, sed ex Gratia sanctificante, quam per illum erant habituri: & sicut etiam nos in præsens non accipimus jus ad Gloriam ex Justitia CHRISTI Domini, ut ex proxima causa, sed ex Justitia, & Gratia nobis collata per merita ipsius: Ita dignitas, seu reatus pœnæ damni non competit Parvulis ex peccato primi Parentis, tanquam ex proxima causa, & radice, sed ob defectum Gratiæ sanctificantis, in seipsis ab Origine contractum; quem Gratiæ defectum, sed *nuditatem justitiæ*, ut ait D. Anselmus capite XXVII. *Beatitudinis quoque nuditas comitatur.* Hujusmodi ergo defectus non habet in Parvulis rationem pœnæ, sed potius culpæ, ad quam ceu proprietas consequitur dignitas pœnæ; quamquam pro diversitate culpæ Personalis, vel Originalis, diversa est dignitas pœnæ, ut mox videbimus.

49. Itaque Parvuli nondum regenerati dicuntur proxime digni privatione Gloriæ, non dignitate primi Parentis, sed dignitate ipsorum propria. Contra vero non dicuntur digni privatione Gratiæ, dignitate ipsorum propria, sed dignitate primi Parentis; quoniam nullus defectus in ipsis Parvulis potuit esse prior Gratiæ privatione, qui veram haberet rationem peccati, & quo redderentur digni privatione Gratiæ. Quare Arausicanum, & Tridentinum Originale Peccatum explicarunt per *mortem Animæ*, non per dignitatem mortis Animæ, hoc est privationis Gratiæ. Et hinc apparet, cur, qui semel Gratiam concessam amittit per peccatum propriæ actionis, non iterum contrahit Originale Peccatum. Quia non contrahit privationem Gratiæ ex merito Adami, sed ex merito suo proprio.

§. II.

Exponitur ratio, qua propagatur Originale Peccatum.

PRobe intellecta Peccati Originalis Natura, dubitationes omnes, quæ circa ejus Propagationem possunt concurrere, per Consectaria quædam facile erit expedire.

CONSECTARIUM I.

50. PEccata aliorum Parentum, in Filios, aut Nepotes ipsorum non derivantur, etsi aliquoties DEUS puniat peccata Parentum in Filiis, & Nepotibus: sed (x) *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et idcirco Peccatum Originale est æquale in omnibus, quantumvis propinquiores Parentes pluribus fuerint irretiti peccatis. Ratio est; quia nulli ex Parentibus, sed soli primo Parenti commissa fuit a DEO Justitia, & Sanctitas in Posteros transfundenda. *Si Adam*, inquit D. Anselmus, *(y) nequivisset ad eos, quos generaturus erat, suam Justitiam producere, nequaquam posset eis suam Justitiam transmittere. Quare quoniam nullus post Adam Filiis suis quivit Justitiam suam servare, nullam video rationem, cur proximorum Parentum peccata, Filiorum debeant Animabus imputari.*

51. Quapropter non assentior Johanni de Ulloa (a) asserenti, peccatum primi Parentis ex se, & suapte natura, separatim ab omni lege DEI, infecturum Originali Peccato omnes ejus Posteros naturales, quatenus obtulit DEO jus ad habendum illos a primo, & in primo suarum conceptionum instanti, ut rebelles, & peccatores; quod quidem jus DEUS acceptavit, potens illud non acceptare. Quia, inquit, jure Gentium, & quasi ex natura ipsa rerum, infamia Parentum, & maxime Primorum, aspergitur Posteris. Non, inquam, assentior huic doctrinæ, tum quia nisi DEUS per liberum suum decretum commisisset Adamo Justitiam, & Sanctitatem, in Posteros transfundendam, etsi postea, ob primi Parentis peccatum, negaret Posteris Gratiam sanctificantem; hæc negatio non foret in eis Privatio Gratiæ debitæ, ac proinde non esset in eis ulla ratione peccatum; tum maxime quia inde sequitur, quod *omne scelus est ejus conditionis, ut suum Auctorem, & omnes Posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio:* Quæ est Propositio LII. Michaelis Baij, a S. Pio V. damnata. Nulla enim afferri potest disparitas, quæ ad rem faciat.

CONSECTARIUM II.

52. PEccatum Originale in eos Homines transfunditur, qui per naturalem generationem, hoc est per sexuum commixtionem, originem trahunt ex Adamo. Et ex hoc etiam capite, (ut omnes Patres docent) CHRISTUS Dominus, etsi verus Homo, nec contraxit, nec contrahere debuit in sua conceptione Originale Peccatum; quippe qui non ex maritali congressu, sed ex sola Virgine Matre, virtute Spiritus Sancti, conceptus fuit. Ratio est, quia pro solis Hominibus, naturaliter oriundis ex Adamo, commissa fuit ipsi Adamo Justitia in Posteros traducenda. Hujus rei congruentiam adducit D. Anselmus, (b) ubi CHRISTUM discriminans a cæteris Hominibus, ait: *Omnes alii sic fuerunt in illo,* scilicet

(x) *Ezechiel* 18. 4.
(y) *Lib. de Conceptu Virginali, & Originali Peccato cap.* 24. *pag.* 105.

(a) *Tom.* 5. *de Incarnat. disp.* 1. *nu.* 48. 166. 169.
(b) *Cap.* 23. *lib. cit.*

scilicet in Adamo, *ut per naturam propagandi, quæ potestati, & voluntati ejus subdita erat, de illo essent. Solus vero iste*, scilicet CHRISTUS, *non sic in eo fuit, ut per naturam, aut voluntatem ejus de illo fieret .... erat tamen in eo natura, de qua propagandus erat, non ejus, sed DEI potestate.*

53. Sed animadvertendum censeo, ex præciso titulo Virginalis Conceptionis non inferri, Humanitatem CHRISTI conceptam fuisse cum Gratia Sanctificante. Nam si purus Homo conciperetur ex Virgine, (ut divinitus fieri posset,) non idcirco conciperetur in Gratia Sanctificante, nisi aliunde DEUS hanc illi Gratiam elargiri vellet. Defectus autem Gratiæ non esset in illo Homine Peccatum Originale, quia non esset Privatio Gratiæ debitæ, cum nihil ad ipsum pertinuisset Peccatum Adæ, cujus Filius naturalis non esset.

CONSECTARIUM III.

54. NEc remissio illius primæ Prævaricationis, facta ipsi Adamo pœnitenti, nec Justitia, & Sanctitas proximorum Parentum præstitit, aut præstare potest, ne derivetur in Posteros Originale Peccatum. Quocirca adversus Calvinum, asserentem *Fidelium Filiis non imputari Originale Peccatum*; definivit Tridentinum, (c) *Parvulos recentes ab uteris Matrum, baptizandos esse, etiam si fuerint a baptizatis Parentibus orti.* Hujus autem dogmatis ratio non est, quam quidam Veteres reddere videntur: quia semper Filii generantur ab illis cum vitiosa concupiscentia, & libidine. Nam si contingeret, quod Parentes absque libidinosa concupiscentia, per conjugale tamen commercium, generarent, adhuc proles concepta peccatum Originis contraheret, quia ex veteris Adæ propagine derivaretur; ut bene observat Ruardus Tapperus, Lovaniensis Academiæ Cancellarius. (d) Sed vera ratio est, quia causa moralis nostri Originalis Peccati fuit illud primum dumtaxat primi Parentis peccatum semel commissum, propter quod Gratia, & Justitia, quæ derivanda erat in Posteros, juste illis denegatur, cùm concipiuntur. Hæc autem Gratia, & Justitia nec per pœnitentiam ipsius Adami, nec propter Justitiam proximorum Parentum, sed ex sola DEI misericordia, propter merita CHRISTI, Parvulis restituitur in Baptismate.

55. Quamobrem cùm D. Augustinus (e) ait, *Concupiscentiam fecisse in genere humano propaginem mali*; aut alio modo significat, Peccatum Originale traduci in Prolem per concupiscentiam, seu libidinem, qua generatio humana jam nunc vitiose perficitur: sensus non est, quod ipsa libido, seu concupiscentia sit propria causa, quæ Peccatum Originale transfundat in Prolem; cùm præsertim libido illa jam non adsit, cùm proles animatur, & actu contrahit Originale Peccatum; Sed sensus est, eam Generantium libidinem, seu concupiscentiam, (quæ quidem aliquoties omni caret culpa,) ex peccato primi Parentis mansisse; & hunc defectivum Generationis modum viam esse regularem, per quam Originale Peccatum suo modo transfunditur in sobolem, nisi speciali DEI privilegio impediatur. Sic etiam D. Thomas dixit, (f) *in semine corporali esse Peccatum Originale, sicut in causa instrumentali:* non quia in semine est aliqua vis inductrix Originalis Peccati; [in semine enim nec est peccatum, nec ulla immunditia peccati, ut late probat D. Anselmus; (g)] sed quia semen est instrumentum, quo concipitur filius naturalis Adæ, quam conceptionem de lege ordinaria consequitur Originale Peccatum.

CONSECTARIUM IV.

56. PEccatum Originale actu, & formaliter non transfunditur in Prolem, nisi postquam rationalem Animam habeat. Quia sola Creatura rationalis capax est peccati, seu Personalis, seu Originalis; sicuti sola illa capax est Gratiæ sanctificantis, in cujus privatione consistit Originale Peccatum. Qua ratione utitur D. Anselmus: (gg) *Non est*, inquit, *ulla natura susceptibilis Justitiæ, præter rationalem. Quare, quoniam Injustitia non potest esse, nisi ubi Justitia debet esse; Originale Peccatum, quod est Injustitia, non est, nisi in natura rationali.* An vero subjectum proximum Peccati Originalis sit sola potentia Voluntatis, ut Quidam volunt; aut potius ipsa essentia Animæ, ut malunt Alii; parum interest, cùm præsertim potentiæ rationalis Animæ non distinguantur ab ipsa Anima, ut fert verior sententia. Cæterum etsi ad Animam, non ad corpus proprie spectat Originale Peccatum; nihilominus totus Homo dicitur Peccator. Quemadmodum [ut exemplis utar D. Anselmi (h)] licet cæcitas non sit, nisi in oculo, ubi debet esse visus, nec surditas sit, nisi in aure; Homo tamen dicitur cœcus, vel surdus.

CONSECTARIUM V.

57. QUamquam Originale Peccatum non in carne, sed in Anima rationali propriam sedem habet, ut dictum est; ad contrahendum tamen ex Adamo, simul cum natura, Originale Peccatum, non opus est, ut Animæ Posterorum ex primi Parentis Anima propagentur, veluti per traducem, sicut caro propagatur ex carne: Sed satis est, ut Posteri ipsi, Corpore, & Anima constantes, per veram, & naturalem carnis generationem, Originem trahant ex Adamo: *ex quo uno*, ut ait Apostolus, (i) *fecit DEUS, omne genus Hominum inhabitare super universam faciem terræ.* Nam hoc ipso, tanquam veri, & naturales filii Adæ, concipiuntur privati Justitia, & Sanctitate, quam acceperant in primo Parente, & per ipsius prævaricationem amiserunt; ac proinde concipiuntur in Originali Peccato, licet hoc peccatum non in carne, sed in Anima propriam sedem habet.

58. Enim-

(c) *Trid. Can. 4. decr. cit.* (d) *Art. 2. cit. pag. 42. col. 1.*
(e) *Lib. 5. contra Julianum cap. 15. col. 654. tom. 10. & lib. 1. de Peccator. Meritis, & Remiss. cap. 29. col. 32. & alibi.*

(f) *1. 2. quæst. 83. art. 3.*
(g) *Cap. 7. lib. cit. pag. 99.* (gg) *Cap. 3. pag. 98.*
(h) *Cap. 15. pag. 102.*
(i) *Actor. 17. 26.*

58. Enimvero, ut Homo vere, & proprie dicatur generari ex Homine, & esse proprius ac naturalis filius ipsius; non est necesse, quod Anima generetur, seu fiat ex Anima illius Hominis; sed satis est, quod generetur corpus, cui infundenda est Anima, & ex qua simul cum corpore consurgit Homo. Quo exemplo scite utitur S. Cyrillus Alexandrinus (*k*) ad declarandum contra Nestorium, Beatissimam Virginem esse THEOTOCON, idest Matrem DEI, etsi Divinitatis Mater non fuerit; „ Licet, *inquit*, illæ terrenorum Hominum Matres, terrestrium dumtaxat corporum Matres fiant; non alteram tamen partem, sed totum, quod ex Anima, & Corpore conflatur, parere dicuntur. Nemo enim, (ut exemplo res illustretur) Elizabeth carnem tantummodo, non etiam animum peperisse dixerit: Siquidem peperit Baptistam animatum, & Hominem, ut unum ex duobus, carne, inquam, & Anima. Ita & in Emmanuelis quoque ortu accidisse cogitemus &c.„

59. Alius vero modus explicandi propagationem Originalis peccati, quem refert Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, dictus Magister Sententiarum, (*l*) nempe quod, *sicut de corrupta carne, caro corrupta seminatur; ita etiam de Anima peccatrice, Anima peccatrix, corruptione Originali infecta, trahatur:* Salva fide, sustineri non potest, ut enim subjungit idem Magister: *Hoc autem Fides Catholica respuit, & tanquam veritati adversum damnat, quæ non Animas, sed carnem solam, sicut superius diximus, ex traduce esse admittit.* Similiter D. Thomas, (*m*) prolata auctoritate libri de Ecclesiasticis Dogmatibus, (*n*) & tribus datis rationibus, concludit: *Hæreticum est dicere, quod Anima intellectiva traducatur cum semine.* Reliqui etiam Theologi Scholastici doctrinam Catholicam unanimiter censent, Animas rationales a solo DEO creari, & infundi corporibus, cùm primum in uteris Matrum formantur. Hanc demum veritatem, Ecclesiasticam esse Traditionem, pluribus allegatis Patribus, ostendit Cardinalis Bellarminus. (*o*)

60. Addo, istam propagationem Animarum Posterorum ex Anima Adami nihil prodesse videri ad explicandam transfusionem Originalis Peccati. Nam cùm Adam genuit Cain, jam egerat pœnitentiam de peccato suo, ac proinde jam tunc ejus Anima peccato vitiata non erat, etsi corpus manserit fomite vitiatum. Item fideles Parentes, cùm generant filios suos, Animam non habent Peccato Originali infectam, interdum etiam nec personali. Quid ergo prodest dicere, Animam Filii ex Anima Patris propagari, ut hinc intelligamus, ex Anima Patris Originale Peccatum derivari in Animam Filii? Præterea cur Anima Filii non contrahit ex Anima Patris, a qua propagatur, peccata alia personalia, quibus illa non raro sordescit, cùm Filius generatur?

61. Fateor, D. Augustinum aliquoties addubitasse, an Rationales Animæ una cum corporibus traducantur a Parentibus; quia hæc ratio tunc ipsi videbatur idonea ad explicandam difficultatem de propagatione Peccati Originalis. Verumtamen nunquam aut illi sententiæ, aut huic explicationi firmiter adhæsit; propter difficultates, quas ipse perpendit in Epistola ad Optatum. (*p*) Neque etiam hac de re multum sollicitus fuit, quippe unice intentus in astruendum Fidei Dogma adversus Pelagianos. Quare cum libro quinto contra Julianum (*q*) dixisset: *Profecto, aut utrumque* (Anima scilicet, & caro) *vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero, tanquam in vitiato vase corrumpitur, &c.* subdit: *Quid autem horum sit verum, libentius disco, quam dico, ne audeam docere, quod nescio. Hoc autem scio, id horum esse verum, quod Fides vera, antiqua, Catholica, qua creditur, & asseritur Originale Peccatum; non esse convicerit falsum.* Et post pauca: *Magis enim curandum est, sive in Parvulis, sive in Grandibus, quo Anima sanetur auxilio, quàm quo vitiata sit merito; quæ tamen si vitiata negabitur, nec sanabitur.*

APPENDIX

VETUS EST DOGMA DE CREATIONE ANIMARUM.

62. ANtonius Lampridius, ut evincat, Epistolam illam D. Bernardi, (*r*) quæ adversus Sanctitatem Marianæ Conceptionis allegari solet, perperam exponi de Conceptione *seminali*, quæ præcedat tempore infusionem Animæ; in hanc rem excurrens, (*s*) ait: „ Nicetas Choniates *lib.* 1. *cap.* 74. *Thesauri* (*t*) Veterum opiniones refert de infusione Animæ in corpus, inquiens: *Nullum commune Dogma super Quæstione ista, vel ab Apostolis, vel ab ullis aliis Sanctis Patribus accepimus.* Addit, nonnullos Patres sensisse, *semen animari, cum primùm vulvæ injectum est, ita ut partium neutra compositionem, aut præcedat, aut subsequatur:* Philosophos vero *serius* Animam infundi scripsisse. Sanctus autem Augustinus, aliique non pauci Occidentalis Ecclesiæ Patres, ac Theologi, usque ad tempora Magistri Sententiarum, hoc est, post S. Bernardum, ancipites in ejusmodi quæstione fuere, uti pluribus ostendit Clariss. S. R. E. Cardinalis Henricus

(k) *Epist. ad Ægypti Monachos n.* 12. *Parte* 1. *Concilii Ephesini col.* 598. *tom.* 3. *Conciliorum.*

(l) *Lib.* 2. *Sententiarum distinct.* 31. *initio.*

(m) 1. *par. q.* 118. *art.* 2.

(n) *Cap.* 14. *qui liber tribuitur* Gennadio Massiliensi, *& extat in Append. tom.* 8. *Operum S. Augustini a col.* 75.

(o) *Tom.* 4. *lib.* 4. *de Amiss. Gratia, & Statu Peccati cap.* 11.

(p) *Epist.* 190. *al.* 157. *cap.* 4. *num.* 15. *col.* 704. *tomi* 2.

(q) *Cap.* 4. *num.* 17. *col.* 637. *& seq. tomi* 10.

(r) *Epist.* 174. *ad Canonicos Lugdun. a col.* 169. *primi Volum.*

(s) *In libro de superstitione vitanda &c. cap.* 24. *pag.* 199. *edit.* Mediolan. An. 1740. *in quo libro, ut Votum oppugnet tuendi usque ad sanguinem Immaculatam B. V. Conceptionem, ad hanc piam sententiam infirmandam, corrogatis undique Adversantium argumentis, fere totus incumbit.*

(t) Corrige *lib.* 2. & adde *Thesauri Orthodoxæ Fidei, pag.* 90. *tomi* 25. *Bibl. Max. PP.*

„ ricus Norisius in *Vindiciis Augustinianis Cap. IV. §. III.* Vide & Cassiodorum *Lib. de Anima Cap. VII.* Nunc certissima inter Theologos sententia est, Animas non ex Traduce venire, novasque a DEO creatas in fœtum efformatum infundi. Verum quæ Antiquorum fuerit mens, ab ipsis Antiquis petendum est, non vero a Recentioribus. „

63. At quorsum in primis tota hæc eruditio? Probe tenemus, D. Bernardum (de quo uno agitur) pro comperto habuisse, Animas rationales non fieri ex traduce, sed a solo DEO creari, & infundi corporibus, proindeque conceptionem *seminalem* discretam esse ab infusione Animæ. Ecce illius doctrinam (*u*): „Qualis, *inquit*, Artifex, qualis Unitor rerum, ad cujus nutum sic conglutinantur sibi limus terræ, & spiritus vitæ! Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio creavit DEUS Cœlum, & Terram. At spiritus sane non communem, sed propriam habet conditionem; nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce Homo dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ: est enim tibi cum Mundo corpus &c. Sed est tibi etiam sublimius aliquid, nec omnino comparandus es cum cæteris Creaturis. Compacta, & confœderata sunt in te Caro, & Anima; illa plasmata, hæc inspirata.„ Et paulo post loquens de secunda conjunctione rerum, quæ est in CHRISTO: „Sane, *inquit*, cùm prima conjunctio ex duobus facta sit, secunda jam conjunctio fit ex tribus. Verbum, quod erat in principio apud DEUM, & DEUS erat: Anima, quæ de nihilo creata est, & ante non erat: caro de massa corruptionis, sine corruptione.„ Idem alibi (*x*) significavit, cum dixit, *Animam originem ducere de Cœlo, quod tanto est gloriosius, quanto divinius.* Ubi hanc notam subjicit V. Cl. Joh. Mabillon (*y*): *Hic iterum occurrit petulantissimus Berengarius, Bernardum insimulans, quod Animarum e Cœlo originem afferat, nimirum quod a DEO creatæ, & infusæ in corpora, non ex terrena materia adductæ. Sed hæc commodius in àliis notis nostris.* (*z*)

64. Deinde, ut quid etiam Cassiodorum videre jubemur? Num illum de creatione Animæ rationalis fluctuantem videbimus? Nihil profecto minus. Magnus Aurelius Cassiodorus, capite septimo citato, ne verbum ullum habet de hac re: At capite decimoquarto, (*a*) ubi agit de *Origine Animarum*, refert quidem aliquorum opinionem, quod DEUS *sicuti de corpore nostro semen carnis educit, ita & de Animæ qualitate Animam posse novam generari; quatenus Originalis illius Peccati, quod Catholica confitetur Ecclesia, per Traducem peccati Rea possit ostendi.* Additque, D. Augustinum dixisse, *nihil temere esse affirmandum, sed in ipsius esse secreto, sicut & alia multa, quæ nostra non posset nosse mediocritas.* Ipse vero Cassiodorus resolute pronunciat: *Hoc autem veraciter, fixeque credendum est, & DEUM Animas creare, & occulta quadam ratione justissime illis imputare, quod primi Hominis peccato teneantur obnoxiæ: melius est enim, in tam occultis causis confiteri ignorantiam, quàm periculosam assumere fortassis audaciam.*

65. Falsus est Lampridius, quia Cassiodori sententiam, non apud ipsum, sed apud Cardinalem Norisium legerat, ubi extat mutila, & interpolata. Ea namque postrema Cassiodori verba, *melius est enim &c.* (quæ ad occultam Originalis Peccati causam referuntur,) Norisius, (*b*) suppressis intermediis, *hoc autem veraciter fixeque credendum est &c.* superioribus ex Augustino relatis verbis: *Nibil temere esse affirmandum &c.* adnectit: quasi D. Augustini de origine Animarum dubitatio Cassiodoro probaretur. Liceat ergo & nobis monere Lampridium: *Quæ Cassiodori fuerit sententia, ab ipso Cassiodoro petendum est, non verò a Norisio.*

66. Demum, Quinam sunt illi *non pauci Occidentalis Ecclesiæ Patres, ac Theologi, qui usque ad tempora Magistri Sententiarum, hoc est post S. Bernardum, ancipites in ejusmodi quæstione fuere?* Non fuit certe D. Bernardus, nec Cassiodorus, ut ostensum est. Sed neque fuit D. Anselmus Cantuariensis Episcopus, etsi hunc citet Norisius. Potuitne Anselmus dubitare, an Animæ traducantur a Parentibus una cum semine, qui scripsit: (*c*) *Quod autem* (Infans) *ab ipsa conceptione rationalem Animam habeat, nullus humanus suscipit sensus. Sequitur enim, ut quoties susceptum semen humanum, etiam ab ipso momento conceptionis perit, antequam perveniat ad humanam figuram, toties damnetur in illo Anima humana, quoniam non reconciliatur per CHRISTUM: quod est nimis absurdum?* Neque demum fuerunt S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Leo Magnus, Auctor libri de Operibus Cardinalibus CHRISTI, & alius Auctor libri de Ecclesiasticis Dogmatibus; quorum perspicuas sententias pro vera creatione Animæ rationalis, fideliter recitat Cardinalis Bellarminus. (*d*)

67. Quid plura? Præter unum Tertullianum, qui a D. Augustino in Epist. cit. ad Optatum num. 14. & Animum Hominis, & ipsum etiam DEUM, corporeum somniasse dicitur; [V. loca a Jacobo Pamelio notata (*e*)] Neminem fortasse inter Antiquos Patres Latinos, [de Græcis fatetur Norisius, (*f*)] reperies, qui Animam rationalem fieri doceat ex Traduce. Immo si D. Augustinum excipias, quem pauci sunt secuti; de Creatione Animæ rationalis dubitantem, ex Antiquis vix ullum invenies. Rufinus quidem

(u) *Serm. 2. in Nativ. Domini n. 1. col. 779. ibid. & V. n. 4.*
(x) *Serm. 27. in Cantica n. 6. col. 1362.*
(y) *Littera C.*
(z) *Notâ in hunc serm. col.* CXIII. *ejusdem primi Voluminis.*
(a) *Pag. 1264. tom. 11. Bibl. Max. PP. & fol. 350. pag. 2. tom. 1. suorum operum edit.* Paris. An. 1600.
(b) *Loco cit. a* Lamprid. *pag. 50. in fine, edit.* Patav. An. 1708.
(c) *Lib. de Concept. Virg. cap. 7. pag. 99.*
(d) Bellarm. *tom. 4. controv. lib. 4. de Amiss. Gratiæ &c. cap. 11. a n. 40.*
(e) *In Paradoxis Tertull. initio suorum Oper. Paradoxo 7. & 15. a pag. 44. & 48. edit.* Paris. An. 1616.
(f) *Pag. 52. col. 1. cit. edit.*

quidem Tertulliano Lactantium adjunxit; (*a*) & propositis tribus de ortu Animarum sententiis, [quarum tertia erat Origenis de Creatione omnium Animarum ab initio Mundi,] *quæ sit illarum vera, nescire se*, dixit. At D. Hieronymus (*b*) notat, in citando Lactantio, *apertissime mentiri* Rufinum: Itemque, (*c*) Rufinum *idcirco trium ignorantiam confiteri, ne unum damnare cogatur; & Tertulliano, & Lactantio ideo parcere, ne Origenem cum illis jugulet.*

68. Profecto ante D. Augustinum, tam clarum, & pervagatum erat in Ecclesia, Animas rationales a solo DEO creari, formatisque corporibus infundi; ut D. Hieronymus ibidem Rufino objectârit: *Et miraris, si contra te Fratrum scandala concitentur, quòd id nescire te jures, quod Christi Ecclesiæ se nosse fateantur?* Id etiam Doctor Maximus, *Ecclesiasticum*, seu dogma, seu documentum, non semel appellavit. In epistola ad Pammachium, (*d*) *An certe*, inquit, *(quod Ecclesiasticum est) secundum eloquia Salvatoris*, Pater usque modo operatur *&c. quotidie DEUS fabricetur animas &c.* Et libro tertio Apologiæ adversus Rufinum, (*e*) *Quæris*, inquit, *a me, quid ipse de Animabus sentiam, ut cùm professus fuero, statim invadas; & si dixero illud Ecclesiasticum: quotidie DEUS operatur Animas, & in corpora eas mittit nascentium: illico Magistri tendiculas proferas.* Refert quidem S. Hieronymus, (*f*) quod Animam fieri ex traduce, *maxima pars Occidentalium autumat*: Sed Occidentales isti, quinam fuerint, ignoramus: tam obscuri fuerunt, ut nec ab ipso, nec etiam a Rufino nominari meruerint.

69. Sane Aurelius Prudentius Clemens, D. Hieronymo Synchronus, unus ex Occidentalibus erat. Hic autem tam certum in Ecclesia eo tempore putavit, Animas a solo DEO creari, ut oppositam de Traduce opinionem, tanquam erroneam, vitandam esse cecinerit. (*g*) En ejus carmina:

Et tenet ingenitas Animarum infantia in ortu,
Primi Hominis maculas, nec quisquam nascitur insons.
Vitandus tamen ERROR erit, ne Traduce carnis,
Transfundi in sobolem credatur fons Animarum,
Sanguinis exemplo, cui texta propagine vena est.
Non Animas Animæ pariunt, sed lege latenti
Fundit opus Natura suum &c.

70. Ipse etiam S. Augustinus *in libro de Hæresibus ad Quod vult Deum* (*h*) in quodam Anonymi opusculo se legisse meminit hæc verba: *Luciferiani cum teneant in omnibus catholicam veritatem, in hunc errorem stultissimum prolabuntur, ut Animam dicant ex transfusione generari; eandemque dicunt & de carne, & carnis esse substantiam.*

71. Quæ vero ex Niceta Choniate, seu Acominato, Græco Scriptore Sæculi decimi tertii, refert Lampridius; ad rem minime faciunt. Non enim ibi agitur de Origine Animarum, unde veniant in corpora; sed de tempore, quo primum Anima infundatur in corpus; ut perspicuum est legenti integrum illud caput, & vel ex fragmentis ipsis Lampridianis fit manifestum.

72. Præterea, tempora Magistri post S. Bernardum computari; cum tamen certum sit, utrumque eodem tempore claruisse, Conrado II. Imperante, tametsi alter alteri superstes fuerit. Immo Possevinus, (*i*) & Oudinus (*k*) ajunt, Magistrum floruisse anno MCXL. & circa hunc annum epistolam illam D. Bernardi scriptam fuisse, censet Cl. V. Joh. Mabillon. (*l*) Sed & illud mirum, quod *usque ad Magistri tempora non pauci Ecclesiæ Occidentalis Patres, & Theologi ancipites in ejusmodi quæstione*, de Traductione Animarum, *fuere*; & nihilo minus tantus ille Vir de repente absque ulla hæsitatione *loc. cit.* scripsit: *Hoc autem Fides Catholica respuit &c.*

73. De Cardinali Norisio, (qui eo usque progressus est, ut diceret, (*m*) quod si Augustinus nunc inter Homines viveret, *adhuc in veteri dubitatione persisteret;*) nihil attinet dicere. Norisium, ut in cæteris, sic & in hac parte, strenue refutavit P. Honoratus Fabri sub nomine F. Brunonis Neusser, Ordinis Minorum Recollect. *in Prodromo Velitari &c.* (*n*)

§. III.

Peccati Originalis Pœnæ, sive Effectus recensentur.

74. Plurium Malorum illuvies, ex Originali Peccato, tanquam ex Lernæo fonte derivata, totum Genus Humanum inundavit. Potissima sunt, Mors Corporis, suis veluti stipata Satellitibus ægritudinum, laborum, ærumnarum: Privatio Originalis Justitiæ, secum afferens Concupiscentiæ tyrannidem; &, quod omnium gravissimum est, Exclusio ab æterna cœlesti Gloria: de quibus singillatim agendum est, ne quid huic tractationi desit, quod ad causam nostram spectare possit.

Mors Corporis.

75. Hæc est prima Originalis Peccati Pœna, quam Adæ ante prævaricationem comminatus est Deus: (*o*) *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; & post prævaricationem indixit: (*p*) *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem* rever-

(a) *Apud D. Hieron. lib. 2. Apolog. adver. Rufinum col. 395. l. 4. par. 2.*
(b) *Lib. 3. Apolog. col. 465. prope medium, ibid.*
(c) *Lib. 2. Apolog. col. 399. ibid.*
(d) *Epist. 38. adversus errores Johannis Hierosolym. col. 318. ibid.*
(e) *Col. 464. tom. 4. parte 2.*
(f) *Epist. 78. (al. 82.) ad Marcellin. & Anapsychiam col. 642. in fine ib.*
(g) *In Apotheosi pag. 1043. col. 2. tom. 5. Bibliot. Max. PP.*
(h) *Num. 81. pag. 11. col. 2. tom. 6. edit.* Lugdun. *per Theologos Lovanienses, qua hic utor, pro illa Benedictinorum, ubi tom. 8. col. 23. errore Typographi pro* eandemque *legitur* eademque.
(i) *Pag. 59. tom. 3. Appar. Sacri.*
(k) *Col. 1218. tom. 2. de Script. Eccl.*
(l) *In margine initii illius Epistolæ col. 169.*
(m) *Pag. 53. col. 2. edit.* Patav. An. 1708.
(n) *Parte 1. cap. 7. a pag. 34. edit.* Mogunt. An. 1679.
(o) *Genes. 2. 17.*
(p) *Genes. 3. 19.*

reverteris. Huic ferali edicto totum Genus Humanum esse subjectum, docet Apostolus (*a*) ubi ait: *Per unum Hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum Mors, & ita in omnes Homines Mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

76. Triplex hinc difficultas oboritur. Prima: Adam non eo die, quo comedit de fructu vetito, mortuus est, sed post triginta, & nongentos annos, ut Scriptura testatur. (*b*) Quomodo ergo dictum est ei: *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris?*

77. Alii aliter respondent apud Benedictum Pererium. (*c*) Planior, & Theologis Scholasticis probata responsio est, mortem ibi sumi pro necessitate moriendi. *Eo quippe die*, inquit D. Augustinus, (*d*) *mutata in deterius, vitiataque natura, atque a ligno vitæ separatione justissima, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus.* Sicut etiam *Apostolus*, (*e*) subdit ib. Augustinus, ait: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum; quia jam moriendi necessitate constrictum est.* Eumdem locum similiter exponit Theodoretus. (*f*) „ Hic, *inquit*, sententiam mortalitatis, appellavit Mortem. Sic enim interpretatus est „ Symmachus: *quocumque die comederis de ligno hoc, mortalis eris.* Siquidem post Sententiam Divinam, per singulos propemodum „ dies mortem expectabat. „ Quam Symmachi interpretationem laudat etiam D. Hieronymus. (*g*)

78. Secunda difficultas: Idem Apostolus ad Thessalonicenses scribit, (*h*) quod *Nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. ...... Et Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra.* Quem locum plures Patres, apud Suarium, (*i*) ita interpretantur, ut Justi illi, qui in die Judicii vivi reperientur, nunquam sint morituri, ac proinde nec resurrecturi, sed tantum immutandi, immutatione gloriæ. Hanc utique interpretationem, tanquam planissimam amplectitur D. Hieronymus epistola ad Marcellam; (*k*) & epistola ad Minervium, & Alexandrum, (*l*) & pro ea refert Theodorum Heracleotem, Apollinarium, & Diodorum Tharsensem. Immo D. Augustinus libro *de octo Dulcitii quæstionibus (m)* plane fatetur, in illis Apostoli verbis nullum alium sensum sibi occurrere potuisse, nisi istum, *quem, videntur*, ait, *ipsa verba clamare.*

79. D. Thomas primo loco respondet, (*n*) *probabilius, & convenientius teneri, quod omnes illi, qui in Adventu Domini reperientur, morientur, & post modicum resurgent.* Sed quomodo locus ille Apostoli intelligendus sit, non declarat. Origenes, & alii innominati apud D. Hieronymum in laudata epistola *ad Minervium, & Alexandrum*; verba illa Pauli in mystico sensu acceperunt, Viventes, Justos, vel Innocentes; Mortuos vero, Peccatores, vel Pœnitentes, interpretati. D. Augustinus libro vigesimo *de Civitate DEI (o)* responderi posse ait, *quod illi, quos hic viventes inventurus est Christus, ipso temporis puncto, quo cum resurgentibus rapientur in nubibus in obviam Christo in aëra, ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt. Neque enim dicendum est*, inquit, *fieri non posse, ut dum per aëra in sublime portantur, in illo spatio & moriantur, & reviviscant.*

80. Congruentior expositio videtur, quam ex Œcumenio eruit P. Suarez *loc. cit.* nimirum eos, qui tunc vivi reperientur, paullo ante generalem resurrectionem esse morituros: sed, quia modicum erit tempus inter mortem, & resurrectionem, ideo Paulus de illis, tanquam de viventibus loquitur, distinctoque modo, quàm de aliis jamdudum mortuis. Idcirco vero de viventibus specialiter docet, quod jamdudum mortuos non prævenient; non quia illi non sunt morituri, sed ut ostendat, tam facile esse DEO, jamdiu mortuos, quorum cineres essent per Orbem dispersi, quàm proxime defunctos, quorum corpora adhuc integra essent, in momento, & in ictu oculi excitare. Verba Œcumenii sunt: *(p) Quoniam enim promptius videbatur, ut ii qui ad tempus* (Judicii) *vitam produxissent, in momento oculi immutati raperentur; quam ii, qui in cineres essent redacti; dicit, quod viventes nequaquam prævenient eos mortuos, tanta erit potentia resuscitantis.*

81. Cæterum, quia Sententia docens, omnes omnino Homines, absque ulla exceptione, esse re ipsa morituros, etsi communiter recepta; non tamen est de Fide, nec etiam ita certa, ut opposita opinio, (quæ tantorum Patrum fuit,) ab ea regula generali excipiens illos, qui vivi reperientur in die Judicii, censeri possit temeraria: idcirco D. Thomas secundo loco respondet, *quod illi, etsi non moriantur, est tamen in eis reatus mortis: sed pœna aufertur a DEO.* Juxta quam doctrinam locutiones Scripturarum generales de morte, & resurrectione omnium Hominum, aut aliquam patiuntur exceptionem, aut certe intelliguntur de morte, non quoad actum, sed quoad debitum, seu necessitatem moriendi.

82. Tertia difficultas: Mors naturaliter consequitur humanam naturam, quippe ex materia, & forma, atque ex rebus contrariis, perpetuoque inter se pugnantibus, compactam: & meritissimo proscripta est illa Michaëlis Baji proposi-

(a) *Ad Rom.* 5. 12.
(b) *Gen.* 5. 5.
(c) *Comment. in Genesim lib.* 4. *disp. de Pœna Mortis. q.* 1.
(d) *Lib.* 13. *de Civit. cap.* 23. *col.* 347. *tom.* 7.
(e) *Ad Rom.* 8 10.
(f) *Q.* 38. *in Genes. ex Versione* Jacobi Sirmondi S. J. *pag.* 34. *tom.* 1. *edit.* Paris. An. 1642.
(g) *Lib. quæst. Hebraicarum in Genes. cap.* 2. *ver.* 17. *pag.* 510. *tom.* 2.
(h) 1. *ad Thessal. cap.*4. *a versu* 14.
(i) *Tom.* 2. *in* 3. *partem disp.* 50. *sect.* 2.
(k) *Epist.* 5. (*al.* 148.) *ad* 3. *interrogationem col.*166. *par.* 1. *tom.* 4.
(l) *Epist.* 9. (*al.* 152.) *a col.* 211. *ibid.*
(m) *Ad q.* 3. *a col.* 130. *tom.* 6.
(n) 1. 2. *q.* 81. *ar.* 3. *ad* 1.
(o) *Cap.* 20. *col.* 599. *tom.* 7.
(p) *Comment. in* 1. *epist. ad Thessal. cap.* 5. *pag.* 174. *Tomi, seu Partis* 2. *edit.* GL. Paris. An. 1631.

propositio num. LXXVIII. *Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Quo igitur jure mors, quæ aliquando obventura erat Homini, dicitur esse pœna, ipsi inflicta propter peccatum?

83. Communis, & plana responsio apud P. Benedictum Pererium est: (*a*) Si consideremus Hominem per se, ac secundum nudam naturæ suæ conditionem; hac ratione mors naturalis est illi, non minùs, quàm cæteris animantibus; atque adeo pœna non est. At considerantes Hominem, ut fuit a principio, ex DEI gratia, & benignitate, conditus cum potestate semper vivendi, & nunquam moriendi; hac ratione vere dicimus, mortem fuisse illi pœnam admissi peccati: nisi enim peccasset, in illo felici statu permanens, a morte fuisset immunis. Quemadmodum Sauli, ante electionem, & promotionem ad Regnum, pœna non erat, Regno carere; at postquam Regno potitus est, magna profecto fuit pœna, & ipsum, & filios Regno privari. Negabat porro Pelagius, mortem esse pœnam respectu Hominis; quia negabat, primum Hominem a DEO conditum fuisse immortalem: Quem ejus errorem damnavit Concilium Milevitanum (*b*) his verbis: *Quicumque dicit, Adam, primum Hominem, mortalem factum, ita, ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in Corpore ..... Anathema sit.*

84. Est autem mors pœna, non tantum Peccati Originalis, in singulos Homines derivati, verum etiam est pœna, seu Effectus proximus peccati ipsius primi Parentis: ob quod justissime meruit, ut ipse, & sua posteritas spoliarentur a DEO dono gratuito immortalitatis. Sicut Homo perduellis meretur, ut ipse, suique Filii, ac Nepotes priventur donis acceptis a regia liberalitate. Id innuere videtur Tridentinum, (*c*) ubi definit, *Inquinatum illum* [Adam] *per inobedientiæ peccatum, non tantum mortem, & pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, verum etiam peccatum, quod mors est Animæ.* Sicut ergo mors Animæ [quod est ipsummet nostrum Originale Peccatum,] est Effectus proximus peccati primi Parentis; ita & mors corporis est Effectus proximus ejusdem peccati. Unde fit, ut plene remisso Originali Peccato, adhuc in nobis maneat subeundæ mortis debitum, quo per peccatum primi Parentis semel obstricti sumus.

85. Quapropter, Beatissimam Virginem, instar cæterorum Adæ Filiorum, mortis debitum persolvisse; nullum est argumentum, ad inferendum, ipsam quoque Originale Peccatum contraxisse. Potuit enimvero præservari ab Originali Peccato in se ipsa, & nihilo minus mortis legibus subjacere ob Adæ peccatum. Qua ratione verum est, quod scripsit D. Augustinus, cùm generatim, (*d*) *Trahere mortem sine meritis mortis, de uno solo mediatore DEI, & Hominum Christo Jesu Catholica Fides novit*; tum speciatim, (*e*) *Maria ex Adam mortua propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, & Caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.* Nam & MARIA traxit mortem ex meritis Mortis, si non in se ipsa, in primo Parente contractis; & mortua est propter peccatum, non sui ipsius, sed Adami, a quo originem trahebat: quod ipsum expressum legitur in eodem D. Augustini loco, juxta priorem Erasmi editionem (*f*), ubi sic: *Maria ex Adam, mortua propter peccatum Adæ, Adam mortuus est propter peccatum &c.* In pluribus quoque mss. Codicibus apud Editores Benedictinos, non habentur ea verba, *Maria mortua propter peccatum*, sed alia. Accedit, proscriptam esse ab Ecclesia illam Baji propositionem, (*g*) *Nemo præter Christum est absque Peccato Originali. Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum &c.* Verum de hac propositione late disserendum est Actione V.

86. Immo D. Epiphanius tam absonum putavit, B. Virginem in pœnam alicujus sui inquinamenti mortuam fuisse, ut potius ex opposito dubitaverit, an unquam mortua sit. (*h*) *Non omnino*, inquit, *definio hoc, & non dico, quod immortalis mansit, sed neque affirmo, an mortua sit. Excessit enim Scriptura* [de ejus morte silens] *mentem humanam, & in suspenso reliquit, propter vas pretiosum, & excellentissimum, ut ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum.*

87. De morte DEI Genitricis non dubitat, [ut par est] S. Johannes Damascenus, (*i*) sed tamen stupet, tanquam de malo ipsi indebito. „ Hodierno, *ait*, die Vitæ thesaurus, Gratiæ „ abyssus, [nescio quo pacto intrepidis, ac mini„ me trementibus labiis id efferam] morte vitam „ auferente obtegitur; quæque ejus eversorem „ pepererat, ad eam metus omnis expers ac„ cedit .... Nam quæ veram vitam cunctis „ protulit, quî tandem mortem degustare, aut „ ei obnoxia esse queat? Verùm filii sui legi „ omnino obsequitur &c. „ Addit S. Andreas Archiepiscopus Cretensis, (*k*) DEI Genitricem *eandem nobiscum naturæ legem implesse, quamquam fortè non eâ, qua ipsi, sed altiori, & supra Hominem ratione, ac præter eam, qua id ipsi omnino cogimur sustinere.* Porro B. Virgo, juxta veriorem sententiam, ex hac vita migrasse creditur post annum septuagesimum secundum ætatis suæ. Lege Card. Baronium, & P. Franciscum Suarez. (*l*)

88. Denique S. Thomas *Tertia Parte quæst. 27. artic. 3. ad* 1. disparem rationem reddens, cur Morti, & non Fomiti B. Virgo subjacuerit;

(a) *Loc. cit. quæst. 2. num. 165.*
(b) *Can. 1. col. 381. t. 3. Concilior.*
(c) *Can. 2. decr. cit.*
(d) *Lib. 4. contra duas epist. Pelagionorum cap. 4. n. 6. col 471. t. 10.*
(e) *Serm. 2. in Psal. 34. n. 3. col. 240. t. 4.*
(f) *Fol. 56. col. 2. sub finem tom. 8.* Impress. Paris. An. 1541.
(g) *Propos. 73. ex 79. damnatis a* S. Pio V. Greg. XIII. & Urb. VIII.
(h) *Heresi 78. contra* Antidico-Marianitas, *hoc est Adversarios Mariæ, post medium pag. 330.* Edit. Paris. An. 1566.
(i) *Orat. 2. de Assumpt. DEI Genitr. fol. 353. pag. 2.*
(k) *Orat. in dormit. Ss. Deip. pag. 654. col. 1. tomi 10. Bibliot. Max. PP.*
(l) *Tom. 1. Annal. Eccl. ad annum 48. a n. 5, Tom. 2. in 3. par. disp. 21. sect. 1.*

rit; mortis causam refert in imitationem CHRISTI Filii sui: „ Mors, *ait*, & hujusmodi pœnalitates de se non inclinant ad peccatum. Unde etiam CHRISTUS, licet assumpserit hujusmodi pœnalitates, fomitem tamen non assumpsit. Unde etiam & in B. Virgine, ut Filio conformaret, de cujus plenitudine Gratiam accipiebat, primo quidem fuit ligatus fomes, & postea sublatus; non autem liberata fuit a morte, & aliis hujusmodi pœnalitatibus. „ Ex qua doctrina hanc regulam generalem colligunt Theologi: Effectus peccati primi Parentis, qui culpam includunt, vel ad illam inclinant, vel indecentiam quandam ex illa contractam continent, procul fuisse a B. Virgine: Alios vero effectus mere pœnales, qui nihil indecens, sed solum incommodum afferunt, permansisse in B. Virgine; quia & ad conservandam fidem, & ad meriti augmentum, & ad majorem cum CHRISTO similitudinem conferunt.

89. Claudat hoc argumentum, cedro digna, Richardi a S. Victore sententia: (*a*) „ Hoc, *inquit*, fuit in B. Virgine supra modum mirabile, & præ cæteris Sanctis omnibus singulare, quod in eam simul convenire potuit tanta corruptibilitas cum tanta incorruptibilitate. Corruptibilitas in his, quæ pertinent ad pœnam, incorruptibilitas in his, quæ pertinent ad culpam. Sed sibi ad futuræ Gloriæ cumulum, nobis autem ad patientiæ documentum profuit, quod passibilitatis nostræ jugum cum tanta puritate portaverit. „

90. Qui plura de hac re desiderat, adeat P. Lucam Wadingum, eruditissimum Ord. Minor. Scriptorem, qui integrum opusculum composuit, impressum Romæ an. 1655. ubi late probat, *Immaculatæ Conceptioni B. Virginis non adversari ejus Mortem corporalem.*

PRIVATIO JUSTITIÆ ORIGINALIS.

91. HÆc est secunda Originalis Peccati pœna. Per Justitiam autem Originalem hoc loco intelligitur Subjectio illa inferiorum facultatum, & virium Animæ ad superiores, hoc est Appetitus sentientis ad Voluntatem, & Rationem; quæ futura erat in statu innocentiæ, non quidem ex natura rerum, sed ex dono DEI speciali. V. P. Suarium. (*b*)

92. Quare sicuti Mors est pœna respectu Hominis, quia ex gratuita DEI munificentia primo conditus fuerat *Inexterminabilis*, (*c*) hoc est Immortalis; ita & Privatio Justitiæ Originalis est pœna respectu Hominis, quia ex eadem DEI munificentia primo conditus fuerat *Rectus*, (*d*) hoc est cum Justitia Originali. Et damnata est illa Baji propositio *num.* XXVI. *Integritas primæ Creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Cum ergo definit Tridentinum *Can. I. Totum Adam per illam prævaricationis offensam, secundum Corpus, & Animam in deterius commutatum fuisse?* Sensus non est, quod Homo, pejor extiterit ex peccato, quàm in pura natura fuisset; cum etiam *in Dæmonibus data naturalia post peccatum permanserint*; ut ex D. Dionysio tradit S. Thomas: (*e*) Sed sensus est, quod Homo per pecccatum dona Gratiæ amisit, quibus recte instituebatur, & suæ imbecilli naturæ relictus est.

93. Ex privatione Justitiæ Originalis provenit in nobis Concupiscentia, seu Fomes peccati, hoc est pugna illa intestina, quam scite describit Apostolus: (*f*) *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: Hæc enim sibi invicem adversantur; ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Rursus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Neque enim Concupiscentia est qualitas aliqua vitiosa, nobis insita ex peccato primi Parentis; ut Veteres illi a *numer.* 22. rejecti comminiscebantur: sed est facultas ipsa nostri appetitus sentientis, quatenus Justitiæ Originalis fræno, quo in officio continebatur, destituta. Nam ut Homo sit pronus ad concupiscendum, etiam contra ordinem rationis, satis est, quod habeat appetitum sentientem, [qualem Bestiæ habent] suapte natura tendentem in quodvis delectabile sensibile, & non præmuniatur Originali Justitia, quæ appetitum illum Rationi, in bonum honestum tendenti, perfecte subjiciat. Est autem in aliis major, in aliis minor impetus Concupiscentiæ; quia cum animus sequatur corporis temperamentum; juxta diversam humorum temperiem, vis appetitus sentientis magis, vel minus exardescit, & ad hoc, vel illud vitium prona est.

94. Sicubi vero D. Augustinus significare videtur, Concupiscentiam esse morbidam qualitatem, ut cùm de primis Parentibus scribit: (*g*) *Hoc ergo omisso statu, corpus eorum duxit morbidam, & mortiferam qualitatem, quæ inest etiam pecorum carni &c.* Et de ipsa Concupiscentia ait, (*h*) *quod non substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quadam malæ qualitatis, sicut languor*: Ne tanto Doctori commentum illud de morbidis qualitatibus appingatur, sic exponendus est, ut per qualitatem, seu affectionem qualitatis, intellexerit ipsam facultatem appetitus sentientis, quæ est veluti quædam Animæ qualitas; & dum non patet imperio Voluntatis, ac Rationis, tanquam Superiori, ex defectu Justitiæ Originalis, quo sanabatur in primo Parente, morbida, & vitiosa censetur. Quæ expositio est conformis menti ipsius Augustini. Nam in priori loco ait, ejusmodi morbidam qualitatem *inesse etiam pecorum carni*; cui sane non alia inest qualitas morbida, præter appetitum ipsum sentientem, quo in suum delectabile sensibile feruntur. Et posteriori loco subjungit: *Quæ tamen Concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus, & conti-*

(a) *Lib.* 2. *de Emmanuele c.* 31. *pag.* 324. Edit. Venet. An. 1592.
(b) *In opere sex dierum lib.* 3. *c.* 12.
(c) *Sapientiæ* 2. 23.
(d) *Eccl.* 7. 30.
(e) 1. *par. q.* 95. *art.* 1. *ex cap.* 4. §. 4. *de Divinis Nominibus.*
(f) *Ad Galat.* 5. 17. *& ad Rom.* 7. 23.
(g) *Lib.* 11. *de Genes. ad literam cap.* 32. *n.* 44. *col.* 290. *partis* 1. *tom.* 3.
(h) *Lib.* 1. *de Nuptiis, & Concup. cap.* 25. *num.* 28. *col.* 294. *tom.* 10.

continentibus, *accedente autem senectute*, *multo maxime.* Vis autem appetitus sentientis est, quæ carnis maceratione, continentia, & senectute retunditur; sicut ex contrariis causis vires resumit.

95. Præterea hæc Privatio Justitiæ Originalis, seu Concupiscentia, perinde ac Mors corporis, non tantum est pœna Peccati Originalis, a singulis contracti, verum etiam est effectus proximus peccati primi Parentis; ob quod etiam ejus posteritas meritò fuit a DEO privata dono gratuito Justitiæ Originalis. Et ideo deleto, vel etiam non contracto Originali Peccato, adhuc ex se manet, vel maneret Homo ut Morti, sic Concupiscentiæ obnoxius. Et ratio ulterior est, quia nasci Immortalem, & cum Justitia Originali, erant dona DEI specialia, a dono Gratiæ Sanctificantis discreta, & inconnexa, ex merito tamen primi Parentis una cum ipsa Gratia in Posteros transfundenda. Adamo igitur peccante, quantumvis aliquis ex ejus Posteris Gratia Sanctificante aliunde donetur a DEO, cùm primum concipitur, ac proinde non contrahat Originale Peccatum, adhuc tamen nullum jus habet, ad Immortalitatem, & Justitiam Originalem consequendam; ita ut DEUS jure merito possit ei hæc dona non elargiri.

IMMUNITAS DOMINÆ NOSTRÆ AB HAC POENA.

96. Itaque potuerat B. Virgo præservari ab Originali Culpa, quin fuerit a Concupiscentia, seu Fomite peccati servata immunis; ac proinde nullum esset argumentum ex hoc capite deductum ab Adversariis. Verum, quia Immunitas ista, præterquam in Dominæ nostræ gloriam cedit, ejus præservationem ab Originis Peccato confirmat, juxta D. Augustinum, & D. Thomam, concupiscentiam constituentes veluti materiam Originalis Peccati: operæ pretium est, B. Virginis, ab hac Concupiscentiæ pœna, exemptionem adserere.

97. Duas hac de re opiniones, tanquam probabiles, exponit Angelicus Doctor 3. *Parte qu.* 27. *art.* 3. Altera, [quæ erat Alexandri de Hales, (a) & est hodie communiter recepta] credit, peccati Fomitem in B. Virgine fuisse penitus extinctum, cùm primum in utero Matris sanctificata est. Altera, [quam post Albertum Magnum *in* 3. *dist.* 3. eligit D.Thomas] censet, post primam Sanctificationem remansisse in B. Virgine peccati Fomitem secundùm essentiam, perpetuo tamen ligatum seu impeditum, ne in ullum inordinatum motum prodiret; in secunda veró Sanctificatione, quæ contigit in Conceptione Filii DEI, fuisse totaliter sublatum.

98. Utraque ergo opinio, ut videris, in hoc convenit, quod nulli unquam re ipsa fuerunt in B. Virgine inordinati, & rebelles Concupiscentiæ motus, hoc est actus indeliberati appetitus sentientis, rectæ rationi repugnantes. Idem quoque plures Patres sensisse, demonstrat Theophilus Raynaudus: (b) Quibus adde S. Germanum P. CP. B. Virgini dicentem: (c) *Non magna res est*, *quia* Virum non cognosco: *Sed quia mens tua supra quam dici*, *& cogitari possit*, *pura & defæcata*, *ad minimam motionis inordinatæ*, *minusque convenientis umbram*, *atque vestigium*, *omnes aditus intercludit.*

99. Sed nemo hanc B. Virginis exemptionem fidentius asseruit, quam Nicolaus Monachus S. Albani in Anglia, qui pro ea diu certavit per epistolas cum Petro Abbate Cellensi in Gallia. Ajebat Nicolaus: (d) *Modis omnibus constare nobis debet*, *quod Virgo singularis nunquam in carne*, *in qua*, *& de qua Christus Homo factus est*, *motum illicitum sensit*, *nunquam legem membrorum sensit*; *nunquam quod non voluit egit*; *nunquam sensit*, *quod sentire non decuit.* Fatebatur Cellensis (e), quod B. Virgo *sæva libidinis incentiva*, *Deo præoperante*, *nunquám vel ad modicum senserit.* Putabat nihilo minus quod, *cætera impedimenta humanæ fragilitatis*, *ante divinam Conceptionem sentire potuit*, *sed nullatenus consensit.* Quia nimirum illud proderat *ad probationem*, *ad confirmationem gratiæ*, *& ostensionem constantiæ.* Huic tamen argumento satisfacit D. Thomas *in Resp. ad* 2. *Infirmitas*, inquit, *carnis ad fomitem pertinens*, *est quidem in Sanctis Viris perfectæ virtutis occasio*, *non tamen causa*, *sine qua perfectio haberi non possit. Sufficit autem in B. Virgine ponere perfectam virtutem ex abundantia gratiæ*, *nec oportet in ea ponere omnem occasionem perfectionis.*

100. Ex hac unanimi Scholasticorum sententia, Patrum suffragio roborata, de perpetua B. Virginis ab omni inordinato Concupiscentiæ motu exemptione; tertiam nos sententiam cum P. Vasquez (f) colligimus, videlicet, peccati Fomitem in B. Virgine, nec ligatum unquam fuisse, quasi revera in ea aliquandiu manserit; nec etiam extinctum, aut sublatum, quasi aliquando in ea præcesserit, sed nullo unquam modo fuisse; ut expresse tradit Judocus Clichtoveus, (g) & re ipsa sustinent, quotquot fere B. Virginem ab Originali Peccato præservatam agnoscunt, etsi extinctionis nomine utantur.

101. Ratio hujus consecutionis est: Quia Fomes peccati non est innata ipsa inclinatio, seu facultas appetitus sentientis, secundum se: Hæc enim ligari potest, & impediri, ne operetur, & appetat id, quod est contra rationem, & ipsam præveniat; at extingui, seu auferri nullo modo potuit, adhuc in CHRISTO Domino, in quo fuit appetitus ejusdem rationis cum nostro. Nec est aliqua qualitas morbida superaddita, quæ auferri, aut impediri possit; ut jam omnes fatentur. Neque demum est, [ut Antonius Cordubensis

(a) *Parte* 3. *Summæ Theol. quæst.* 9. *Membro* 2. *art.* 5. *fol.* 30. *col.* 4. *edit.* Lugd. an. 1516.
(b) *In Dypthicis Marianis puncto* 9. *a num.* 77. *pag.* 115. *tom.* 7.
(c) *Orat. in Annunciat.* DEI *Genitr. pag.* 109. *fol. Marialis per* Hippol. Marrac. *editi* Romæ *an.* 1650.
(d) *Lib.* 9. *epistolar.* Petri Cellens. *Ep.* 9. *pag.* 903. *tom.* 23. *Bibl. Max. PP.*
(e) *Epist.* 23. *lib.* 6. *pag.* 884. *col.* 2. *& Ep.* 10. *lib.*9. *pag.* 905. *ejusd. Tomi.*
(f) *Disp.* 118. *cit. cap.* 4.
(g) *Lib.* 1. *de Puritat. Concept. B. M. Virg. cap.* 10. *fol.* 40. *edit.* Paris. an. 1517.

ait: (a)] Inclinatio quædam præternaturalis, vehementius, & immoderatius movens appetitum, quàm ipse in sua pura natura moveretur. Nam & hæc inclinatio commentitia videtur, non minus, ac qualitas illa morbida, in quam tandem recidit. Fomes ergo peccati, vel est inordinatus motus appetitus sentientis, præveniens rationem, inclinans, & alliciens voluntatem ad aliquid contra rectam rationem, uti censet P. Vasquez: vel certe est facultas ipsa appetitus sentientis, non secundum se, sed quatenus destituta omni dono supernaturali, quo veluti freno coerceretur, ne in eos motus inordinatos, rationem prævenientes, erumperet. Igitur hoc ipso, quod convenit inter Theologos, ex speciali DEI gratia, nullum unquam inordinatum appetitus sentientis motum in Beata Virgine fuisse; convenire etiam debet, peccati Fomitem nullo unquam tempore, nulloque pacto in ea fuisse.

102. Illi autem motus Concupiscentiæ inordinati arceri potuerunt in B. Virgine, vel a jugi, & perfecta rerum divinarum contemplatione, cum fervore caritatis conjuncta: vel saltem ab externa protectione speciali divinæ providentiæ; sicut in Adamo innocente verisimilius est, contigisse. Non enim satis percipitur, quo pacto nativa inclinatio appetitus sentientis per solos habitus, seu infusos, seu acquisitos, ita voluntati, ac rationi subjiciatur, ut in id, quod est contra rationem, ab objecto delectabili sibi præsente nunquam moveatur: ut bene ponderant P. Suarez *Tom. 2. in 3. par. disp. 4. sect. 5.* & P. Vasquez *ibid. disp. 118. cap. 3.*

103. An autem ea propter B. Virgo dicenda sit habuisse donum Originalis Justitiæ; lis est de nomine. Plane affirmat cum Cardinali Cusano Vener. P. Petrus Canisius. (b) Alii, quos laudat Theophylus Raynaudus, (c) simpliciter negant. Rectius P. Franciscus Suarez respondet, (d) verissime dici posse, quod fuerit in B. Virgine donum Justitiæ Originalis quoad Effectus ejus præcipuos, & quasi formales. Nam constat, Subjectionem virium inferiorum ad superiores, & superiorum ad DEUM, esse præcipuos Originalis Justitiæ Effectus: Et constare insuper debet, utramque Subjectionem, ex dono DEI, fuisse in B. Virgine ab sui origine, tametsi non fuerit ex vi suæ originis: quod parum refert, cum neque Adam Originalem Justitiam habuerit ex vi suæ creationis, sed ex DEI munificentia.

104. Adversus immunitatem B. Virginis ab infectione fomitis objecerat sibi 3. *loco* D. Thomas S. Damascenum, dicentem, quod *in B. Virginem supervenit Spiritus Sanctus, purgans eam ante Conceptionem Filii DEI.* Quod nonnisi de purgatione a fomite posset intelligi. Et primò e re nostra respondet, *Purgationem illam quasi præparatoriam ad* CHRISTI *Conceptionem, non fuisse ab aliqua impuritate culpæ, vel fomitis, sed mentem ejus magis in unum colligentem & a multitudine sustollentem. Nam & Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas invenitur, ut Dionysius dicit cap. 6. de Eccles. Hierarchia.* (e) Hanc expositionem illustrabimus Actione 11. ubi de hujuscemodi Patrum locutionibus sermo erit.

105. Istum S. Damasceni locum, vitiatum credidit Judocus Clichtoveus, (f) quòd in alia accuratiore versione (g) ita se habeat: *Post consensum S. Virginis, Spiritus Sanctus supervenit in eam, juxta sermonem Domini, quem dixerat Angelus, instruens ipsam &c.*

106. Sed versio hæc, quam laudat Clichtoveus, [monente P. Antonio Possevino (h)] longe postponenda est versioni Jacobi Billii, juxta quam sic legimus: (i) *Post Sancta Virginis assensum, juxta Domini sermonem, ab Angelo prolatum, Spiritus Sanctus in eam supervenit, eam lustrans &c.* Et sane verbum græcum originale, καθαίρων, (quo etiam usus est S. Dionysius) non sonat latine *Instruens*, sed *Purgans*, seu *Lustrans:* quod quidem non ad Angelum, sed ad Spiritum Sanctum refertur.

EXCLUSIO AB ÆTERNA GLORIA.

107. HÆc est tertia, & omnium gravissima Originalis Peccati pœna, quam etiam parvuli, cum solo Originali Peccato decedentes, sustinere coguntur. At non ideo est pœna, quia Homini innocenti Æterna Gloria, hoc est visio, & fruitio DEI Beatifica, naturali jure debebatur. Superat enim tantum, ac tale Bonum cujuscunque creaturæ intelligentis vim omnem, & omne jus innatum. Et ideo etiam DEUS ab Apostolo dicitur *Invisibilis*, *(k) & lucem inhabitans inaccessibilem. (l)* Quare merito proscripta est a Sancta Sede illa Bajana propositio num. XXI. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ Naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* Sic igitur Exclusio ab æterna Gloria est pœna respectu Hominis, quemadmodum pœnas esse diximus Mortem corporalem, & Concupiscentiam.

108. In hoc autem Exclusio a Gloria differt ab illis pœnis, quod ipsa non est Effectus proximus peccati primi Parentis, sed proxime consequitur ipsum solum Originale Peccatum, a singulis contractum, nempe Privationem Gratiæ Sanctificantis, quæ erat proxima dignitas ad Gloriam; ut *nu.* 48. probatum est. Quamobrem etsi contingat, plene remitti Originale Peccatum, quin remittatur debitum moriendi, & carendi Originali Justitia; non tamen contingit, simpliciter remitti Peccatum Originale, quin remittatur pœna Exclusionis à Gloria. Hæc enim remissio non fit, nisi per infusionem Gratiæ Sanctificantis, quæ est

jus

(a) *In Quæstionar. Theolog. quæst. 45. puncto 1. opinione 3. pag. 381. edit.* Venetæ an. 1604.
(b) *Lib. 1. de Maria Deipara cap. 9. circa medium, col. 93.*
(c) *In Dypt. Marian. puncto 1. n. 63. pag. 161. tom. 7.*
(d) *Loc. cit. sect. 6.*
(e) *§. 3. pag. 137. & seq. edit.* Parif. an. 1615.
(f) *Loc. cit. cap. 10. fol. 41.*
(g) *Id est* Jacobi Fabri Stapulensis *pag. 176. edit.* Gl. Basileens. an. 1548.
(h) *Tom. 1. Apparatus Sacri V.* Jacobus Faber.
(i) *Lib. 3. de fide Orthod. cap. 2. f. 281. pag. 2. edit.* Parif. an. 1603.
(k) *Ad Coloss. 1. 15.*
(l) *Prima ad Timoth. 6. 16.*

jus ad Gloriam. Idem est de præservatione ab Originali Peccato, quæ fit per infusionem Gratiæ in primo Conceptionis instanti.

109. Loquor autem de Exclusione ab æterna Gloria, non de sola Dilatione Gloriæ. Hanc enim dilationem sustinuerunt Sanctissimi Patriarchæ, & Prophetæ, qui ante CHRISTI Passionem & Mortem diem suum obierunt; non utique in pœnam sui Peccati Originalis; (secus plus pœnæ meruisset Originale Peccatum illorum Patrum, quam nostrorum Parvulorum; qui, si accepto Baptismate moriantur, statim in Gloriam recipiuntur.) Sed quia, cùm Adam toti generi humano Cœli januas occluserit, oportebat, ut CHRISTUS, qui illas sanguine suo nobis aperuit, primus omnium in Regnum Cœlorum gloriosus intraret. Quod innuere videntur Evangelistæ (*a*) cùm de JESU in Jordane Baptizato dicunt: *Aperti sunt ei Cœli: quos* [ut S. Gregorius Nazianzenus ait: (*b*)] *Adamus, & sibi, & Posteris, quemadmodum & flammeo gladio Paradisum clauserat.*

110. Itaque, si B. Virgo ab Originali Peccato præservata, ante CHRISTI Mortem ex hac vita migrâsset, non propterea confestim ad Cœlum evolare debuisset, ùt perperam veluti ab absurdo arguunt Adversarii: sicuti Sancti illi Veteris Testamenti, quantumvis emundati ab Originali Peccato, nec alio gravati peccato, ad Cœlos statim ascendere non debuerunt. Non enim video, quid intersit inter præservationem, & emundationem ab Originali Peccato, quoad celerem, vel serum ingressum in Regnum Cœlorum. D. Thomas eandem difficultatem tertio loco sibi opponit adversus sanctificationem B. Virginis in Utero, nec pro solutione recurrit ad Peccatum Originale, semel contractum: Sed, *dicendum*, inquit, (*c*) *quod Beata Virgo sanctificata fuit in Utero* [dicemus nos, *præservata fuit*] *a Peccato Originali, quantum ad maculam personalem; non tamen fuit liberata a Reatu, quo tota natura humana tenebatur obnoxia, ut scilicet non intraret in Paradisum, nisi per* CHRISTI *ostium, sicut & de Sanctis Patribus dicitur, qui fuerunt ante* CHRISTUM.

111. Præter privationem æternæ Gloriæ, quæ est pœna damni; Peccato Originali assignare videtur D. Augustinus etiam pœnam ignis, quæ est pœna sensus; dum pluribus in locis insinuat, Parvulos, cum solo Originali Peccato ex hac vita abeuntes, æterno igne torquendos esse. *Quid miraris,* [scribebat ad Julianum (*d*)] *in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in DEI Regnum intrare non sinitur?* Quanquam alibi (*e*) docet, eos Parvulos, *in damnatione omnium mitissima, sive levissima futuros.* Augustino sic adhæret D. Fulgentius, (*f*) ut *firmissime tenendum* velit, ejusmodi Parvulos *ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.*

112. Hæc sententia durissima visa est Theologis, qui sola pœna damni, hoc est, sola supernæ Gloriæ privatione, eosdem Parvulos, ob Originale Peccatum plectendos esse, communiter docent; (*g*) ut dilucide rescripsit Innocentius III. his verbis: (*h*) *Pœna Originalis Peccati est carentia Visionis DEI; Actualis vero Peccati pœna est Gehennæ perpetuæ cruciatus.* Nec desunt aliorum Patrum suffragia. S. Gregorius Nazianzenus, (*i*) agens de iis, qui *propter infantiam* Baptismum accipere non potuerunt, ait, *se futurum existimare, ut nec cœlesti Gloria, nec suppliciis a justo Judice afficiantur, utpote qui licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quàm fecerint.* Et D. Ambrosius, vel alius Auctor, Ambrosii æqualis, in Caput V. Epist. ad Romanos, (*k*) *Est,* inquit, *alia mors, quæ secunda dicitur, in Gehenna, quam non peccato Adæ patimur, sed ejus occasione, propriis peccatis acquiritur.*

113. Immo plures Scholastici removent ab istis Parvulis omnem tristitiam, ex amissione æternæ Gloriæ oriundam; cujus tristitiæ impediendæ causam adscribunt miris, & inexplicabilibus Divinæ Providentiæ modis. Quia, ut evincit P. Vasquez, (*l*) tristitia ex cognitione, etiam de pœna damni, proveniens, spectat ad pœnam sensus. Et de hac tristitia locutus videtur S. Johannes Chrysostomus, cum scripsit: (*m*) *Intolerabilis quippe est illa Gehenna, illaque pœna: attamen, licet mille quis Gehennas posuerit, nihil tale dicturus est, quale est, ex Beata illa excidere Gloria.*

(a) Matth. 3. 16. Marc. 1. 10. Luc. 3. 21.

(b) *Orat 39 in Sancta Lumina pag. 634. tom. 1. edit.* Paris. an. 1630.

(c) *1 par. qu. 27. art. 1.*

(d) *Lib 5. Operis imperf. contra* Julian. *nu.* 199. *col.* 1130. *tom.* 10.

(e) *Lib. de Peccator. Merit. & Remis. cap 16. n.21. col. 12. & lib.5. contra* Julian. *cap.11. n 44. col.551. t.10.*

(f) *Lib. de Fide ad Petrum Diaconum §.25. col.358 edit.* Paris. an. 1623.

(g) *V.* Bellarm. *tom. 4. Controv. lib.6. de Amiss. Gratiæ, & Statu Peccati cap. 4. & seqq.* & Vasqu. *tom. 1. in 1. 2. disp. 134. cap. 3.*

(h) Cap. Majores *de Baptis. & ejus eff.* §. Sed adhuc quæritur.

(i) *Orat. 40. in Sanctum Baptismum circa medium pag. 653. edit. citatæ.*

(k) *Inter Opera D. Ambros. col. 269. t. 3.*

(l) *Tom. 2. in 1. par. disp. 242. cap. 2.*

(m) *Hom. 23. (al. 24.) in* Matth. *n.8. col.295. tom.7. edit. Benedictin.* Paris. an. 1727.

ARTICULUS II.

Præsentis Causæ Discretio, Expositio, Ponderatio.

I.

Ab aliis affinibus Causis præsens Causa discernitur.

114. QUandoquidem in plerisque Veterum sententiis, Quæstio de Originali Peccato miscetur cum quæstione de Peccatis Personalibus; & de Conceptione, atque de Nativitate indiscriminatim sermo est; Conceptio quoque consummata, quæ Animatio est, cum Conceptione inchoata, quæ Seminalis dicitur, aliquando confunditur: de iis omnibus disserere opus est, ut præsentem Causam ab aliis finitimis Causis non sine fructu segregemus.

De Peccatis Personalibus.

115. SAnctissimam DEI Genitricem, toto vitæ suæ tempore, ab omni cujuscumque Personalis Peccati, etiam levissimi, sorde immunem prorsus fuisse; tanquam rem exploratam, de qua nefas sit dubitare, & omnes Theologi docent, & omnes Catholici credunt: præsertim postquam Conc. Tridentinum, hanc esse Traditionem Ecclesiæ, declaravit: (a) *Si quis*, inquit, *Hominem, semel justificatum, dixerit ..... posse in tota vita sua, peccata omnia, etiam venalia vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*; *Anathema sit*. Eandem Traditionem ex pluribus Sanctorum Patrum Testimoniis accurate colligit noster Dionysius Petavius, (b) & a sinistris quarundam Scripturarum Interpretationibus nervosè defendit. Quod si nonnulli Patres contrarium alicubi dixisse videantur, aliis tamen in locis, de B. Virginis Personali Innocentia rectè senserunt, atque scripserunt, ut observat P. Raynaudus. (c)

116. Soli Heterodoxi adversus eximiam hanc DEI Genitricis Puritatem spurcissimo ore deblaterant; quos invicte refellit Ven. Petrus Canisius. (d) Illis velificari videntur Jansenianі, e quorum Schola prodivit propositio illa XXIV. ex XXXI. ab Alexandro VIII. damnatis: (e) *Oblatio in templo, quæ fiebat a B.Virgine, die Purificationis suæ, per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba Legis*. Scilicet Hæreticorum character est, Virginem illam maledico dente carpere, quæ *cunctas hæreses sola interemit in universo Mundo*.

117. Ut quid autem hæc Discretio, cæteroqui notissima? Primo, ut Adversarii ab iis Patrum Testimoniis allegandis caveant, quæ totum Genus Humanum, nedum Originali Peccato, sed & Personalibus culpis implicatum enunciant, ne forte Heterodoxis navare operam, & studium videantur. Secundo, ut ne argumenta illa contemnant, quæ pro B. Virginis Originali Innocentia proferri solent, cum videant iisdem plane argumentis Patres, & Theologos usos esse, ad ejusdem Virginis Personalem Innocentiam comprobandam.

118. Ex Patribus, unum hoc loco seligo S. Bernardum, [alios alibi daturus,] in illa eadem epistola ad Canonicos Lugdunenses, ab Adversariis decantata: „ Ego, *inquit*, puto, quod & „ copiosior Sanctificationis Benedictio in eam de„ scenderit, quæ ipsius non solum sanctificaret „ ortum, sed & vitam ab omni deinceps Pec„ cato custodiret immunem: quod nemini al„ teri in natis quidem Mulierum creditur esse „ donatum. Decuit nimirum Reginam Virgi„ num, singularis privilegio Sanctitatis, abs„ que omni peccato ducere vitam, quæ dum „ peccati, mortisque pareret Peremptorem, „ munus vitæ, & justitiæ omnibus obtine„ ret. „

119. Pro omnibus Theologis sufficiat D.Thomas, (f) qui præmisso illo Principio: *quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & disponit, ut ad id ad quod eliguntur, inveniantur idonei:* pro B. Virginis Impeccantia sic arguit. „ B. Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater „ DEI: & ideo non est dubitandum, quod „ DEUS per suam gratiam eam ad hoc ido„ neam reddidit &c. Non autem fuisset idonea „ Mater DEI, si peccasset aliquando: tum quia „ honor Parentum redundat in Prole &c. Et per „ oppositum ignominia Matris ad Filium re„ dundasset: tum etiam quia singularem affini„ tatem habuit ad CHRISTUM, qui ab ea car„ nem accepit &c. Tum etiam quia singulari „ modo DEI Filius, qui est DEI Sapientia, „ in ipsa habitavit, non solum in Anima, sed „ etiam in Utero &c. *Et demum* ut sic in ea im„ pleatur, quod dicitur *Cant*. 4. *Tota pulchra es* „ *Amica mea, & macula non est in te*. „ Concinna est in hunc locum observatio Catharini: (g) *Vere fecit Deus loqui hunc Sanctum Virum, ut quasi aliud agens, hoc magis ageret, id est de peccato veniali loquens, magis concluderet de Originali.*

De B.

(a) *Seff. 6. de Justif. Can. 23.*

(b) *Tom. 6. de Theolog. Dogm. lib. 14. de Incarn. cap. 1. a pag. 209.*

(c) *In Dypticbis Marian. pun.9. n.23. pag.214. tom.7.*

(d) *Lib. 1. de Maria Deipar. cap. 10. a col. 99.*

(e) *Per decret. editum 7. Decembr. 1690. quod extat pag. 96. tomi 9. Bullar. Rom. noviss. an. 1734.*

(f) *3. par. quæst. 27. art. 4.*

(g) *In disp. pro Veritate Immacul. Concept. B. V. ad Patres, & Fratres Ord. Prædicat. libro 3. in primo Testimonio, versus finem §.* B. Thomas, *edit. Senensis an. 1532. absque numeratione foliorum.*

De B. Virginis Nativitate.

120. Purissimam Virgin. Mariam cum Sanctificante Gratia, sine Originali Peccato natam esse, atque adeo in Matris Utero suisse sanctificatam; certissimum est in Ecclesia, etsi nondum formaliter definitum. Sed rei nostræ plurimum interest scire, ex quibus principiis hanc veritatem indubitanter colligant Div. Bernardus, & D. Thomas, quos cæteri Theologi sequuntur.

121. D. Bernardus in Epistola sæpe citata ad Lugdunenses, pro Sanctitate Marianæ Nativitatis, arguit primo ex Festo: „ Sed & Ortum „ Virginis dici nihilo minus in Ecclesia,& ab Ecclesia indubitanter habere festivum, atque Sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens, in Utero eam accepisse, ut Sancta prodiret. „ *Et infra* „ Non fallitur omnino Sancta Ecclesia, sanctum reputans ipsum Nativitatis ejus diem, „ & omni anno cum exultatione universæ Terræ votiva celebritate suscipiens. „ *Arguit secundò ab Exemplo:* „ Et de Hieremia siquidem „ lego, quod priusquam de Ventre exiret, sanctificatus sit: & de Johanne Baptista non secus sentio, qui ex Utero, Dominum in Utero sensit &c. Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est, „ suspicari tantæ Virgini esse negatum, per „ quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit „ procul dubio & Mater Domini ante Sancta, „ quàm Nata. „

122. Eadem argumenta Scholastico more proponit D. Thomas: (*a*) Alterum, in argumento, *sed contra:* „ Ecclesia, *inquit*, celebrat Nativitatem B. Virginis: non autem celebratur „ festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto: Ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit Sancta. „ Fuit ergo in Utero sanctificata. „ *Alterum in corpore articuli:* „ Rationabiliter creditur, quod „ illa, quæ genuit Unigenitum a Patre, plenum Gratiæ, & Veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia Gratiæ acceperit &c. „ Invenimus autem, quibusdam aliis hoc privilegialiter esse concessum, ut in Utero Sanctificarentur: Sicut Hieremias &c. Et sicut „ Johannes Baptista &c. Unde rationabiliter creditur, quod B. Virgo sanctificata fuerit, antequam ex Utero nasceretur. „

123. Huic posteriori argumento, ipsique adeo veritati Sanctificationis B. Virginis in Utero, obviare videbatur illud D. Augustini pronunciatum: (*b*) *Quamlibet sententiam de Hominibus habeamus, adhuc inter materna viscera constitutis, utrum existimemus, eos ne donari posse aliquo sanctificationis modo, vel propter Johannem &c. vel propter Hieremiam &c. Tamen illa Sanctificatio, qua efficimur & singuli Templa DEI, & in unum omnes Templum DEI, non est, nisi renatorum; quod nisi nati Homines, esse non possunt.*

124. Neque vero responderi potest, D. Augustinum loqui de Nativitate in Utero, hoc est de Conceptione; quæ interdum in Scripturis Nativitas appellatur, juxta illud, (*c*) *quod in ea Natum est, de Spiritu Sancto est.* Nam etsi Augustinus hoc locutionis genere alicubi (*d*) usus est, ad quendam sensum mysticum eruendum: hoc tamen loco, & in præsenti materia, interpretationem istam prolixe refellit, ut legenti, quæ ibi sequuntur, fit manifestum. Quare ab Augustini mente aberravit Lampridius, (*e*) ubi illa ejus loca, in quibus *solus Christus sine peccato Natus esse* dicitur, intelligenda esse ait *de Nativitate in Utero.*

125. Respondet autem optime Alexander de Hales (*f*) in hunc modum: „ Est regeneratio, „ quæ est per gratiam Sacramentorum, & hæc „ est secundum legem communem. Est alia, „ quæ est per Gratiam Spiritus Sancti, & hæc „ est secundum legem privatam: quia, sicut „ dicit Augustinus, *DEUS nòn alligavit virtu- „ tem suam Sacramentis &c.* Dicendum ergo, „ quod Augustinus loquitur de Regeneratione, „ vel Sanctificatione, quæ est secundum legem „ communem, & non secundum legem privatam: „ quod patet, quia dicit, *illa sanctificatio, qua „ singuli efficimur Templa Dei &c.* Et per hoc, „ quod dicit, *singuli*, significat, quod illa Sanctificatio, quæ pertinet ad omnes, non potest esse, nisi Homo natus fuerit; quia hoc est „ per gratiam Baptismatis, sed nullus potest baptizari in Utero. Et similiter cùm dicit Augustinus *de Hominibus constitutis &c.* vult distinguere, quod est Sanctificatio Privata, & „ Communis; & non vult dicere, quod Johannes, & Hieremias non fuerint in Utero sanctificati, Sanctificatione Privata, sed quod non „ fuerint sanctificati in Utero Sanctificatione „ Communi, quæ est secundum legem communem per susceptionem Sacramenti &c. Sanctificatio autem B. Virginis, Johannis, & „ Hieremiæ fuit prærogativè per Gratiam Spiritus Sancti, & per legem privatam, & maxime Sanctificatio B. Virginis. „

126. Hanc responsionem, seu interpretationem, [quæ & D. Thomæ, & cæterorum Scholasticorum est] colligere mihi videor ex aliis D. Augustini verbis in eadem Epistola ad Dardanum. (*g*) Proposuerat Dardanus Augustino hanc quæstionem: *Si adhuc ignorant Parvuli DEUM, quomodo Johannes antequam nasceretur, ad adventum & præsentiam Matris Domini, in suæ Matris Utero potuit exultare?* Huic autem quæstioni sic demum respondet Augustinus; „ Si usque adeo est in illo Puero acceleratus usus rationis, & voluntatis, ut intra viscera materna jam posset agnoscere, credere, consentire, „ quod, in aliis Parvulis ætas expectatur, ut „ possint; etiam hoc in miraculis habendum „ divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ. Nam quando „ DEUS voluit, etiam jumentum mutum ra- „ tiona-

(a) 3. *Parte quæst.* 27. *art.* 1.
(b) *Epist.* 187. (*al.* 57.) *de Præsentia Dei ad Dardanum. cap.* 10. *n.* 32. *col.* 688. *& seq. tom.* 2.
(c) Matth. 1. 20.
(d) *Enar. in Psal.* 57. *n.* 5. *col.* 544. *t.* 4.
(e) *Cap.* 14. *pag.* 187. *& seq.*
(f) 3. *Par. Sum. Theol. q.* 9. *Membro* 2. *art.* 4. *fol.* 30. *col.* 2. *editionis* Lugd. *an.* 1516.
(g) *Cap.* 7. *ejusd. Epist. a n.* 22. *col.* 685.

„ tionabiliter est locutum. Nec ideo sunt admoniti Homines in deliberationibus suis asinina „ expectare consilia. Quocirca nec quod factum „ est in Johanne contemno, nec inde regulam, „ quid sentiendum sit de Parvulis, figo: immo id in illo propterea mirabiliter prædico, „ quia in aliis non invenio. „ Figens ergo Augustinus regulam illam universalem, *Sanctificationem non esse nisi Renatorum, qui prius fuerint nati*; non negat, quod uni, vel alteri, ex privilegio divinæ largitatis, Sanctificatio mirabiliter contigerit ante Nativitatem ex Utero. Item Augustinus lib. II. Retractationum (*a*) declarat, suam in ea Epistola *Intentionem contra hæresim Pelagianam vigilare*. Tota autem controversia cum Pelagianis erat de necessitate Baptismatis, juxta legem communem, ad remissionis Gratiam, & Vitam æternam consequendam.

127. Sagax Lector cogitatione sua jam præcipit, tam duo illa argumenta, quàm responsionem istam, æque bene exhiberi a nobis posse in demonstrationem, & defensionem Sanctitatis Marianæ Conceptionis: ut suis in locis copiose declarabimus. Interim vero, quam antiquum sit in Ecclesia Festum Nativitatis B. Virginis, ad Antiquorum Patrum intelligentiam, expendere juvat.

APPENDIX.

Antiquitas Festi Marianæ Nativitatis.

128. Refert Cardinalis Baronius, (*b*) in Græco Codice ms. Bibliothecæ Sfortianæ *n.65.* sermones extare *de Nativitate B.Virginis,* sub nomine *S.Johannis Chrysostomi, S.Procli,* & aliorum Patrum. Nisi ergo inscriptiones istæ mentiantur, credendum est, anno Domini 398. quo S. Chrysostomus, & anno 430. quo S.Proclus florebat, celebrem fuisse apud Græcos hanc solemnitatem, etsi nondum, apud Latinos: quandoquidem D. Augustinus, qui obiit anno Domini 433. sermone primo in Natali S. Johannis Baptistæ (*c*) testatur: *Natalis dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apostolorum celebravit Ecclesia: solos duos Natales celebrat, hujus, & Christi.* In eandem sententiam citant Alii sermones xx. & xxi. de Sanctis; quos tamen non esse D. Augustini, Editores Benedictini demonstrant. (*d*)

129. At vero paulo post D. Augustinum, tempore S. Leonis Magni, [qui anno 440. Pontificatum iniit] Marianæ Nativitatis Festum Romæ, & in Ecclesia Latina solemniter celebratum esse; eruitur ex iis, quæ Richardus Wassumburgius (*e*) narrat de S. Pulchronio Episcopo Virdunensi: nempe hunc Sanctum Virum circa annum 453. Romam profectum, præstandæ obedientiæ caussa S. Leoni Pontifici, indeque ad suam Ecclesiam reversum, Basilicam erexisse Deiparæ Virgini sacram, atque ipsius Nativitatem præcipua solemnitate coli decrevisse. Quem quidem cultum a Romana Ecclesia, & a S. Leone Papa didicisse, vel etiam commendatum habuisse videtur. Addit idem Historicus, [quod & in suo *Martyrologio Gallicano* adnotavit (*f*) Andreas de Saussai] eumdem Sanctum Episcopum B.Virginis simulacrum sub specie *Serpentem pede Conculcantis*, in eminentiori illius Basilicæ Adyto posuisse. Quo Symbolo nos uti solemus ad exprimendum Immaculatæ Conceptionis Ejus privilegium.

130. Certum porro videtur, quod tempore S.Gregorii Magni, circiter annum 590. vel etiam Gelasii I. circa annum 492. Nativitas B. Virginis in Romana, & Catholica Ecclesia, proprio Ecclesiastico officio solemnis erat. De S.Gregorio constat ex ejus *Sacramentario*, seu libro *Sacramentorum*, de cujus fide dubitari non sinit solertia, & eruditio Recentium Editorum illius libri tam seorsim, quam una cum cæteris D.Gregorii operibus. Ibi enim (*g*) vi. Idus Septembris designatur, *Nativitas S. Mariæ Virginis:* pro qua sex Orationes cum Præfatione propria describuntur, quarum tres hodieque recitantur in Missa Nativitatis B. Virg.

131. De Gelasio I. constare videtur ex libris *Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ*, quos ex Mss. nongentis annis vetustioribus, in Bibliotheca Serenissimæ Reginæ Sveciæ asservatis, Venerabilis P. D. Joseph Maria Thomasius, Nobilis Siculus, Ord. Cleric. Reg. & postea S.R.E. Cardinalis, edidit Romæ anno MDCLXXX. In secundo namque istorum librorum (*h*) ad eandem diem notatur *Festum Nativitatis S.Mariæ*; & quatuor Orationes, a Gregorianis diversæ, in ejus Festi Missa recitandæ exhibentur. Observat autem in præfatione laudatus Thomasius, cum Johanne Morino, & Cardinali Bona, libros istos, esse illum Gelasianum Codicem, cujus meminit Johannes Diaconus in vita S. Gregorii Magni, his verbis: (*i*) *Gelasianum Codicem de Missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadjiciens, pro exponendis Evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit.* Animadvertit quoque Thomasius, eundem Codicem, olim Gelasii appellatum ex hujus Summi Pontificis precum accessione, adscribendum esse magna ex parte S. Leoni Magno, ejusque Decessoribus Romanis Pontificibus.

132. Ejusdem Festi Solemnitas in Romana Ecclesia incrementū accepit circa annum DCLXXXVIII. quo tempore S. Sergius Papa, Antiochenus genere, ortu Panormitanus, constituit. *Ut diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis S. DEI Genitricis, semperque Virginis Mariæ, ac S. Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, Litania exeat a S. Hadriano,*

(a) *Cap. 24. col. 58. tomi 1.*
(b) *In Notis ad Martyr. Rom. die 8. Septembris.*
(c) *Serm.287. (al.40. ex diversis,) col.1151. tomi 5.*
(d) *In Appendice ejusd. tomi in Præf. ad serm.196. & 197. col. 327. & 329.*
(e) *Lib. 2. Antiquit. Galliæ Belgicæ apud* Johann. Bollandum *in Actis Sanctor. Februarii tom. 3. pag. 12.*
(f) *Ad diem 4.Maii pag.260. edit.* Parif. an.1637.
(g) *Pag. 128. Sacramentarii S. Gregorii, ab* Hugone Menardo Benedictino *edito* Parisiis an. 1642. *& col. 127. tomi 3. Operum S. Gregor. ex edit. Benedictinor.*
(h) *Num. 54. pag. 171.*
(i) *Lib. 2. cap. seu num. 17. col. 50. tomi 4. Operum S. Gregorii.*

driano, & *ad Sanctam Mariam Populus occurrat.* Ut refertur in libro de Vitis Romanorum Pontificum, (a) sub nomine Anastasii S. R. E. Bibliothecarii. (b)

133. Non ergo verum est, quod scripsit Ludovicus Thomassinus. (c) *Festum Nativitatis B. Mariæ Virginis sæculo nono nondum fuisse institutum.* Nec etiam verum videtur, quod l. cit. notavit Card. Baronius, *Gallicanam Ecclesiam temporibus Caroli Magni, & Ludovici Pii hanc Festivitatem ignorasse.* Ut enim ait S. Leo Magnus, (d) *Quæ usquam Gentes ignorarent, quod Roma didicisset?* Nec obstat, quod neque in Capitularibus illorum Imperatorum, neque in Concilio Moguntino, quod sub Carolo Magno celebratum est anno 813. inter alia Festa, Nativitas B. Virginis enumeretur. Quia non de omnibus festis ibi agitur, sed de iis solis, quæ tunc temporis in Gallia de præcepto servanda erant; ut eruitur ex ipsis statutis Concilii Moguntini, (e) & ex illis capitularibus utriusque Imperatoris. (f)

134. Sed & certa nobis suppetunt monumenta de hoc festo Nativitatis ea tempestate in Gallia notissimo, atque solemni. Ut omittam, quod retuli de S. Pulchronio, in Gallia Belgica Episcopo: Usuardus Monachus, ipsius Caroli Magni Imperatoris jussu, Martyrologium conscripsit, in quo die VIII. Septembris Festum Nativitatis B. Virginis reposuit; ut apparet in ejus genuino, & primigenio Martyrologio, quod exhibent Bollandiani. (g) S. Paschasius Ratbertus, Abbas Corbejensis in Gallia, qui sub Ludovico Pio floruit, (h) in opusculo *de Partu B. Virginis,* [quod perperam S. Ildephonso adscribitur, ut videbimus,] de hoc B. Virginis Festo loquitur, tamquam de uno ex solemnioribus in tota Ecclesia: (i) *Cujus,* inquit, *etiam Nativitas Gloriosa, Catholica in omni Ecclesia Christi, ab omnibus Felix, & Beata prædicatur.* Et paucis interjectis: *Quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis.* Quo argumento postea usus est S. Bernardus. Narrat præterea Flodoardus (k) de Hincmaro, [qui Remensis Ecclesiæ, in Gallia primariæ, sub idem tempus fuit Episcopus,] *Libellum de Ortu S. DEI Genitricis, tabulis eburneis, auroque vestitum munivisse*; quo *ad lectionem*, Ecclesia illa utebatur. Demum in Bibliotheca Virginali (l) extat Sermo *de Nativitate B. M. V.* sub nomine B. Flacci Albini, sive Alcuini, qui ex Anglia a Carolo Magno evocatus in Galliam, plures ibi celebres Viros instituit, atque erudivit.

135. Nonnulla alia de antiquitate Festi Marianæ Nativitatis, videri possunt apud Cl. V. Edmundum Martene Ord. S. Benedicti, in Tractatu *de antiqua Ecclesiæ disciplina in Divinis celebrandis Officiis.* (m)

De Conceptione Seminali.

136. Duplex, ut innuebam, Hominis Conceptio distinguenda est. Una *Inchoata*, quæ *Seminalis* dicitur; & non est aliud, quam concursus, & commixtio Seminum utriusque Parentis, eorumque prima coagmentatio, in utero Matris, apta ad inchoandum fœtum. Altera *Consummata*, quæ *Vitalis*, sive *Animalis* dici potest; & contingit, cùm in moleculam illam carnis, jam satis præparatam ad functiones vitæ sustinendas, infunditur à DEO creante rationalis Anima; & idcirco Animatio etiam dicitur.

137. Distinctionem hanc *D. Bernardum non agnovisse, Neotericos excogitasse, Veteres ignorasse*, pronunciat Lampridius: (n) an temere? Ex iis, quæ subjicio, Lector dijudicet.

138. Innocentius III. Lotharius antea dictus, qui eodem D. Bernardi sæculo duodecimo claruit, hujusmodi distinctionem expresse tradidit: (o) *Est,* inquit, *duplex Conceptio, una Seminum, & altera Naturarum. Prima fit in commissis, secunda fit in contractis. Parentes enim committunt in prima, Proles contrahunt in secunda.* Eandem distinctionem usurpavit Henricus Gandavensis, qui proxime sequenti sæculo scripsit: (p) *Est,* ait, *Quædam Conceptio Seminis, & est quædam Conceptio Hominis, formati ex Semine secundum formam corpoream &c.* Atque hunc distinguendi morem in hac materia tenuerunt Johannes Duns Scotus, Franciscus de Mayronis, Johannes Bassolis, in librum tertium Sententiarum, distinctione tertia, quæstione prima; & Johannes Bacho, seu Bachonius in quartum distinctione secunda, quæstione tertia. Numquid omnes isti, qui tot sæculis nos præcesserunt, Neoterici sunt? Ipsi quoque Primores Scholastici, Alexander de Hales, (q) Albertus Magnus, (r) D. Thomas, (s) & D. Bonaventura, (t) agentes de Sanctificatione B. Virginis, apertissime discreverunt Conceptionem Carnis ab infusione Animæ, diversasque quæstiones de una, ac de altera instituerunt. Non sunt tamen usi ea distinctione, quia Conceptionis nomen apud ipsos, solam Carnis, seu Seminum

(a) *In vita S. Sergii Pap. LXXXV. pag. 89. edit.* Mogunt. an. 1602.
(b) V. Casimirum Oudinum *tom. 2. de Script. Eccl. ad an. 870. ubi videbis fabellam de* Johanna Papissa, *ab hoc Viro Apostata recoctam.*
(c) *In Comm. de dier. festor. Celebrat. lib. 2. cap. 20. num. 2. latine edito* Venet. an. 1719. *post Heortologiam* Caroli Gueyti.
(d) *Serm. 1. de St. Apost. Petro, & Paulo ante medium. col. 226.*
(e) *Can. 36. col. 337. tomi 9. Concilior.*
(f) *Lib. 1. cap. 158. col. 732. lib. 2. cap. 35. col. 748. & lib. 6. cap. 189. col. 955. edit. Parisiens. an. 1677. ex collectione, & Recensione* Stephani Balluzii.
(g) *In Actis Sanctorum Junii tom. 7. a pag. 521.*
(h) V. Johan. Mabillonium *in Præfat. ad Acta Sanctorum Ord. S. Benedicti sæculi quarti, par. 2. cap. 1. §. 1.*
(i) *Tom. 12. Spicilegii* Lucæ Acherii *pag. 7.*
(k) *Libro 3. Histor. Remensis Eccles. cap. 5. pag. 550. & cap. 23. pag. 579. col. 2. tomi 17. Biblioth. PP.*
(l) *Tomo 1. pag. 631.*
(m) *Cap. 34. pag. 579. edit.* Lugdun. an. 1706.
(n) *Cap. 24. pag. 198.*
(o) *Lib. 1. de Contemptu Mundi cap. 4. pag. 422. to. 1. edit.* Colon. an. 1575.
(p) *Tom. 2. quodlib. 15. quæst. 3. fol. 381. col. 1. edit.* Venet. an. 1613.
(q) *3. Par. Sum. Theolog. qu. 9. Membr. 2. art. 2. & 3.*
(r) *In 3. dist. 3. art. 4.*
(s) *In eundem locum quæst. 1. art. 1.*
(t) *In eundem locum art. 1. qu. 1. & 2.*

Seminum Conceptionem significabat: *Conceptio*, ajebat laudatus Alexander de Hales, (*a*) *dicit commixtionem, quæ est in principiis Seminalibus Viri, & Mulieris, quæ commixtio fit per naturam.*

139. Similiter D. Bernardus non aliam utique Conceptionem agnovit, nisi Seminalem, ut alibi videbimus; sed hanc Conceptionem procul dubio discrevit ab infusione Animæ rationalis, hoc ipso, quod cum cæteris Patribus sensit, Animas rationales non propagari a Parentibus una cum Semine, sed formatis jam corporibus a solo DEO infundi; ut supra monstratum est numero 63. Hodie sane, & a multis annis, Conceptionis nomen ad solam Animæ in corpus infusionem denotandam usurpatur; sed callere oportet, quæ fuerit ei nomini apud Veteres notio subjecta; ut illorum mentem, sententiamque assequamur.

140. Dicimus ergo, ad ambiguitates vitandas, præsentem Causam non esse de Conceptione Inchoata, Seminali, seu Carnali, quæ rationalis Animæ infusionem præcedat. Nam fateri debent Adversarii, B. Virginem in hac sui Conceptione nec contraxisse, nec contrahere potuisse Originale Peccatum, formaliter, & in se, sed tantum radicaliter, & in causa, seu in debito. Quemadmodum & nos fatemur, B. Virginem in hujuscemodi Conceptione nec sanctificatam esse, nec sanctificari formaliter potuisse: quia sola Creatura Rationalis est subjectum proprium seu Peccati, seu Gratiæ Sanctificantis.

141. Immo addimus, B. Virginem, ante infusionem Animæ, nequidem virtualiter, & in radice fuisse sanctificatam, in Semine, vel in Parentibus. Quia, ut ex supra dictis constat, non est in Semine aliqua qualitas, ratione cujus sit velut instrumentum Physicum ad Peccatum Originale introducendum in Animam, ut hac ratione intelligi possit veluti mundari Semen, & ita Prolem in illo, tanquam in radice sanctificari. Et neque Parentibus B. Virginis indita est a DEO aliqua specialis Gratia, ex qua necessariò consequeretur præservatio, & Sanctificatio Prolis: gratissime enim fingeretur talis Gratia. Solum ergo intelligi potest decretum DEI extrinsecum, quo statuit, Prolem ex hoc Semine, & ex his Parentibus concipiendam sanctificare, & ab Originali labe immunem servare: in quo sensu S. Johannes Damascenus (*b*) *Beatos* appellavit *Joachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit.* Sed hæc non est proprie Sanctificatio in Semine, vel in Parentibus.

142. Et ejusmodi Beatæ Virginis Sanctificationem, ante ipsius Animationem, refellere potissimum satagebant Primores illi Scholastici, Alexander de Hales, & Albertus Magnus in librum III. Sententiarum, Distinctione tertia; immo & D. Thomas cùm ibi, tum etiam parte III. Summæ Quæstione 27. Quibus in locis agentes de Sanctificatione B. Virginis, duas dumtaxat quæstiones instituunt: Unam, *An B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem, seu infusionem Animæ?* Alteram, *An fuerit sanctificata ante Nativitatem ex Utero?* An vero B. Virgo in ipsa fuerit Animatione sanctificata; per se, & directe non inquirunt, tametsi in decursu argumentorum id quoque negare videantur; ut suo loco singillatim observabimus.

143. Hæc porro accurate distinguenda fuerunt, ne, quod Antiqui Scholastici mordicus negabant de Sanctificatione B. Virginis in Conceptione Seminali, ante Animationem; Adversarii detorqueant ad Conceptionem Vitalem, & ad ipsam Animationem; quemadmodum in Alberto Magno facere non est veritus Vincentius Bandellus a Castro Novo. Albertus *loc. cit.* (*c*) conceptis verbis docens, *quod B. Virgo non fuit sanctificata ante Animationem*; subjungit: *Et qui dicunt oppositum, est hæresis condemnata a B. Bernardo, in epist. ad Lugdun. Et a Magistris omnibus Parisiensibus.* Bandellus vero in sua audacissima Disputatione contra Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, (*d*) Albertum Magnum laudat, quod in *Tert. Sententiar.* dicat: *Universitas Parisiensis determinavit, hæreticum fore, tenere B. Virginem non fuisse conceptam in Peccato Originali.* Quam sublestæ fidei Auctor, sit Bandellus, hinc conjicere incipias studiose Lector: plures alias famosi hujus Adversarii, in præsentis Causæ decursu, vitiosas notabimus citationes.

144. Præsens igitur Causa est de B. Virginis Conceptione Consummata, seu Vitali, seu Animali, quæ fit per infusionem Animæ in corpus: an videlicet in hac ipsa sui Conceptione B. Virgo fuerit a DEO sanctificata, sanctificatione præservante ipsam ab Originali Peccato? Hoc est, [ut in celeberrima illa constitutione, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, clarissime exposuit Alexander VII.] *An DEI Genitricis Anima in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuerit, speciali DEI gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi, ejus Filii, Humani Generis Redemptoris, à macula Peccati Originalis præservata?* Seu brevius: *An Anima B. Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione, Spiritus Sancti Gratia donata, & a Peccato Originali præservata fuerit?*

§. II.

Exponuntur modi, quibus hæc Causa utrinque defenditur.

NE in incertum tendamus, multiplices exponendi sunt modi, quibus præsens Causa ab utravis Parte defenditur. Apud Adversarios, duos modos invenio, quorum prior sustineri nullo modo potest: Tres apud Nostros, quorum Primus a nobis omnino rejicitur, Alter deseritur, Tertius admittitur.

DUPLEX

(a) *Loco cit. art. 2. in fine fol. 29. col. 3. edit.* Lugdun. An. 1516.
(b) *Orat. 1. de Nativ. B. M. V. pag. 330.*
(c) *Art. 4. pag. 26. col. 1. Tomi 15.*
(d) *Inscripta*, de Singulari Puritate, & Prærogativa Concept. Christi *Par. 2. in Resp. ad Rat. 12. fol. 67. pag. 2. edit.* Mediol. An. 1512.

DUPLEX EXPOSITIO SENTENTIÆ CONTRARIÆ.

145. **F**Uerunt nonnulli apud Durandum, (*r*) qui ita B. Virginem contraxisse dixerunt, in primo suæ Conceptionis, seu Animationis momento, Originale Peccatum, ut simul sanctificatam esse voluerint in eodem temporis momento. Ut hæc duo componerent, distinguebant in uno, eodemque temporis momento tria instantia, sive signa rationis, & naturæ: in quorum primo fuerit in Anima B. Virginis Peccatum; in secundo, Peccatum cum Gratia sanctificante per modum transeuntis; in tertio eadem Gratia per modum permanentis, & Peccatum jam expulsum. Sic autem, quasi in transitu, sociari posse credebant in eodem subjecto, & pro eodem tempore, Gratiam, & Peccatum. Ratio ipsorum erat, quia Gratia expellit Peccatum; & expellens, ac expulsum debent esse simul.

146. Apud Petrum Paludanum, (*s*) in nota marginali, hæc sententia tribuitur Henrico Gandavensi quodlibeto XV. quæst. XIII. Verum Gandavensis ibi (*t*) luculenter docet, & probat oppositum: „ Quod autem, *inquit*, Virgo simul in „ eodem instanti, quo concepta est Mundo, & „ Originali Peccato infecta, concepta sit DEO, „ & in Gratia sanctificata: hoc omnino im„ possibile est, quia contraria sunt Originalis „ Culpa, & Sanctificationis Gratia, & simul „ fuissent in eodem subjecto: contraria autem in „ eodem instanti simplici, secundum rem, non „ possunt inesse eidem subjecto. „ Alia est Gandavensis sententia, ut mox dicemus.

147. Cujuscumque vero fuerit istæc opinatio, ab omnibus Scholasticis merito rejicitur. Quia Gratia Sanctificans, & Originale Peccatum adeo sunt invicem contraria, ut contradictionem secum trahant, vel etiam involvant. Siquidem Peccatum Originale vel est ipsamet Gratiæ Sanctificantis Privatio, ut statuimus Articulo I. §. I. vel saltem cum Privatione Gratiæ Sanctificantis sic connectitur, ut, hac Gratia infusa, Peccatum illud penitus auferatur, juxta id, quod definit Tridentinum. (*u*) Est autem prorsus impossibile, hujusmodi contrarias formas, eodem temporis momento, (quidquid sit de signis rationis nostræ,) simul componi in eodem subjecto, nedum permanenter, verum etiam transeunter: non enim ex mora temporis, sed ex ipsarum natura provenit, quod insociabiles sint. Ratio contraria vera est in expellente *effective* per aliquam actionem, non in expellente *formaliter* per ipsam sui exhibitionem; quo modo Gratia expellit Peccatum, sibi contrarium.

148. Itaque si semel admittatur, B. Virginem in sui ipsius Conceptione fuisse sanctificatam, necessario admittendum est, illam absque Originali Peccato conceptam fuisse. *Sanctificatio enim, de qua loquimur*, [ajebat D. Thomas (*x*)] *non est, nisi emundatio a Peccato Originali* (inducto scilicet, vel inducendo) *Sanctitas enim est perfecta munditia, ut D. Dionysius dicit in* 12. *Capite de Divinis Nominibus*. Verba S. Dionysii (*y*) sunt: *Sanctitas quidem est, ut nostra ratione dicam, & sententia, ab omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas.*

149. Quapropter ridendos se præbuerunt Libellatores illi Romani, qui cum B. Virginis Conceptionem, *Sanctam* nuncupari posse fateretur, Immaculatam tamen appellari, præfracte inficiabantur: quasi vero B. Virgo in ipsa sui Conceptione, seu Animatione, (quæ unico momento absolvitur,) potuerit esse Sancta, quin fuerit Immaculata, hoc est ab omni Peccati macula immunis. Idem porro est, Conceptionem B. Virginis fuisse Sanctam, & Immaculatam, ac ipsam B. Virginem in sui prima Conceptione fuisse Sanctam, & Immaculatam. Immo eatenus ejus Conceptio dicitur Sancta, & Immaculata, quatenus Ipsa in sui Conceptione fuit Sancta, & Immaculata.

150. In idem paradoxum incidit Lampridius, (*z*) ubi ait: *Sancta, & Sanctissima semper fuit, est, & erit, supra omnes Mulieres, supra omnes Sanctos, & Angelos Beatissima Parens Salvatoris nostri, sive fuerit, sive non fuerit concepta sine Originali Peccato*. Nam si *Sancta semper fuit, supra omnes &c.* qui fieri potuit, ut aliquando Sancta simpliciter non fuerit? Quod si cum Peccato Originali concepta fuisset, jam Sancta aliquando non fuisset, nempe in primo suæ vitæ momento. Forte Lampridius tunc inclinabat in rejectum commentum, ut postea prodidit Ferdinandus Valdesius, dicens: (*a*) *Non incongruum fore, cogitare, B. Virgin. in eodem primo instanti suæ Concept. contraxisse Labem, & sanctificatam fuisse. Sicuti Suarez agnoscit, B. Virginem in propria Persona fuisse Peccato obnoxiam in primo instanti, & nihilominus in eodem, potuisse carere Peccato, & præveniri Gratia DEI.* Quasi vero peccati Debitum perinde, ac ipsum Peccatum, opponatur cum Gratia. Sed de hoc infra.

151. Modus ergo communis, & unicus exponendi contrariam Sententiam, est: B. Virginem, in primo suæ Conceptionis momento, Originaria labe infectam fuisse; postea vero quàm citissime fuisse mundatam, & sanctificatam. Hoc autem, *quàm citissime*, Henricus Gandavensis, (*b*) & Durandus (*c*) intelligunt in instanti immediate subsequenti; quia non est, cur per plura instantia debuerit B. Virgo manere in Originali Peccato. Paludanus vero, negans, (*d*) contingere posse sanctificationem in instanti immediate sequenti ad primum instans Peccati; illud, *quàm citissime*,

(*r*) *In* 3. *dist.* 3. *quæst.* 2. *fol.* 188. *col.* 1. *&* 2. *edit.* Lugdun. an. 1560.
(*s*) *In* 3. *dist.* 3. *art.* 2. *quæst.* 1. *fol.* 21. *col.* 3. *edit.* Parisi. an. 1517.
(*t*) *Fol.* 585. *pag.* 2. *edit.* Parisi. an. 1518.
(*u*) *Sess.* 5. *Can.* 5.
(*x*) *Par.* 3. *quæst.* 27. *art.* 2.
(*y*) *Pag.* 264. *Ex recognit.* Lanzellii.
(*z*) *Cap.* 5. *pag.* 35.
(*a*) *Epist.* 10. *pag.* 121. *ex Epistolis* 17. *seu Appendice ad librum* Antonii Lampridii de Superstit. vitanda, &c. *edit.* Mediolan. an. 1743. *Ubi* Lampridius *sub alio larvato nomine* Valdesii, *a Multorum oppugnationibus se vindicaturus, eandem carpit viam infirmandi Piam Sententiam.*
(*b*) *Loco cit. fol.* 586. *pag.* 1.
(*c*) *Loco cit. quæst.* 2. *a num.* 14. *& fol.* 188. *col.* 3. *&* 4.
(*d*) *Loco cit. fol.* 23. *col.* 3.

citissime, remittit ad Divinum arbitrium. Tota difficultas oritur ex Sententia Aristotelica de divisibilitate Continui in infinitum, juxta quam nullum est instans temporis, quod proxime succedat alteri.

Triplex Expositio Piæ Sententiæ.

152. Prima est quorumdam Antiquorum, qui, cum Originale Peccatum per morbidas illas qualitates explicarent, Piam Sententiam sic exponebant apud Durandum, & Paludanum: (e) „ Quamvis Peccatum Originale sit „ in Anima, in Carne tamen est quædam qualitas, vel infectio morbida, ratione cujus ex conjunctione Animæ ad Carnem, habentem formaliter talem morbidam qualitatem, contrahitur „ Peccatum Originale. Cum igitur ipsa qualitas „ morbida sit aliud ab ipsa Carne, potuit virtute „ Divina conservari talis massa Carnis, ne inficeretur, & si esset infecta, potuit mundari ante infusionem Animæ; ut si, quantum „ est ex parte Generantium, fuerit Caro immunda, & morbida, in se tamen, virtute Divina „ mediante, facta est Immaculata, & Munda; ut „ sic ex unione Animæ ad ipsam non contraheretur in Anima Peccatum Originale. „

153. Hunc ferme modum declarandi, tuendique Piam Sententiam, posterioribus etiam Sæculis usurpârunt Gabriel Biel, Marsilius ab Ingen, & Judocus Clichtoveus, (*f*) cujus postremi verba, quia speciale aliquid continent, in medium proferimus: „ Sentiendum, *inquit*, non solum „ unionem sanctæ Animæ V. Mariæ ad sacrum „ ipsius Corpus, in Utero materno jam formatum, fuisse sine aliqua contractione Culpæ; „ verum etiam Conceptionem ipsius Sacratiss. „ Virginis secundum Carnem, per nuptialem „ Sanctorum Parentum suorum congressum, „ factam fuisse sine macula, aut sorde Peccati, „ inusta Corpori, unde postea Anima inficeretur „ in ipsa sui ad Carnem conjunctione. „ *Et infra*: „ Fatendum est insuper, hanc Gloriosæ Virginis Conceptionem, secundum Corpus, solùm „ fuisse immunem ab omni labe Carnis, per „ quam inexistentem Carni, in cæteris, cùm „ fit Animæ ad Corpus conjunctio, contrahitur in Anima Peccatum Originale: per sublatam vero, & minime immanentem, immo „ nec unquam inhærentem Virgineæ Carni, „ (id operante Divina benedictione, illam „ Conceptionem præveniente,) hanc tabem „ morbidam, & luem concupiscentiæ; Animam Gloriosæ Virginis sacratissimam, mundo, & immaculato Corpori fuisse conjunctam, sine aliquo Peccati contagio. Nam submotum erat, divino munere, illud a Corpore, „ quod in cæteris solet Animam, in ipso conjunctionis ad Corpus momento, labefactare. „

154. Modus iste tam nobis non probatur, quàm non probantur ejuscemodi Morbidæ Qualitates, quas in superioribus prolixe refutavimus. Habendus nihilominus præ oculis est, quia & ab Antiquis usurpatus, & hodie etiam in ore multorum est, de illarum qualitatum absurditate nil cogitantium.

155. Altera expositio, magno plausu, & consensu a Recentioribus Theologis recepta, & omni conatu propugnata est: B. Virginem non fuisse cum cæteris Adæ Filiis comprehensam in ea Lege, seu pacto DEI cum primo Parente, de Justitia, & Sanctitate in suos Posteros transfundenda, vel non transfundenda, prout ipse obediens, vel contumax fuisset; sed seorsum omnino ab Adami merito, propter dignitatem Matris DEI, & merita Christi, fuisse ad perpetuam Sanctitatem à DEO prædestinatam; atque adeo nec peccasse in Adamo, nec Debitum proximum contraxisse Originalis Peccati incurrendi, multoque minus ipsum incurrisse Peccatum. Debitum remotum non negant in B. Virgine, ea dumtaxat ratione, quod cum esset Filia Adæ, ab ipso descendens per naturalem propagationem, eandem sortem cum cæteris Adæ Filiis subire debuerat, ut in illa communi Lege comprehenderetur.

156. Repugnant tamen Veteres hujusmodi Expositioni, quorum vestigiis inhæserunt ex Nostris P. Vasquez, & P. Franciscus Suarez *tomo secundo in tertiam partem*, (*g*) Card. Bellarminus, & P. Theophilus Raynaudus (*h*). Extat insuper in Opere posthumo Eximii Doctoris *in Primam Secundæ*, (*i*) Quædam ejus Epistola, quam, hac de re interrogatus, anno MDCXVI. Conimbricæ scripsit in Hispaniam; ubi prolixe confirmat, quæ de B. Virginis Debito pluribus ante annis tradiderat *Tom. 2. in tertiam partem.* Et *num.* XI. graviter monet: „ Quemlibet prudentem Theologum, & Dominæ nostræ valde „ affectum, debere non inclinare ad illud extremum, (*negandi videlicet in B. Virgine Originalis Peccati Debitum*,) quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque ejus Immaculatæ Conceptionis veritatem juvat; præbetque occasionem Adversariis dicendi, non „ posse nos Immaculatam Conceptionem defendere, nisi declinando ad opiniones, vel „ censura dignas, vel diminuentes Christi Redemptionem, vel saltem apparentiam talem habentes. „

157. Quod ad me attinet, sententiam quidem eximentem DEI Genitricem cùm ab ipso Originali Peccato, tum etiam a Debito proximo incurrendi illud; non solum ab omni censura, & improbabilitatis nota immunem, (ut & sentit ibidem P. Suarez,) verum etiam laudabilem censeo. At Eximii Doctoris consilium reveritus, ab ea sententia, in præsens usurpanda, abstinere constitui. Nam quantumcumque probabilis sit, Piæ Sententiæ certitudinem sane non æquat: immo non levem patitur difficultatem, in aptanda ad B. Virginem, Redemptione Christi, per ipsius Passionem, & Mortem, quæ procul dubio

(e) Durand. *in 3. dist. 3. qu. 1. pag.* 187. Palud. *ibid. qu.* 1. *art.* 1. *fol.* 19. *col.* 3.

(f) Biel *in 3. dist. 3. qu.* 1. *art.* 2. Ingen *ibid. qu.* 4. *art.* 1. Clicht. *lib.* 1. de Puritate Conceptionis B.M.V. *cap.* 15. *fol.* 21. *pag.* 2. & *fol.* 22. *pag.* 1.

(g) Vasq. *disp.* 116. *c.* 5. Suar. *disp.* 3. *sect.* 2.

(h) Bellar. *loc. cit. cap.* 16. *nu.* 17. *pag.* 143. Rayn. *In Dyptichis Marianis Punct.* 2. *à nu.* 64. & *a pag.* 162. *t.* 7.

(i) *Tract.* 5. de Peccatis *disp.* 9. de Peccato Orig. *post sectionem.* 4.

dubio futura non erat, nisi Adam peccasset. Quis autem non videat, rationi consentaneum non esse, lucidissimam, firmissimamque Piæ Sententiæ Veritatem, (quam in hac causa pertractamus) excitatis aliunde difficultatibus, obscurare, & minus firmo fundamento committere?

158. Accedit, quod Debitum illud & nihil obest Originariæ Sanctitati, ac Innocentiæ B. Virginis; & multum prodest ejusdem Sanctitatis, & Innocentiæ defensioni. Nihil, inquam, obest Sanctitati; quia ejusmodi Debitum nec est peccatum, nec infallibiliter peccatum infert, & nec ullum sapit moralem defectum; sed est merum onus subjacendi peccato, (nisi per gratiam relevetur,) consequens conditionem humanæ naturæ, prout dependentis a tali Capite Physico, & Morali, cui videlicet DEUS Gratiam, & Justitiam commiserit in Posteros transfundendam. Multum vero prodest illius Innocentiæ defensioni: quia semel dato tali Debito, Testimonia, & Argumenta omnia contraria longe planius, & facilius expediuntur.

159. Quocirca Adversariis, Debitum illud astruere conantibus, nullam in hac causa scribam dicam, litem nullam intendam: nisi forte, specie suadendi Originalis Peccati Debitum, sensim, furtimque, (quod propalam non audent, ipsum Originale Peccatum moliantur inducere. Quod de Antonio Lampridio *cap.* xxiv. *&* xxv. ex Nostratibus non pauci, & fortasse nec temere, suspicati sunt. Idem de Salmanticensibus Theologis Ord. Carmelitarum Discalceator. Tomo quarto cursus Theologici, (*k*) ubi disputant *de extensione Peccati Originalis quantum ad Debitum*: Opinatur P. Petrus de Alva, & Astorga. (*l*) Hanc quidem illi de se opinionem, & in ejus Disputationis vestibulo, & Dubio v. ac parte Dubii vi. propulsare satagunt; sed in cæteris, (ex quibus plura in suum librum transtulit Lampridius, ita se gerunt, ut id suspicandi occasionem præbeant. Et hac fortasse de causa Tomus ille quartus, Lugduni impressus An. MDCLVIII. decreto supremæ Inquisitionis Hispanicæ (*m*) suspensus est, donec expurgetur. Id etiam mihi in his Auctoribus displicet, quod cum duo tantum pro Immaculata B. V. Conceptione, initio proferant testimonia; ea selegerunt, quæ Viris eruditis probari non possunt. Alterum est ex libro suppositio Johan. Patriarchæ Hierosolymitani xliv. (verius xlii.) *de Institutione primorum Monachorum ad Caprasium*: (*n*) Alterum, ex inepta quadam Hieronymi de Ormachea in Caput I. Canticorum interpretatione, (*o*) ad illa verba: *Si ignoras te, o pulcherrima inter Mulieres &c.*

160. Tertia igitur Piæ Sententiæ Expositio, eamque defendendi ratio, ab Antiquioribus usurpata, & a nobis usurpanda, est: B. Virginem inclusam quidem fuisse in illa DEI Lege, seu pacto cum Adamo, de transfundenda Justitia, & Sanctitate in Posteros ex merito ipsius Adami; & idcirco peccasse in Adamo, quatenus per ejus Peccatum amisit jus ad habendam Justitiam, ac Sanctitatem; (hoc, & nihil aliud est, *Peccare in Adamo*,) & consequenter in seipsa, & non tantum in Semine, vel in Parentibus, (ut quidam minus consequenter dicunt,) contraxisse Debitum carendi Justitia, ac Sanctitate, cum primo conciperetur; atque ita incurrendi Originale Peccatum. Verumtamen DEUM ipsum ex gratia, & privilegio singulari, intuitu meritorum Christi, B. Virginem, futuram ejus Matrem, prævenisse, ne debitum illud, quod ex Adamo contraxerat, haberet in ea effectum; largiendo nimirum Animæ B. Virginis, in prima sui creatione, & conjunctione ad Corpus, veram Justitiam, & Sanctitatem, quam ex Adami merito non erat acceptura; & sic eam ab Originali Peccato, re ipsa incurrendo, immunem servasse.

161. Quod B. Virgo in primo instanti suæ Conceptionis, pro priori naturæ ad infusionem Gratiæ, fuerit obnoxia Peccato Originali contrahendo; & nihilominus in eodem instanti Peccatum illud reipsa non contraxerit; nihil continet difficultatis. Nam B. Virginem, Peccato Originali contrahendo obnoxiam tunc fuisse; aliud non est, nisi ipsam, ut per naturalem generationem ex Adamo derivatam, comprehensam fuisse sub merito Peccati primi Parentis, ut propter illud Peccatum jure privari posset Justitia, & Sanctitate, quam ab Adamo acceptura erat; & sic privata, contrahere Originale Peccatum. Quæ autem difficultas in hoc, quod is, qui ex modo suæ Conceptionis, & merito primi Parentis, debebat carere Justitia, & Sanctitate, ac proinde contrahere Originale Peccatum; ex DEI misericordia, & intuitu meritorum Christi, Justitiam, & Sanctitatem accipiat, quam aliàs a primo Parente non acciperet; & ea justificatus, ac sanctificatus, non contrahat Originale Peccatum, quod aliàs contrahere deberet? Sane quamquam Primus Homo obligavit omnes suos Posteros, ut inciperent vitam cum culpa, & sine Gratia Sanctificante; DEUS tamen non se obligavit, ad negandum omnibus omnino talem gratiam in eo instanti; neque a se abstulit potestatem præveniendi, quem vellet, tali Sanctificatione, quæ culpam impediret. Ipsa quoque Gratia Sanctificans non opponitur formaliter Debito, quod quis ratione suæ Originis habeat, carendi illa, & contrahendi Originale Peccatum; sed tantum opponitur suimet privationi, & ipsi Peccato; quod quidem nunquam fuit in B. Virgine, sed solum futurum erat, nisi Gratia eam præoccupasset.

162. Censet P. Vasquez, (*p*) illud peccati Debitum mansisse in B. Virgine pro reliquis instan-

(k) *Tract.* 13. *disp.* 15. *a pag.* 492.

(l) *In Sole Verit. Triturat. num.* 60. *a pag.* 115.

(m) *Hoc Decretum promulgatum est* Panormi *diè* 9. *Januarii an.* 1662. *per edictum Inquisit. Siculæ, cujus exemplar extat in Biblioth. Colleg. Panormit. assutum Indici Expurgatorio Hisp. Inquisit.*

(n) *Cap.* 32. *pag.* 880. *tom.* 5. *Biblioth. M. PP. De suppositione hujus libri* V. Baron. *tom.* 6. *Annal. ad* an. 444. *n.* 17. Bellarm. *&* Labbeum *de Script. Eccles. in* Johanne Hierosol. Raynaud. *de Libris suppositiis Erotemate* 10. *num.* 229. *pag.* 287. *tom.* 11. Danielem Papebrochium *in Respons. ad* Fr. Sebast. a S. Paulo *Par.* 2. *ad art.* 13. §. 5. *pag.* 18. *edit.* Antuerp. an. 1697.

(o) *Nempe* si ignoras te &c. Recurre ad Carmeli Incolas, Eliæ, & Elisei Discipulos &c. & in suis ipsorum Laudibus, Hymnisque & Canticis te agnosces, & audies te celebrari ut conceptam sine Peccato Originali &c.

(p) *Tom.* 2. *in* 3. *par. disp.* 116. *cap.* 5.

tibus vitæ ſuæ. Quia ſicut in primo ſuæ Conceptionis inſtanti, pro priori naturæ, obnoxia fuit Peccato Originali contrahendo; quòd niſi gratia præoccuparetur, & ſanctificaretur, ex ſe, & Origine ſua Peccatum haberet: ita & in reliquis inſtantibus ſimiliter obnoxia fuit; quòd etiam, niſi in reliquis eſſet ſanctificata per Gratiam, non minus in Originali Peccato eſſet, quam in inſtanti Conceptionis. Verum hinc ſequeretur, quod ſi Parvulo baptizato ſubtraheret DEUS Gratiam Sanctificantem, quam acceperat in Baptiſmate; reviviſceret in eo Originale Peccatum: quod neſcio, an recte dicatur. Melius ergo cenſet P. Suarez in laudata epiſtola *num.* XXVI. extinctum fuiſſe in B. Virgine illud Debitum pro reliquis inſtantibus. Quia omne debitum extinguitur ſolutione, vel remiſſione. Et quia cauſæ inductivæ Peccati Originalis, ſolum habent vim inducendi illud in primo Conceptionis inſtanti, quippe quod ex vi Originis contrahitur. Si ergo tunc impediantur, earum virtus omnino extinguitur, adeo ut, non queant amplius illud inducere.

163. Aliqua difficultas eſt: Si B. Virgo comprehenſa fuit in illa DEI Lege univerſali de deneganda Poſteris, Adamo peccante, Juſtitia, & Sanctitate, cum primo concipiuntur; quo pacto, poſt Adæ peccatum, obtinuit a DEO Juſtitiam, & Sanctitatem in ſui Conceptione; quin DEUS ſibi contradixerit, aut mutaverit Voluntatem?

164. Reſpondemus: Vel ſermo eſt de interiori actu, ſeu Decreto Divinæ Voluntatis; vel de Lege DEI exterius lata? Si primum; nunquam fuit in DEO, pro priori ad Adæ peccatum, definita Voluntas, ſeu Decretum abſolutum, & efficax denegandi omnibus omnino Adæ Poſteris Juſtitiam, & Sanctitatem, vel derivandi in illos Originale Peccatum, ſi Adam peccaret. Ad iſtud enim negotium ſatis erat Voluntas, & Decretum DEI de transfundenda in Adæ Poſteros Juſtitia, & Sanctitate ex merito ipſius Adæ, tanquam ex conditione; ſeu Decretum, quo Juſtitia, & Sanctitas ſic data, & commiſſa eſt Adamo, ut per obſervantiam præcepti illam transfunderet in Poſteros. Poſita namque hac ſola Voluntate DEI, conſequens erat, quod, ſi Adam peccaret, tranſgrediendo præceptum, digne mereretur, ut Juſtitiam, & Sanctitatem, quam pro ſe, & Poſteris accepit, ſibi, & Poſteris amitteret: quodque ejus Poſteri ſub hac dignitate Peccati Adæ comprehenderentur, ut Juſtitia, quam in ipſo acceperant, privarentur; atque ita contraherent Originale Peccatum. Cum ejuſmodi autem DEI Voluntate, & Decreto, (ſub quo B. Virginem comprehenſam fuiſſe non diffitemur,) optime componitur, quod Ipſa Juſtitiam, & Sanctitatem, ex merito primi Parentis ſibi indebitam; aliunde, hoc eſt, ex gratia, & privilegio DEI ſingulari, ob CHRISTI merita, in ſui Conceptione obtinuerit; & ſic ab Originali Peccato, cujus incurrendi debitum contraxerat, gratioſe fuerit præſervata. Illa namque DEI voluntas, neque explicite, neque implicite continebat, quod omnes omnino Adæ Poſteri reipſa abſque Gratia Sanctificante conciperentur; ſed tantum, ut perderent jus ad Gratiam, ita ut ex vi ſuæ Originis, ſine Gratia conciperentur.

165. Sin vero loquamur de Lege DEI exterius lata; etiamſi demus, eam fuiſſe de deneganda, Adamo peccante, omnibus ejus Poſteris Juſtitia, & Sanctitate, deque derivando in illos Originali Peccato; adhuc potuit DEUS, abſque ullo mendacio, & contradictione, per ſuam Potentiam ab omni lege abſolutam, ſpeciale privilegium B. Virgini concedere, quo ipſam ab eadem Lege exciperet: Quemadmodum juxta plures Patres, relatos *nu.* 78. a Lege univerſali mortis excipiet illos, qui vivi reperientur in die Judicii. Quia cùm DEUS Legem aliquam univerſalem exterius fert; ea Lex non eſt neceſſario ſic intelligenda, ut nemo ab eadem Lege excipi poſſit. Lex enim exterius lata, etſi verbis ipſis univerſalis ſit, intelligitur ſemper ſubjecta voluntati Supremi Legiſlatoris, ut per contrarium privilegium a ſua Lege excipiat, quem voluerit. Quod etiam patet in Humanis, niſi quod humanus Legiſlator, multo poſt Legem latam, concedere ſolet alicui privilegium, de quo, cùm Legem condidit, non cogitaverat: DEUS verò, cum omnia ab æterno cognoſcat, ſtatim atque Legem exterius fert, optime novit privilegium, quod contra ſuam Legem, multo poſt tempore erit conceſſurus.

166. Itaque non pugnant inter ſe hæc duo: Quod B. Virgo ex vi illius Legis univerſalis erat privanda Gratia Sanctificante, & incurſura Originale Peccatum; quodque ex vi Privilegii fuerit exempta, ne privaretur Gratia, neve Peccatum incurreret. Immo potius natura privilegii poſtulat, ex vi Legis oppoſitum deberi; alioquin Privilegium non eſſet, ſi ab univerſalitate Legis non exciperet.

167. Ad hoc explicandum aptiſſime accommodantur verba illa Regis Aſſueri ad Eſther Reginam, (q) quæ Mariæ Typus fuit: *Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc Lex conſtituta eſt.* Ut enim acute obſervat Johannes a S. Thoma, doctus Magiſter Ordinis Prædicatorum (r), „ Convenientius videbatur dicendum, *non pro* „ *te, ſed pro reliquis*; ſed non dixit ſic, *ſed pro* „ *omnibus*, ut detur intelligi, optime ſtare, quod „ Lex ſit pro omnibus univerſaliter, licet non „ ſit pro aliquo. Ex vi Legis ordinariæ omnes incurrunt peccatum, ſolo CHRISTO „ excepto, & tamen in nullo læditur ſingulare „ privilegium Virginis. „ Eadem Aſſueri verba in rem noſtram fuſius tractans Illuſtriſſimus Ambroſius Catharinus, ejuſdem Ordinis Magiſter, Adverſarios ſic compellat: (s) „ Vos ſtruitis Syllogiſmos, & dicitis: omnes Homines „ in Adam mortui ſunt: ergo & MARIA, quæ „ fuit Homo. Sed audite Regium Verbum, & inauditam ſententiam: *Pro omnibus*, (ſive pro Homi-

(q) Eſth. 15. 13.
(r) *Tom.* 1. *Curſus Theologici diſp.* 2. *prævia* de Approbat. Doctr. D. Th. *art.* 2. *pag.* 160. *col.* 1. *edit.* Colon. Agrip. an. 1711.
(s) *In diſp. pro* Immacul. Concept. Divæ Virginis *lib.* 3. *tit. de* plurimis Scripturæ locis *pag.* 102. *edit.* Lugdun. an. 1542. *&* *pag.* 61. *col.* 2. *tom.* 2. *Biblioth. Virginal.*

„ Hominibus) *conſtituta eſt hæc Lex, ſed non pro* „ *te.* Eſther mea. Audite, quæ non diſcuntur „ in phyſicis, aut dialecticis: Non eſt inter om- „ nes, aut inter Homines, Regina, ſed ſupra „ omnes, & ſupra Hominem &c. „

168. Et hìc obſerva, aliter CHRISTUM exceptum dici ab illa Lege, aliter MARIAM. CHRISTUS exceptus dicitur, non ob ſtrictum Privilegium, ſed quia ipſius Legis verbis excludebatur; MARIA vero, cum verbis Legis tanquam vera Filia Adæ comprehenderetur, excepta dicitur per Privilegium, juxta illud Ulpiani pronunciatum: (*t*) *Princeps legibus ſolutus eſt*; *Auguſta autem licet legibus ſoluta non ſit, Princeps tamen eadem illi privilegia tribuit, quæ & ipſe habet.*

§. III.

Triplex hujus Cauſæ Momentum expenditur.

169. LAudatus Catharinus quoſdam ex Adverſariis innominatos refellit, qui (*u*) Immaculatæ Conceptionis Cauſam toto niſi elevare tentabant; forte ut ejus Aſſertores deſides redderent, & minus Ipſi apud fideles Populos laborarent invidia. Ven. Petrus Caniſius (*x*) Sercerium Hæreticum nominat, qui eandem Cauſam nihili fecit. At *Sercerius*, inquit Caniſius, *de optimis rebus peſſime judicat, & ſatis ne quidem ipſe intelligit, quid, Peccati Originalis nomine, contineatur.* Dux iſtorum fuiſſe videtur Deſiderius Eraſmus Roterodamus, qui de B. Virginis Conceptione, ut de re plane inutili, & nullius momenti, pacis ſtudio, ſilendum eſſe dictitabat. At hic Cœli, & Terræ Cenſor, [inquit Raynaudus (*y*)] eodem fucato pacis ſtudio, graviſſimam quoque Catholicos inter, & Arianos de *Homouſio* controverſiam, tanquam inutilem, indicto utrique parti ſilentio, premi debuiſſe blaterabat. De Eraſmo V. Poſſevinum *tom.2. Appar. Sac. a pag.* 588.

170. Illud ſane mirum, quod Frater Baptiſta Hiſpaniolus, e patria dictus Mantuanus, Ord. Carmelit. pius alioqui, & non indoctus Poeta, cum libro primo Parthenices primæ in commendationem Piæ Sententiæ multa præclare ceciniſſet; libro XII. *Faſtorum*, (*z*) neſcio quo percitus œſtro, nedum de ea, tanquam de re vana, & nugatoria, ſilendum eſſe occinuit; verum etiam tam probroſe, & indigne locutus eſt, ut ſine ſtomacho, & bili audiri nequeat. Quis enim ferat, doctrinam de infuſione gratiæ in Animam B. Virginis pro primo Conceptionis inſtanti; a Mantuano, ſcribente præſertim poſt Sixtum IV. tanquam *inſomnia*, *deliramenta*, *ridiculas gerras*, *& figmenta* derideri?

171. Majori admiratione dignum eſt, quod magnus ille Vir Alphonſus Toſtatus, ab Epiſcopatu Abulenſis dictus, poſtquam Parte ſecunda ſuorum Commentariorum in Exodum, (*a*) & in Primo ex ſuis *Paradoxis*, (*b*) Piam Sententiam eligendam eſſe dixit; quòd *tutius*, *& favorabilius ſit*, *Dominum noſtram*, *prorſus ab omni Originali Labe fuiſſe immunem*; quodque hæc immunitas *ad ſummam perfectionem puritatis ejus ſpectet*: ſubinde nec præſens, nec conſtans ſibi, utrobique monet, *non multum differre in re*, *quod incurrerit*, *& immediate purgata fuerit*, *quàm quod præſervata fuit*, *ne incurreret.* Præterea, *ſolos vulgariter intelligentes exiſtimare magnam Dominæ noſtræ injuriam irrogari*, *ſi eam in Peccato Originali conceptam aſſeramus: cujus cauſa eſt*, *quia ipſi notitiæ*, *quid ſit Culpa Originalis*, *aut qualiter contrahatur*, *penitus ſunt expertes &c. Nec in hoc aliqua tenuis laus*, *vel gloria Virginis Dominæ noſtræ minuitur*, *aut mutatur.* Non agnovit, credo, Toſtatus in Originali Peccato, *veram*, *& propriam peccati rationem*, quam poſtea definivit Tridentinum. Hujus in tanto Viro lapſus cauſa, non eſt altrinſecus cum Raynaudo inquirenda, quàm quod *in multis offendimus omnes.* Jacob. 3. 2.

172. Eraſmo, & Mantuano, Melchiorem Canum *lib.* 7. *de locis cap.* 3. adnumerat P. Raynaudus *in Dyptichis Marianis* (*c*). Verum tamen hoc unum ibi contendit Canus, quæſtionem de B. Virginis Conceptione in eo genere quæſtionum eſſe, quæ ad fidem minime pertineant, ita ut neutra pars tanquam dogma Catholicum poſſit unquam ab Eccleſia definiri, ut liquet ex toto §. *quarta Concluſio*: (*d*) & ideo ait illam, *nullius in Chriſtiana Religione eſſe momenti*: fatetur nihilominus, rem alias graviſſimam eſſe.

173. Adverſus iſtos Piæ Lauſæ Detractores reclamant omnes, quinque retro ſæculorum Fidelium ordines. Reclamant Summi Pontifices, cæterique Eccleſiæ Præſules: Reclamant Sacri Doctores, Oratores, atque Scriptores; immo & Academiæ Catholicæ univerſæ: Reclamant cum ſuis fidelibus Populis Imperatores, Reges, ac Principes: Qui omnes in Immaculatæ DEI Genitricis Conceptionis tutelam, & cultum, ea qua valent ratione, & ſtudio, animique contentione incumbentes, illam graviſſimi momenti rem eſſe, factis ipſis abunde conteſtantur. Quid, quod Adverſarii Conceptionis Immaculatæ Privilegium tantopere extollunt, ut ſoli CHRISTO convenire declament?

174. Nos igitur *tantam habentes impoſitam nubem Teſtium*, (*e*) argumentis etiam fidenter agamus, quibus præſentis Cauſæ Pondus ita demonſtratur, ut ex conſequenti ipſa etiam Piæ Sententiæ veritas mirifice inſinuetur. Tria ſunt Momenta præcipua, quæ jam ſingillatim expendimus.

(t) *Lege* 31. Princeps *ff. vet. tit.* 3. *de* Legibus.
(u) *Toto lib.* 1. *diſp. cit. & par.* 1. *alterius Diſput. pro Verit. Immac. Concept. ad Patres, & Fratres Ord. Præd.*
(x) *Lib.* 1. *de M. Deipara cap.* 8. *col.* 79.
(y) Raynaud. *in Pietat. Lugdun. Tractat. Cardine* 2. *nu.* 35. *pag.* 309. *t.* 8.
(z) *Seu de Sacris Diebus ad diem* 8. *Decembris fol.* 375. *pag.* 2. *& ſeq. tom.* 2. *edit.* Antuerp. an. 1579.
(a) *Ad cap.* 34. *quæſt.* 8. *fol.* 168. *edit.* Venet. an. 1596.
(b) *Cap.* 2. *fol.* 5. *&* V. *Cap.* 97. *&* 102. *ejuſdem edit.*
(c) *Punct.* 2. *num.* 2. *pag.* 133. *col.* 1. *in fine.*
(d) *Fol.* 222. *edit.* Colon. Agripp. 1574.
(e) *Ad Hebr.* 12. 1.

GRAVITAS ORIGINALIS PECCATI.

175. HOc est primum Causæ nostræ Momentum, de cujus gravitate, quid Sancti Patres, & insignes Theologi senserint, Lectorum oculis subjicimus.

176. Divus Augustinus Tractatu XLIV. in Johannem, (*f*) ex illis verbis Apostoli: (*g*) *Fuimus & nos aliquando natura filii iræ, sicut & cæteri*; (quæ de originali Peccato intelligit) sic arguit: *Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ.* Et libro VI. contra Julianum (*h*) hanc Iram pluribus Scripturæ Testimoniis amplificans, ait: „ De hac Ira dicit Hieremias Propheta, (20. 14.) *Maledictus dies, in quo natus sum.* De hac Ira dicit S. Job, (3. 3.) *Pereat dies ille, in quo natus sum.* De hac Ira item dicit idem ipse (14. 1. juxta LXX.) *Homo enim natus ex Muliere, brevis vitæ, & plenus iracundiæ &c.* De hac Ira dicit Liber Ecclesiasticus, (14. 18.) *Omnis caro, sicut vestis veterascit*: & alio loco, (40. 1.) *Occupatio magna creata est omni Homini, & jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre Matris eorum usque in diem sepulturæ in Matrem omnium.* De hac Ira dicit Ecclesiastes. (1. 2.) *Vanitas vanitatum & omnia vanitas &c.* De hac Ira vox Apostolica est, (ad Romanos 8. 20.) *Omnis Creatura vanitati subjecta est &c.* „ Superius autem (*i*) ostenderat Augustinus, Infantes, Originali Peccato adhuc infectos, *sub potestate Diaboli esse.*

177. D. Bernardus in quodam sermone de tempore: (*k*) „ Originale quidem, „ *inquit*, maximum illud delictum vocatur, quod a primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi... A primo Homine ad novissimum usque protenditur, & in singulis quoque a planta pedis usque ad verticem capitis diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilominus in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, qua sua quemque concipit, usque ad eam, qua communis eum recipit Mater. Alioquin unde *grave jugum super omnes, & totos filios Adam &c.* In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseras oneramus Matres, in exitu more vipereo laceramus: mirum, quod non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, merito quidem, utpote vallem plorationis ingressi, ut nobis illud Sancti Job (14. 1.) ex omni parte possit aptari: *Homo natus de Muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.....* multis, & multiplicibus, inquam, miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis cùm dormit, miseriis dum vigilat, miseriis quaqua versus se vertat. „

178. Propius ad rem nostram accedens Johannes Gerson, Parisiensis Cancellarius, in Sermone *de Immaculata B. Mariæ Conceptione*; (*l*) ut ex ipsa Peccati Originalis fœditate inferat, B. Virginem ab eo fuisse Immunem, Caritatem sic cum DEO colloquentem inducit; „ Si contingeret, (quod absit) quod aliquo tempore in Conceptione, vel postea essem elongata, & extra illam Dominam, ratione perversi Tyranni Peccati Originalis; quis eam custodiret? Nullo enim pacto in ea habitare possem. Videamus, quid esset. Primo Anima ejus spiritualiter mortua esset; & ideo turpis, fœtida, deformis, non placens DEO, nec a te amata, indigna societatis tuæ, & societatis Angelorum, & digna separari perpetuo ab eis: & si in illo statu moreretur, absque dubio æternam ingrederetur damnationem. Etiam ipsa esset habitatio tenebrarum, quæ lumen portare debet. „ *Tum in ore Sapientiæ hæc verba ponit*: „ Matutina Stella in Ortu ejus eclipsim faceret, Rosa nova deficeret, Fons Gratiæ desisteret, Flos Lilii pallesceret, Mater Vitæ mortua esset, Regina Mundi subjiceretur, sed cui subjiceretur? Subjiceretur fœdiori, & abominabiliori subjectioni, quæ esse posset, illi scilicet, quæ est ipsius peccati. „

179. Idem argumentum versans Johannes Eckius, (qui cum Luthero, Carolstadio, Oecolampadio, & asseclis, cominus etiam, præsens, & coram disputando, pro Fide orthodoxa gloriose pugnavit,) Homilia IV. in die Conceptionis, (*m*) „ Peccatum, *inquit*, Originale Hominem in Ira Divina constituit, membrumque facit esse Diaboli, concupiscentiis multis malis adimplet, ad peccata inclinat, portas Cœlorum occludit, impotentem reddit, & invalidum ad resistendum tentationibus Diaboli, Animam insuper tenebris, & caligine obfuscat, nisique illud ei dimittatur, æterna Felicitate privat. Cum itaque Peccatum Originale usque adeo DEO sit adversum, Hominemque abjectum, & deteriorem reddat; nemo Christianus credat, Dominum JESUM, dilectissimam suam Genitricem MARIAM in tantas fœdissimi Peccati sordes, & in Iram DEI cadere permisisse, quando arctius, magisque Matrem suam dilexit CHRISTUS, quam unquam aliquis Filius in universo Mundo.)

180. Vivacius, & uberius Originalis Peccati fœdam imaginem, ad eundem scopum describit Ven. Petrus Canisius, in profligandis Germaniæ Sectariis Eckio non impar, *libro primo de Maria Deipara Capite V.* (*n*) „ Fons, *inquit*, & caput vitiorum omnium, quæ in Homines cadunt, Originis Peccatum est; idque Hominem nobilissime a DEO creatum, & in summa dignitate, pulcherrimaque justitiæ possessione collocatum, Divina Gratia spoliat; ac in eam calamitatem detrudit, ut statim ille ab ipso conceptu fiat immundus, & natura sit filius iræ, peccati servus, morti obnoxius, sed & hujus Mundi Principi Satanæ subditus;

(f) *In Johan. num. 1. col. 589. par. 1. tom. 3.*
(g) *Ad Ephes. 2. 3.*
(h) *Cap. 24. num. 78. col. 706. tom. 10.*
(i) *Cap. 9. num. 27. col. 677.*
(k) *Serm. in Fer. 4. Hebdom. Sanctæ, seu Pænosæ num. 6. col. 886. Primi Voluminis.*
(l) *Prima parte Sermonis col. 1322. tom. 3. ejus Operum.*
(m) *Initio fol. 24. pag. 2. tom. 3. Homiliarum suarum latinè editarum* Parisiis an. 1549.
(n) *Col. 53.*

„ subditus ; ac demum, sive Corpus ejus, si- „ ve Animam spectes, a primævo illo statu, „ qui Adam adhuc innocenti contigit, in alium „ longe deteriorem commutatus. Hoc nimi- „ rum *grave jugum* &c. quod idem Humani „ Generis Princeps Adam, quum DEI pactum „ inobedientia sua rescinderet, suis Liberis, & „ Posteris omnibus imposuit. Hæc dura servitus, „ ex qua nullus in libertatem seipsum asserere „ possit. Hæc tetra, & pestilens Macula, quæ „ cujusque, ex Patre, & Matre procreatæ Pro- „ lis, Animam obscurat, deturpat, corrumpit, „ atque adeo mortem adfert. Hæc sæva pla- „ ga, quam omnes quidem sentire possu- „ mus, satis autem deplorare nequimus. Hinc „ ille Tyrannus Carnis, lex membrorum, fo- „ mes peccati, languor naturæ, pabulum mor- „ tis, sine quo nemo nascitur, sine quo nullus „ moritur. „

181. Cum igitur ista omnia, quæ de Originalis Peccati enormitate tam celebres Viri scripserunt, non oratoriæ exaggerationes sint, sed Veritates Catholicæ, ex iis, quæ de tali peccato docet Fides, sponte manantes; quis ibit inficias, gravissimam esse quæstionem, fueritne a tanto Malo Immunis Sanctissima DEI Genitrix?

182. Quid leve profecto non est, DEI Matrem a violatione Claustri Virginalis, a doloribus, & sordibus in partu, a putredine, & resolutione corporis, ab inordinatis concupiscentiæ motibus, atque ab omni penitus Actuali Peccato, etiam Veniali levissimo, Immunem prædicare. I nunc, & dicito, quid leve futurum, eandem Sanctissimam DEI Matrem ab Originali Peccato, quod longe deterius malum est, Immunem asserere.

183. Est quidem Veniale Peccatum, (de quo solo scrupulus esse posset,) in ratione Voluntarii magis grave, quam Originale; illud enim propria, & Personali Voluntate committitur; hoc aliena Originis Voluntate contrahitur. At in ratione Mali, immane quantum distat Veniale Peccatum ab Originali! Hoc Peccatum revera Lethale est, quippe Mors est Animæ, dirimit Amicitiam Divinam, privatque Hominem Gratia Sanctificante, & jure ad Æternam Gloriam: quos pravos effectus nulla Venialia Peccata, quantumcunque multiplicentur, ex se præstare valent. Censet Jacobus Granado, (*o*) *Originale Peccatum esse absolute, & simpliciter gravius Veniali, & solùm secundum quid ab hoc superari.* Sed data distinctio est conformis doctrinæ Divi Thomæ, (*p*) eoque utitur Cardinalis Bellarminus (*q*).

184. Quod autem B. Virgo recte eligere non potuisset aliquod Veniale Peccatum, ne contraheret Originale; id non provenit ex majori gravitate Venialis præ Originali; sed quia in nullo eventu fas est, propria voluntate consentire in Peccatum ullum, adhuc levissimum, cujuscunque mali avertendi gratia, etiamsi ageretur de periculo damnationis æternæ.

185. Verumtamen si B. Virgini data fuisset optio eligendi Præservationem, vel ab Originali Peccato contrahendo, vel a patrandis Peccatis Venialibus: eligere potius debuisse videtur Gratiam præservantem ab Originali, quàm a Venialibus; etsi oppositum sustineat Johannes Cardinalis de Lugo. (*r*) Nam si licite potest, & debet quis subire aliquando certum periculum peccandi venialiter, ut satisfaciat debito sui muneris, vel caritatis; cur non etiam, ut vitet inimicitiam DEI, & servitutem Diaboli, quam secum fert Originale Peccatum? Nec verum est, (quod ait de Lugo,) detrimentum illud contrahendi Peccatum Originale per unum instans non videri esse tanti ponderis, ut flagrans amor DEI, & odium offensæ non magis fugiat, & horreat certum periculum actu offendendi DEUM per Veniale Peccatum. Maximum enim detrimentum est, adhuc per unicum instans, habere DEUM inimicum, & infensum; & insuper esse sub potestate, & dominatu Diaboli.

186. Cæterum, quidquid sit de Electione B. Virginis; adhuc verum est, longe gravius Malum futurum B. Virgini Originale Peccatum, quam Veniale semel commissum. Credendum igitur est, DEUM ipsum, (in cujus manu erat alterutram, vel utramque Præservationem eligere,) pro sua erga B. Virginem inæstimabili dilectione, magis sollicitum fuisse, (ut more nostro loquamur) de removenda a B. Virgine fœdiori macula Originalis Peccati, quam de abigendis levibus maculis Venialium Peccatorum. Quoniam ergo certo scimus, DEUM ab omni Veniali Culpa Matrem suam dilectissimam præservatam voluisse; recte asserimus, quod & ipsam ab Originali Culpa voluerit præservatam. *Estne, putatis,* [ajebat D. Anselmus, seu potius Eadmerus ejus Discipulus, (*s*)] *ulla mens Hominis, quæ modum hujus dilectionis, quam DEUS ad hanc Virginem habuit, queat penetrare?*

Pretium Gratiæ Sanctificantis.

187. Alterum hoc est præsentis Causæ Momentum, unde ejus gravitas non minus clare deprehendi potest. Quàm vero inæstimabile sit Sanctificantis Gratiæ Pretium ex Scripturis, & Patribus aperte colligimus.

188. De hac Gratia ait Sapiens: (*t*) *Et præposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum &c. Infinitus enim est Thesaurus Hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt Amicitiæ DEI.* De hac Gratia Cantic. cap. 8. v. 7. dicitur: *Si dederit Homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* De hac Gratia scribit Apostolus: (*u*) *Si linguis Homi-*

(o) *In 1. 2. Controver. 6. de Peccatis Tract. 8. disp. 2. sect. 4.*

(p) *In Quæstionib. disputatis de Malo quæst. 5. de Pæn. Pecc. Orig. ar. 1. ad 9. fol. 138. tom. 8.*

(q) *Lib. 4. de Amiss. Gratiæ &c. cap. 10. nu. 6. pag. 131.*

(r) *De Virtute, & Sacram. Pænit. disp. 5. sect. 4. a n. 63.*

(s) *Lib. de Excell. B. V. Mariæ cap. 4. pag. 137. col. 2. Operum* Eadmeri, *quæ annexa sunt Operibus D. Anselmi.*

(t) *Sapient. cap. 7. v. 8. & seqq.*

(u) *1. ad Corinth. cap. 13.*

Hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia &c.; Caritatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. Caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest &c.

189. Sed nihil est, quod æque Gratiæ Sanctificantis Pretium commendat, quàm duplex CHRISTI Domini Responsum. Piæ cuidam Mulieri in eam vocem erumpenti: *Beatus Venter, qui te portavit, & Ubera, quæ suxisti*; reposuit: *Quin immo Beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud.* (x) Et alii dicenti sibi: *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris stant, quærentes te*: respondit: *Quæ est Mater mea, & qui sunt Fratres mei? Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est; ipse meus Frater, & Soror, & Mater mea est.* (y) Quibus verbis indicare voluit, Sanctificantem Gratiam, quæ *Filiatio* DEI adoptiva est, æstimandam pluris esse, quàm naturalem Filii DEI *Maternitatem*, per se seorsum consideratam: ut plures Patres exponunt apud P. Sebastianum Barradam Soc. Jesu *Tomo* II. *Commentariorum in Evangelia libro* VIII. *cap.* 21.

190. Ut cæteros præteream, D. Augustinus pluribus in locis hanc interpretationem exequitur. Commentario in Johannem (z) „ Hoc est, *inquit*, dicere: Et Mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia Verbum DEI custodit: non quia in illa Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis; sed quia custodivit ipsum Verbum DEI, per quod facta est, & quod in illa Caro factum est. „ *Libro de Sancta Virginitate:* Et (a) Beatior ergo Maria percipiendo Fidem CHRISTI, quàm concipiendo Carnem CHRISTI. Nam & dicenti cuidam &c. Denique Fratribus ejus, idest secundum Carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic & materna propinquitas nihil MARIÆ profuisset, nisi felicius CHRISTUM corde, quàm carne gestasset. „ *Et Epistola ad Lætum*: (b) Ita optimus Magister, atque Divinus, & maternum nomen, quod ei quasi privatum, propriumque nuntiaverant, quia terrenum erat in comparatione Cœlestis propinquitatis, abjecit; & eandem Cœlestem propinquitatem in Discipulis suis commemorans, quo sibi rursum consortio generis cum cæteris Sanctis Virgo illa cohæreret, ostendit. „

191. Augustinum imitatus Ven. Beda, Commentario in Lucam, (c) Pulchre, *inquit*, Salvator attestationi Mulieris annuit, non eam tantummodo, quæ Verbum DEI corporaliter generare meruerat, sed & omnes, qui idem Verbum spiritaliter auditu fidei concipere, & boni operis custodia, vel in suo, vel in proximorum corde parere, & quasi alere studuerint, asseverans esse Beatos: quia & eadem DEI Genitrix, & inde quidem Beata, quia Verbi incarnandi Ministra facta est temporalis; sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna. „

192. Utrique adjungendus est gravis, & pervetustus Auctor *Responsionum ad Orthodoxos &c.* (d) qui verba illa CHRISTI, in ipsius B. Virginis laudem sic interpretatur: „ Non ita locutus est, quasi Matrem privaret honore debito, sed quia ostendit, quanam Maternitate Beata dici debeat Virgo. „ *Et paulo post:* „ Et quia non quamlibet Fœminam elegit DEUS, quæ CHRISTI Mater fieret, sed omnium Fœminarum virtutibus excellentissimam; propterea CHRISTUS volebat, ob hanc virtutem prædicari Matrem suam, per quam virtutem illa id assecuta fuisset, ut Virgo Mater fieret. „

193. Animadvertendum tamen est cum P. Suarez, (e) in iis locis, in quibus Filiatio DEI adoptiva præfertur Maternitati CHRISTI: comparationem non institui cum Dignitate Matris DEI, moraliter considerata, prout hæc includit omnia, quæ quodammodo ex natura rei, & secundum ordinem Divinæ Sapientiæ, ipsi debentur. Hac enim ratione Dignitas Matris DEI proculdubio altior est Dignitate Filii adoptivi, omnique alia Dignitate, quæ sit infra Dignitatem Hominis DEI. Ut enim D. Thomas docuit, (f) *B. Virgo ex hoc, quod est Mater DEI, habet quandam Dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est DEUS.* Fit ergo comparatio cum Maternitate DEI, physice considerata, separatim ab aliis Gratiæ donis, quæ ipsam comitantur, ita ut sensus sit: Si Dignitas Matris absque Gratia, & Filiatione DEI adoptiva futura esset, multo melius, & eligibilius foret, Filium adoptivum DEI esse, quàm Matrem.

194. P. Johannes Martinez de Ripalda, (g) innumeris Patrum testimoniis, suadere conatur, ipsammet DEI Maternitatem, seorsum a Gratia habituali, esse formam per se sanctificantem, Filiationemque DEI adoptivam. Verùm hæc opinio singularis est, & ægre componi posse videtur cum citatis CHRISTI Domini verbis, juxta laudatorum Patrum expositionem. Omnia autem illa Patrum testimonia, quæ producit Ripalda, planissime intelliguntur vel de Maternitate DEI, moraliter considerata; vel de altissima Sanctitate, quæ in DEI Maternitate, velut in radice continetur.

195. Hoc itaque perpenso Gratiæ Sanctificantis Momento; statim apparet, quanti ponderis sit quæstio illa, ubi agitur, an B. Virgo tali, tantoque bono privata fuerit in primo suæ Conceptionis instanti, in quo Gratiâ maxime indigebat, ut nobilem potius, & gratiosam apud DEUM,

(x) Lucæ *cap.* 11. *v.* 27. *& seq.*
(y) Matth. *cap.* 12. *v.* 47. *& seq.*
(z) *Tract.* 10. *num.* 3. *col.* 369. *part.* 2. *tom.* 3.
(a) *Cap.* 3. *col.* 342. *tom.* 6.
(b) *Epist.* 243. (*al.* 38.) *col.* 870. *to.* 2.
(c) *Lib.* 4. *cap.* 49. *in cap.* 11. Lucæ *col.* 341. *tom.* 5. *edit.* Colon. Agrip. an. 1612.
(d) *Ad quæst.* 136. *pag.* 334. *Oper.* S. Justin. Matt. edit. Basil. an. 1555. *Hujus Operis Auctorem, aliqui censent fuisse Justinum Episc. in Sicilia, qui claruit* an. 483. *sub Felice III. vide* Guliel. Cave *ad* an. 140. *pag.* 38. *&* Antonin. Mongitore *in Biblioth. Sicula.* V. Justinus *pag.* 417. *tom.* 1.
(e) *Tom.* 2. *in* 3. *par. disp.* 1. *sect.* 2.
(f) 1. *Par. quæst.* 25. *art.* 6. *ad* 4.
(g) *Tom.* 2. *de Ente Supernat. disp.* 79. *per totam.*

DEUM, quàm infamem, & odioſam Originem ſortiretur. Nemo eſt vel leviter eruditus, qui ignoret, quanti momenti res fuerit in Eccleſia Catholica, veram, & realem DEI Maternitatem B. Virgini adjudicare: Quidni ergo res erit magni momenti, Filiationem DEI adoptivam eidem B. Virgini, cùm primum concepta eſt, adſerere?

196. Juxta ſermonem CHRISTI, & interpretationem Patrum, melius & optabilius B. Virgini fuiſſe videtur, concipi Filiam Adoptivam DEI, & non Servam Diaboli; quàm concipere Hominem Filium DEI naturalem, & eſſe Dominam Angelorum. Unde Antonius Cordubenſis, (*h*) laudatus a P. Suario, (*i*) merito dixit, quod ſi B. Virgini data fuiſſet optio, utrum potius vellet, concipi in Gratia, & abſque Peccato, quàm eſſe Matrem DEI; illud potius, quàm hoc eligere debuiſſet: quia magis eſt deteſtanda culpa, quàm quodlibet aliud malum, ſeu quàm privatio cujuſcumque boni. Addunt alii, B. Virginem ſui etiam Corporis Integritatem, ſeu Virginitatem Maternitati DEI fuiſſe præpoſituram; quanto ergo magis Animæ ſuæ illibatam Integritatem? Sed iſtud non eſt adeo firmum, cum potius oppoſitum late defendat ibidem memoratus Cordubenſis.

197. Accedit, quod quantitas Gratiæ Sanctificantis, quæ B. Virgini in ſui Conceptione denegaretur, digne a nobis æſtimari non poteſt. Graves Theologi (*k*) cenſent, Gratiam a DEO ipſi collatam in prima Sanctificatione, uberiorem fuiſſe, quàm ſupremam Gratiam, in qua conſummantur, hoc eſt ad quam per merita ultimo pertingunt, cæteri Sancti, Angeli, vel Homines ſingillatim; ita ut ſi B. Virgo in ſequenti inſtanti, priuſquam quicquam mereretur, deceſſiſſet, majori gloria præfulſiſſet, quàm ſupremus Angelus. Et ad id merito accommodant, quod de Civitate DEI ſcriptum eſt *Pſalmo* LXXXVI. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis.* Etenim B. Virgo fuit revera Civitas DEI, in qua DEI Filius per novem menſes corporaliter habitare dignatus eſt. Myſtica igitur hujus Civitatis fundamenta, hoc eſt prima Gratia B. Virgini attributa, in Montibus Sanctis, hoc eſt ſupra ſummum Gratiæ verticem aliorum Sanctorum eminebat: quia nimirum in ea natus eſt, qui *fundavit eam, Altiſſimus* Filius DEI.

198. Eandem primæ Gratiæ Marianæ quantitatem colligit S. Vincentius Ferrerius ex verbis illis *Pſalmi* XLV. *Fluminis impetus lætificat Civitatem DEI.* Hanc enim Civitatem, B. Virginem ſimiliter intelligens, (*l*) *Totum*, inquit, *Flumen Divinarum Gratiarum effuſum eſt ſuper eam in Sanctificatione. In Sanctificatione aliorum Sanctorum infunditur una gutta Gratiæ Divinæ, quia unus Sanctus habuit unam guttam Gratiæ, alius aliam &c.* Etſi namque ſolum comparat primam Gratiam Virginis cum prima Gratia aliorum Sanctorum; cum tamen dicat, primam Virginis Gratiam fuiſſe inſtar Fluminis effuſi Divinarum Gratiarum, ſentire videtur, illam ſuperaſſe aliorum Sanctorum Gratiam, etiam conſummatam.

199. Hæc certe fuit mens D. Thomæ, cùm 3. *Parte quæſt.* 27. *art.* 5. de prima B. Virginis Sanctificatione loquens, abſolute, & indiſcriminatim docuit, quod ipſa *præ cæteris majorem debuit a* CHRISTO *Gratiæ plenitudinem obtinere*; ut contra Cajetanum obſervat Bartholomæus Medina in hunc locum, & ratio ipſa, qua utitur S. Doctor, id ſuadet: *Quia*, inquit CHRISTUS, *eſt principium Gratiæ, ſecundum Divinitatem auctoritativè; ſecundum Humanitatem vero inſtrumentaliter. Beata autem Virgo Maria propinquiſſima Chriſto fuit ſecundum Humanitatem.* Nec refert, quod tunc nondum haberet Virgo eam propinquitatem: ſatis eſt, quod habuerit ordinem ad illam ex Divina Prædeſtinatione. *Antequam de illa natus eſſet*, [inquit D. Auguſtinus (*m*)] *in Prædeſtinatione noverat Matrem; & antequam ipſe DEUS crearet, de qua Homo ipſe crearetur, noverat Matrem.*

CONSUMMATA B. VIRGINIS GRATIA, ET GLORIA.

200. TErtium hoc præſentis Cauſæ Momentum in eo fundamus, quod ſi Beata Virgo, in primo vitæ ſuæ inſtanti, Gratia Sanctificante deſtituta fuiſſet; ejus Gratia Conſummata, & Gloria longe minor foret; ingentique Gratiæ, & Gloriæ cumulo *Regina Sanctorum omnium* fraudaretur. Quod, quàm grave ſit, nemo non videt.

201. Id ut evincam: Statuo primo, B. Virginem a ſui prima Sanctificatione rationis uſu continenter potitam fuiſſe, cujus beneficio, per virtutum actus jugiter apud DEUM mereri potuit. Hoc nec pauci, nec vulgares Theologi ſuſtinent, (*n*) eodemque argumento probant, quo, poſt D. Bernardum, uſus eſt D. Thomas, ut probaret, B. Virginem in Utero ſanctificatam fuiſſe, videlicet: *Rationabiliter creditur, ut illa, quæ genuit Unigenitum a Patre, plenum Gratiæ & Veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia Gratiæ acceperit. Invenimus autem cuidam alii*, videlicet Johanni Baptiſtæ, *hoc privilegialiter eſſe conceſſum*, quod in Utero Matris acceleratum habuerit rationis uſum, per quem erga CHRISTUM præſentem Fidei, Spei, & Caritatis actibus mirifice affectus eſt, ſeque ad Sanctificationem recipiendam paravit.

202. Quod Johannes, intra materna Viſcera clauſus, CHRISTUM Dominum in B. Virginis Utero latentem agnoverit per fidem, & ob id lætitia geſtiverit; palam indicaſſe videtur Mater ejus Elizabeth, (*Lucæ* 1.42.) cùm dixit: *Ecce enim ut facta eſt vox Salutationis tuæ in auribus*

(h) *In Quæſtionario* Theolog. *quæſt.* 49. *prope finem pag.* 399. edit. Venet. an. 1604

(i) *Diſp.* 3. *ſect.* 5. §. Sexta ratio.

(k) Barthol. Medina *in Expoſit. in* 3. *par. D. Th. quæſt.* 27. *ar.* 5. Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 1. §. Quarto addo. Raynaudus *in Dypthichis Marian. par.* 2. *punct.* 2. *n.* 56. *pag.* 159. *tom.* 7.

(l) *Sermone* 1. *de Nativit. B. M. V. Par.* 3. *Sermonum de Sanctis. pag.* 357. *edit.* Lugdun. an. 1558.

(m) *Tract.* 8. *in* Johan. *num.* 9. *col.* 338. *Par.* 2. *tomi* 3.

(n) Suarez *tom.* 2. *in* 3. *par. diſp.* 4. *ſect.* 7. & 8. Vaſquez *ibid. diſp.* 119. *cap.* 3. Raynaud. *in Dypthichis Marian. par.* 2. *pun.* 2. *num.* 52. & *ſeq. pag.* 158. *tomi* 7. & *alii plures.*

bus meis, exultavit in gaudio Infans in Utero meo. Atque ita hæc verba intellexerunt gravissimi, & antiquissimi Patres, Origenes *in caput* 1. *Lucæ*, (*o*) S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi tertia*, (*p*) Sancti Johannes Chrysostomus, & Theodorus Studites *orat. in Natali S. Johannis*, (*q*) S. Hieronymus *in Epist. ad Demetriadem*, (*r*) S. Ambrosius *libro secundo* in Lucam, (*s*) *& libro quarto de Fide*, (*t*) S. Petrus Chrysolog. *serm. de Annunciat. S. Johannis*, (*u*) S. Maximus Episcopus Taurinensis *homilia prima in Nativit. S. Johan.* (*x*) Paulus Diaconus Aquilejensis *in Hymno Ecclesiastico*, qui canitur ad Vesperas de Nativitate S. Johannis Baptistæ. Nec omnino dissentit D. Augustinus in Epistola, *num.* 126. citata, ad Dardanum, sed potius consentit sermone in Natali S. Johan. Bapt. (*y*) Ubi ait: *Johannis ipsa Nativitas Dominum Christum prophetavit, quem conceptum, ex Utero salutavit.* Illum autem rationis usum non fuisse in Johanne transeuntem, sed permanentem, & ratio ipsa suadet, quia *sine pœnitentia sunt Dona DEI*; & aperte significant Origenes, & D. Ambrosius *loc. cit.*

203. Exorbitavit ergo Johannes Gerson, Auctor alioqui gravissimus, (*z*), ubi Temeritatis notam inurit ei, qui dixerit: *Rationis usum B. Virgini in sua Conceptione, vel Nativitate indultum fuisse.* Estne temerarium, quod de Rationis usu, Johanni Baptistæ in visceribus Matris donato, tot, & tam graves Patres tradiderunt? An vero temerarium est, tribuere CHRISTI Matri privilegium, quod, ad ipsius præsentiam, & salutationem, CHRISTI Prodromo concessum est? Scio, D. Thomam in *Summa* (*a*) negasse B. Virgini anticipatum usum liberi arbitrii, quòd hæc anticipatio fuerit CHRISTO propria. At cum ipse in *Catena aurea super Evangelia*, (*b*) D. Ambrosium, & Græcum Anonymum laudet, in Johanne nondum nato, cognitionem, & fidem CHRISTI admittentes; ne suo illi principio discors reperiatur, exponendus est de usu liberi arbitrii quaquaversus perfecto, qualis fuit in CHRISTO.

204. Statuo secundo, B. Virginem per omnes, & singulos actus humanos, quos in tota vita sua mortali exercuit, augmentum Gratiæ, & Gloriæ meruisse; ita ut nullus ejus actus fuerit otiosus & fructu vacuus. Hoc tradit Albertus Magnus in quæstionibus super *Missus est &c.* (*c*) ubi multipliciter probat, quod *B. Virgo quolibet motu liberi arbitrii ad agendum, vel patiendum, merebatur*; quia: *ejus intellectus semper erectus fuit in Summum Bonum, & omnia fecit propter Optimum.* Alberto adhæserunt S. Antoninus, Florentinus Archiepiscopus, *Tomo* 4. *Summæ Theologicæ* (*d*) & Bernardinus de Busto *parte quarta Marialis* (*e*) quod Alexandro VI. Summo Pontifici dicavit. Præluxit vero S. Odilo Abbas Cluniacensis, (qui obiit anno 1048.) in sermone *de Assumptione* (*f*) ubi nihil hæsitans dixit: *Unum profecto scimus, quia omnis ejus vita intenta semper fuit in Domino.* Et non est inverisimile, quod ex S. Bernardino Senensi, Ruperto Abbate, Dionysio Carthusiano, immo & D. Ambrosio, addit Pater Suarez, (*g*) nimirum B. Virginem ne somno quidem fuisse impeditam, quo minùs sanctis cogitationibus, & affectibus DEO vacaret.

205. Statuo tertio, B. Virginem cooperatam semper fuisse Divinæ Gratiæ, quantum poterat, juxta mensuram ipsius Gratiæ sibi collatæ. Quare cùm DEUM amabat, semper operabatur ex tota efficacitate Caritatis, & Gratiæ, tam habitualis, quam actualis, seu moventis; ac proinde actus amoris DEI eliciebat, respondentes mensuræ Habitus Caritatis, & Motionis Divinæ. Si enim perfectus iste operandi modus Angelis Sanctis adscribitur, dum fuerunt in via; & in quibusdam etiam perfectissimis Viris, aliquandiu saltem, admittitur; Reginæ Angelorum, & Sanctorum omnium denegari non potest.

206. Statuo quarto, Majorem Gratiam Sanctificantem Operantis, ad majus Gratiæ, & Gloriæ augmentum promerendum conferre; non tantum *virtualiter*, ob majorem efficaciam Habituum infusorum, quibus Cooperans Homo quantum potest, virtutis actum elicit perfectiorem, magisque meritorium; verum etiam *formaliter*, ita ut qui majori Gratia præditus, recte operatur, cæteris paribus, majori præmio dignus sit. Hæc est communior Theologorum sententia, (*h*) quam non obscure tradidit D. Thomas, cum dixit: (*i*) *Quanto majori Caritate, & Gratia actus informatur, tanto magis est meritorius.* Quanam vero proportione, majus præmium Gratiæ, & Gloriæ respondeat majori Gratiæ Sanctificanti, vel virtutis actui magis perfecto; exploratum nobis non est. Non est inverisimile, quod opinantur P. Gregorius de Valentia, (*k*) & P. Adamus Tannerus, S. J. (*l*) cum Francisco Victoria *in Relectione de Augmento Caritatis*: videlicet per actum perfectissimæ Caritatis erga DEUM, tot gradus habitus Caritatis, & consequenter Gratiæ, & Gloriæ mereri Hominem, quot perfectionis gradus ipse actus habeat. In quam sententiam inclinat etiam P. Suarez. (*m*)

207. His itaque jactis veluti fundamentis, ex

(o) *Hom. 7. 9. & 10. pag. 138. & seq. Par. 2. suor. Oper.* edit. Paris. an. 1604.
(p) §. Quod siquis *pag. 483. col. 2. tom. 4. Biblioth. PP.*
(q) *Apud* Metaphrastem, *relatis a* Surio *tom. 3. de Vitis Sanctor. pag. 902. & 899.*
(r) *Epist. 97. col. 785. par. 2. tomi 4.*
(s) *Col. 22. tomi 3.*
(t) *Cap. 4. col. 175. tomi 4.*
(u) *Serm. 88. col. 233.*
(x) *Col. 650.*
(y) *Serm. 292. (al. 23.) de Sanctis col. 1168. tomi 5.*
(z) *In Tract. seu Epistola de Suscept. Humanitatis Christi Veritate 20. col. 453. tom. 1. suor. Oper.*
(a) *3. Par. quæst. 27. art. 3.*
(b) *In Cap. 1. Lucæ fol. 138. col. 1. tomi 15.*
(c) *Quæst. 135. & 136. a pag. 9. tom. 20.*
(d) *Titulo 15. cap. 20. §. 6. fol. 185. col. 3. edit. citat.*
(e) *Serm. 10. §. ult. de* Meritabilitate *fol. 119. col. 2. edit.* Lugdun. an. 1525.
(f) *Pag. 666. col. 1. tom. 17. Bibl. Max. VV. PP.*
(g) *Tom. 2. in 3. par. disp. 18. sect. 2.*
(h) V. Franciscum de Oviedo *in 1. 2. Tract. 9. de Merito Controvers. 5. pun. 2.*
(i) *In lib. 2. Sentent. distinct. 29. qu. 1. art. 4. fol. 96. col. 4. tom. 6.*
(k) *Tom. 3. disp. 3. quæst. 2. pun. 3. post 8. Assert.* §. Porro ex ea.
(l) *Tom. 2. Theol. Schol. disp. 6. de* Gratia. *qu. 6. dub. 5. num. 111.*
(m) *In Opusculis, disp. 2. sect. 3. de* Revivisc. Meritorum *num. 48. & multo magis disp. 18. cit. in 3. par. sect. 4.* §. Secundò, ut hoc.

ex defectu Gratiæ in primo instanti vitæ, ingens Gratiæ, & Gloriæ detrimentum B. Virgini obventurum fuisse, demonstro. Ut rem oculis subjiciam, ponamus, collatos fuisse B. Virgini in sua prima Sanctificatione octo gradus Gratiæ; & Gratiam crescere per merita cum proportione *subdupla* ad præcedentem Gratiam, ex qua, & cum qua quis operatur. Si B. Virgo in primo vitæ suæ instanti accepit a DEO primam illam Gratiam octonariam; in secundo instanti, ex illa, & cum illa Gratia, (quam ne ad momentum quidem reliquit otiosam) acquisivit per meritum alios quatuor gradus Gratiæ, & sic habuit duodecim gradus Gratiæ: in tertio instanti, ex ea, & cum ea duodenaria Gratia similiter merendo, lucrata est alios sex gradus Gratiæ, & sic obtinuit duodeviginti gradus Gratiæ; in quarto instanti, eadem proportione servata, lucrifecit novem, & consecuta est septem supra viginti gradus Gratiæ. Pari modo discurre per reliqua instantia.

208. At vero si B. Virgo primam illam octonariam Gratiam, nonnisi in secundo vitæ suæ instanti a DEO accepisset; in hoc secundo instanti, (in quo certe augmentum Gratiæ mereri non poterat) dumtaxat haberet illos octo gradus Gratiæ; in tertio instanti, in quo primum mereretur, solum obtineret duodecim gradus Gratiæ; in quarto, duodeviginti tantum; & sic de cæteris instantibus. Ecce quomodo, juxta contrariam sententiam, per singula instantia continenter minueretur augmentum Gratiæ, comparatione facta ad augmentum Gratiæ juxta Piam Sententiam. Quis autem Arithmeticus, post tot myriades myriadum instantium, totius detrimenti summam subducere valeat? Loquor autem de instantibus, non mathematice, sed physice consideratis, quæ nostris operationibus discerni queant, ne in insuperabiles *Continui* difficultates incidamus.

209. Hoc autem detrimentum eò enormius erit, quò uberior fuit prima Gratia B. Virgini collata. Quia eò majus esset per subsequentia instantia augmentum Gratiæ acquisitum per merita, juxta Piam Sententiam; quàm acquisitum, juxta contrariam sententiam, ut considerandi patebit. Quod si vera est opinio illa Valentiæ, & Tanneri; cum B. Virgo in tota via sua perfectissimos Caritatis actus jugiter elicuerit, fere duplo minor esset consummata Gratia, & consequenter Gloria B. Virginis, si in primo vitæ suæ instanti Gratia Sanctificante fuisset destituta.

210. Non absimili usus computatione, & in iisdem fundata principiis, multis præterea congruentiis, Patrumque testimoniis adjunctis; gravissimus Theologus, & Doctor Eximius, P. Franciscus Suarez (*n*) evincit, DEI Genitricem in fine vitæ pervenisse ad Summam, & pene immensam Gratiæ quantitatem: nec non assecutam verisimiliter fuisse plures gradus Gratiæ, quam sint in omnibus Sanctis, Angelis, & Hominibus; non solum divisim, (ut est certissimum;) verum etiam simul sumptis; ita ut si mente concipiamus, ex multitudine Gratiarum, quæ sunt in omnibus Sanctis, unam maximam, & perfectissimam conflari; hæc non adæquaret quantitatem, & perfectionem Gratiæ Marianæ. Unde tandem fit, DEI Genitricis Gloriam in Cœlo, supra omnes simul reliquos Cœlites, Angelos, & Homines cumulatius eminere. Istam Marianæ Gratiæ immensitatem minutatim calculare nititur Angelus M. Verricelli Cler. Regularis, (*o*) sed vereor, ne inverisimilia misceat.

211. Est autem mirum dictu Franciscum Suarez, cum adhuc esset Juvenis duorum supra viginti annorum, & nondum e Discipulatu dimissus; hac de re, Nullo præeunte, luculenter scripsisse, & in celebri Salmanticensi Academia gloriose disputasse. Sed & auditu jucundissimum est, ipsam DEI Genitricem ejusmodi lucubrationem tam acceptam, gratamque habuisse, ut addictissimo Clienti suo, P. Martino Guttierez, (qui illius conscribendæ Francisco Suasor, & Auctor fuerat,) præsens, & coram gratias agere non sit dedignata: quemadmodum refert, testis omni exceptione major, Ven. P. Ludovicus à Ponte, ejusdem temporis, ac loci notissimus Scriptor, in Vita P. Balthasaris Alvarez, Hispanice edita Matriti An. 1615. *cap.* XXVI. quam latine reddidit P. Melchior Trevinnius, & edidit Coloniæ Agrippinæ An. 1616. Quis pro Gloria tam Comis, tam Benignæ, tam Gratæ Cœlorum Reginæ, meritò pugnare non debeat?

ACTIO

(n) *Tom. 2. in 3. Par. disp. 18. sect. 4.*
(o) *Ad Calcem Quæstionum Moralium, & Legalium in quodam Parergo a pag. 490. edit.* Venetæ an. 1653.

ACTIO PRIMA, CAUSÆ IMMACULATÆ CONCEPTIONIS SS. Matris DEI MARIÆ Dominæ nostræ.

Sacræ Scripturæ Testimonia.

PROLUSIO.

1. NON pollicemur hoc loco Testimonium aliquod ex Scripturis Sacris nos allaturos, quod sit clarum, expressum, & indeclinabile pro Immaculato DEI Genitricis Conceptu. *Id enim*, [ait Bellarminus, (a)] *si facere possemus, non solum pie, & recte existimari hoc diceremus, sed pro Hæreticis haberemus, qui contra sentirent.* Sed numquid Adversarii aliquod hujuscemodi Testimonium pro Maculato Deiparæ Conceptu proferre valent? Minime gentium. Secus errasset Sedes Apostolica, Concilio Tridentino assentiente, declarans, (ut videbimus) *erroneum esse*, hæresis insimulare Piam Sententiam. Non alia ab ipsis Testimonia producuntur, nisi generalia quædam, ex quibus Originalis Macula in Humanum Genus ex Adæ Peccato transfusa colligitur; vel tantum virtualia, in quibus CHRISTI Redemptio, omnibus omnino necessaria fuisse prædicatur.

2. Hisce adversantibus in speciem Scripturarum Testimoniis congruam, immo & necessariam Expositionem dabimus. Sed operæ pretium est, in antecessum discutere, quid Faventibus Testimoniis, universè opponant Adversarii, ut nos illa fidentius exhibeamus. Sacræ, inquiunt, Scripturæ Testimonia, non nisi in Sensu Mystico, pro Pia Sententia allegari queunt: in quo genere reponunt ea omnia, quæ ex Cantico Canticorum produci solent. *At constans est*, ait Lampridius (b), *Ecclesiæ Catholicæ regula, e Litterali sensu, non verò e Mystico, & Symbolico, petendas esse veritates divinitus revelatas.* Ad quod comprobandum adduci solet D. Hieronymus *Comment. in Matthæum* (c) ubi, relata cujusdam Parabolæ interpretatione, subnectit: *Pius sensus, sed nunquam Parabolæ, & dubia Ænigmatum intelligentia, potest ad auctoritatem Dogmatum proficere.*

3. Hanc itaque oppositionem præoccupantes, Primo fatemur, multa Sacræ Scripturæ Testimonia, secundùm Sensum Mysticum in favorem Piæ Sententiæ allegari; sed addimus, hoc Sensu Mystico utiliter nos uti, si non ad certo concludendam, saltem ad illustrandam, & efficacius insinuandam Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem. Quemadmodum CHRISTUS Dominus (d), Evangelistæ (e), & Apostolus Paulus, (f) cum Judæis agentes, veteris Testamenti locis, in Sensu Mystico intellectis, utiliter usi sunt, non semper ad convincendum incredulos, sed multoties ad Fidei nostræ declaranda mysteria, eorumque veritatem plausibili quadam ratione suadendam: ut adnotarunt P. Gabriel Vasquez (g), & P. Ludovicus Molina (h).

4. Secundo asserimus, non pauca ex iis Scripturarum Testimoniis, quæ pro Pia Sententia proferemus, non in Sensu Mystico, sed in sensu aliquo Litterali a nobis allegari, si non ita clare, ut evidenter convincant; valde congruenter ad Piam Sententiam persuadendam. Utrumque explicemus, & præmonstremus.

De Mystico Sacræ Scripturæ Sensu.

5. CUm Litteralis Sacræ Scripturæ sensus sit ille, qui verbis proxime significatur; Sensus Mysticus est, qui rebus, per Scripturæ verba significatis, denotatur. Certum porro est, hunc Sensum Mysticum, (si vere Mysticus sit, & non mere accommodatitius,) non minus, quàm litteralem, esse verum, proprium, & genuinum Sacræ Scripturæ Sensum, ab ejus Auctore primario Spiritu Sancto peræque intentum; atque adeo per se spectatum ejusdem esse auctoritatis, & efficaciæ. Scriptura namque Divina est liber ille Ezechielis *cap.* 2. *v.* 9. *scriptus intus, & foris:* hoc est *Intus, per spiritualem intellectum, Foris autem, per sensum litteræ*; ut exponunt S. Hieronymus (i), & S. Gregorius Magnus (k).

6. At quia verborum significatio, utpote pendens ex humana institutione, vel consuetudine, (cui DEUS se accommodat in Scripturis,) est nobis plerunque nota; secus vero rerum significatio, quæ ex solo arbitrio Spiritus Sancti pendet; idcirco ex Sensu Litterali certiora, & evidentiora,

(a) *Lib.* 4. de Amiss. Gratiæ, & Statu Peccati, *cap.* 15. *num.* 12. *pag.* 140. *tom.* 4.
(b) *Cap.* 2. *pag.* 18.
(c) *In cap.* 3. *Matth. col.* 57. *tom.* 4.
(d) Matth. 12. 40. Johan. 3. 14.
(e) Matth. *cap.* 2. *vers.* 15. 17. *cap.* 13. *v.* 35. Johan. *cap.* 19. *v.* 36.
(f) *Ad Gal. cap.* 4. *vers.* 2. *& seqq. & ad Hebr. cap.* 9.
(g) *Tom.* 1. *in* 1. *Par. disp.* 14. *cap.* 4. *nu.* 9. *& disp.* 16. *cap.* 5. *num.* 18.
(h) *Commentar. in* 1. *Par. disp.* 5. *in quæst.* 1. *art.* 10.
(i) *Lib.* 1. *Comm. in Ezechiel. cap.* 2. *col.* 712. *tom.* 3.
(k) *Lib.* 1. *in Ezechiel. hom.* 9. *nu.* 30. *col.* 1261. *tom.* 1.

dentiora, ut plurimum ducuntur a nobis argumenta, quam e Senſu Myſtico. Cæterum ſi palam conſtaret de Senſu Myſtico, ſicut de Litterali; perinde unus, ac alter ſenſus foret efficax ad arguendum, dum uterque Auctorem habeat Spiritum Sanctum, ut modo dicebamus.

7. Conſtare autem nobis poteſt de aliquo Senſu Myſtico, ut ait Vaſquez *loco cit.* ſi vel in alio Scripturæ loco explanetur, vel communi Patrum, aut Eccleſiæ conſenſu tradatur, vel evidenti ratione colligatur: Sicut ex illo Deuteronomii xxv. 4. *Non alligabis os bovis triturantis*, colligit Paulus 1. *Cor.* Ix. 9. & 10. *Miniſtros Eccleſiæ alendos eſſe*, ſic arguens: *Numquid de bobus cura eſt DEO? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos hæc ſcripta ſunt.*

8. Si ergo Senſum Myſticum eorum Textuum, quos pro Pia Sententia proferemus, vel ab alio Scripturæ loco inſinuatum, vel a quibuſdam Patribus, aliiſve ſeveris Expoſitoribus traditum, vel optima etiam ratione comprobatum habemus; negari, niſi pertinaciter, non poteſt, ejuſmodi Teſtimoniis in Senſu Myſtico intellectis, Immaculatum DEI Genitricis Conceptum mirifice illuſtrari; &, ſi non omnino evinci, ſaltem piis, atque ingenuis mentibus ſuaderi. Quod eo maxime verum eſt, quia ex communi Patrum Sententia, B. Virginem, in plurimis Veteris Teſtamenti locis, myſtice deſignatam, & præfiguratam eſſe novimus. Ne temere id dictum putes, quoſdam ex iis Patribus accipe.

9. S. Andreas, Cretenſis Archiepiſcopus, ſeptimo ſæculo clarus, B. Virginem ſic alloquitur: (*l*) „ De Te cecinerunt Spiritus omnes „ Interpretes. Primus Moyſes Te Rubum videns, olim ait &c. (*Exod.* 3. 5.) Pro Te David CHRISTO ſupplicabat: (*Pſ.* 131. 8.) *Surge Domine, tu, & Arca Sanctificationis tuæ.* De Te idem, tuum præfigurans exitum, quondam pſallebat: (*Pſal.* 44. 13.) *Vultum tuum deprecabuntur omnes Divites Plebis.* Te ſacer Canticorum liber præſcribens, occultius indicavit: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit e Deſerto.* (*Cant.* 3. 6.) De Te rurſus idem ipſe liber olim ſcripſit, dicens: *Ecce lectulus Salomonis &c.* (*ibid. v.* 7. & *v.* 11.) Te prævidens Iſaias, Divino inſtinctu clamavit: *Ecce Virgo concipiet &c.* (Iſa. *cap.* 7. *v.* 14) Tui gratia pronuntiavit Magnus Ezechiel: *Ecce Porta Orientalis, & erit Porta clauſa &c.* (Ezech. *c.* 44. *v.* 1.) Sed & Vir ille deſideriorum, Te prophetans, *Montem* appellavit &c. (Daniel. *cap.* 9. *v.* 23.)

10. S. Germanus, Epiſcopus CP. ineuntis ſæculi octavi Scriptor, (*m*) Nec plane, *inquit*, „ quidquid dixerimus dilectiſſimæ epithalamium, „ hymnum ipsâ dignum cecinerimus, ni flores e Scripturæ pratis Myſtice colligentes, nexuerimus encomiorum corollam. Neque enim, ſiquis univerſam percurrat a DEO inſpiratam Scripturam, fieri poterit, ut paſſim non videat variis titulis diſſeminatas ad ſignificandam eam voces, (*aliàs* variis nominibus adumbratam) quas ſi tecum induſtriè perpenderis, deprehendes expreſſius, quanta eam Gloria cumulavit DEUS. „

11. S. Johannes Damaſcenus, S. Germani æqualis: (*n*) „ Tu Spiritualis Eden extitiſti „ (*Mariam affatur*) antiquâ illâ ſanctior, & divinior &c. Te Arca illa, quæ ſecundi Mundi ſemina conſervabat, adumbravit &c. Te Rubus delineavit, Tabulæ divinitus perſcriptæ ſignificârunt, Legis Arca prænunciavit; Urna, & Candelabrum, & Menſa, & Virga Aaronis, quæ floruit, aperte præfigurarunt &c. Quid? An non Te Fornax illa deſignavit, quæ ignem, ſimul & refrigerantem, & inflammantem oſtendebat, divinique illius ignis in Te habitantis Typum gerebat? Nam tabernaculum quidem Abrahæ Te apertiſſime indicabat. Parum abſuit, quin me Jacobi Scala præteriret. Quid enim? An non perſpicuum eſt, eam Te præſignaſſe, & figuraſſe? Ubinam porro Prophetarum præconia collocabimus? An non ea ad Te referemus, ſiquidem vera ipſa demonſtrare, nobis cordi ſit. Quodnam enim eſt illud Davidicum Vellus, in quo Regis omnium, ac DEI Filius.... pluviæ inſtar deſcendit? An non Tu perſpicue? Quænam item Virgo ea, quam Iſaias prophetico ſpiritu Filium concepturam, ac parituram prædixit? &c. Jam quid de illo Danielis Monte dicam, ex quo Angularis Lapis CHRISTUS ita abſciſſus eſt &c. Veniat jam Ezechiel, ac portam clauſam oſtendat, peragratam a DEO, nec tamen apertam &c. „

12. S. Bernardus, duodecimi ſæculi Scriptor Mellifluus: (*o*) „ Miſſus eſt Angelus ad Virginem .... nec noviter, nec fortuitu inventam, ſed a ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam, ab Angelis ſervatam, a Patribus præſignatam, a Prophetis promiſſam. Scrutate Scripturas, & proba, quæ dico. Viſne, ut ego aliqua ex his Teſtimonia hic inſeram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixiſſe DEUS videtur, quandò ad Serpentem ait: *Inimicitias ponam &c.* Quam vero aliam Salomon requirebat, cum dicebat: *Mulierem fortem quis inveniet &c.* Quid deinde Rubus ille quondam Moſaicus portendebat, flammas quidem emittens, ſed non ardens, niſi MARIAM parientem, & dolorem non ſentientem? Quid rogo, Virga Aaron florida, & non humectata, niſi Ipſam Concipientem, & Virum non Cognoſcentem. „

13. Auctor Sermonum ſuper *Salve Regina*, Bernardo Suppar: (*p*) „ Ipſa, Tabernaculum DEI, Ipſa Templum, Ipſa Domus &c. Ipſa Arca diluvii, Arca Teſtamenti, Urna Aurea, Ipſa Manna, Virga Aaron, Vellus Gedeonis, Porta Ezechielis, Civitas DEI: Ipſa Cœlum, Ipſa Terra, Ipſa Sol, Luna, & Stella Matutina, Aurora Ipſa, & Lucerna, Rubus, „ &

(*l*) *Orat.* 2. *in Dormit. S. Mariæ pag.* 660. *col.* 2. *tom.* 10. *Bibl. PP.*

(*m*) *Orat. in DEI Matris Natalem pag.* 27. *ſui Marialis per* Marracium.

(*n*) *Orat.* 1. *de Dormit. DEI Genitric. fol.* 350. *pag.* 2. *ejus Operum.*

(*o*) *Hom.* 2. *ſuper* Miſſus eſt, *a n.* 4. *col.* 737. & *ſeq. vol.* 1.

(*p*) *Ser.* 3. *n.* 2. *col.* 727. *vol.* 2. *Oper. D. Bernardi.*

„ & Mons, Fons quoque Hortorum, & Lilium „ Convallium &c. Et, ut breviter concludam, „ de hac, & ob hanc, & propter hanc omnis „ Scriptura facta est. „

14. Ut Cæteros prætaream, iis omnibus longe antiquior S. Methodius Episcopus, & Martyr, in Oratione de Simeone, & Anna, plures Veteris Testamenti Figuras de B. Virgine intelligit. *V. pag.* 417. *& seq. edit.* Gl. P. Francisci Combefisii.

15. Hac generali Patrum doctrina instructus S. Vincentius Ferrerius, in Sermone *de Conceptione Virginis Mariæ*, multiplices ipsius Conceptiones venuste distinguens, (q) *Quarta*, inquit, *Conceptio est Scripturalis. Sancta enim Scriptura, maxime Veteris Testamenti, tota gravida est, continens in se Cœlestia Mysteria &c. Sanctam Venerandamque præsentis Festi memoriam paucis quidem verbis Evangelista comprehendit, sed non paucâ Cœlestis Mysterii virtute gravidam reliquit. Cum ergo Virgo Maria in omnibus Libris Sacræ Scripturæ, & in omnibus Canticis, immo etiam in singulis versibus, directe, vel indirecte sit mystice contenta, patet ejus Conceptio Scripturalis.*

16. Quamobrem, sicuti D. Augustinus, loquens de Patribus Veteris Testamenti, dixit: (r) *Illorum Hominum non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse propheticam; totumque illud Regnum Gentis Hebræorum magnum quendam, quia & Magni cujusdam*, (scilicet CHRISTI) *fuisse Prophetam.* Ita & nos, ex laudatorum Patrum sententia, dicere possumus, illarum insignium Matronarum non tantum linguam, verum etiam vitam fuisse Propheticam; totumque illud Regnum Gentis Hebræorum Magnum quendam, quia & Magnæ cujusdam, (hoc est Matris CHRISTI) fuisse Prophetam.

17. Quis ergo non videat, quanta sit Mystici Sensus efficacitas ad singulares B. Virginis dotes eruendas? „ Si quædam principia, (ajebat P. Salmeron *Prolegom.* XIX. *in Evang.*) „ ut firma statuamus, quæ omni acceptione „ digna sunt, & ab Apostolo Paulo affirmantur: ut quod *omnia in figura contingebant illis* (1. *Cor.* 10. 11.) quod *umbram haberet lex* „ *futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* (*Hebr.* 10. 1.) Denique quod *omnia*, „ *quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam*, hoc est „ propter nos erudiendos, *scripta sunt:* (*Rom.* „ 15. 4.) Ex his, inquam, principiis efficaciter „ deducemus, prædictos locos, qui CHRISTO, „ & Ministris ejus (*quanto magis Matri ejus?*) „ accommodantur, quoad certitudinem, plurimum accedere ad litterales. „

De Litterali Sacræ Scripturæ Sensu Metaphorico.

18. Litteralis, & Historicus Sacræ Scripturæ sensus, non tantum is est, qui verbis propriis, & obviis denotatur; verum etiam qui translatis, & figuratis exprimitur: ut fere omnes Sacrarum Litterarum Interpretes advertunt. (s) Quia nimirum DEUS in Scripturis, ut a nobis suaviter intelligatur, nostrum loquendi morem dignanter usurpat. Nos autem in loquendo verbis utimur, non tantum juxta primævam, & propriam ipsorum notionem; sed etiam frequenter in tropica, & metaphorica, seu figurata, & translatitia significatione.

19. Hæc figurata loquutio potissimum apparet in Cantico Canticorum. In hoc enim toto libro, Prophetam figurate loqui, & sub aliis vocabulis alia significare; constans est Patrum sententia, pro qua Theodoretus laudat (t) Eusebium Cæsariensem, Origenem, Cyprianum, Basilium, Nazianzenum, Nyssenum, Diodorum Tharsensem, & Johannem Chrysostomum, quibus adde D. Augustinum. (u) Non ergo debet in hoc libro Allegoria separari a Littera, ut recte monet P. Martinus del Rio. (x) Quia ipsamet Littera est tota quædam Allegoria: non ut Allegoriæ nomen a Theologis accipitur cum Apostolo, (y) pro Typo, & Figura rerum futurarum, quam *Allegoriam in facto appellat* D. Augustinus, (z) (in hoc enim sensu, Historiæ, & Litteræ opponitur.) Sed prout Allegoriam sumunt Rhetores, pro loquutione perpetuo figurata, & metaphorica, quam *Allegoriam in verbis* vocat idem Augustinus; In hujusmodi Allegoriis, qui sensus est Allegoricus, idem est ac Historicus, & Litteralis.

20. Claritatis autem gratia, duplex in Cantico Canticorum, & in aliis hujuscemodi Allegoriis, Litteralis sensus distingui potest cum laudato Interprete. Unus mere grammaticalis, solas voces, & verba complectens, quem Scriptor non attendit, nisi ut vilem corticem medullæ pretiosioris. Alter vero Historicus, quem per se, & præcipuè Scriptor intendit, quasi medullam cortice illo contectam. Quando autem scriptio est simplex, & sine figuris, Historicus Sensus non differt a Grammaticali Sono.

21. Illam quoque DEI sententiam contra Serpentem latam: (a) *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & semen tuum, & semen illius: Ipsa conteret caput tuum*; totam figuratam esse, docet D. Augustinus. (b) Et multorum Interpretum sententia est, ea verba litteraliter accipienda esse de B. Virgine, & de Diabolo, quæ sub specie Serpentis Evam tentavit, ut fatetur P. Benedictus Pererius. (c) Et quamvis ipse sustineat,

(q) *Inter Sermones de Sanctis pag.* 19.
(r) *Lib.* 22. *contra* Faustum, *cap.* 24. *col.* 377. *tom.* 8.
(s) V. P. Vasquez *tom.* 1. *in* 1. *par. disp.* 15.
(t) *In præf. ad explanationem in Cantica pag.* 985. *& seq. tom.* 1. *ejus Operum edit. Græco-Latinæ*, Parisiens. an. 1642. *ex recensione* Jacobi Sirmondi.
(u) *Lib.* 8. *de Gen. ad litteram cap.* 1. *col.* 225. *Par.* 1. *tom.* 3.
(x) *In Isagoge ad Comment. in Cantica cap.* 4. *fol.* 10. *pag.* 1. *edit.* Paris. an. 1604.
(y) *Ad Galat.* 4. 24.
(z) *Lib.* 15. *de Trinit. cap.* 9. *n.* 15. *col.* 977. *tom.* 8.
(a) *Gen.* 3. 15.
(b) *Lib.* 11. *de Gen. ad litteram cap.* 39. *n.* 49. *col.* 292. *Par.* 1. *tom.* 3.
(c) *Comment. in Gen. lib.* 4. *in cap.* 3. *quæst.* 4. *n.* 49. *pag.* 241. *edit.* Venetæ an. 1607.

ſuſtineat, illam Serpentis maledictionem, ſecundùm Hiſtoricum ſenſum, ad verum Serpentem pertinuiſſe; ſecundùm autem ſenſum Myſticum ad Diabolum eſſe referendam; advertit nihilominus, hunc ſenſum Myſticum *fuiſſe a DEO principaliter intentum*; *& cùm ea maledicta in Serpentem pronuntiavit*, *& cùm ea ſcriptis a Moyſe prodita*, *immortali poſteritatis memoriæ commendari voluit.*

22. At, inquies, ſententiæ illæ, quæ ex Cantico Canticorum, aliiſque Sacræ Scripturæ locis Figuratis, & Metaphoricis ſolent pro Pia Sententia allegari; de Eccleſia, vel de CHRISTO, in ſenſu Litterali a Patribus, aliiſque Interpretibus communiter intelliguntur.

23. Quid tum? Sub eodem Sacræ Scripturæ loco, plures eſſe poſſe Litterales ſenſus, ſimul, & æque ab eodem Spiritu Sancto intentos; expreſſa eſt ſententia D. Thomæ 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 10. quam plurimi Theologi amplectuntur. (*d*) Id etiam Patres non obſcure indicârunt. D. Hieronymus, (*e*) *Singuli ſermones*, inquit, *Syllabæ Apices*, *Puncta in Divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus.* D. Gregorius Magnus, (*f*) *Sub unius*, ait, *nominis appellatione ſolent per Propheticum Spiritum multa ſignari.* D. Auguſtinus (*g*) tractans illa verba Moyſis, Geneſis primo, *In principio fecit DEUS Cœlum*, *& Terram*; animadvertit: *Senſit ille omnino in his verbis*, *atque cogitavit*, *quidquid hic veri potuimus invenire*, *& quidquid nos non potuimus*, *aut nondum poſſumus*, *& tamen in eis inveniri poteſt.* Demum S. Leo Magnus, (*h*) *In Chriſto Jeſu*, inquit, *Filio DEI non ſolum ad Divinam Eſſentiam*, *ſed etiam ad Humanam ſpectat Naturam*, *quod dictum eſt per Prophetam:* (*i*) *Generationem ejus quis enarrabit?* Duplicem ergo agnovit in hoc Textu Litteralem ſenſum. Quid, quod ipſemet Apoſtolus illud Pſalmi LXX. 7. *Filius meus es tu*, *Ego hodie genui te:* duplici in loco, (*k*) in duplici ſenſu Litterali diverſo allegavit?

24. Nihil ergo vetat, quo minus illa eadem Teſtimonia, quæ de Eccleſia, vel de CHRISTO Domino ſecundùm ſenſum Litteralem accipiuntur, in ſenſu itidem Litterali de MARIA quoque dicta eſſe intelligantur; quæ & Eccleſiæ potiſſimum membrum eſt, & cum ipſo CHRISTO tam arcta neceſſitudine conjuncta, quàm eſt Mater cum Filio. Eſt inſuper hoc in more poſitum Eccleſiæ, ut multa, quæ in Scripturis de Eccleſia, vel de CHRISTO enuntiantur; de Beata etiam Virgine prædicentur. Quem morem adnotârunt, atque illuſtrârunt duo graviſſimi Sacrarum Litterarum Interpretes, quos audire non pigeat.

25. P. Al[pho]nſus Salmeron, unus ex Theologis Summi Pontificis in Concilio Tridentino: (*l*) „ Quandoquidem, *inquit*, omnia dona, „ quæ CHRISTI ſunt, a Capite in membra „ diffunduntur; potiſſimum tamen in præcipuum, & ſelectum Eccleſiæ membrum, nimirum B. Deiparam, illa derivantur: hinc factum eſt, ut laudes, & præconia, quæ æternæ Sapientiæ, aut Eccleſiæ ejus Sponſæ tribuuntur, ob ſummam conjunctionem inter Caput, „ & Ipſam, quæ veluti Eccleſiæ Collum eſt, B. „ MARIÆ adſcribantur. Hinc Liber Cantici „ Canticorum illi peculiariter aſſignatur, & in „ ejus ſolemnitatibus legitur. Item illud *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, & „ quæ ſequuntur Proverb. VIII. v. 22. & ſeq. „ Et id: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi Primogenita ante omnem Creaturam &c.* E ſimilia „ multa, quæ de Verbo Carnem induto ad Litteram accipiuntur, cuivis tamen Membro, & „ Sancto, ſuo modo poſſunt competere, ſed longo poſt Virginem Sanctiſſimam intervallo. „ Multi quoque Pſalmorum verſiculi in ejus laudem decantantur, &c. „

26. Johannes Driedo, Theologus Lovanienſis celebratiſſimus, (*m*) „ Operæ pretium eſt, „ *inquit*, advertere, quod, quæ ſub tropis, & „ metaphoris, aut etiam aperte de magnificentia, „ decore, pulchritudine, & ſanctitate Eccleſiæ, „ in Sacris Litteris dicuntur, ea omnia non abſurde, in univerſis Eccleſiis per univerſum „ Orbem, Glorioſæ Dominæ Virgini attribuuntur: propterea quòd inter omnia Eccleſiæ „ membra ſit excellentiſſima, cui totum eſt „ collatum, quidquid gratiæ cæteris membris „ per partes eſt diſtributum &c. Hinc ergo „ factum eſt, ut antiquus Eccleſiæ Ritus in honorem hujus Glorioſæ Dominæ recitat, canit, & prædicat Scripturas, quas ſecundum „ Litteralem ſenſum, ipſa Sacræ Scripturæ ſeries indicat, eſſe dictas de tota Eccleſia CHRISTI. Neque negandum eſt, etiam Spiritum „ Sanctum de hac loquutum eſſe, cùm appellat *Arcam Sanctificationis*, *Tabernaculum* „ *DEI*, *Domum DEI*, *& Civitatem DEI &c.* „ Amplius autem, & in honorem Glorioſæ „ Virginis, per univerſum Orbem Eccleſiæ canunt ea, quæ in Pſalmis, Proverbiis, & in „ Eccleſiaſtico leguntur de æterna DEI Patris „ Sapientia, utpote de JESU ipſius Filio. Siquidem ea, quæ CHRISTO ſunt propria, ſunt „ participatione quadam communia Eccleſiæ, & „ huic Glorioſæ Dominæ, quæ ejuſdem Eccleſiæ conſtituta eſt Mater, & Regina &c. „

27. Hæc de aliis Scripturæ libris valde probabilia ſunt; ſed de Cantico Canticorum indubitata eſſe videntur. Ut enim ex communi Sacrorum Interpretum ſenſu adnotavit P. Martinus del Rio, ita in hoc libro CHRISTI, & Eccleſiæ ſpirituales Nuptiæ canuntur, ut etiam de particularibus Sponſis, & ſpecialis prærogativæ jure, de B. Virgine MARIA, tanquam de Sponſa omnium lectiſſima, & dilectiſſima ſermo ſit. Plures etiam, nec Recentes, nec Vulgares Interpretes, totum iſtud Canticum de ipſa B. Virgine,

(d) V. P. Vaſquez *tom.* 1. *in* 1. *Par. diſp.* 17. & 18.
(e) *Comment. in cap.* 3. *epiſt. ad Epheſ. col.* 350. *par.* 1. *tom.* 4.
(f) *Lib.* 1. *in Ezechiel. hom.* 8. *n* 25. *col.* 1249. *tom.* 1.
(g) *Lib.* 12. *Confeſſ. cap.* 31. *col.* 124. *tom.* 1.
(h) *Serm.* 9. *de Nativ. Domini initio col.* 64.
(i) Iſ. 53. 8.
(k) *Ad Hebr.* 1. 5. & *Act.* 13. 33.
(l) *Prolegom.* 19. *in Evangel. Can.* 11. *pag.* 441. *col.* 2. *tom.* 1.
(m) *Lib.* 3. *de Regulis*, & *Dogmat. Sacræ Script. tract.* 2. *cap.* 4. de Tropologicis locution. 1. *par. cap. verſus fin. a fol.* 148. *edit.* Colonienſ. an. 1543.

integro Commentario explanant. Rupertus Abbas Tuitiensis libris septem, Alanus Magnus de Insulis, D. Dionysius Carthusianus, & Honorius Augustudunensis Presbyter, qui sic præfatur: (*n*) *Cum Canticum amoris, scilicet Epithalamium Salomonis, specialiter, & spiritualiter ad Ecclesiam referatur, tamen specialissime, & spiritualissime ad Gloriosam Virginem reducitur.* Laudatus del Rio, (*o*) & P. Antonius Possevinus (*p*) nominant quoque Guillelmum Petit, seu Parvum, Monachum, Hailgrimum Cardinalem, Gulielmum Neoburgensem, sive Neobrigiensem, & Albanum, sive Alanum de Rupe Ord. Prædic.

De Litterali Sacræ Scripturæ Sensu Virtuali.

28. IN Scripturis Sanctis distinguendus etiam est duplex alius Litteralis sensus, unus *Explicitus*, & *Expressus*; Alter *Implicitus*, & *Virtualis*. Nempe ad Germanum, & Litteralem Scripturæ sensum spectat, non tantum id, quod ipsis Scripturæ verbis, proprie, vel metaphorice, palam, & expresse significatur; verum etiam quod in iisdem verbis implicite, & virtualiter continetur, seu quod ex illis per legitimam consecutionem deducitur. Utrumque enim per ea verba significare voluit Spiritus Sanctus, qui Dictorum vim omnem, & consequentiam penitissime novit. Si quando igitur ex his, quæ in Sacris Litteris expressa habemus de B. Virgine testimonia, Immaculatus ejus Conceptus non improbanda ratione colligatur, suffragantibus præsertim Patribus; Testimonia illa pro Pia Sententia, juxta Litteralem sensum, non immerito allegari possunt.

29. Istum sane modum allegandi Scripturas usurpavit CHRISTUS Dominus, ut Sadducæos ad fidem cogeret Resurrectionis Mortuorum. (*q*) Cum enim illi alias Scripturas non reciperent, in quibus hoc dogma expresse legitur, sed solum Moysis Pentateuchum; verbis Exodi *cap.* 3. *versu* 6. & 16. usus est, in quibus nonnisi virtualiter, & implicite continetur. *De Resurrectione*, inquit, *Mortuorum non legistis, quod dictum est a DEO dicente vobis, Ego sum DEUS Abraham, DEUS Isaac, DEUS Jacob?* Et brevem hanc subjecit rationem: *Non est DEUS Mortuorum, sed Viventium.* Cujus argumenti vis in eo sita est, quod DEUS non dixit: *Ego fui*, aut *ego eram*, sed *ego sum DEUS Abraham, DEUS Isaac, DEUS Jacob.* Cum ergo DEUS, non sit Mortuorum, sed Viventium DEUS; consequens est, ut Abraham, Isaac, & Jacob adhuc vivant, quoad partem sui præcipuam, scilicet quoad Animam. Et hinc demum infertur Resurrectio Mortuorum contra Sadducæos, qui eam idcirco futuram negabant, quòd negarent Animam esse immortalem. Nihilominus asseverat CHRISTUS, verba illa de Resurrectione Mortuorum, dicta esse a DEO, loquente Sadducæis: *De Resurrectione Mortuorum non legistis, quod dictum est a DEO, dicente vobis &c.*

30. Eundem Scripturas allegandi morem, a tanto Magistro edocta, observat Ecclesia. Sexta Synodus Generalis, (*r*) & Lateranense Concilium sub Martino I. (*s*) contra Monothelitas definierunt, duas esse in CHRISTO naturales voluntates, & operationes; propter Testimonia Scripturarum de duabus in CHRISTO Naturis, Divina, & Humana. Concilium Tridentinum (*t*) ex illis CHRISTI verbis, *Hoc est Corpus meum*, eruit dogma Transubstantiationis Eucharisticæ contra Impanatores. Et sic de cæteris.

31. Solis Sectariis ab hoc Virtuali, & Implicito Scripturæ Sensu, quo plures ipsorum errores jugulantur, refugere, mos fuit. Ariani apud D. Athanasium (*u*) ajebant: *Hæc scripta non sunt, vocesque illas, quòd in Scripturis non habeantur, rejicimus.* Semiariani apud D. Epiphanium (*x*) similiter: *Ut nihil præter Divinas Scripturas Ecclesiasticæ fidei adderemus..... Coessentialis vocem rejicimus, velut a Scripturis alienam.* Et Maximinus Arianorum Episcopus, initio suæ Collationis cum D. Augustino (*y*) dixit: *Siquid de Divinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est, ut audiamus: hæ vero voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur.* Macedoniani quoque identidem jactabant, Spiritûs Sancti Divinitatem *nullo Scripturæ loco proditam reperiri.* Quos egregie refutat S. Gregorius Nazianzenus, in Oratione de Spiritu Sancto, (*z*) ubi humanis adductis exemplis, *Eodem modo*, inquit, *siquid aliud eorum, quæ vel nullo modo, vel certe non satis aperte dicuntur, ex Scripturis tamen intelligi, colligique reperirem; adeo te vocabulorum Sycophantam pertimescerem, ut ab enuntiatione ipsa refugerem?*

ARTICU-

(n) *In Sigillo B. Mariæ pag.* 1217. *tom.* 20. *Bibl. PP.*
(o) *In Isagoge cit. cap.* 3. *pag.* 9.
(p) *In Apparatu Sacro* V. Salomon *pag.* 184. *tom.* 3. & V. Alanus de Rupe *pag.* 29. *tom.* 1.
(q) Matth. *cap.* 22. *ver.* 31. 32.
(r) *In Serm. Acclamat. ad Imperat. Constantin. Pogonatum col.* 1087. *tom.* 7. *Concil.*
(s) *Secretario* 1. *in prævio serm. S. Martini col.* 87. *ejusd. tomi.*
(t) *Sess.* 13. *cap.* 4. & *Can.* 2.
(u) *In Epist. de Synodis Arimini, & Seleuciæ num.* 36. *pag.* 751. *tom.* 1. *par.* 2. *edit. Parif. an.* 1698. *ex recensione Benedictinor.*
(x) *Hæresi* 73. *contra Semi-Arianos pag.* 421. *edit.* Basileens. an. 1543.
(y) *Extat hæc Collatio, sive liber* 1. *contra* Maximin. *tom.* 8. *Operum S. August. a col.* 649.
(z) *Est oratio* 5. *de Theologia.* 37. *in ordine, pag.* 606. *tom.* 1. *edit. Græco-Latin.* Parisiens. an. 1630. *ex recensione* Jacobi Billii.

ARTICULUS I.

Sacræ Scripturæ Testimonia, ab adversa Parte allegata.

Testimonium I.

Job Capite xiv. v. 4.

Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?

Juxta Versionem LXX.

Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.

HUnc Textum refero juxta utramque Versionem; quia juxta LXX, & frequentius citatur a Patribus, & diversam reddit sententiam.

32. Verba, quæ sunt in Vulgata, Conceptionem tantum indicant Seminalem: denotant enim, Hominem, via naturali procreatum, de immundo esse conceptum Semine; & ab immunditia, quam inde contrahit, non nisi a DEO, *qui mundus per semetipsum solus est*, [ut ait D. Gregorius in hunc locum, (*a*)] posse liberari. Dicitur autem Homo de immundo semine conceptus, *non quòd in semine sit immunditia peccati, aut peccatum, sed quia ab ipso Semine, & ipsa Conceptione, ex qua incipit Homo esse, accipit necessitatem, ut, cùm habebit Animam rationalem, habeat peccati immunditiam*; ut mox audiemus a D. Anselmo. Ex hoc ergo Textu tantùm eruitur, B. Virginem ab ipso semine paterno accepisse necessitatem, seu Debitum contrahendi in sui Animatione Originale Peccatum; & ab hac necessitate, nonnisi a DEO potuisse relevari.

33. At Verba, quæ leguntur apud LXX, nedum Conceptionem, verum etiam Nativitatem cujusvis Hominis, immundam produnt. Et in hoc sensu illis utitur S. Leo Papa I. ad probandum singulare decus Dominicæ Nativitatis: (*b*) *Alienum quippe*, ait, *ab hac Nativitate, est, quod de omnibus legitur.* Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram. *Nihil ergo in istam singularem Nativitatem de carnis concupiscentia transivit, nihil de Peccati lege manavit.* Ab hac autem Lege universali circa Nativitatem Hominum, nedum B. Virginem, verum etiam Johannem Baptistam, & Hieremiam excipi debere, jam ostendimus in Apparatu *a num.* 120.

Testimonium II.

Psalmo L. v. 7.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.

Juxta alias Versiones.

Ecce enim in iniquitate, vel *iniquitatibus conceptus sum*; *& in peccato*, vel *in peccatis peperit me Mater mea.*

34. HUnc quoque Textum refero juxta alias Versiones, quæ pro *concepit*, reddunt, *peperit*. Quia sic ex Hebræo vertit D. Hieronymus: (*c*) sic etiam apud Johannem Lorinum, (*d*) legunt D. Ambrosius, Cassiodorus, Innocentius, Hilarius, Fulgentius, Cyprianus, Auctor quæstionum utriusque Testamenti, Isidorus, & Gregorius; eandemque lectionem exhibent Psalterium Romanum, & Gallicanum.

35. Non dubito, quin hoc loco de Peccato Originali agatur, ut communiter exponunt Patres: & Ven. Robertus Cardinalis Bellarminus in Commentario observat, quod in Textu originali dicitur utrobique in singulari, *in peccato*; sed septuaginta verterunt in numero multitudinis, *in iniquitatibus, & in peccatis*; quia unum illud Peccatum est quasi fons omnium aliorum peccatorum. Lege D. Thomam *lib.* IV. *contra Gentiles cap.* 50. *num.* 3. *& in Summa* 1. 2. *quæst.* 82. *art.* 2. *ad* 1. At vero si posteriorem Versionem, & Lectionem sequamur, proculdubio significare noluit David, omnes omnino Homines, nemine excepto, conceptos, & natos esse in peccato; (hoc enim constat esse falsum in B. Virgine; immo & in Johanne Baptista, & Hieremia, ut modo dicebamus,) sed fateri voluit, se juxta communem cæteris Hominibus legem, nèdum conceptum, verum etiam natum esse in peccato.

36. Sin autem sequamur Versionem Vulgatam, ultro fatemur confessionem istam Davidicam ad omnes omnino Homines ex Patre, & Matre genitos, pertinere. Dicimus tamen cum D. Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi, (*e*) de Conceptione tantum Seminali, infusionem Animæ præcedente, sermonem esse; unde fœtus ille necessitatem trahit, ut, cum habebit Animam rationalem, Originis Peccatum incurrat, nisi speciali

(a) *Lib.* 11. *Moral. in Job. cap.*52. *n.*70. *col.* 392. *tom.*1.
(b) *Serm.* 1. *de Nativ. Domini cap.* 1. *col.* 35.
(c) *Col.* 870. *tom.* 1. *Oper. D. Hieron. apud quem Psalmus iste est* 51.
(d) *Tom.* 1. *Commentar. in lib. Psalmor. in hunc locum pag.* 1052. *col.* 1. *edit.* Lugdun. 1611.
(e) *Libro de Conceptu Virginali, & Orig. Peccato cap.*7. *pag.* 99. *& seq.*

DEI gratia praeveniatur. Integram S. Anselmi explanationem, quae similibus intelligendis testimoniis facem praefert, exhibemus.

37. „ Si non statim, *inquit*, Infans ab ipsa „ Conceptione, (*utique seminali*) habet pecca„ tum; quid est, quod dicit Job DEO: *Quis „ potest facere mundum de immundo conceptum „ semine?* Et quomodo verum est, quod dicit „ David: *In iniquitatibus conceptus sum &c.* „ Quaeram igitur, si possum, quomodo, quam„ vis non statim ab ipsa Conceptione sit in In„ fantibus peccatum, immundo tamen Semine, „ in Iniquitatibus, & in Peccatis concipi di„ cantur. Saepe utique Divina Scriptura asse„ rit, aliquid esse, quod modo non est, idcir„ co quia tamen est, futurum esse. Sic quippe „ DEUS Adae de ligno vetito dicit: (*Gen.* 2. „ 17.) *In quocumque die comederis ex eo, mor„ te morieris:* non quòd ea die mortuus sit cor„ pore, sed quoniam die illa necessitatem acce„ pit moriendi aliquando. Et Paulus similiter „ ob necessitatem moriendi aliquando, ait: (*ad „ Rom.* 8. 10.) *Si autem Christus in vobis est, „ corpus quidem mortuum est propter peccatum „ &c.* Non enim corpora eorum, quibus lo„ quebatur, mortua erant, sed moritura propter „ peccatum. Sicut *in Adam omnes peccavimus*, „ quando ille peccavit; non quia tunc pecca„ vimus ipsi, qui nondum eramus; sed quia „ de illo futuri eramus; & tunc facta est illa „ necessitas, ut, cum essemus, peccaremus &c. „

38. „ Simili modo (*pergit S. Doctor*) de „ immundo Semine, in Iniquitatibus, & in „ Peccatis concipi, potest Homo intelligi, non „ quod in semine sit immunditia peccati, aut „ peccatum, sive iniquitas: sed quia ab ipso se„ mine, & ipsa conceptione, ex qua incipit Ho„ mo esse, accipit necessitatem, ut, cum habe„ bit Animam rationalem, habeat peccati im„ munditiam, quae non est aliud, quàm Pecca„ tum, & iniquitas &c. Patet igitur, quomo„ do & in Infantibus non statim ab ipsa Con„ ceptione sit Peccatum, & vera sint, quae de „ Divina Scriptura opposui: quippe non est in illis „ peccatum, quia non habent, (sine qua non in„ est peccatum,) voluntatem; & tamen dicitur „ inesse, quoniam in semine trahunt peccandi „ (cùm Homines erunt,) necessitatem. „

39. Quod si ex proprietate Hebraicarum vocum colligere tibi videris, sermonem ibi esse de Conceptione Vitali, seu Animali: nihil vetat dicere, Davidem fateri suam Conceptionem in Peccato, juxta Legem communem; an autem omnium omnino caeterorum Hominum, nullo prorsus excepto, Conceptio sit hujusmodi, nec formaliter, nec virtualiter affirmare.

Testimonium III.

Ecclesiastici cap. IV. ver. 1.

Occupatio magna creata est omnibus Hominibus, & jugum grave super Filios Adam a die exitus dè ventre Matris eorum, usque in diem sepulturae in Matrem omnium.

40. Quamvis ex isto loco Peccatum Originis arguant quidam Patres; argumentum tamen est a *Posteriori*, ut ajunt. Ibi enim solum agitur de poenalitatibus, seu aerumnis hujus vitae, quibus ob tale Peccatum omnes Filii Adae nascuntur obnoxii, & exercentur, ac premuntur usque ad mortem. Et jam late declaravimus in Apparatu Articulo I. §. III. hujusmodi poenalitates non tantum esse poenas Peccati Originalis, in singulis Hominibus contracti, verum etiam poenas, seu effectus proximos peccati primi Parentis; proindeque ostendimus, B. Virginem, tanquam naturalem Adae Filiam, potuisse ejusmodi poenalitatibus subjacere, (etsi non omnibus subjacuit,) quin tamen reipsa contraxerit Originale Peccatum.

Testimonium IV.

Ad Romanos cap. III. v. 23.

Omnes enim peccaverunt, & egent Gloria DEI.

41. Apposite Concilium Tridentinum Sessione V. ubi agit de Peccato Originali, non ex isto loco, sed ex Capite V. ejusdem Epistolae ad Romanos colligit, Peccatum illud ex Adamo in omnes Homines fuisse derivatum. Nam Apostolus loco citato solum contendit, omnes, sive Judaei sint, sive etiam Graeci, & Gentiles, peccasse, & quidem Peccatis Personalibus, & ideo indiguisse Gloria DEI, hoc est Gratia DEI per CHRISTUM, quae est Gloria ipsius DEI; ut ita ostenderet Legem Scriptam, in qua plurimum gloriabantur Judaei prae aliis Nationibus, absque spiritu Fidei non prodesse ad justificationem. Etenim testimonia, quae in ejus rei probationem, ex Veteri Testamento adducit Apostolus, non Peccatum Originis, sed Peccata propriae Actionis denotant: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum patens est guttur eorum:* & caetera his similia.

42. Verumtamen si hunc Textum ad Originale Peccatum trahere velis, illud *peccaverunt* intelligere debes, cum hoc addito, *in Adamo.* Quia ratione solius Peccati Originalis nemo proprie peccare dicitur, sed peccatum habere: nam peccare, actionem significat; Peccatum autem Originale actio non est. In hoc autem sensu, eadem erit ratio hujus Testimonii, ac sequentis.

Testimonium V.

Ad Romanos cap. V. ver. 12.

Sicut per unum Hominem Peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes Homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt.

43. Haec verba exponens Doctissimus Ordinis Praedicatorum Magister, & in Concilio Tridentino olim Theologus, Dominicus Sotus:

Sotus: (*f*) „ Absit, *inquit*, ut ullum hic verbum „ de Sacratissima Virgine Genitrice DEI faciam. „ Nam etsi Concilium Tridentinum, Decretum „ Sixti innovando, libertatem fecerit sentiendi „ in utramque partem; est tamen Exceptio B. „ Virginis ab hac universali sententia Pauli us- „ que adeo celebris, non modo inter Plebes, „ sed etiam inter bonos Doctores, quales præ- „ cipue sunt Illustrissimi Parisienses, ut siqui „ hanc sibi sententiam persuadere non possunt, „ haud tamen debeant publicitus talem prodere „ disputationem: adeo id absque odio, & invi- „ dia nequirent facere. „

44. Cæterum hoc Testimonium, (quod est potissimum in hac re, & quo maxime nituntur Concilium Milevitanum II. Canone 2. & Concilium Tridentinum Canone 2. & 4. in stabiliendo Dogmate Peccati Originalis) planissime intelligitur de Peccato Originali ab omnibus contracto in Origine, & in Debito, ut egregie exponit D. Anselmus *loco cit. In Adam*, inquit, *omnes peccavimus, quando ille peccavit; non quia tunc peccavimus ipsi, qui nondum eramus; sed quia de illo futuri eramus; & tunc facta est illa necessitas, ut cum essemus, peccaremus, hoc est peccatum haberemus.* Ab hoc autem Debito, seu necessitate non oportet excipere B. Virginem, ut late declaratum est in Apparatu a *n.* 156.

45. Profecto æque docet Apostolus, per unum Hominem Peccatum intrasse in Mundum; ac per peccatum Mortem intrasse in Mundum; nec minus dicit, quod in omnes Homines mors pertransiit, quàm quod omnes Homines peccaverunt. At locutio generalis de Morte recte intelligitur de Necessitate moriendi, quam omnes incurrunt ob Originale Peccatum; etsi non omnes omnino reipsa morituri essent, ut ostendimus in Apparatu *num.* 81. Locutio igitur generalis de Originali Peccato recte etiam intelligitur de Necessitate contrahendi illud, quam omnes incurrunt, etsi non omnes omnino reipsa illud contrahant.

46. Idem argumentum, (*ut salus sit ex Inimicis nostris*) ab ore ipsius Cardinalis Cajetani excipiamus: (*g*) „ Quod omnes, *ait*, præ- „ ter solum CHRISTUM contrahant Peccatum „ Originale, non intelligendum est aliter, quàm „ de morte, quæ est pœna Peccati Originalis. „ Itaque sicut omnes incurrunt mortem, idest „ necessitatem moriendi; ita omnes incurrunt „ Peccatum Originale, id est necessitatem ha- „ bendi Peccatum Originale. Et sicut non „ spectat ad Fidem, an singuli moriantur „ actualiter, an Divina Dispositione aliquis „ non moriatur: ita non spectat ad Fidem, „ an aliquis ex speciali prærogativa Gratiæ „ non incurrat actualiter Originale Peccatum. „ De utroque enim simul inquit Apostolus ad „ Romanos quinto: *Per unum Hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors.* „

TESTIMONIUM VI.

Ad Romanos eodem cap. v. ver. 18.

Sicut per unius Delictum in omnes Homines in condemnationem; sic & per unius Justitiam in omnes Homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius Hominis Peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionem Justi constituentur multi.

47. HOc quoque Testimonium non est intelligendum de actu, & re ipsa, sed de conditione naturæ. Solet enim Scriptura ita loqui, ut Marci x. 18. *Nemo bonus, nisi unus DEUS.* Si enim de re, & actu intelligas, sensus erit falsus; nam re ipsa aliqui sunt boni, etiam præter DEUM, saltem Beati. Si autem intelligas de natura, sensus est verus: idest nemo natura sua bonus est, præter solum DEUM. Simile est, quod Paulus scripsit prima ad Timotheum VI. 16. *Qui solus habet immortalitatem.* Eodem igitur modo potest intelligi, quod tam sæpe generaliter dicit Apostolus, omnes per Adam factos fuisse Peccatores; non quod reipsa omnes Peccatores facti fuerint, sed quod conditione vitiatæ naturæ tales sint. Hoc autem nihil impedit, quominus singulari DEI beneficio aliquis sine peccato conceptus sit: quod de sola B. Virgine credimus. Et confirmatur ex ipsis Apostoli verbis. Utitur enim D. Paulus CHRISTO, tanquam antitheto Adami, & quemadmodum docet, per Adam omnes Peccatores constitutos esse; ita docet, omnes per CHRISTUM fuisse justificatos. Hoc autem, quod de CHRISTO dicit, non intelligitur, quod omnes reipsa justificati fuerint, sed quod CHRISTUS, & ejus Justitia naturâ suâ justificavit omnes, quomodo Sol illuminat omnes, nisi quis impediat. Quod vero aliqui non sint justificati, factum est eorum culpâ. Ita ferè doctissimus Maldonatus, (*h*) cui nihil addere opus est.

TESTIMONIUM VII.

Ad Ephesios cap. II. v. 3.

In quibus & nos omnes conversati sumus in desideriis carnis nostræ &c. Et eramus natura, Filii Iræ, sicut & cæteri.

48. ET hoc etiam Testimonium, universe intellectum, ex suismet verbis, de conditione naturæ, seu Originis, vi cujus omnes concipimur, & nascimur Filii Iræ; accipiendum videtur:

D 4

(*f*) *Commentario in epist. ad Roman. pag.* 150. *edit.* Antverp. an. 1550.

(*g*) *In Commentario* 1. 2. *D. Thomæ q.* 81. *ar.* 3. *& V. tom.* 2. *Opuscul. tract.* 1. *de Concept. B. M. V. cap.* 3. *pag.* 139. *col.* 1.

(*h*) *Tom.* 3. *Operum Theologicor. tract. de Pecc. Orig. quæst.* 4. *de B. Virg. pag.* 76. *edit.* Paris. an. 1677.

detur: & ideo recte cohæret cum eo, quod aliquis ex Gratia DEI speciali non concipiatur, vel non nascatur Filius Iræ, sed Filius DEI adoptivus.

49. Demus vero, hujuscemodi Scripturarum Testimonia Universalia, intelligi debere de Originali Peccato, re ipsa ab omnibus contracto, & contrahendo: Nihilo tamen minus singulare B. Virginis Privilegium non attingunt. Canon est, in interpretandis Sacris Scripturis apud Patres receptissimus, Universales Scripturarum Locutiones non ad totum sæpe referri, sed ad partem maximam; non ad omnes omnino, sed ad plurimos, vel plerosque omnes, vel penes omnes.

50. Commemorat, & probat hunc Canonem D. Hieronymus in Epistola ad Damasum: (*i*) „ Secundum illum, *inquit*, Canonem, quem „ sæpe exposuimus, Scripturarum, omnia non „ ad totum referenda esse, sed ad partem maximam, ut ibi (*Psalm.* 13. 3.) *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Et alibi, „ (*Johan.* 10. 8.) *omnes, qui venerunt ante me,* „ *fures fuerunt, & latrones.* (Et ad Philippenses 2. 21.) *omnes enim quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.* „ Eundem Canonem commendat D. Augustinus in Epistola ad Paulinum: (*k*) *Scripturæ*, inquit, *mos est, ita loqui de parte, tanquam de toto. Sicut Corinthios Apostolus, in primis Epistolæ suæ partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint &c.* Unde & monet: *Istam Divinarum Scripturarum consuetudinem, per omne corpus litterarum ejus creberrime sparsam, quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria.*

51. S. Prosper Aquitanicus, multis Sacræ Scripturæ locis in hujus Canonis confirmationem adductis, (*l*) ita tandem concludit: *His igitur, & aliis documentis, quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubie demonstratur, interdum & pro parte Terræ, omnem Terram; & pro parte Mundi, totum Mundum; & pro parte Hominum, omnes Homines nominari.* Nec Græcos Interpretes hic Canon latuit. Euthymius Zigabenus in Commentario super Johannem, (*m*) exponens ea verba: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt &c. Scire oportet*, inquit, *quod frequenter Scriptura Universalem repræsentans Formam, Particularem insinuat Intelligentiam. Nam quod nunc dicit, Omnes, non simpliciter significat Omnes, qui ipsum præcesserunt &c.*

52. Pro recto usu istius Canonis animadvertendum est, quasdam esse in Scripturis Sanctis locutiones Generales, ex quibus non unum, aut alterum definite, sed plures excipere valeamus: quia nomine Omnium, non Omnes, sed plurimi, vel plerique omnes significantur; cujusmodi sunt illæ, quas in exemplum laudati Patres adducunt. Aliæ vero sunt Locutiones Universales, ex quibus nonnisi paucissimos, duos, vel tres, ob speciale Privilegium, excipere possimus: ut sunt illæ, quibus significatur, nos omnes ex utero nasci reos, & immundos, donec per Regenerationis lavacrum mundemur, & expiemur; ex quibus nonnisi B. Virginem, S. Johannem Baptistam, & Hieremiam Patres, & Theologi excipiunt. Hujuscemodi etiam reputantur a multis loca illa Exodi XXXIII. 20. *Non videbit me Homo, & vivet: & I. Johannis* IV. 12. *DEUM nemo vidit unquam*; in hac scilicet vita mortali. Unde graves Auctores cum D. Augustino, & D. Thoma excipiunt Moysen, & Paulum, quibus æquiori jure addenda esset Beata Virgo. Legatur P. Gabriel Vasquez, (*n*) Aliæ demum sunt Universales Scripturæ Sententiæ, ex quibus unam DEI Genitricem excipere & possumus, & debemus. Ex hujus generis esse dicimus Generalia illa de Originali Peccato Testimonia.

53. Exceptionem hanc faciendam suadent, quæ sunt in libro Genesis, de quibusdam Originalis Peccati effectibus Universales Sententiæ: *Cap.* III. ver. 16. *In dolore paries Filios, & sub Viri potestate eris. Et ibid. ver.* 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris. Et cap.* VIII. *v.* 21. *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* E quibus certe sententiis DEI Genitricem excipere opus est. Quare D. Thomas, (*o*) D. Augustinum citans, hanc regulam figit: *B. Virgo Maria, vera æstimatione a quibusdam Generalibus excipitur.* Eandem regulam universalius protulit Albertus Magnus, (*p*) adjuncta etiam ratione: *Beatissima*, inquit, *Virgo non cadit in numerum cum aliis: quia non est una de omnibus, sed est una supra omnes.*

54. Eandem Exceptionem vel maxime confirmant, quæ de Peccatis Personalibus, expressius fortasse, & frequentius, Universe tradit Scriptura. *Non est Homo, qui non peccet:* (*q*) *Septies cadet Justus, & resurget:* (*r*) *Non est Homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet:* (*s*) *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* (*t*) *In multis offendimus omnes. Jacobi* III. 2. Et tamen fatendum omnino est, ab his Universalibus Sententiis exceptum iri SS. DEI Genitricem, Alium præterea Neminem. Utrumque enim declaravit Concilium Tridentinum Sessione VI. de *Justificatione* Canone. 23. his verbis: *Si quis Hominem semel justificatum dixerit.... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Quanto ergo rationabilius est, ut eandem DEI Genitricem ab illis etiam excipiamus Sententiis, in quibus universim agitur de Originali Peccato, cujus majorem gravitatem præ Veniali,

(i) *Epist.* 146. *col.* 1204. *tom.* 1. *edit.* Paris. an. 1600. *Ex Recensione* Mariani Victorii, *& similiter in Commentar. in cap.* 1. *epist. ad Ephesios col.* 968. *tom.* 3. *ejusdem edit.*

(k) *Epist.* 149. (*al.* 59.) *n.* 20. *col.* 510. *& seq. tom.* 2.

(l) *Lib.* 1. *de Vocatione Gentium cap.* 9. *pag.* 168. *& seq. tom.* 8. *Biblioth. Max. VV. PP.*

(m) *Pag.* 698. *col.* 1. *tom.* 19. *ejusdem Biblioth.*

(n) *Tomo* 1. *in* 1. *Par. disp.* 55. *&* 56. *præsertim cap.* 2.

(o) 3. *Parte quæst.* 30. *ar.* 2. *ad* 2.

(p) *Quæst.* 81. *super* Missus est, *pag.* 68. *col.* 1. *tom.* 20.

(q) 3. *Regum* 8. 46. *& lib.* 2. *Paralip.* 6. 36.

(r) *Prov.* 24. 16.

(s) *Eccles.* 7. 21.

(t) 1. *Johan.* 1. 8.

Veniali, jam ostendimus in Apparatu *num.* 183.

55. Accedit, quod D. Gregorius Magnus, (*u*) neminem a Personali Peccato immunem agnoscit, nisi qui ab Originali Peccato immunis fuerit. *Quis*, inquit, *Homo sine peccato est, nisi ille, qui in peccatis conceptus non est?* Et alibi: *Sine culpa in Mundo esse non potuit, qui in Mundum cum culpa venit.* Ipsum autem in priori parte utriusque sententiæ, de Peccato, seu Culpa Personali loqui, patet ex his, quæ subnectit: *Constat enim, quia omnes, qui de Carnis delectatione concepti sunt*, (& idcirco juxta legem communem Originale Peccatum contraxerunt) *in eorum proculdubio, vel actione, vel locutione, vel cogitatione, aliquid suum Princeps hujus Mundi habuit.* Quam doctrinam sumpsit D. Gregorius a D. Augustino *lib.* 5. *contra* Julianum *cap.* 15. *n.* 57. *col.* 656. *tom.* 10. Eodem igitur jure, quo B. Virgo excipitur a Generalibus Sacrarum Litterarum Eloquiis de Personali Peccato; excipienda quoque est a Generalibus aliis Sacris Eloquiis de Originali Peccato.

TESTIMONIUM VIII.

Prima ad Corinthios cap. XV. ver. 22.

Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

Secunda ad Corinthios cap. 5. ver. 14. & 15.

Quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus.

56. EX his locis sic arguunt primo Adversarii: Perinde docet Apostolus, Omnes Homines per Adam mortuos esse, utique morte peccati; ac Omnes per CHRISTUM vivificatos esse: immo ex eo, quod CHRISTUS pro Omnibus mortuus sit; colligit, quod Omnes mortui sunt. Cum ergo negari non possit, & ipsam B. Virginem esse vivificatam per CHRISTUM, & CHRISTUM mortuum esse etiam pro B. Virgine; fateri debemus, B. Virginem mortuam esse, morte Originalis Peccati.

57. Arguunt præterea: Ex his, & plurimis aliis Scripturæ locis, juxta unanimem Patrum sententiam intellectis, constat, neminem prorsus eximi ab indigentia Redemptionis CHRISTI: Non fuisset autem B. Virgo vere, & proprie Redempta per CHRISTUM, nisi in alicujus Peccati, saltem Originalis, Captivitatem aliquando incidisset. Ut enim scripsit S. Zosimus Papa, laudatus a D. Augustino: (*x*) *Nec Redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuit ante Captivus.* Et ipse D. Augustinus, (*y*) *Ipsa*, inquit, *Redemptio clamat Captivitatem nostram: unde enim Redempti, si non antea Captivi?* Idemque habet aliis in locis. (*z*) Similiter D. Hieronymus, (*a*) *Ille*, ait, *Redimitur, qui Captivus est, & in hostium veniens potestatem, liber esse desiit.* Nec non S. Gregorius Papa: (*b*) *Omnis*, inquit, *qui Redimitur, ex aliqua proculdubio Captivitate liberatur. Unde ergo quilibet iste Redemptus est, si prius non fuit sub culpa Captivus?*

58. Hoc erat Adversariis fortius telum, quo B. Virginis immunitatem ab Originali Peccato adoriebantur. *Sed sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum:* (*c*) Postquam Johannes Duns Scotus (*d*) telum illud non modo hebetavit, verum etiam in ipsos Adversarios retorsit; atque ex ipsamet excellentia CHRISTI, quà perfectissimus Redemptor, & Mediator est, ostendit, quod B. Virgo non contraxit Originale Peccatum. *Si enim*, ajebat, *Christus est perfectissimus Mediator; habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem, respectu alicujus personæ*; atque adeo *respectu Mariæ* Matris ipsæ. *Hoc autem non esset, nisi meruisset, eam præservari a Peccato Originali.* Quod triplici ratione probat, ut suo loco videbimus.

59. Quocirca Sapientiores Adversarii ingenue fatentur cum Durando a S. Portiano, [qui Scoto vicinissimus fuit] (*e*) „ Quod si B. Virgo Peccatum Originale non contraxisset, potuisset tamen vere dici Redempta a DEO, pro eo, quod in radice sua, ex natura suæ Conceptionis obligata erat, ad incurrendum peccatum, nisi fuisset a DEO præservata. „ Quia nimirum, [inquit Cardinalis Cajetanus, (*f*)] *Non solum Redemptione eget actualiter Captivus, sed etiam obnoxius Captivitati*; & ideo Fratres suos sollicite monet: „ Hæc bene notabis, tu Thomista, ne nimio zelo, non secundum scientiam accensus, erronea dicas, quæ erronea non sunt, cùm de Beatissimæ Virginis Conceptione disputas, aut prædicas. „ Idem alibi (*g*) protestatur Cajetanus, ostendens, B. Virginis Præservationem ab Originali Peccato nec contra Scripturas esse, nec contra universalem CHRISTI Redemptionem.

60. Cum hæc ita sint, ad utrumque Apostoli locum respondemus, B. Virginem eadem ratione fuisse per CHRISTUM vivificatam, qua fuerat mortua. Sicut ergo B. Virgo non fuit mortua, morte peccati, re ipsa, sed tantum in Debito; ita fuit a CHRISTO vivificata, non ut a morte peccati resurgeret, sed ne eam incurreret, cui incurrendæ

(u) *Lib.* 2. *in Ezechiel. hom.* 4. *n.* 17. *col.* 1350. *tom.* 1. & *lib.* 2. *in Evang. hom.* 39. *n.* 8. *col.* 649 *tom.* 1.

(x) *In quadam epist. cujus fragmentum refert D. August. epist.* 190. (*al.* 157.) *ad Optatum num.* 23. *col.* 707. *tom.* 2.

(y) *Serm.* 2. *in Psal.* 70. *n.* 1. *col.* 733. *tom.* 4.

(z) *Lib.* 3. *contra* Julian. *cap.* 3. *n.* 9. *col.* 557. *Et lib.* 1. *de Peccat. Merit. & Remiss. cap.* 23 *n.* 33. *col.* 19. *tom.* 10.

(a) *Comment. in cap.* 1. *epist. ad Ephes. col.* 328. *tom.* 4.

(b) *Lib.* 18. *Moral. cap.* 40. *n.* 63. *col.* 585. *tom.* 1.

(c) *Psalm.* 63. 8.

(d) *In* 3. *Sentent. dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. §. contra primam rationem *pag.* 92. *tom.* 7. *par.* 1. *edit.* Lugd. 1639.

(e) *In* 3. *Sentent. dist.* 3. *quæst.* 1. *n.* 14. *fol.* 187. *col.* 4. *edit.* Lugd. an. 1560.

(f) *Commentar. in* 1. 2. *quæst.* 81. *ar.* 3.

(g) *Tom.* 2. *Opusc. tract.* 1. *de Concept. B. M. V. cap.* 3. & *Commentar. in* 3. *par. quæst.* 27. *ar.* 2.

dæ obnoxia erat. Item valida est, proportione servata, Apostolica illa Consequentia, de B. Virgine sic intellecta: *Christus mortuus est pro B. Virgine, ne mortem, cui subeundæ obnoxia erat, incurreret: ergo & ipsa mortis Debitum contraxit, seu moritura erat, nisi Christus a morte eam præservasset.*

61. Ad argumentum subjunctum respondèmus, B. Virginem proculdubio fuisse vere, & proprie Redemptam a CHRISTO, non Redemptione Vulgari, & communi, qua cæteri Homines sunt erepti a servitute peccati, jam contracta; sed Redemptione Specialissima, & singulari, CHRISTUM, & ejus Matrem addecente, qua a servitute peccati contrahenda præservaretur. Illa vero Patrum dicta recte intelliguntur de priori Redemptionis genere: loquebantur enim juxta Legem communem, juxta quam Debitum Captivitatis peccati non est sejunctum ab ipsa Captivitate peccati: & agebant contra Pelagianos, qui nec peccatum, nec ullum peccati Debitum, sed pravum dumtaxat exemplum, ex Adæ peccato in ejus Posteros derivari ajebant. At vero & ex Scripturis, & ex ipsis Patribus aperte colligitur, præter istam Redemptionem Vulgarem, dari aliam Redemptionem Specialem, quæ non eripiat a malo in quod incidimus, sed præservet a malo in quod incideremus; ut jam ostendo.

REDEMPTIO PRÆSERVATIVA ILLUSTRATUR.

62. COmmemorans David beneficia, a DEO sibi collata, (h) hoc inter illa recenset: *Quod Redemit de interitu vitam suam.* Numquid autem [inquit Clichtoveus, (i)] *Necessarium est, vitam interiisse, & deinde revocatam esse per Resuscitationem, ut dicatur Redempta ab interitu? Sufficitne, quæso, vitam ipsam a DEO, ne interiret, Præservatam fuisse?* Rursus idem Propheta sic DEUM rogat: (k) *Qui Redemisti David Servum tuum de gladio maligno, eripe me.* Loquitur autem hic de gladio Goliath, ut Psalmi titulus declarat, qui est, *Adversus Goliath:* unde & Versio Chaldaica habet, *a gladio pravo Goliath.* (l) At ab isto gladio nec cæsus, nec etiam appetitus unquam fuit David; sed se ab eo Redemptum dicit, quia cædendus erat, nisi ei DEUS præsto fuisset. Idem DEI Misericordiam exaltans, (m) ait, *Quia Misericordia tua magna est super me, & eruisti Animam meam ex Inferno inferiori.* In quem sane Infernum nunquam decidit David, erat tamen decidendo proximus.

63. Sed præstat, luculentiorem hujus loci Expositionem accipere a D. Augustinò: (n) „ Eruisse DEUM Animam suam ab Inferno inferiori „ dixit, quia liberavit se a talibus peccatis, per „ quæ posset deduci ad tormenta Inferni inferioris. Quemadmodum si Medicus videat imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, „ & dicat, Parce tibi, sic te tracta, requiesce, „ his cibis utere, nam si non feceris, ægrotabis. Tu autem si feceris, & salvus fueris, „ recte dicis Medico: liberasti me ab ægritudine, non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem: venit „ alius, defendit eam; gratias agens, quid dicit? „ Eruisti Animam de carcere. Suspendendus „ erat debitor, solutum est pro eo: liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant, „ sed quia talibus meritis agebantur, ut, nisi „ subventum esset, ibi essent; inde se recte dicunt liberari, quò per liberatores suos non sunt „ permissi perduci. „

64. Aliis item in locis D. Augustinus utramque Redemptionem apte distinguit, & explanat. *In libro de Natura, & Gratia,* (o) „ Et hoc „ ipsum, *inquit*, ad cavendum peccatum pertinet, si veraciter dicimus: *Dimitte nobis debita nostra &c.* Duobus enim modis etiam „ in corpore cavetur morbi malum: & ut non „ accidat; & ut, si acciderit, cito sanetur. Ut „ non accidat, caveamus dicendo, *ne nos inferas in tentationem:* ut cito sanetur, caveamus „ dicendo, *dimitte nobis debita nostra.* „ Et libro II. suarum Confessionum, (p) „ Gratiæ, „ *inquit*, tuæ deputo, & Misericordiæ tuæ, „ quod peccata mea, tanquam glaciem solvisti: „ Gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci „ mala. Quid enim non facere potui, qui etiam „ gratuitum facinus amavi? Et omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te Duce non feci. Quis est Hominum, qui suam agnoscens infirmitatem, audet viribus suis tribuere Castitatem, atque Innocentiam suam, ut minus amet te, quasi minus ei necessaria fuerit Misericordia tua, qua „ donas peccata conversis ad te? „

65. Hanc Redemptionis Præservativæ speciem agnovit etiam D. Dionysius Areopagita *cap.* VIII. *de Divinis Nominibus*, quod est *de Salute, & Redemptione.* (q) *Itaque*, ait, *Redemptionem eam Theologi appellant, quatenus ea, quæ vere sunt, in nihilum recidere non patitur* (en Redemptionem, quæ præservat a malo, in quod incideremus) *& quatenus si quid in errorem lapsum sit, & ab ordine deflexerit, diminutionemque cumuli bonorum suorum senserit, id etiam a detrimento, ab imbecillitate, a privatione Redimit.* Ecce alteram Redemptionem, quæ eripiat a malo, in quod incidimus.

66. Nec latuit D. Thomam, in Sanctorum Dionysii, & Augustini scriptis versatissimum, duplex hoc Redimendi genus. Etenim inquirens in Summa, (r) *Utrum magis teneatur ad gratias reddendas DEO Innocens*, quem DEUS præservavit a Culpa, *quam Pœnitens*, cui DEUS Culpam dimisit? Laudat verba D. Augustini nuper descripta,

(h) *Psalm.* 102. *v.* 4.
(i) *Lib.* 2. *de Purit. Concept. B. M. V. cap.* 3. *fol.* 30. *pag.* 1.
(k) *Psalm.* 143. *v.* 10.
(l) *Vide* Johan. Lorinum *Comment. in titul. & argum. hujus Psalmi.*
(m) *Psalm.* 143. *v.* 10.
(n) *Commentar. in Psalm.* 85. *v.* 13. *num.* 18. *col.* 913. *tom.* 4.
(o) *Cap.* 67. *col.* 162. *tom.* 10.
(p) *Cap.* 7. *n.* 11. *col.* 86. *tom.* 1.
(q) *Cap.* 8. *de Divinis Nominibus pag.* 246. *edit.* Lanzellii.
(r) 2. 2. *Quæst.* 106. *ar.* 2.

descripta ex libro secundo Confessionum, quibus significatur, utrumque beneficium deberi Gratiæ Redemptoris. Et Commentario in quartum Sententiarum (s) cum asseruisset, *quod hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine Originali Peccato concipiatur: quia ille, qui sine Peccato Originali conciperetur, non indigeret Redemptione, quæ facta est per Christum:* Sequentibus verbis exponit, se de peccato, vel reipsa, vel in debito tantum contracto, loqui. *Liberari autem*, inquit, *a malo, vel a Debito absolvi non potest, nisi qui Debitum incurrit, vel in malum dejectus est: & ita non possent omnes fructum Dominicæ Passionis in seipsis percipere, nisi omnes Debitores nascerentur, & malo subjecti. Unde dimissio Debitorum, & liberatio a malo non potest intelligi, quod aliquis sine Debito, vel immunis a malo nascatur, sed quia cum Debito natus, postea per gratiam Christi liberatur.* Ergo juxta D. Thomam, ut quis indigeat CHRISTI Redemptione, satis est, ut in seipso vel Peccatum, vel peccati Debitum contraxerit.

67. Ex hoc loco D. Thomæ, duo celebres ejusdem Interpretes, & Ordinis Prædicatorum Magistri, Seraphinus Capponi a Porrecta, (t) & Johannes a S. Thoma, (u) inferunt, quod ubicunque Angelicus Doctor ex instituto, & definite ait, B. Virginem fuisse in Originali Peccato conceptam, propterea quòd secus non indiguisset Redemptione; locutus fuerit de Peccato, vel in se, & actu contracto; vel tantum in Debito, seu in potentia debitrice. Quia, inquit Capponius, *Qui Redemptione Præveniente liberatus est, non tantum vere, sed etiam nobiliori modo est a malo Redemptus.*

68. Latius sumpsit D. Bernardus Redemptionem Præservativam, dum CHRISTUM non tantum Hominibus, verum etiam Angelis *Sanctificationem, & Redemptionem* fuisse defendit. (x) Quod ut explanet, ita sibi objicit: „ At Angelis, *inquis*, quomodo Redemptio fuerit, non „ video. Nec enim auctoritas Scripturarum usum assentire videtur, eos aliquando aut Peccato extitisse Captivos, aut morti obnoxios; „ ut necessariam haberent Redemptionem; exceptis dumtaxat illis, qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes, Redimi deinceps non „ merentur. Si itaque Angeli nunquam Redempti sunt, alii utique non egentes, alii „ non promerentes; alii quidem, qui nec lapsi „ sunt; hi autem, quia irrevocabiles sunt: quo „ pacto tu dicis, Dominum JESUM CHRISTUM „ eis fuisse Redemptorem? „ Et statim respondet, Præservativam Redemptionem ingerendo: *Audi breviter: Qui erexit Hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur; sic illum de Captivitate eripiens, sicut hunc a Captivitate defendens. Et hac ratione fuit æque utrique Redemptio, solvens illum, & servans istum.* Hæc Bernardi de Redemptionis Præservativæ notione sententia prodesse poterit iis, qui a B. Virgine ipsum quoque Peccati Originalis Debitum proximum excludunt.

69. Tam luculentæ Auctoritati Theologicam rationem adjungimus. Juxta Scripturas, & Patres non minus CHRISTUS genus Humanum redemit ab Originali Peccato, quam a Peccatis Personalibus. At Sanctissimam suam Genitricem a Personalibus Peccatis non redemit, nisi Redemptione præservativa, ut constat: Sufficit ergo Redemptio præservativa, ut CHRISTUS vere, & proprie dicatur, Matrem suam redemisse ab Originali Peccato: ni velis absurde dicere, B. Virginem, suam ab omni Personali Peccato præservationem CHRISTO ut Redemptori neutiquam debuisse.

70. Ex huc usque explanatis liquido apparet, Præservationi B. Virginis ab Originali Peccato nullum prorsus Sacrarum Litterarum Testimonium resistere: quod ingenue fassus est Cardinalis Cajetanus, ubicumque de præsenti quæstione sermonem instituit, ut observavimus *num.* 46. *&* 59.

71. Bartholomæum Spinam, acerbissime hac de re cum Cajetano expostulantem, (in *Tractatu de Conceptione B. M. V.* quod contra ipsum conscripsit) nihil moror. Nam & Cajetanum hac in parte secuti sunt Viri clarissimi ejusdem Ordinis, Dominicus Sotus *n.* 43. laudatus, & Melchior Canus *libro* VII. *de locis cap.* 3. (*pag.* 222. *edit Colon. Agrip.*) ubi, *A Lege*, inquit, *Universali per Singulare Privilegium unam DEI Matrem excipere, Sacrarum Litterarum fidei nullo pacto adversum est.* Et Cl. V. Jacobus Echard *Tomo secundo de Scriptoribus* Ordinis Prædicatorum ad annum 1546. *pag.* 128. Bartholomæum Spinam acriter reprehendit, quod „ Non „ modo editis in Cajetanum, etiam viventem „ tractatibus impugnaverit, ac momorderit; sed „ & nulla viri, dignitatisque ratione servata, „ proscideret indigne, pluribusque affecerit, laceraritque conviciis, quæ Catharinum ipsum, „ quantumlibet eidem Cajetano infensum, puduit &c.

ARTICU-

(s) *Dist.* 43. *quæst.* 1. *ar.* 4. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. *fol.* 203. *col.* 4. *tom.* 7.

(t) *In Elucidationibus Litteralibus in* 3. *part. Summ. Angelicæ quæst.* 27. *art.* 2. *a pag.* 217. *& in* 1. 2. *Parte quæst.* 81. *art.* 3. *in examine pag.* 423. *edit.* Patavigæ An. 1698.

(u) *In suo Cursu Theolog. tom.* 1. *in* 1. *par. Summæ Tract. prævio de Approbat. & Auctoritate Doctrinæ D. Thom. Disp.* 2. *art.* 2. *a pag.* 161. *edit.* Colon. Agrip. an. 1711.

(x) *Serm.* 22. *in Cantica num.* 5. *&* 6. *pag.* 1336. *vol. primi.*

ARTICULUS II.

Sacræ Scripturæ Testimonia, a Pia Parte allegata.

TESTIMONIUM I.

Genesis cap. I. ver. 3.

Dixitque DEUS: Fiat Lux. Et facta est Lux.

72. HUnc locum S. Vincentius Ferrerius, Ordinis Prædicatorum fulgentissimum Sydus, B. Virginis MARIÆ Conceptioni in hunc modum accommodat: (*y*) „ *Fiat Lux.* Lux „ dicitur illa benedicta Generatio V. MARIÆ, „ quia sine tenebra Culpæ facta est. Modo autem in Generatione Filiorum sunt multæ tenebræ, propter intentionem carnalem, & corruptam mentem Parentum, sed Generatio V. MARIÆ fuit ut Lux. „ Sermo hic est de Seminali Conceptione. At postea loquens Ferrerius *de Conceptione Vitali*, seu *de Animat. B. V.* ait: „ *Et facta est Lux.* Ecce Sanctificatio V. MARIÆ. „ Non credatis, quod fuerit sicut in nobis, qui „ in peccatis concipimur, & nascimur, & nutrimur, quia si ante Baptismum fuissemus mortui, damnaremur, in Limbo intellige. Sed statim postquam Corpus fuit formatum, & Anima creata, tunc fuit Sanctificata. Ideo fit Festum de ejus Conceptione, quia facta est Lux „ Sanctificationis in ea, & statim Angeli in Cœlo fecerunt Festum Conceptionis. „ Ubi illud, *postquam Corpus &c.* naturæ, non temporis *posterioritatem* denotat. Nam alioqui negat Vir Sanctissimus, Conceptionem Virginis fuisse *sicut in nobis, qui in peccatis concipimur:* aitque, ideo fieri Festum de B. Virginis Conceptione, quia *facta est Lux Sanctificationis in ea*, scilicet in Conceptione.

73. Confirmat hanc expositionem gravis Interpres, Benedictus Justinianus: (*z*) „ Lux illa, *inquit*, B. Virginis Typus erat; cum enim „ dixisset Moses, *tenebras esse super faciem abyssi*; quo significabatur, universum Genus Humanum Peccati veluti tenebris occupari; statim subjicit, dixisse DEUM, *fiat Lux:* voluit enim, ut ait Paulus, (*2. Cor. 4. 6.*) *de tenebris Lucem splendescere:* hoc est de massa „ illa corrupta, & vitiata, & quasi tenebris „ obsita; Integerrimam Virginem quasi Lucem „ splendescere. Tametsi enim maxima pars Antiquorum locum istum de Natura Angelica „ explicat, quia tamen prius facta est mentio „ tenebrarum, quæ, ipsis etiam consentientibus, peccatum significant; de B. Virgine „ melius interpretamur, quæ de tenebris, hoc „ est Natura Peccatrice, in admirabile DEI „ lumen vocatur; quam merito Vir Pius vocat *Lucem Mundi*; & Alius quidam, *Stellam Mundi* (*a*) &c. „ V. & Richardum a S. Laurentio. (*b*)

74. Ipse etiam D. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus, Conceptionem B. Virginis figuratam intelligit in primæ Lucis Creatione. In operibus sex dierum *figuraliter* intelligens sex opera mirabilia DEI facta successive in Virgine MARIA, (*c*) „ Primum opus, *inquit*, est Conceptio: ibi dicitur, *Fiat Lux:* In hoc præfigurans, & præordinans Conceptum Virginis, „ cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. *Et facta est Lux.* Facta quidem, tempore determinato, quantum ad Corpus a Parentibus suis, „ Joachim, & Anna, ut causa instrumentali &c. „ Facta est autem Lux ista Virgo Gloriosa a „ DEO principaliter, quantum ad Corpus, quia „ de sterili, & optime complexionata, & organizata; quantum ad Animam, quoniam ipse „ DEUS de novo eam creavit post Corpus perfecte organizatum, & creando Animam in „ Corpus suum infudit. „ Hactenus optime: etsi deinceps a proposita Lucis figura quàm longissime recedens, in ea ipsa Luce *aliquam Tenebram Peccati Originalis contracti* videre sibi videtur. Sed *quæ societas Luci ad Tenebras? 2. Cor. 6. 14.*

TESTIMONIUM II.

Genesis cap. II. vers. 8.

Plantaverat autem Dominus DEUS Paradisum voluptatis a principio, in quo posuit Hominem, quem formaverat.

75. PAradisum immortalium deliciarum, B. Virginem nuncupavit S. Ephræm: (*d*) *Ave Paradise Deliciarum, totiusque amœnitatis, & immortalitatis.* Paradisum Terrestrem, adversus antiqui Serpentis insidias munitum, S. Germanus P. CP. (*e*) *Terrestris es Paradisus a DEO consitus, & ex quo imperavit DEUS Cherubinis, ut quas accepisti a natura leges, ad sanctitatem excolerent, ensemque igneum circa se in orbem rotarent, teque ab omnibus fraudulenti Serpentis insidiis tuerentur.* Spiritalem novi Adami Paradisum, eidem Serpenti, hoc est Diabolo, impervium S. Johannes Damasce-

(y) *Serm. 2. de Nativit. B. M. V. pag. 366. inter Sermones de Sanctis. edit.* Lugdun. an. 1558.

(z) *Explanat. in cap. 1. epist. 1. S. Johan. n. 43. pag. 55. edit.* Lugdun. 1621.

(a) S. Laurentius Justinianus *Serm. in Nativ. V. Mar. pag. 436. prope finem edit.* Lugd. an. 1628. *&* S. Petrus Damianus *serm. 3. seu Homil. de Nativ. B. V. pag. 129.*

(b) *Lib. 7. de Laudib. B. Mariæ a col. 475. edit.* Duacen. an. 1625.

(c) *Tom. 4. Summæ Theol. tit. 15. cap. 4. §. 2. fol. 163. edit.* Lugd.

(d) *Serm. de Laudib. B. M. V. post medium pag. 706. edit.* Colon. an. 1603.

(e) *Orat. in Annuntiat. Ss. DEI Genitricis pag. 108. & seq. in Mariali* Marracii.

Damascenus: (*f*) *Hodierno die Eden* [id est voluptas Cœlestis Patriæ] *Spiritualem novi Adami Paradisum suscipit, in quo condemnatio abrogata est, in quo vitæ lignum consitum, in quo nuditas nostra contecta est.* Et post pauca: *Etenim ad hunc Paradisum, aditum Serpens non habuit: ubi falsæ dignitatis cupiditate flagrantes, jumentis comparati sumus: Ipse enim Unigenitus Filius cum DEUS, & ejusdem cum Patre Substantiæ esset, ex hac Virgine, & PURA Terra Hominem sibi ipsi effinxit.* Quid pulchrius e re nostra?

76. Sed adhuc expressius S. Petrus Damianus *in Sermone de Annuntiatione B.V.M.* (*g*) „ Hîc, „ *inquit*, locum Voluptatis, Uterum MARIÆ „ intelligo, in quo cumulavit omnes delicias, „ deliciarum Dominus; de cujus deliciis Spi„ritus Sanctus admiratorio sermone in amoris „ Cantico sic eructat: [*Cant.* 8. 5.] *Quæ est is„ta, quæ ascendit de Deserto deliciis affluens?* „ Numquid in Angelis voluptatem habet Al„tissimus, in quibus ipse *reperit pravitatem?* „ Numquid in constellatione, vel scintillatio„ne Stellarum, quarum aliæ convertuntur in „ sanguinem, aliæ cadunt de Cœlo, aliæ in „ tenebras obscurantur? Numquid in aëre, vel „ igne &c. Numquid in aquis, ubi furens, & „ tortuosus Leviathan immoratur? Aut in Terra, „ quæ sub maledicto Adæ spinas emittit & tri„bulos? Non est locus Voluptatis, nisi in U„tero Virginis. „ In hac igitur Virgine non est reperta pravitas, non in eam subrepsit Leviathan, nec ipsa sub Maledicto Adæ fuit.

TESTIMONIUM III.

Genesis cap. III. ver. 14. & 15.

Et ait Dominus DEUS ad Serpentem ..... Inimicitias ponam inter te, & Mulierem; & Semen tuum, & Semen illius: tu insidiaberis calcaneo ejus, & Ipsa conteret Caput tuum.

77. NUllum fere est in Sacris Litteris, pro Præservatione B. Virginis ab Originali Peccato, locupletius testimonium. Mulierem illam, quæ hoc loco prædicitur Serpentis Caput contritura, DEI Genitricem MARIAM, Sancti Patres, & Interpretes Sacri passim intelligunt, ut observat eruditissimus P. Martinus del Rio: (*h*) *Solerter*, inquit, *& vere secundum allegoriam Sancti Patres interpretati sunt per Mulierem, Mariam; per ejus Semen, Jesum; per Serpentem, Diabolum; per ejus Semen, Infideles, & impios Christianorum hostes.* Et pro hac interpretatione laudat D. Epiphanium, Theodoretum, S. Cyprianum, S. Augustinum, Rupertum, Ven. Bedam. Ipsas aliquot Patrum, & insignium Interpretum sententias afferamus.

78. S. Cyprianus Episcop. & Martyr, (*i*) *Hoc Semen,* inquit, *prædixerat DEUS de Muliere procedere, quod calcaret Caput Diaboli, in Genesi: Tunc dixit DEUS ad Serpentem &c.* S. Epiphanius; (*k*) „ Nusquam, *inquit*, reperitur Se„men Mulieris. Verùm secundùm ænigma de „ Eva accipitur inimicitia adversus ea, quæ ab „ ipsa gignuntur, ipsius Serpentis, & Dia„boli, qui in Serpente fuit, & individiæ: proinde „ perfectissime non potest totum in ipsa imple„ri. Implebitur autem revera in Semine Sancto, „ eximio solo, quod a MARIA sola inven„tum est, & non ex conjugio Viri. „ S. Bernardus Claravall. Abbas pluribus in locis: (*l*) *Nimirum*, inquit, *Ipsa est quondam a DEO promissa Mulier, Serpentis antiqui Caput virtutis pede contritura.* Rursus: *Nisi fallor, hæc Virgo est..... quæ adeo fortis fuit, ut illius Serpentis Caput contereret, cui a Domino dictum est: Inimicitias ponam &c.* Et iterum: *Quam tibi aliam prædixisse DEUS videtur, quando ad Serpentem ait:* Inimicitias ponam inter te, & Mulierem? *Et si adhuc dubitas, quod de Maria non dixerit, audi, quod sequitur:* Ipsa conteret Caput tuum. *Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ?* Adde Petrum Blesensem, vel, [ut aliis placet,] Petrum Comestorem, qui MARIAM signans, (*m*) *Hæc*, inquit, *est illa Mulier fortis ..... in cujus fortitudine dictum est Diabolo: Ipsa conteret Caput tuum.*

79. Omnium luculentissima est Ruperti Abbatis Tuitiensis Interpretatio, *libro tertio de Trinitate, & Operibus ejus, in Genesim.* (*n*) „ Certis„sime, *ait*, hîc illius Semen Mulieris pro„mittitur, quod est CHRISTUS, per quod sexus „ idem, qui deceptus est, Deceptoris Caput om„ne contrivit, quando ad destructionem Pecca„ti B. Virgo sine Peccato Novum hunc, & „ Cœlestem Hominem Mundo edidit. *Et tu*, „ inquit, *insidiaberis calcaneo ejus*, id est inge„res te in extremis vitæ illius, *insidiaberis*, in„quit, sed non etiam mordere poteris. „ *Et lib. secun. de Victoria Verbi DEI:* (*o*) *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & Mulierem:* „ tanquam „ diceret: nunc Mulier, & Vir tibi fœderati sunt, „ tecumque fecerunt pactum, & *cum morte* „ *fædus percusserunt.* [Isa. 28. 15.] Ego au„tem Amicitias hujusmodi dissolvam: inter te, „ & Mulierem Inimicitias ponam. „ *Tum inquirens, cur hoc ad ipsam Mulierem non dixit? Respon-*

Plazza Causa Immacul. Concept. B. M. V. E

(f) *Orat. 2. de Dormit. B. M. V. f. 353. pag. 2.*
(g) *Serm. 11. pag. 30.* edit. Rom. an. 1606. *Extat quoque inter opera D. Bernardi serm. 2. de Nativit. Domini col. 565. volum. 2.*
(h) *In Pharo Sacræ Sapientiæ, seu Commentar. & Glossis Litteral. in Genesim cap. 3. v. 15. n. 53. pag. 104. & seq. edit.* Lugdun. 1608.
(i) *Lib. 2. Testimoniorum adversus Judæos ad Quirinum, n. 9. pag. 355. col. 1. edit.* Paris. an. 1603.
(k) *Lib. 3. adversus Hæreses. Hæres. 78. pag. 332. edit.* Paris. an. 1566.
(l) *In Serm. de 12. Prærogat. B. M. V. Dominica infra octav. Assumpt. num. 4. col. 1007. Et col. 1185. volum. 1. Serm. 52. de diversis, (al. 9. ex parvis,) col. 1186. & Hom. de laudib. Virg. Matris super* Missus est, *n. 4. col. 730.*
(m) *Serm. 1. de Adventu pag. 308. Operum Blesensis edit.* Mogunt. *ann. 1600. & pag. 1387. col. 1. tomi 24. Biblioth. PP.*
(n) *Cap. 19. fol. 31. pag. 1. tomi 1. edit.* Colon. an. 1535.
(o) *Cap. 16. & 17. fol. 13. edit.* Colon. an. 1541.

Respondet: „ Quia non ad ipsam Evam, sed ad „ alteram ejusdem sexus Personam, videlicet ad „ B. V. MARIAM, intendebat ipse, qui loquebatur. Recte igitur non ad Mulierem male „ meritam facta est auxiliatricis Gratiæ promissio, sed potius ad Serpentem hostilis, & bel„lica comminatio. „ *Et infra:* „ Equidem princi„paliter B.V. MARIA, Mulier illa est, inter quam, „ & Serpentem inimicitias positurum se dixit, & „ posuit Deus. „

80. Tenemus ergo, B. V. MARIAM esse Mulierem illam, inter quam, & Serpentem Diabolum perpetes inimicitias positurus erat DEUS; quæque ejusdem Diaboli Caput contritura erat. Quodnam vero est antiqui Serpentis, qui Evam decepit, conterendum a nostra Muliere Caput? Non aliud sane, nisi Originale Peccatum, quod fuit omnium peccatorum Origo, & Radix, & unde initium habuit Diabolica Tyrannis in Genus humanum: ut indicavit S. Gregorius Nyssenus Oratione in die Natali CHRISTI: (p) *Et quod igitur*, inquit, *collisum, & effractum est Caput? Illud, quod impio consilio mortem intulerat, quod morsu mortiferum Homini virus injecerat.* Et clarius exposuit Rupertus Abbas *libro 3. Commentariorum* in Habacuc Prophetam: (q) *Semper*, inquit, *impius Diabolus est, & domus ejus Mundus, sive omne, quod in Mundo est, scilicet* [1. Johan. 2. 16.] concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. *Quid ergo intelligimus Caput ejusdem domus, nisi aut ipsum Diabolum, Principem Mundi; aut Originale Peccatum, quod regni, vel domus ejus Caput, & principium est?* Augustino quoque, *Caput Diaboli Originale Peccatum esse*, refert Johan. Eckius, sed locum invenire non potui. Ait præterea Lorinus *Commentario in Psalmum* LXXIII. *v.* 13. de Originali Peccato, aqua Baptismatis expiando, communiter accipi, quod eo in loco scriptum est: *Tu contribulasti Capita Draconum in aquis.* Ubi D. Hieronymus pro *contribulasti*, habet *contrivisti.* Planissimus ergo, Sanctisque Patribus probatus allegati Testimonii sensus est, B. V. MARIAM contrituram esse Caput Diaboli, ne ipsam morderet Originali Peccato.

81. Hanc Expositionem obscurare conantur aliqui, causantes in Hebræo non legi, *Ipsa, sed Ipse conteret &c.* Quod pronomen non refertur ad Mulierem, sed ad ejus semen, quod itidem in Hebræo est generis masculini; latine autem vertendum esset *Ipsum.* At Viro Catholico sufficere debet, in Vulgata Editione legi, *Ipsa*, & referri ad Mulierem. Etenim Concilium Tridentinum (r) *statuit, & declarat*, quod *Vulgata Editio, quæ longo tot sæculorum usu, in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.*

82. Hæreticos vero, propterea sugillantes Editionem Vulgatam, nervose refellit Ven. Robertus Cardinalis Bellarminus (s) „ Etiamsi, *in„quit*, multi Codices Hebraici habeant *hu*, id est „ *Ipse*, tamen legi unum, in quo erat scriptum „ *hi*, id est *ipsa*, ac præterea remotis punctis, il„lam vocem Hebraicam *hu* posse interpretari „ *ipsa*, nimis rudis est, qui nescit. Passim „ enim occurrit in Sacris Bibliis *hu*, pro *hi.* „ Sic *Genesis* 3. *v.* 12. *Exod.* 3. *v.* 8. Adde quod, „ *ipsa*, legerat Claudius Marius Victor *lib.* 1. „ *in Gen.* Alcimus Avitus *libro* 3. *Carminum* „ *cap.* 6. Chrysostomus *homil.* 17. *in Gen.* Au„gustinus *lib.* 2. *de Gen. contra* Manichæos „ *cap.* 18. *& lib.* 11. *de Gen. ad litteram cap.* „ 36. Ambrosius *lib. de fuga sæculi cap.* 7. Gre„gorius *lib.* 1. *Moralium*, *cap.* 38. Eucheri„us, Rupertus, Beda, Rabanus, & Strabus, „ ac Lyranus in hunc locum, & Bernardus *serm.* „ 2. *super Missus est.* Itaque mendacium est, „ quod Chemnitius dicit, omnes Veteres le„gere *ipsum.* „ Subditque Bellarminus, Linguæ Sanctæ peritissimus, non obstare, quod verbum, *conteret*, in Hebræo sit masculini generis; quia non est novum in Scriptura, ut cum nominibus fœmininis conjungantur pronomina, aut verba generis masculini.

83. Eandem Lectionem non minori eruditione tuentur Nostri Cornelius a Lapide, (t) & Martinus del Rio *in Adagialibus Sacris Veteris, & Novi Testamenti.* (u) Notat vero Cornelius, utramque lectionem esse veram: „ Nam, „ cum DEUS, *inquit*, hic opponat quasi Anta„gonistas Mulierem cum suo Semine, Serpenti „ cum suo Semine; consequenter vult dicere, „ Mulierem cum suo Semine contrituram Caput „ Serpentis; sicut e contrario Serpens tam Mu„lieris, quam Seminis ejus calcaneo insidiatur. „ Ideoque videtur Moyses hic in Hebræo ver„bum masculinum cum pronomine fœminino „ permiscuisse, dicens, *hi iasuph*, *ipsa conte„ret*, ut significaret, tam Mulierem, quam „ Semen ejus, adeoque Mulierem per Semen „ suum, puta per CHRISTUM, contrituram Ca„put Serpentis. „ *Similiter del Rio*, „ Quocum„que, *inquit*, legas modo, utraque Versio conci„liari potest, si Mulierem in suo Filio, seu Se„mine contrituram Caput Serpentis intelliga„mus. Arbitror enim, omnes tres lectiones jux„ta Hebræam sine punctis vocalibus scriptio„nem, quæ ambigua est, recipi posse .... Quia „ cum omnes verum, & eodem ferentem sensum „ contineant, omnes etiam Spiritui Sancto pla„cuisse videntur. „

84. Merito igitur ex isto Genesis loco, Graves, & Antiqui Theologi colligunt, DEI Genitricis ab Originali Peccato Præservationem. D. Dionysius Carthusianus: (x) *Horremus, Mulierem, quæ Caput Serpentis erat contritura, quandoque ab eo contritam, atque Diaboli Filiam fuisse Matrem Domini, fateri.* Johannes Lansper-

(p) *Pag.* 775. *edit. Græco-Lat.* Paris. an. 1615.
(q) *Cap.* 3. *ver.* 13. *ad ea verba,* percussisti Caput de domo Impii. *f.* 185. & seq.
(r) *Sess. 4. in decreto de Editione, & usu Sacrorum Librorum.*
(s) *Lib.* 2. *de Verbo Dei cap.* 12. *num.* 3. *pag.* 57. *tomi* 1. Controvers. Fidei.
(t) *Comment. in cap.* 3. *Genes. ver.* 15.
(u) *Par.* 1. *Adagio* 6. *digress.* 1. *a pag.* 7. *edit.* Lugdun. 1612.
(x) *In lib.* 3. *Sententiar. dist.* 3. *quæstion.* 1. *prope finem.*

Lanspergius, Auctor piissimus: (*y*) *Quomodo Beatissima hæc Virgo contrivisset Caput Serpentis hujus, si vel ad momentum Serpenti, hoc est Diabolo, per Originale Peccatum subjacuisset? Absit, absit, ut Beatissimam DEI Matrem, ne ad momentum quidem, Filiam dicamus aliquando fuisse Diaboli, Filiamque iræ.* Johannes Eckius, invictus Catholicæ Fidei Assertor: (*z*) *Si Maria, vel momentum unicum in Peccato fuisset Originali, non habuisset utique cum Diabolo inimicitias, neque etiam Caput illius contrivisset. Ita enim Augustinus super Genesim, subjectum, inquit, esse Peccato Originali, est Caput Diaboli, eo quod principium illud est, quo Diabolus Hominem in suam adducit potestatem &c.* Et iis omnibus antiquior Johan. Bacho: (*a*) *Hæc prophetia non potest intelligi de quacumque Muliere conceptura purum Hominem: quia nulla talis potuit prævalere contra Diabolum, evadendo illud jus capitale, quod habet in Homine, ea ratione, qua est seminaliter, seu per concubitum genitus, quod jus est necessitas contrahendi Originale. Ergo singulariter oportet intelligere de Muliere Virgine illa, quæ conceptura erat Filium DEI &c.*

85. Altiorem hujus Interpretationis probationem, etsi longiusculam, a Jacobo de Valentia, Episcopo Christopolitano, audire non pigeat: (*b*) „Totum fundamentum primum, unde „habetur, quod omnes Filii Adæ fuerunt obligati ad Culpam Originalem, deducitur ex „Peccato primorum Parentum, & ex Sententia eis inflicta propter illud Peccatum, quia „audientes vocem Serpentis prævaricati sunt „præceptum Domini. Unde ex Sententia ibi „data, & ex dictis Sacræ Scripturæ recolligitur, quod Serpens antiquus quadruplici morsu momordit primos Parentes, scilicet morsu „Culpæ in Anima, morsu morbidæ Concupiscentiæ in Carne, & morsu Ærumnarum, & „miseriæ in Conceptu, & Partu Mulierum, & „morsu Doloris, & incinerationis, & putrefactionis corporis in morte .... Sed antequam „DEUS promulgaret istam Sententiam, exceptavit, & exemit Virginem MARIAM ab hac „Sententia, ut patet in eadem Scriptura ..... „Nam antequam ferret Sententiam contra Hominem, post maledictionem Serpentis, dixit ipsi: *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem &c.* Postea vero dixit Mulieri: *Multiplicabo ærumnas tuas &c.* Exinde promulgavit Sententiam generalem contra utrumque cum tota eorum posteritate, dicens: *Maledicta terra in opere tuo &c.* Sed antequam promulgaretur ista Sententia, facta „fuit Exceptio de Virgine MARIA per hoc, „quod dixerat DEUS Serpenti. *Ipsa* Mulier „*conteret Caput tuum:* quod non fuit impletum „in Eva, nec in alia Muliere, nisi in sola Virgine MARIA, prout omnes Doctores dicunt. Ergo si sola V. MARIA contrivit Caput Serpentis, prout ante Sententiam latam fuit dictum; „Serpens non potuit mordere Virginem MARIAM illo quadruplici morsu; quia aliter non „contrivisset Caput Serpentis. Nam manifestum est, quod non momordit eam morsu Corruptionis, Ærumnarum, & Dolorum in „Conceptu, & Partu Filii DEI; nec morsu „Incinerationis, ut jam communiter tenet tota „Ecclesia, Ergo minus momordit eam morsu „Originalis Culpæ, aut alterius Peccati; quod „maxime ipsam vulnerasset &c. „

TESTIMONIUM IV.

Genesis cap. VI. ver. 13. & 14.

Dixit (DEUS) *ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me &c. Fac tibi Arcam de lignis lævigatis &c.*

86. Hanc Arcam, MARIÆ Typum fuisse declarat Ecbertus Abbas Schonaugensis, sæculi duodecimi Scriptor, & simul ejus Præservationem astruit a communi Naufragio Generis Humani: (*c*) „Arca, *inquit*, Noe significavit Arcam Gratiæ, excellentiam scilicet MARIÆ. Sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium; sic per istam, Peccati naufragium. Illam „Noe, ut diluvium evaderet, fabricavit. Istam „CHRISTUS, ut Humanum Genus redimeret, „sibi præparavit. Per illam octo Animæ tantum „salvantur: per istam omnes ad æternam vitam vocantur &c. Illa facta est de lignis lævigatis: ista de virtutibus ædificata est consummatis. Illa superferebatur aquis diluvii, ista „non sensit naufragia ullius vitii. „ Primum autem Humani Generis, in Adam naufragantis, Vitium, fuit Originale Peccatum.

87. Eandem inter Arcam Noe, & B. Virginem, comparationem exequitur Hesychius, sive Isychius, Presbyter Hierosolymitanus, eamque a morte, & corruptione Peccati, a lapsu Primorum Parentum, & a Draconis potestate remotam insinuat: (*d*) „Illa erat, *inquit*, Animalium Arca, hæc autem Arca Vitæ. Illa corruptibilium Animalium; ista vero Vitæ incorruptibilis: Illa ipsum Noe; hæc vero ipsius Noe „Factorem portavit: Illa duas, & tres contignationes, & mansiones habebat; hæc autem universum Trinitatis Complementum: „quandoquidem, & Spiritus Sanctus adveniebat, & Pater obumbrabat, & Filius Utero „gestatus inhabitabat ..... Vides quanta & qualis „est Deiparæ Virginis Dignitas. Unigenitus „enim

(y) *Serm. de Concept. B. V. pag.* 53. *tom.* 2. *Sermonum de Sanctis edit.* Colon. an. 1609.

(z) *Hom.*4. *in die Concept fol.*28. *pag.*1. *tom.*3. *Homiliar. de Sanctis edit.* Paris. an. 1549.

(a) *In lib.*4. *Sentent. dist.*3. *qu.*3. *ar.*3. *in primo argumento pag.*308. *edit.* Cremon. an. 1618.

(b) *Super Canticum B. V.* Magnificat, *ad ea verba:* Quia fecit mihi magna &c. *a fine pag.* 1105. *edit.* Venetæ an. 1568. *post expositionem Psalmor.*

(c) *In Serm. de B. M. V., qui extat apud D. Bernard. vol.*2. *tom.* 5. *col.* 692. *num.* 6. *Sed huic Auctori tribuitur a* Mabillonio *in Indice Serm. Alii etiam hujus Auctoris Sermones contra Catharos extant tom.* 23. *Biblioth. Max. PP.*

(d) *Hom. seu Serm.* 2. *de S. Maria Deipara pag.* 187. *tom.* 12. *Bibl. Max. VV. PP. De hoc Auctore vide* Philippum Labbe *tom.* 1. *Differt. de Scriptor. Ecclesiast. a pag.* 632.

» enim DEI Filius, Mundi Conditor, velut Infans gestabatur ab ea, & Adamum reformabat, » Evamque sanctificabat, excludebat Draconem, » & Paradisum aperiebat. »

88. Mentem istorum Patrum assecutus Leonardus Matthei de Utino, Ordinis Prædicatorum, sæculi decimiquinti Theologus, Serm. de Nativitate B.M.V. (e) *Contra istam*, inquit, *inundationem* [peccatorum] *adhibuit DEUS remedium, scilicet Arcam B. Virginis fabricando, in quam verus Noe*, id est *Christus, ingrediens, Mundum ab ipso diluvio salvavit. Ista Arca fuit de lignis lævigatis, id est complanatis, quia omni asperitate Peccati immunis.*

TESTIMONIUM V.

Exodi cap. III. ver. 2.

Apparuit ei (Moysi) *Dominus in flamma ignis de medio Rubi: & videbat, quod Rubus arderet, & non combureretur.*

89. IN hoc Rubo adumbratam DEI Genitricem agnoscit Ecclesia, agnoscunt & Patres, S.Ephræm in Oratione de Laudibus B.Virginis, S Proculus Oratione in Nativitate Domini, Hesychius, & Ecbertus *locis citatis.* Sed apposite Theodotus Ancyræ Episcopus, Homilia in Natalem Salvatoris, quæ lecta est in Concilio Ephesino (f) Rubum ardentem, & non combustum, Virgineum Uterum interpretatur, ab omni passione Peccati purum: » An non, *inquit*, » DEUM ex Rubo loquentem audiens, Moysi» que dicentem: *Ego sum DEUS Abraham &c.* » & ipsum Moysen pronum adorantem; cre» dis, non ignem reputans, qui cernebatur, » sed DEUM, qui loquebatur; cùm vero Vir» gineum Uterum memoro, abominaris, & » aversaris? Dic mihi, quid est vilius, Rubus ne, » an Uterus Virgineus, ab omni passione Peccati » purus? Ignoras, quæ antiquitus gesta sunt, re» centiorum, eorumque, quæ nunc contigerunt » esse meditationes? ... Nonne Virginem in Ru» bo animadvertis? »

90. Idem mysterium Rubi ardentis, & non combusti ad primigeniam Beatæ Virginis Innocentiam, expressius refert S. Ludovicus Bertrandus *in Serm. de Purissima Conceptione B.Virginis.* (g) *Hæc*, inquit, *est itaque Rubus ille Moysis, qui ardebat, & non consumebatur. Ardebat hæc, nam more reliquorum ab Adamo descendentium, ex Semine Virili, & ardore concupiscentiæ fuit concepta; verum incombusta, ac a communi Peccati Originalis incendio remansit illæsa.*

TESTIMONIUM VI.

Exodi cap. XXV. ver. 10. & 11.

Arcam de lignis Setim compingite &c. Et deaurabis eam auro mundissimo, intus, & foris.

91. ARcam Fœderis, seu Testamenti, [qua nihil apud Hebræos erat intemeratius, nihil sanctius, atque augustius,] DEI Genitricem mystice designasse, frequens est Patrum interpretatio. *Arcam*, [ajebat D. Ambrosius (h)] *Quid, nisi Sanctam Mariam dixerimus? Siquidem Arca intrinsecus portabat Testamenti Tabulas: Maria autem ipsius Testamenti gestabat Hæredem: Illa intra semet Legem, Hæc Evangelium retinebat: Illa DEI vocem habebat, Hæc Verbum. Verumtamen Arca intus, forisque auri nitore radiabat; sed & Sancta Maria intus, forisque Virginitatis splendore fulgebat: Illa terreno ornabatur auro; Ista cœlesti.* Splendor iste Virginitatis, quo intus, & foris fulgentem MARIAM prædicat S. Ambrosius; non sola corporis integritas est, sed & corporis, & Animæ nitidissima Puritas, ac plane Cœlestis, ut alibi declarat.

92. In hac eadem Arca, universum Sanctificationis, seu totius Sanctificationis Thesaurum, reconditum agnoscunt alii Patres. S. Gregorius Neocæsariensis Episcopus, (i) *Vere*, inquit, *Arca est Sanctissima Virgo, intrinsecus, & extrinsecus deaurata, quæ universum Sanctificationis Thesaurum suscepit &c.* Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus: (k) *Arca vere Regia, Arca Pretiosissima est Virgo Deipara, quæ excepit totius Sanctificationis Thesaurum &c.* Petrus Cellensis in libro de Panibus: (l) *De Fœderis, vel potius Sanctificationis Arca, quid aliud dicam, nisi quod & Mater Arca est Fœderis, continens in se quidquid est Sanctificationis, vel Creaturæ, vel Creantis.* Unus, & nobilissimus Sanctificationis modus est, quo DEUS dum creat, sanctificat, & Anima, cùm creatur, sanctificatur.

93. Considerant alii Patres in lignis Setim, quæ compingebant Arcam, & teste Josepho, imputribilia sunt; perpetuam B. Virginis Integritatem, & innatam Puritatem. Ecbertus Abbas Schonaugensis, Sermone cit. num. 86. *De Lignis*, ait, *Setim condita est Arca, in qua Thuribulum, Manna, & Virga sunt recondita: Quia licet Maria de Patrum natura vitiata duceret Originem, prælecta tamen per Spiritum Sanctum, & præservata ad purum, DEUM nobis obtulit, & Hominem.* S. Laurentius Justinianus:

(e) *Serm. 47. inter ejus Sermones de Sanctis pag. 357. edit.* Venetæ an. 1692.
(f) *Part. 3. Concil. Ephes. col. 1530. tom. 3. Concilior.*
(g) *Extat in Operibus Parthenicis P. Eusebii Nierembergii, qui eum Sermonem ex mss. Originalib.* S. Ludovici *descripsit in libro* Exceptiones Concilii Trid. *pag. 205. col. 2. edit.* Lugd. an. 1659.
(h) *Serm. 25. ad finem, col. 160. tom. 5. ejus Operum.*
(i) *Serm. 1. de Annunciat. pag. 310. col. 1. tom. 3. Bibl. PP.*
(k) *Serm. de S. Maria Deipara pag. 1044. col. 2. tom. 11. Bibl. PP.*
(l) *Cap. 21. pag. 779. col. 2. tom. 23. Bibl. PP.*

nianus: (m) *An non*, inquit, *Maria Testamenti Arca verissima, quæ auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, ac imputribilibus lignis spiritualiter facta, Testamenti Tabulas, frondentem Virgam, & suavissimum in se Manna continuit?* His accedens Nicolaus de Lyra, seu Lyranus in eum locum, (n) „ Per Arcam, „ *inquit*, istam figurata fuit MARIA, in qua „ repositus fuit Sanctus Sanctorum, JESUS „ CHRISTUS &c. facta vero fuit hæc Arca de „ Lignis Setim, quæ sunt imputribilia, ad si- „ gnificandum Puritatem B. Virginis MARIÆ, „ quæ fuit Purissima Mente, & Corpore. „ Plura de hac Arca figurata erudite P. Franciscus Mendoza, Soc. Jesu *Tomo II. Commentar. in primum librum Regum cap.* IV. ver. II. *Annotat.* XL *circa litteram sect.* 1. & 2.

TESTIMONIUM VII.

Numerorum cap. XVII. ver. 10.

Refer Virgam Aaron in Tabernaculum Testimonii.

94. FLorentem Aaronis Virgam, DEI Genitricem salutavit S. Ephræm: (o) *O Viridans Aaronis Virga. Virgo enim vere extitisti, & Flos, Filius tuus.* Hanc porro Virgam, etsi a vitiata radice oriundam, absque ullo vitio germinasse, luculenter declarat S. Ildephonsus in quodam Sermone de B. MARIA: (p) „ Sic „ ergo, *inquit*, Auctor mortis, Genus Huma- „ num, quasi unam arborem, adhuc in radice „ teneram, antequam in propaginis Flore pro- „ diret, vitiavit. Inde est ergo, quod radix vi- „ tiata quotidie indesinenter fronderet, fron- „ desque ejus indesinenter per mortem marcef- „ cunt. Et sæpe contingit, quod aurum fulgens „ reperiatur in luto, & ex pungenti Spina, pul- „ chra rubens oriatur & Rosa. Hoc enim ope- „ rante Providentia Divina, ex radice vitia- „ ta, sine vitio prodiit Virga, quæ intelligi- „ tur Beatissima Virgo MARIA, attestante Isaia „ Propheta, qui dixit: *Exiet Virga de radice* „ *Jesse &c.* Hujus enim Gloriosæ Virginis, id „ est S. MARIÆ figuram tenuit Virga illa, quæ „ fuit in Mysterio Aaron Sacerdotis, jubente „ Domino, a S. Moyse in Tabernaculo posi- „ ta, quæ altero die sola fronduit, nucesque „ protulit; quia procul dubio sola Virgo MA- „ RIA fuit, quæ Dominum peperit, & post „ Partum Virgo permansit. Per hanc ergo „ Auctor Vitæ Auctorem Mortis patenter dam- „ navit. „

95. Hunc S. Ildephonsi sermonem, Vir Piissimus, & Eruditissimus P. Johannes Eusebius Nierimbergius se exscripsisse testatur ex quodam Codice ms. in folio in charta pergamena; qui, tanquam inæstimabilis Thesaurus, asservatur in Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ loculo XXXI. *numer.* 17. cum hac nota in fine: *Explicit liber, Ildephonsus, quem fecit scribi Reverendissimus in Christo Pater, & D. D. Amelius Miseratione Domini, titulo S. Eusebii Cardinalis, cui DEUS det bonam vitam, & longam. Et fuit completum per me Bernardum de Gordono die 23. Mensis Julii, anno* 1388. De isto Cardinali Amelio agitur apud Ciaconium *in Vitis Pontificum cum additionibus pag.* 682. *Tom.* 2. & laudati sermonis meminit P. Labbe *Dissertation. de Scriptoribus Ecclesiasticis Tomo primo in Ildephonso.*

TESTIMONIUM VIII.

Libro tertio Regum cap. X. ver. 18. & seqq.

Fecit etiam Rex Salomon Thronum de Ebore grandem: & vestivit eum auro fulvo nimis &c. Non est factum tale opus in universis Regnis.

96. SUb hoc Salomonis Throno, DEI Genitricem necessario intelligendam esse, sensit D. Petrus Damianus *Sermone primo de ejus Nativitate:* (q) „ Numquid, *inquit*, Sacræ „ Scriptor Historiæ omnia opera Mundi, & „ gloriam eorum, intuitu diligenti perspexe- „ rat, ut hoc statim tota deliberatione, non u- „ ni, sed omnibus anteferret? Inania sunt hæc, „ si non recurramus ad intimos Cœlestis Do- „ ctrinæ recessus, si non deviemus a via litte- „ ratoriæ qualitatis. Salomon noster, non so- „ lum Sapiens, sed & Sapientia Patris, non so- „ lum Pacificus, sed & Pax nostra, qui fecit „ utraque unum; fecit Thronum, Uterum vi- „ delicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa „ Majestas, quæ nutu concutit Orbem &c. „

97. Tum singula hujus Throni decora expendens, primo notat, factum esse de *Ebore*, & non de alia pretiosiori materia. Quia *Ebur, & mirabili candore relucet, & multa praeminet fortitudine, frigidiorisque naturæ sortitur auspicium. Et quid candidius illa Virginitate, quæ singularis aspectus sui gratia supercœlestem Curiam allicit ad videndum? Quid fortius illa Fortitudine, per quam Domini Fortitudo vasa diripuit Fortioris? Quid frigidius illa substantia, quam obumbravit virtus Altissimi, & ab æstu peccati defendit supervenientis Spiritus plenitudo?* Deinde considerans Granditatem, *Quid grandius*, inquit, *Virgine Maria, quæ Magnitudinem Summæ Divinitatis intra sui Ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ supervola dignitatem; & videbis quid quid majus est, minus Virgine, solumque Opificem opus istud super-*

· *Plazza Causa Immacul. Concept. B. M. V.*

(m) *Serm. in Nativ. Glor. V. Mariæ pag.* 436. *edition.* Lugdun. an. 1628.
(n) *Tom.* 1. *Biblior. Sacrorum cum Glossa ordinaria, & novis Additionibus edit.* Venet. an. 1603.
(o) *De Sanctiss. Dei Genitricis V. Mariæ Laudibus, non longe ab initio pag.* 705. *edit. citatæ.*
(p) *Apud* Nierimbergium *in Operibus Parthenicis lib. cit. cap.* 11. *pag.* 131. *edit. ejusdem.*
(q) *Serm.* 45. *in Ordine a pag.* 111. *tom.* 2. *ejus Operum edit.* Romi. an. 1606.

supergredi. Demum in Auro Divinitatem intelligens; *Hac*, ait, *vestita est, immo supervestita Mater Altissimi, totamque Virginem tota illa indivisibilis natura, largiori gratia superfudit. Habitat in Angelis DEUS, sed non cum Angelis, quia cum illis ejusdem non est Essentiæ. Habitat DEUS in Virgine, habitat cum Illa; cum qua unius naturæ habet identitatem. Hoc est ergo aurum fulvum nimis, quo Thronus est vestitus: quia tali modo DEUS Virginem induit, & in Virgine indutus est, ut meliori non posset.* Singula pene verba eximiam, ab ipsa etiam Origine, DEI Matris Puritatem, & Sanctitatem astruunt: Sed satis est, generatim advertere, MARIAM fuisse Thronum, a DEO sibi tam studiose præparatum, ne cui suspicio veniat diabolicæ in Ea sessionis.

TESTIMONIUM IX.

Eodem Libro Regum cap. XVIII. ver. 44.

Ecce nubecula parva, quasi vestigium Hominis, ascendebat de mari.

98. NUbeculam istam, quæ Eliæ Prophetæ visa est in Monte Carmelo, B. Virginis Typum fuisse, communis Fidelium pietas aliunde commonstrat: idcirco enim B. Virginem sub titulo de Monte Carmelo impense venerantur, & colunt. Huic pietati non parum favet Sedes Apostolica, dum sub hoc eodem titulo, speciale B. Virginis Festum, proprio Officio nuper reformato, in universa Ecclesia celebrandum instituit.

99. Qua vero ratione Nubecula illa de Mari exoriens, Illibatum DEI Parentis Conceptum adumbret, apte exponit Johannes quidam Hierosolymitanus in libro *de Institutione primorum Monachorum ad Caprasium*, (r) ubi ait, revelatum tunc esse Eliæ, quod „ Quædam Infantula, scilicet B. MARIA, per illam Nubeculam „ significata, & instar illius Nubeculæ per humilitatem parva, nasceretur de Humana Natura peccatrice, designata per Mare. Quæ „ Infantula jam in suo Ortu *(Ipsum loqui de „ Ortu in Utero, seu de Conceptione, ex consequentibus liquet,)* esset munda ab omni Peccatorum sorde: quemadmodum Nubecula illa fuit de Mari amaro, sine tamen aliqua „ amaritudine. Licet namque Nubecula illa esset Originaliter ejusdem Naturæ cum Mari; „ alterius tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis. Mare quippe ponderosum est, & „ amarum; sed Nubecula illa levis fuit, & „ dulcis. Sic quamvis in quolibet alio Homine „ Natura Humana instar Maris sit in sua Origine, ita amaritudine Peccatorum, & Vitiorum pondere pressa, ut fateri cogatur: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: „ & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* „ *(Psalm. 37. 5.)* Beata tamen MARIA de hoc „ Mari, id est Natura Humana, aliter fuit orta, „ quia in suo Ortu non fuit onerata amaritudine „ delictorum; sed instar illius Nubeculæ fuit „ levis per immunitatem Peccatorum, & dulcis „ per plenitudinem Charismatum. Ipsa enim in „ suo Ortu fuit Nubes illa, de qua per Moysen figurate est scriptum: *Ecce Gloria Domini „ apparuit in Nube „ Exod. 16. 10.*

100. Johannes iste Hierosolymitanus, cujus laudavimus explanationem, non est ille Johannes Patriarcha Hierosolymitanus XLIV. vel potius XLII. inter quem, & S. Hieronymum non semel, nec leves excitatæ sunt contentiones, Origenis causâ, cui ille favere videbatur; ut jam omnes Critici melioris notæ pro comperto habent: (s) sed fuit alter Johannes, professione Carmelita, ortu Hierosolymitanus, sæculi decimi tertii Scriptor, qui in eo libro sui Ordinis originem illustrare conatur; cum non multo ante, ejusdem Ordinis Regulam, ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano *an.* 1171. formatam, approbaverit Honorius III. *Constitutione* VIII. *edita an.* 1226. Videsis P. Danielem Papebrochium *in Responsione Apologetica ad exhibitionem errorum per Fr. Sebastianum a S. Paulo Carmelitam, Parte 2. ad articulum 13. §. 5. a num. 61. pag. 22.*

TESTIMONIUM X.

Job cap. III. ver. 9.

Obtenebrentur Stellæ caligine ejus: expectet Lucem, & non videat, nec ortum surgentis Auroræ.

101. DE nocte, & tenebris Originalis Peccati, quibus involvitur Homo a sui Conceptione, agit hic S. Job, ut ex præcedentibus eruitur, & exponit D. Thomas 3. *Parte quæst.27. art.2. ad 2.* Cum ergo ait, *obtenebrentur Stellæ caligine ejus*; Sanctos quosque illius noxæ tenebris involutos fuisse significat. Dum autem subdit, *expectet lucem, & non videat*; CHRISTUM excipit, qui se *Mundi lucem dixit:* dumque addit, *nec Ortum surgentis Auroræ*; excipit quoque B. Virginem, cujus Ortum primum, scilicet Conceptionem, a caligine illa primæ Culpæ immunem dicit. Ita fere, etsi breviùs, Richardus a S. Victore Parte 2. in Canticum Canticorum: (t) *Obtenebrentur*, inquit, *Stellæ, id est Sancti caligine Humanæ Culpæ, sed B. Virgo tota pulchra fuit, quam totam illustravit, & perfudit Sol Justitiæ, ut nec maculam habuerit, nec tenebras Culpæ.*

102. Hunc & alios Scripturæ locos, in quibus B. Virgo per Auroram significatur, S. Petrus Damianus sic complectitur, (u) ut e singulis B. Virginis a primæva Labe immunitatem elicere videatur. „ Hæc est, *inquit*, quam „ sequi-

(r) *Cap. 32. pag. 880. tom. 5. Bibl. PP.*
(s) Bellarminus, Labbe, Oudinus *de Scriptorib. Eccle-siast.* Raynaudus *in Erotematis*, Cave *in Historia Literaria*, & Baronius *ad* Annum CHRISTI 444. *num.* 18.
(t) *Cap. 26. pag. 136. ejus Operum edit.* Venet. ann. 1592.
(u) *Serm. 1. de Assumpt. B. V. M. pag. 112. tomi 2.*

» sequitur, imo de qua nascitur Sol Justitiæ, » solius Solis claritati succumbens. Hæc est » Aurora, quam ille non vidit, qui *videt omne* » *sublime*; (x) & orat B. Job, ut ei multa » suppressione claudatur, dicens: *Non videat* » *ortum surgentis Auroræ. Tuus est dies, Do-* » *mine*, in quo Adam est conditus, *tua est nox*, » in qua Adam a die est ejectus. *Tu fabricatus* » *es Auroram*, id est Virginem Matrem, & » *Solem*, (y) Solem videlicet Justitiæ, qui de » virginali Thalamo consurrexit. Nam sicut Au- » rora terminum noctis, diei principium ad- » esse testatur, sic & Virgo noctem expulit » sempiternam; & de Die Diem, de terra suæ » Virginitatis exortum, terris infudit. *Progredi-* » *tur*, inquit (z) quasi procul egreditur: quia » *procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* » (a) *Aurora*, quia noctis finis, & lucis ini- » tium: *Consurgens*, quia de cadente supersur- » gens materia. » Quam pulchre B. Virgo *de cadente* dicitur *supersurgens materia*, quòd e communi perditione Generis Humani evaserit incolumis!

103. Sermo iste Assumptionis, sicut etiam Sermo ille de Annuntiatione, & Sermo primus de Nativitate B. Virginis, quos sub nomine S. Petri Damiani allegavimus; extant quoque tomo tertio Bibliothecæ Patrum Cisterciensium, (b) & tribuuntur Nicolao Clarevallensi, qui fuit olim D. Bernardo apprime carus, & familiaris, quamvis postea ab eó defecerit. Sed nos, in re non satis explorata, communem citandi morem sub nomine S. Damiani secuti sumus. Neque vero si Sermones illi istius Nicolai essent, idcirco contemnendi forent. Lege Johannem Mabillonium. (c)

TESTIMONIUM XI.

Psalm. XLV. ver. 5. & 6.

Fluminis impetus lætificat Civitatem DEI: Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus. DEUS in medio ejus non commovebitur: adjuvabit eam DEUS mane diluculo.

104. DE MARIA hunc loum interpretatur S. Methodius, Tyri Episcopus, & Martyr. (d) Et S. Johannes Damascenus (e) inducit Apostolos, aliosque Fideles, hos ipsos versiculos in B. Virginis funere concinentes.

105. D. Thomas Commentario in Psalmos (f) censet, *Posse hæc referri ad B. Virginem, quia ipsa est Civitas, in Ipsa habitavit, Ipsam Fluminis impetus, scilicet Spiritus Sanctus lætificavit; Ipsam sanctificavit in Utero Matris suæ, postquam formatum fuit Corpus, & creata Anima. Tunc primo operuit Gloria Domini Tabernaculum, ut dicitur Exod.* XL. 32. Ubi per illud, *postquam*, intellige sequelam, non temporis, sed naturæ: sicuti idem S. Doctor ibidem CHRISTUM Dominum *Sanctificatum* dicit, *non quod. aliquando non fuerit Sanctus, sed quia in ipsa Conceptione Sanctum, Ipse* [Altissimus] *formavit.*

106. Eundem locum de B. Virginis Sanctificatione in sui prima Conceptione clarius, & uberius exposuit S. Vincentius Ferrerius: (g) » Primo, *inquit*, ostenditur Quantitas San- » ctitatis Virginis MARIÆ, cùm dicitur, *Flu-* » *minis impetus lætificat &c.* Secundò declara- » tur sua Dignitas, cùm dicitur, *Sanctificavit* » *Tabernaculum suum Altissimus &c.* Tertiò » sua Firmitas, cùm dicitur, *DEUS in medio* » *ejus non commovebitur &c.* Quartò decla- » ratur Primitia, cùm dicitur, *Adjuvabit eam* » *DEUS mane diluculo:* & loquitur de Sancti- » ficatione Virginis MARIÆ. » Tum declarans sex horas mysticas, in quibus alios DEUS sanctificat, subjungit: *Sed Virgo Maria in Aurora fuit sanctificata, non expectavit DEUS novem menses, nec unum &c. Sed in eodem die, & in eadem hora. Ecce quare dicit*, adjuvabit eam DEUS mane diluculo: *non hora Completorii, nec Vesperarum &c. Sed mane in Aurora.* Quod autem per *eandem horam* intellexerit, idem momentum Creationis, & Infusionis Animæ, alibi (h) declaravit, ubi eundem locum similiter exponens, ait, quod B. Virgo *in eodem die, & hora, formato Corpore, & Anima creata, quia tunc fuit Rationalis, & capax Sanctificationis, fuit sanctificata.* Hoc est tunc primum fuit sanctificata, cùm primum per infusionem Animæ in Corpus, rationalis fuit, & capax Sanctificationis; *Quando enim*, subdit, *Corpus Gloriosæ Virginis fuit organizatum, & lineatum, & Anima conjuncta Corpori, tunc*, [in eodem scilicet temporis puncto] *Altissimus sanctificavit Tabernaculum suum.*

107. Ex iis quoque Psalmi versiculis Jacobus de Valentia, Episcopus Christopolitanus, S. Vincentio suppar, Sanctificationem B. Virginis in primo suæ Conceptionis instanti aperte deduxit: (i) » DEUS, *inquit*, Altissimus sanctifi- » cavit, & lætificavit, & Flumine Gratiarum » ornavit Virginem Matrem suam in primo In- » stanti sui Esse, & Animæ Creationis, & Infu- » sionis; & per consequens illa Sanctissima A- » nima simul fuit Creata, & Sanctificata, & » in illo Sanctissimo Corpore infusa, & Cor- » pus simul cum Anima Sanctificatum. Et hoc » probatur per hoc, quod subdit, dicendo: *Ad-* » *juvabit eam mane diluculo*, id est *in Ortu*

(x) Job. 41. 25.
(y) Psal. 73. 16.
(z) Cantic. 6. 9.
(a) Prov. 31. 10.
(b) Pag. 205. 207. & 226. edit. Bonofontis ann. 1660. curatæ a Fr. Bernardo Tissier ejusd. Ordinis.
(c) Parte 2. Præfationis ad 3. Tomum Operum S. Bernardi.
(d) In Oratione de Ss. Deipara pag. 721. col. 2. tomi 3. Bibl. Max. PP.
(e) Orat. 1. in Dormitionem Deiparæ f. 351. pag. 2.
(f) Fol. 61. col. 4. tomi 13.
(g) Sermone de Nativ. B. Virgin. inter Sermones de Sanctis pag. 357. & seq. edit. Lugdun. an. 1558.
(h) Sermone de Conceptione B. Mariæ pag. 20. ibid.
(i) In disputat. adjuncta Commentar. hujus Psalmi f. 147. col. 1. edit. Lugdun. an. 1541. vel 1540.

„ *Matutino*, ut habet Littera Hieronymi: quasi dicat, quod illa Sanctificatio fuit facta in „ Ortu Matutino; & in Aurora ipsius Virginis, „ & per consequens in primo Instanti sui Esse, „ & suæ Creationis; eo quod ipsa MARIA fuit „ diluculum, & Aurora totius Ecclesiæ. Ideo „ de Ipsa primo, & proprie verificantur omnia „ dicta. „

108. Eandem expositionem illustrant duo alii insignes Scriptores. Unus est Dominicus Gymnasius S.R.E. Cardinalis, Episcopus Ostiensis: (k) „ Quid *mane diluculo*, nisi in primo instanti, in „ principio tuæ Sanctissimæ Conceptionis, per „ Gratiam DEI, ab Immunditia Originali „ præservata? *Mane* sanctificatus est Johannes, „ hoc est ante Nativitatem in Ventre Matris „ suæ: Hoc idem de Hieremia dicitur. Non tamen *mane diluculo*, non ipso Conceptionis in„ stanti. Speciali Sanctificationis ratione per „ Præservationem a Peccato Originali dispen„ sata est Virgo: *mane diluculo* præservata est „ Mater CHRISTI, & Virgo. Dignior enim e„ rat prærogativa Matris CHRISTI, quæ in Cor„ pore suo gestatura erat Filium DEI Salvato„ rem, & Redemptorem Johannis, & totius „ Mundi. „

109. Alter est Alphonsus Cabrera, Ordinis Prædicator. Philippi II. & III. Catholicorum Regum Ecclesiastes, qui similiter observat, (l) Hieremiam a DEO adjutum, & sanctificatum *mane*, antequam nasceretur; *magis mane* Johannem Baptistam, nempe sexto post primam Conceptionem mense; *summo* tamen *mane*, privilegio singulari, Sanctificatam esse B. Virginem MARIAM, quæ in primo suæ Creationis articulo prodiit Aurora, luce Gratiæ perfusa. Et ideo Gratiam, in aliorum justificatione, non ita festinasse ad adjuvandum, ut lapsum impediret, [quemadmodum in B. Virgine] sed post lapsum illos erexisse.

TESTIMONIUM XII.

Psalmo LXXIII. ver. 12.

DEUS autem Rex noster ante sæcula, operatus est Salutem in Medio Terræ.

110. HOc Terræ Medium, B. Virginis Uterum intelligit Interpres, creditus S. Hieronymus. (m) Cur autem B. Virgo *Medium Terræ* dicatur, magnifice declarat S. Bernardus: (n) „ Et tunc, *inquit*, jam operabatur Salutem „ nostram in *Medio Terræ*, in Utero videlicet „ Virginis MARIÆ, quæ mirabili proprietate „ *Medium Terræ* appellatur. Ad illam enim „ sicut ad Medium, sicut ad Arcam DEI, si„ cut ad rerum Causam, sicut ad Negotium „ seculorum, respiciunt, & qui in Cœlo ha„ bitant, & qui in Inferno, & qui nos præcesse„ runt, & nos qui sumus, & qui sequentur, „ & nati natorum, & qui nascentur ab illis &c. „ Quis tam præclarum *Terræ Medium*, in quo DEUS operatus est Salutem, ab Auctore Mortis Diabolo præoccupatum aliquando suspicetur?

111. Significantiorem interpretationem nobis offert, Joseph a S. Benedicto, Frater Conversus Ordinis S. Benedicti in Monasterio B. MARIÆ de Monte Serrato, humanitus quidem ineruditus, sed divinitus mirabiliter illustratus, in Tractatu de *Laudibus Virginis Mariæ in sua Conceptione*. (o) „ DEUS, *inquit*, in Terra „ hac, *& in Medio Terræ* hujus nostræ, *opera„ tus est Salutem ante sæcula:* idcirco ante sæcu„ la benedixit illam. Quod alius Divinus Ser„ mo testatur: (p) *Benedixisti Domine Ter„ ram tuam.* Ideo in tempore, quando DEUS „ maledixit Terræ, dicens: (q) *Maledicta Ter„ ra*; Terram suam non maledixit; quia Terra „ illius est, & erat, & est Terra ejus, Terra, „ in qua, & de qua Verbum, per quod *omnia „ facta sunt, Caro factum est.* Propter quod im„ possibile fuit, incurrere Terram hanc ali„ quam maledictionem. Ideo maledicens ter„ ræ, *Medium Terræ*, id est MARIAM reserva„ vit, & custodivit, quia Terra illius erat, quam „ ante sæcula benedixit. Immo in hoc *Medio „ Terræ*, videlicet in MARIA, DEUS ab ini„ tio, & ante sæcula prævidens maledictionem „ futuram propter reatum, recondidit Benedi„ ctionem pro nostra salute. „ Et nota verba illa: *Benedixisti Domine Terram tuam:* jam olim ab Arnobio Juniore, qui V. sæculo claruit, de B. Virgine intellecta fuisse. (r)

112. De Auctore istius interpretationis, in Prooemio ejus Operum hæc leguntur: „ Quam„ quam ex Scholis sæculi solum acceperat pri„ ma litterarum elementa, & in claustris Scien„ tias non didicerat; jam apparebat in Sacris „ Scripturis maxime doctus, dum obscurissima „ loca interpretaretur; jam summus in Theo„ logia Scholastica, dum subtiles difficultates „ resolveret. Hoc omnes audiebant, & vide„ bant, & cum non possent oculis contradice„ re, mirabantur dicentes: *Quomodo hic lit„ teras scit, cum non didicerit?* „ Scripsit autem, jubentibus Prælatis, plura Opuscula Exegetica, & Ascetica, partim Hispanice, partim Latine, Scripturæ Verbis, ac Sententiis mire contexta; nullo alio præcedente studio, quam orationis, nulloque opitulante libro, præter Imaginem B. Virginis, in cujus conspectu genibus provolutus scribebat. Hæc Opuscula cum plurimorum insignium in Hispania Theologorum censuræ subjecta, plenam omnium approbationem retulissent, edita sunt Matriti anno 1725. In iis duo sunt Tractatus de Immaculata DEI Genitricis Conceptione: alter jam citatus, & alter inscriptus de Exaltatione *Naturæ Humanæ in Conceptione Virginis*, *a pag.* 205.

TESTIMO-

(k) *Tomo* 1. *Enarrat. in omnes Psalm. in Psal.* 41. *pag.* 639. *edit.* Rom. an. 1636.

(l) *Serm.* 1. *de Immacul. B.V. Concept. pag.* 179. *tomi* 1. *Consideras. super Evangel. temp. Adventus*, *Hispanico sermone edit.* Cæsaraugustæ an. 1610.

(m) *Commentar. in Psalmos*, *in hunc locum col.* 192. *tomi* 4. *edit.* Mariani Victorii.

(n) *Serm.* 2. *in festo Pentecostes n.* 4. *col.* 931. *volum.* 1.

(o) §. 1. *num.* 10. *pag.* 194.

(p) *Psal.* 84. 2.

(q) *Genes.* 3. 17.

(r) *Pag.* 284. *tomi* 8. *Bibl. Max. PP.*

TESTIMONIUM XIII.

Psalmo LXXXVI. ver. 3. & 5.

Gloriosa dicta sunt de te, Civitas DEI &c. Homo natus est in ea, & Ipse fundavit eam Altissimus.

113. PRiorem versiculum DEI Genitrici accommodat S. Gregorius Thaumaturgus. (ſ) Ejusdem eminentissimam Puritatem ex ipso colligit S. Germanus P. CP. (t) „ Revera, „ *inquit*, Civitatem, de qua *gloriosa dicta sunt*, „ apertissime vocat *Civitatem Magni Regis*. Quænam ea est? Existimo, eum manifestissime, „ & sine contradictione dicere eam, quæ vere „ est electa, & omnibus superior, non domorum „ excellentia, & altitudine excitatorum ædificiorum, sed Divinarum, & sublimium virtutum Magnitudine, & Puritate omnibus antecellentem MARIAM, nulli penitus Culpæ affinem, & Castissimam Deiparam; in qua, qui „ verè est *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, „ habitavit corporaliter. „ Et infrà, eandem persequens allegoriam, iterum, iterumque inculcat, quod B. Virgo *fuit omni ex parte intemerata, & nulli Culpæ obnoxia, & ab omni penitus Macula aliena.*

114. Versiculum posteriorem de eadem Virgine sic exponit S. Bruno Astensis, Episcopus Signiensis, undecimi sæculi exeuntis Scriptor: (*u*) „ Impossibile est, quantum ad alios Homines, ut aliquis sit Fundator Civitatis, in „ qua nascitur; quia antequam sit natus, non „ potest fundare Civitatem. Sed CHRISTUS, qui „ est Altissimus, per hoc quod DEUS est, ante „ omnia tempora fundavit Civitatem hanc, id „ est Matrem creavit, & tamen ut Homo, in „ fine temporum natus est in ea, sumendo Carnem ex ea. Mirabile est ergo, & gloriosum „ in hac Civitate, quod ille, qui fundavit eam, „ natus est in ea. „

115. Hinc autem, quod Altissimus fundavit sibi Civitatem istam, Petrus Comestor, Historiæ Scholasticæ Auctor, Integram, & Illibatam DEI Genitricis Originem deducit: (x) „ Intelligite, *inquit*, quod ait: *Ipse fundavit eam:* „ Ipse, non alius, non Vetus Adam, sed Novus „ novum jecit fundamentum, super quod tam „ præclarum, tam insigne surgeret ædificium. „ Alioquin si veteris ruinæ mansere fastigia, si „ veteri superædificatum est, Vetus Adam, „ & non ipse fundavit eam Altissimus. „ *Et infra:* „ Oportuit, eam ab ipso fundamenti primordio præ cæteris aliquod sortiri privilegium, quæ secretorum DEI, mysteriorumque Cœlestium in se susceptura erat arcanum. „

TESTIMONIUM XIV.

Proverb. cap. IX. ver. 1.

Sapientia ædificavit sibi Domum, excidit columnas septem.

116. DOmum hanc, a Divina Sapientia sibi ædificatam, & præparatam, esse B. Virginem, ipsius Matrem futuram, indicat S. Ignatius Martyr Epistola VIII. ad Philippenses, (*y*) ubi ait: *Verbum enim, Caro factum est, & habitavit in nobis: Sapientia enim ædificavit sibi Domum; & natus est ut Homo, DEUS Verbum cum Corpore, idque ex Virgine.* Aperte vero sic explanat S. Bernardus: (z) „ Hæc itaque Sapientia, quæ DEI erat, de sinu Patris ad nos „ veniens, ædificavit sibi Domum, ipsam scilicet Matrem suam, Virginem MARIAM, in „ qua septem Columnas excidit. Quid est in ea „ septem columnas excidere, nisi ipsam dignum „ sibi habitaculum fide, & operibus præparare. „ Quis autem credat, in hac Domo, a Divina Sapientia tam affabre sibimet ædificata, primitus inhabitasse Diabolum? *In malevolam animam*, inquit Sapiens, [cap. 1. ver. 4.] *non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quo textu utitur S. Thomas ad excludendum a B. Virgine quodvis Personale Peccatum, etiam levissimum; sed fortius urget ad removendum Originale.

117. Eidem Interpretationi insistens S. Petrus Damianus, hanc Domum a Divina Sapientia, ita constructam, hoc est creatam fuisse, ait, ut intemeratum, & dignum sui Habitaculum fieret. (*a*) „ Oportebat, *inquit*, prius ædificari Domum, in quam descendens Cœlestis Rex habere dignaretur Hospitium. Illam „ videlicet, de qua per Salomonem dicitur: „ *Sapientia ædificavit sibi Domum, excidit Columnas septem.* Septem namque Virginalis „ hæc Domus suffulta Columnis extitit, quia „ Venerabilis Mater Domini septem Spiritus „ Sancti Donis &c. dotata fuit. Quam utique „ æterna Sapientia, quæ *attingit a fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, „ (*b*) talem construxit, quæ digna fieret illam „ suscipere, & de intemeratæ Carnis suæ visceribus procreare. „

TESTI-

(ſ) *Serm. 3. in Annuntiat. B. V. M. pag. 313. tom. 3 Biblioth. PP.*

(t) *In Encomio Vener. Zonæ Ss. Deip. pag. 133. Marialis S. Germani editi per* Hippol. Marracium Rom. an. 1650.

(u) *Lib. 5. Sententiar. de Laudibus B. V. Mariæ cap. 1. de Laude B. Mariæ Civitatis Dei a pag. 211. tomi 2. edit.* Venet. an. 1651.

(x) *In Serm. de Immacul. B. V. Concept. qui ex vet. Cod. ms. Anglic. excusus est* Antverp per Guliel. Verstermannum an. 1536. *cum approbat.* Ruardi Tapperi Doctor. Lovaniensis. *Hujus Serm. meminit* Labbe *tom. 2. de Scriptor. Ecclesiast. in* Petro Comestore; *& Sententias quasdam proferunt* P. Salazar *de Concept. B. V. pag. 310. &* Alva *in Sole Veritatis Verit. 242. pag. 668.*

(y) *Pag. 81. col. 1. tomi 1. Biblioth. Max. PP.*

(z) *Serm. 52. de diversis (al. 9. ex parvis) numer. 2. col. 1185. vol. 1.*

(a) *Serm. 46. de Nativitat. B. V. secundo pag. 123. tomi 2.*

(b) *Sap. 8. 1.*

TESTIMONIUM XV.

Canticorum cap. II. ver. 2.

Sicut Lilium inter spinas, sic Amica mea inter Filias.

118. HÆc verba de B. Virgine intelligunt S. Germanus, (*c*) & S. Sabbas: (*d*) Quorum ille, *Spinarum*, inquit, *in medio Lilium inventum est candidius nive.* Et alter, *ex te*, inquit, *tanquam ex purissimo Lilio, in medio Spinarum invento, Uterum incolens tuum, Sponsus ille processit.* Iisdem verbis præsignatam credit B. Virginis ab omni Peccato, etiam Originali, præservationem, S. Petrus Paschasius, mox laudandus. Hoc ipsum late declarat D. Dionysius Carthusianus, Commentario in hunc locum: (*e*) „ Quamvis, *inquit*, fuerint multæ Virgines „ Sanctæ, quarum quædam Martyrii Gloriam „ sint adeptæ; tamen respectu hujus Unicæ „ Virginis, Singularis Amicæ Sponsi, quasi spinæ fuisse videntur, in quantum aliquid Culpæ „ habent: Et quamvis in se fuerint mundæ, „ non tamen fuit in eis fomes prorsus extinctus „ &c. Porro hæc Unica DEI delectabilissima „ Virgo, totius Superbeatissimæ Trinitatis „ Media, & Amica, ac Socia, ab omni Culpa „ fuit prorsus Immunis: fuit in ea fomes plane „ extinctus &c. „

119. *Lilii* nomine accipi potest *Rosa*, quæ verius, quàm *Lilium*, inter spinas, & e spinoso nascitur ramo. Nam pro, *Lilium*, Chaldæus, Vatablus, & alii vertunt, *Rosa*. Graves etiam Scriptores apud Raynaudum, (*f*) *Lilii* nomen omnibus Floribus commune faciunt: quanto magis *Rosæ*, quæ Florum Princeps est? Ad hunc ergo Canticorum textum alludere videntur Patres, qui *Rosæ* comparatione utuntur, ad significandam innocuam, ex spinosa licet Origine, MARIÆ Conceptionem. Inter hos primum locum obtinet Cælius Sedulius Presbyter, quinti sæculi Auctor, cujus hæc sunt carmina: (*g*)

Et velut e spinis, mollis Rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, Matremque obscurat honore.
Sic Evæ de Stirpe, Sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret.

120. Sedulium imitati sunt Alii. Fulbertus Episcopus Carnotensis: (*h*)

Ad nutum Domini, nostrum ditantis honorem,
Sicut spina Rosam, genuit Judæa Mariam;
Ut Virtus vitium operiret, Gratia Culpam.

Alanus Magnus de Insulis: (*i*)

Nescia spineti florens Rosa, nescia Culpæ
Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens.

Et Adamus de S. Victore Canonicus Regul. Ordinis S. Augustini sæculi XII. Scriptor: (*k*)

Salve Verbi Sacra Parens:
Flos de Spinis, Spina carens:
Flos spineti gloria:
Nos spinetum, nos Peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu Spinæ nescia.

TESTIMONIUM XVI.

Canticorum cap. IV. ver. 7.

Tota Pulchra es Amica mea, & Macula non est in te.

121. B. Virgini a Cœlesti Sponso hæc verba dicta esse, ad ejus commendandam singularem, & omnimodam Puritatem, etiam Originariam, plurium Sacrorum Interpretum Sententia est; quorum aliquos, temporis ordine servato, nos hic adducimus. Sæculo VIII. se nobis præsentat S. Germanus P. CP. (*l*) *Immortalis*, inquit, *Sponsi verba sunt ista, Sponsæ Mariæ suffragantia: omnibus nempe creatis præesse, & in natura creata ad increatam accedere, ob Puritatis excellentiam.*

122. Sæculo XII. occurrunt Hugo de S. Victore, & Amedeus Episcopus Lausanensis. Hugo, (*m*) „ Totus, *inquit*, pulcher totam pul„ chram sibi sociat. *Tota pulchra es Amica mea.* „ Ego totus pulcher, & tu tota pulchra: ego „ per Naturam, & tu per Gratiam. Ego to„ tus pulcher, quia omne, quod pulchrum est, „ in me est. Tu tota pulchra, quia nihil, quod „ turpe est, in te est. *Tota pulchra es, & macu„ la non est in te......* Nihil in te pulchritudo re„ liquit, quod non possideat. Totum decor ob„ tinet, formositas tenet, regit honestas &c. „ *Et infra:* „ Tunc postquam dixerat, nullam „ in ea Maculam inveniri, mundam, & sin„ ceram, & ab omni, quod displicere poterat, alienam...

(c) *Orat. in Annuntiat. Ss. Dei Genitricis pag. 72. lib. cit.*
(d) *In Menæis ad diem 29. Januarii ode 6.*
(e) *Articulo 8. fol. 94. pag. 2. edit.* Parif. an. 1541.
(f) *In Glossario Nomenclatoris Mariani* V. Rosa *pag. 424. tom. 7.*
(g) *Lib. 2. Operis* Paschalis *pag. 462. col. 2. tomi 6. Biblioth. Max. PP.*
(h) *In Versiculis de B.Maria pag. 50. tom. 18. Biblioth. PP.*
(i) *Cap. 9. Encyclopediæ pag. 378. suor. Operum edit.* Antverp. an. 1654.
(k) *In Prosa de Assumpt. B.V. apud* Raynaudum *in Glossario cit.*
(l) *In Annuntiationem Ss. Dei Genitricis pag. 100. Marialis cit.*
(m) *In Serm. de Assumpt. B. V. Mar. ex Cantico Canticor. post finem libri 100. Sermon. fol. 287. tom. 2. edit.* Venet. an. 1588.

„ nam .... adjecit insuper, & prosecutus est, „ ostendens, non solum immunem, & liberam „ esse ab omni malo, sed ineffabilibus donis ple- „ nam, & omnium perfectione Virtutum refer- „ tam &c. „ Amedeus, (n) *Tota*, ait, *pulchra es, pulchra in Cogitatu, pulchra in Verbo, pulchra in Actu; pulchra ab Ortu, usque in finem.* Ubi jam vides, Ortum fini respondentem, non esse Ortum ex Utero, sed Ortum in Utero, qui est vitæ principium.

123. Sæculo XIII. ineunte auditur Alanus Magnus de Insulis: (o) *Tota*, inquit, *pulchra es: id est pulchra in Corpore, & in Anima, Amica mea per Gratiam, & Opera: & macula non est in te Venialis, vel Criminalis. Quia nullum credimus in Virgine ante, & post Conceptionem fuisse Peccatum.* Sub Peccato Criminali intelligit etiam Originale, quod mors est Animæ; & ideo absolute concludit, nullum in Virgine fuisse Peccatum.

124. Qui hoc sæculo claruit, D. Thomas 3. *Par. quæst.*27. *art.*4. iis verbis confirmat, nullam in B. Virgine maculam fuisse Venialis Peccati. *At quis non videat*, [resumit Catharinus, (p)] *veriorem inuri Maculam per Originale, quàm per Veniale, & fœdari per illud omnem pulchritudinem? Quis non intelligat, propterea non impleri in Maria, quod scriptum erat:* Tota pulchra es *&c. quod tamen in illa implendum esse, egregie, & docte testatur ipse Thomas?* Et idem argumentum tractans Ven. Petrus Canisius, (q) *Quomodo enim*, inquit, *in oculis DEI, hæc verba loquentis, tota Pulchra, & Immaculata censeatur, quæ tam enormis Peccati, veluti luto oblita, & defœdata, suum primævum, debitumque nitorem amisit?*

125. Eadem ætate, D. Thomæ, claruit Jacobus de Voragine, ex eodem Ordine Prædicatorum, Archiepiscopus Januensis, qui eadem verba de Originalis quoque Peccati immunitate intellexit: (r) *Ipsa enim*, inquit, *fuit Pulchra, quia sine Peccato Originali, tota pulchra, quia sine Peccato Mortali, & sine Macula, quia sine Peccato Veniali.* Eodem sæculo XIII. vivebat, ac etiam clarebat, B. Petrus Paschasius, Episcopus, & Martyr, Ordinis S. MARIÆ de Mercede, qui, cum in Opusculo de *Mysteriis Christi, & Sanctitate B.M.V.* (s) multis argumentis probasset, *Virginem Mariam fuisse per DEUM ab omni Macula, tam Originali, quam Mortali, & Veniali præservatam*; subdidit: *Propter hoc itaque ait Scriptura: sicut Lilium inter spinas, sic Amica mea inter Filias. Et alia Scriptura dicit: Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te.*

126. Sæculo decimo quarto, Petrus de Palude, ex Ordine Prædicator. Patriarcha Hierosolymitanus, [qui contrariam sententiam antea docuerat,] ex hoc loco colligit Immaculatam B. Virginis Conceptionem (t) *Quod*, inquit, *considerans Salomon in spiritu, dixit:* Tota pulchra es &c. *Nam si unquam fuisset in Peccato Originali concepta, non posset pro eo tempore dici Immaculata.* Eodem tempore Raymundus Jordanus, sub nomine Idiotæ olim latens, in Contemplationibus de Virgine MARIA, scribebat: (u) *Tota pulchra es, Virgo Gloriosissima, non in parte, sed in toto: & macula Peccati sive mortalis, sive venialis, sive Originalis, non est in te, nec unquam fuit, nec erit.*

127. Sub initium Sæculi decimi quinti Johannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, pro Themate sui elegantissimi Sermonis de Immaculata Conceptione B. Virginis, verba ista Canticorum assumpsit. (x) In progressu ejusdem Sæculi, S. Bernardinus Senensis, (y) & Leonardus Matthæi de Utino Senior; (z) ille Ordinis Minorum, hic Prædicatorum, ex eodem loco, B. Virginis munditiam ab Originali Macula deducunt: *Fuit*, inquit S. Bernardinus, *B. Virgo sine primo væ, hoc est sine tyranno Concupiscentiæ Peccati Originalis, quia sine eo concepta est, sicut teste Salomone didicimus, qui ait: Tota pulchra es Amica mea, & macula, scilicet Originalis culpa, non est in te.* Et Leonardus, *Hic candor*, inquit, *puritatis refulsit in B. Virgine.* Tota pulchra es, & macula non est in te: *Cujus puritas non est passa ullam impuritatem sibi commisceri: Nihil coinquinatum in eam incurrit. Non enim sibi se immiscuit Peccatum Originale, quia fuit in utero sanctificata &c.* Sanctificatione videlicet, impediente Originale Peccatum, quippe quod B. Virgini *non se immiscuit.*

128. Eandem Interpretationem amplexati sunt tres alii insignes Scriptores, qui eodem Sæculo XV. claruerunt. D. Dionysius Carthusianus ex iis verbis, sic arguit: (a) *Si tota pulchra est, ergo nec Originalis Culpæ maculam accepit.* Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis eidem argumento innititur: (b) *Fuit*, inquit, *Domina nostra omnis Puritatis, & Munditiæ Vas, nullius fæculentæ Contagionis accessibus maculata. Sic enim de Ipsa dicitur in libro Salomonis, qui dicitur Cantica Canticorum:* Tota pulchra es &c. *Et ideo fuit etiam a Peccati Originalis macula prorsus immunis.* Jacobus de Valentia, Episcopus Christopolitanus, (c) observat, elogium istud non esse dictum de Ecclesia in hac vita, nisi propter solam B. Virginem,

(n) *Homilia* 7. *de Obitu, & Assumpt. B. V. pag.* 1276. *tomi* 20. *Biblioth. PP.*

(o) *In Elucidat. super Cantica pag.* 25. *ejus Operum edit. cit.*

(p) *In Disput. pro Verit. Immac. Concept. B. V. ad Patres, & Fratres Ord. Prædic. lib.* 3. *de primo Testimonio* §. Beatus Thomas, *edit.* Senensis an.1532. *qua numeris foliorum caret.*

(q) *Lib.* 1. *de Maria Deipara cap.* 6. *pag.* 61.

(r) *Serm.* 6. *de Annuntiat. B. V. tom.* 1. *Sermonum de Sanctis pag.* 379. *edit.* Lugdun. an. 1688.

(s) *Titul.*23. *n.*71. *pag.*361. *edit.* Matritensis an.1676.

(t) *In* 1. *Enarrat. seu Serm. de Concept. Virg. Mariæ inter ejus Sermon. seu Enarrat. in Evangelia de Tempore partis Hyemalis editas* Lugd. an.1589. *fol.*212.

(u) *Cap.* 2. *n.* 4. *pag.* 538. *edit.* Lugdun. an. 1632. *ex Recensione* P. Raynaudi.

(x) *Col.* 1317. *tomi* 3. *ejus Operum edit.* Dupinianæ.

(y) *In Serm.* 52. *de Salutatione Angelica in Feria* 3. *post Dominicam Olivarum art.* 2. *cap.* 1. *pag.* 386. *tomi* 1.

(z) *Serm.* 42. *de Assumptione pag.* 309. *edit.* Venet. an. 1692.

(a) *Lib.* 1. *de Præconio, & Dignitate Mariæ art.* 13. *de ejus Sanctit. & Purit. fol.* 188. *pag.* 2. *Operum Minorum edit.* Colon. an. 1532.

(b) *In suis Paradoxis Paradoxo* 1. *c.* 21. *fol.* 5. *col.* 1. *edit.* Venetæ an. 1598.

(c) *In Exposit. Psalmi* 41. *fol.* 146. *col.* 3. *edit.* Lugdun.

nem, quæ sola fuit absque ulla prorsus macula peccati. His addo Guillelmum Pepinum Ordinis Prædicator. ineuntis Sæculi XVI. Theologum Parisiensem: (d) *Beatam*, inquit, *Virginem tanto privilegio donavit Deus, quod fuit Immunis ab omni Peccato, tam Actuali, quàm Originali: ad cujus confirmationem pro nunc sufficit illa auctoritas Canticorum:* Tota pulchra es &c. *Qui autem totum dicit, nihil excludit.*

129. Tacitus prætereo Petrum Galatinum, (e) Johannem Fischerium Episcopum Roffensem, (f) Johannem Viguerium, Ordinis Prædicatorum celebrem Magistrum, (g) Et Ven. Card. Bellarminum. (h) Qui omnes allegata Canticorum verba de B. Virgine sic intelligunt, ut ab ipsa removeant omnem Maculam, etiam Originalem. Pro eadem Expositione referri potest Alexander de Hales, de quo Pelbartus Osualdus de Themisvar *libro* IV. *Stellarii B. Virginis*, refert, (i) quod morti proximus, & commendans Piæ Matri transitum suum, sic eam postremo affatus est: *Tota pulchra es Amica mea, & nulla Macula, neque Originalis, neque Actualis est in te.*

130. Vide P. Gasparem Sanctium Commentario in hunc locum a *num. 62.* ubi interpretationem istam ex versiculis proxime sequentibus egregie confirmat. Et interim mirare confidentiam Valdesii, qui post tot Illustres Interpretes, (juxta prænotata *n.19. 20. & 27.* in Sensu Litterali locutos) audacter ait, (k) *Certum esse, secundum Litteram non spectare ad Virginem Sanctissimam verba illa Canticorum.*

TESTIMONIUM XVII.

Canticorum capite VI. ver. 9.

Quæ est Ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol?

131. Laudata verba, ut ad DEI Genitricem spectantia, recitari jubet Ecclesia in ejus Assumptionis Festo pro antiphona ad *Benedictus.* De MARIA quoque eadem exponit Hugo a S. Victore in Institutionis Monasticæ Sermone XXXIV. (l) *B. Virgo Maria*, inquit, *Aurora fuit, quia & præcedentis temporis, quod quasi nox fuerat, finis extitit, & vera Lucis gratiæ, Solisque Justitiæ, qui ex Ipsa progenitus est, Præventrix, & Antelucanum Sydus fuit.*

132. Qua vero ratione, ex iis verbis Immaculata B. Virginis Conceptio eruatur, declarat laudatus Gaspar Sanctius, limati judicii Vir: (m) „Consurgere, *inquit*, ut habet Vulgata, „seu excitari dicitur Virgo, sicut *Aurora*; „quia nunquam Virgo processit sine luce, neque „tunc quidem, quando *Auroræ* munus in terris „obiit, id est quando primum concepta, & in „materno utero conclusa, proximum ostendit signum appropinquantis Solis. Et quemadmodum, si aliquid est in Mundo tenebrarum sub „Auroram, non inde efficitur, aliquid esse obscuritatis in Aurora, sed, nondum habere „Mundum a Sole lucem, quæ tenebras omnino „ab ipso dispellat: Sic neque, si in *Aurora* „mystica, id est cùm MARIA in rerum incepit „esse natura, quæ fuit quoddam quasi proœmium „mystici diei, aliquid est in mundo noctis, efficitur aliquid esse caliginis in MARIA, cum „ipsa potius aliquid noctis e mundo fugaverit, „quàm aliquid acceperit obscuritatis a nocte. „Hoc idem cum alia metaphora dixit Hieronymus in illud Psalm. 77. *eduxit eos in nube diei:* ubi cùm nubem illam diei, MARIAM „esse dixisset, adjecit: *Nubes enim illa nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* „Quod sane verum non esset, si in Peccato „Originali, quod tenebricosum aliquid est, aliquando jacuisset.„

133. Johannes Fischerius, Episcopus Roffensis, Fidei Catholicæ in Anglia, sub Henrico VIII. usque ad sanguinis profusionem gloriosus Assertor, Commentario in tertium Psalmum Pœnitentialem, (n) Scite observans *Auroram ex tenebris ortum habere*, „Certe, *inquit*, res „est admodum stupenda, si ex humanæ rationis modulo metienda sit, quod lux ex tenebris oriatur. Eodem plane modo, & hæc Beatissima Virgo magnam nobis admirandi materiam præbet, eò scilicet, quòd sit ab omni „prorsus labe immunis, quodque tam præclarum lucis splendorem emittat, cum sit ab illis „Parentibus oriunda, qui peccati tenebris, & „nocte circumfusi, ac obducti fuerunt.„ Alia in hoc Symbolo Mariano observata sunt ad Testimonium X.

TESTIMONIUM XVIII.

Isaiæ cap. XI. ver. 1.

Et egredietur Virga de radice Jesse, & Flos de radice ejus ascendet.

134. D. Hieronymus in hunc locum, (o) „Virgam, *inquit*, & Florem de radice Jesse, ipsum Dominum Judæi interpretantur.... Nos autem *Virgam de radice Jesse* Sanctam MARIAM Virginem intelligamus, quæ „nullum habuit sibi fruticem cohærentem; de „qua & supra legimus: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: & Florem*, Dominum „Salva-

(d) *Serm. 15. Rosarii aurei B. V. in 1. Privilegio pag. 76.* edit. Venet. an. 1592.
(e) *Lib. 7. de Arcanis Catholicæ Veritatis &c. cap. 5. fol. 202. pag. 2. edit.* Ortonæ Maris an. 1518.
(f) *Commentar. in Psalmum 3 pænitentialem par. 1. col. 1495.*
(g) *In Institutionibus ad Naturalem, & Christianam Philosophiam cap. 18. §. 5. ver. 2. fol. 251. pag. 2.*
(h) *Lib. 4. de Amissione Gratiæ, & Statu Peccati cap. 15. n. 15. pag. 140. col. 2. tomi 4.*
(i) *Parte 1. art. 3. fol. 83. col. 4. edit.* Venetæ an. 1586.
(k) *Epist. 3. pag. 40.*
(l) *Qui est de Nativit. vel Assumpt. B. M. V. initio fol. 234. col. 3. tom. 2. ejus Operum edit.* Venet. an. 1588.
(m) *Commentar. in hunc locum Canticor. post n. 34. pag. 269. edit.* Lugdun. an. 1616.
(n) *Qui est Psalmus 37. col. 1494. edit. Latinæ ejus Operum.* Wirceburg. an. 1597
(o) *Lib. 4. Commentar. in cap. xi. Isaiæ col. 99.*

„ Salvatorem &c. „ Qualis autem sit hæc Virga, in Epistola ad Eustochium [p] explanat: *Virga, Mater est Domini, simplex, pura, sincera, nullo extrinsecus germine cohærente, &c.* Quibus verbis denotatur, nullum prorsus in hac Virga mystica vitium latuisse.

135. Originale Vitium ab eadem Virga clarius exclusit S. Petrus Damianus: [q] *Germinat,* inquit, *Virga Jesse de tortuosa radice Generis Humani; & de Patriarcharum arbore, in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, foliorum tenebras nescit; fruticosa quæque non habet.*

136. Ad hunc locum illustrandum adduci solet pervagata illa sententia, quæ D. Ambrosio tribuitur, & in antiquis Breviariis legitur: *Hæc est Virga, in qua nec nodus Originalis, nec cortex Actualis Culpæ fuit.* Sed nullibi verba ista apud D. Ambrosium reperiuntur. Refert tamen Vir pientissimus Bernardinus de Busto in suo *Mariali,* [r] Michaelem de Carcano Magistrum suum, Concionatorem in Italia suo ævo celeberrimum, in quadam concione Mantuæ habita, testatum esse, *istam auctoritatem se vidisse in quodam libello S. Ambrosii antiquissimo, adeo quod nimia vetustate incipiebat consumi.* Aliunde scimus, Divum Ambrosium Commentaria scripsisse in Isaiam, ut ipsemet testatur *lib. 2. in cap. 2.* Lucæ: *Quid sit autem, in Hierusalem sisti Domino, dicerem, nisi in Isaiæ Commentariis ante dixissem.* Quæ quidem Commentaria non semel citat D. Augustinus, [s] sed hodie non extant. Hæc dixerim, non quod sententiam istam certo Ambrosianam putem, sed ne Adversarii Nostros eam allegantes derideant. Habent in Suis, quod rectius rideri posset, nempe allegatum a Bandelio [t] *D. Augustini librum, quando, cur, & quomodo Deus Homo?*

137. Salmanticenses Theologi opinantur, [u] præfatam D. Ambrosii sententiam primitus fuisse: *Maria est, in qua nec nodus, nec cortex culpæ fuit:* deinde vero a Gullielmo Pepino *in Tractatu de Secretis Secretorum, Sermone de Conceptione Virginis,* per additionem illius verbi, *Originalis,* accommodatam esse rei præsenti; id monente ipsomet Pepino in libro *de Imitatione Sanctorum, Sermone de Conceptione Virginis.* Verum, aut Pepinus fallitus est, aut monitio hæc est ipsi supposita, ut verius censeo cum P. Alva *in Sole Veritatis a pag.* 134. Nam sententia illa, ut hodie circumfertur, sub nomine D. Ambrosii laudata est a memorato Michaele Carcano (qui claruit circa annum 1460.) in suo *Sermonario de Pœnitentia,* edito anno 1496. Sermone VI. *de Conceptione fol. 16. col. 1.* Et inserta est in Officio Conceptionis, tam quod Leonardus Nogarolis Sixto IV. obtulit anno 1476. quam quod Bernardinus de Busto conscripsit ante annum 1489. Pepinus vero obiit anno 1533. & opus illud suum *de Secretis Secretorum,* seu *Sermonum de Sanctis* absolvit anno 1507. ut refert Jacobus Echard *Tomo* 2. de Scriptoribus Ord. Prædic. ad annum 1533. *pag.* 87.

Testimonium XIX.

Matthæi cap. I. ver. 16.

De qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

138. EX hoc brevissimo B. Virginis Elogio, omnia ejus decora, & privilegia colligi jure posse, tradunt communiter Patres. Et D. Thomas a Villanova, Ord. S. Augustini, Archiepiscopus Valentinus, pulchre observat, [x] hac de causa, nihil de B. Virginis Conceptione, & ortu, & pauca admodum de ejus vita, & gestis narrari ab Evangelistis. „ Quid causæ est, *inquit,* „ quod cum Evangelistæ de Johanne „ Baptista, & aliis Apostolis, tam longum fecere tractatum, de Virgine MARIA, quæ vita, & dignitate omnes antecedit, ita summatim percurrunt historiam? Cur non traditum „ est memoriæ, quomodo Concepta, quomodo nata, quibus moribus decorata &c. Magna erant hæc, & memoratu digna, & quæ „ summa cum devotione a Fidelibus legerentur, „ a Populis amplecterentur &c. „ *Tum festive respondet:* „ Sufficit ad ejus plenam historiam, „ quod scriptum est in Themate, quia *de Illa* „ *natus est Jesus.* Quid amplius quæris, quid „ ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod „ Mater DEI est. Quænam, obsecro, Pulchritudo, quanam Virtus, quæ Perfectio, „ quæ Gratia, quæ Gloria Matri DEI non congruit? „ *Et post multa in idem argumentum, concludit:* „ Quidquid igitur de Virgine scire, „ aut intelligere cupis, totum, hoc clauditur „ Breviloquio: *de qua natus est Jesus.* Hæc longa, & plenissima historia ejus est. „

139. Idem sentit S. Ludovicus Bertrandus Ordinis Prædicat. in Sermone ms. *de Conceptione,* [y] ubi similiter inquirit: „ Quam ob causam „ Evangelistæ de CHRISTI vita, & gestis in suis „ Evangeliis differentes, raro locuti sunt de hac „ B. Virgine, cum CHRISTO suo Filio, summa „ necessitudine, propinquitate, ac amoris vinculo conjunctissima? Vel inde admiratio augetur, quod de Johanne Baptista, Apostolis, „ eorumque actibus, aliisque personis minoris „ notæ agentes, parum de B. Virgine scripserint. „ *Et similiter respondet:* „ Universum „ encomium, laus, & applausus, quæ de MARIA prædicari possunt, in unico Matris DEI „ elogio, ac prærogativa clauduntur; seu, „ quod perinde est, in eo, quod nos eam dicamus fuisse DEI Genitricem, sicut illa verba Evangelii attestantur: *De qua natus est Jesus.* „

[p] *De Custodia Virginitatis epist. 22. col. 176. tom. 1. edit.* Paris. an. 1609. *ex Recensione* Mariani Victorii.
[q] *In Serm. de Annuntiat. B. V. pag. 28. tom. 2.*
[r] *Serm. 5. de Concept. parte 2. sub initium fol. 19. col. 4. Marialis edit.* Lugdun. an. 1525.
[s] *Lib. 4. contra duas Epist. Pelagianor. cap. 11. col. 488. & lib. 1. de Nuptiis, & Concupisc. cap. 35. col. 300. tomi 10. & alibi.*
[t] *Cap. 9. fol. 9. pag. 2.*
[u] *Tom. 4. tract. 13. disp. 15. num. 140.*
[x] *Conc. 2. de Nativ. V. Mariæ pag. 329. edit.* Romanæ an. 1659.
[y] *Apud P. Eusebium Nieremberg. in Parthenicis,* Exceptiones Conc. Trid. *cap. 24. §. 2. pag. 203.*

140. Tanta porro est dignitas Matris DEI, & tantorum origo bonorum, ut D. Thomas asserere non dubitaverit: [z] „ Beata Virgo ex hoc, „ quod est Mater DEI, habet quandam dignitatem infinitam, ex Bono infinito, quod est „ DEUS; & ex hac parte, non potest aliquid „ fieri melius ea, sicuti non potest aliquid melius esse DEO. „ Quia [a] *Inquantum est Mater DEI, habet specialem affinitatem cum DEO.* Et hinc etiam S. Bernardinus Senensis [b] infinitatem quandam perfectionum, & gratiarum arguit in B. Virgine: „ Ut Fœmina, *inquit*, „ conciperet, & pareret Deum, oportuit, „ ut sic dicam, Fœminam elevari ad quandam „ æqualitatem divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum. „

141. Quapropter Patres, & Theologi, ex hoc Evangelico Testimonio, (cæteris adhuc silentibus Scripturæ locis,) certissime inferunt, B. Virginem fuisse in utero Sanctificatam, antequam nasceretur; nullum unquam commisisse vel minimum veniale peccatum; & post mortem, in Corpore, & Anima in Cœlos assumptam fuisse. *Nec tamen*, (orabat Ecclesia [c]) *mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit Incarnatum.* Immo Richardus Mideltonus de Media Villa, labentis Sæculi decimitertii insignis Scholasticus, [d] censet; „ Rationem, quare Scriptura B. „ Virginis Sanctificationem, antequam nasceretur, non testificatur expresse, fuisse, ut „ nobis detur intelligi, quod tantæ excellentiæ „ est, esse Matrem DEI, quod habito expresse „ hoc Testimonio, de ejus Sanctificatione antequam nasceretur, rationabiliter non potuit „ dubitari. „

142. Quidni ergo ex eodem Testimonio Evangelico, D. Augustinum, & D. Anselmum imitantes, pari certitudine inferamus, B. Virginem ab Originali etiam Peccato præservatam a DEO fuisse? *Inde enim scimus*, (ajebat D. Augustinus, [e] alibi expendendus,) *quod ei plus gratiæ collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum; quod concipere, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.* Et D. Anselmus aperte protestatus est [f]: *De Domina nostra..... quam sibi Matrem elegit, ad Mundo subveniendum, ipsa omnium salvandorum ineffabilis DEI Misericordia, dicere, morte peccati, quæ per invidiam Diaboli occupavit Orbem terrarum, in suo Conceptu prægravatam.... animus evitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet.*

143. Pulcherrimam integerrimæ Puritatis Matris DEI rationem exhibet D. Ambrosius [g]: „ Videamus, *inquit*, hic Sol noster novus, quo „ fonte nascatur. Sicut est verum, DEO oritur Auctore. Divinitatis ergo est Filius, Di„ vinitatis, inquam, incorruptæ, integræ, illi„ batæ: intelligo plane mysterium. Ideo enim „ secunda Nativitas per Immaculatam MARIAM, „ quæ prior per Divinitatem constiterat illibata; „ ut cui prior Nativitas gloriosa extitit, ejus se„ cunda contumeliosa non fieret: hoc est, ut „ quemadmodum Virgo Divinitas ediderat, ita „ cum & Virgo MARIA generaret. „ Ubi jam vides *Virginis* vocem, Divinitati etiam attributam, hic usurpari pro *Incorrupta, Integra, & Illibata.* Quid, oro, de Puritate Matris DEI sublimius dici, aut cogitari potest?

144. Nec moveat nos, quod D. Hieronymus observavit, [h] *In Genealogia Salvatoris nullam Sanctarum assumi Mulierum, sed eas, quas Scriptura reprehendit.* Non oportebat, ut ab Adamo usque ad CHRISTUM tota ipsius Genealogia a peccatis omnibus præservaretur. At longe alia est ratio de Matre, ac de remotis Progenitoribus, ut lumine naturæ notum est. *Infinitum*, (inquit S. Damascenus, [i]) *DEI Servorum, & Matris discrimen est.* Et, ut in Missali Gothico antiquissimo legimus, [k] *Habitator Virginalis Hospitii eam Innocentiam contulit Genitrici, qua dignaretur Incarnata Deitas generari.* Sicut ergo consentaneum maxime fuit, ut CHRISTUS de Matre Purissima, & ab omni peccato Actionis, etiam levissimo, aliena nasceretur; quamvis remotiores Parentes fuerint Peccatores, non tantum peccato Originis, sed etiam multiplici Actionis: Ita & Consentaneum maxime fuit, ut CHRISTI Mater a peccato quoque Originis, graviore, & fœdiore, præservaretur.

TESTIMONIUM XX.

Lucæ cap. I. ver. 28.

Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave Gratia plena.

145. VEteres nonnulli ex prima voce, *Ave*, arguunt in B. Virgine remotionem ab omni Maledictione; ajentes, eam vocem tantundem significare, atque, *sine Væ*: quod, *a*, negativa sit particula; *Væ*, autem interjectio, Maledictionem exprimens. Juxta hunc sensum verba illa hymni Ecclesiastici, *mutans Evæ nomen*, intelligunt de nomine, *Eva*, mutato in nomen *Ave*; quia ex nomine *Eva*, si inverso legatur ordine, conficitur, *Ave*. Ita fere Albertus Magnus (quem alii sunt imitati) *quæst.* XXXI. *Super Missus est* §. 4. Et in libro inscripto, *Biblia Mariana, ex Evangelio secundum Lucam*, *n.* XII. [l] Ubi plura *Væ*, hoc est probra, &

[z] 1. *Parte quæst.* 25. *art.* 6. *ad* 4.
[a] 2. 2. *quæst.* 103. *art.* 4.
[b] *Serm.* 61. *art.* 1. *cap.* 12. *pag.* 517. *tom.* 1. *edit.* Venet. an. 1591.
[c] *In lib. Sacramentorum S. Gregorii ad diem* 15. *Aug. col.* 123. *tom.* 3. *ejus Operum.*
[d] *Tom.* 3. *in lib.* 3. *Sententiarum dist.* 3. *art.* 1. *quæst.* 2. *pag.* 27. *edit.* Brixiensis an. 1655.
[e] *Lib. de Natura, & Gratia cap.* 36. *col.* 144. *& seq. tom.* 10.
[f] *In Opusc.* de Conceptione passiva B. Virgin. *infra vindicando. cap.* 9. *pag.* 142. *edit.* Lugdun. an. 1630. *ex recensione* Theoph. Raynaudi.
[g] *In ult. Sermone de Nativit. Domini col.* 14. *tomi* 5.
[h] *Lib.* 1. *Comm. in* Matthæum *col.* 5. *tom.* 4.
[i] *Orat.* 1. *de Dormit. Deiparæ versus finem fol.* 351. *pag.* 1.
[k] *Quod una cum tribus libris Sacramentorum Rom. Ecclesiæ, a* Ven. Card. Thomasio *editum est* Romæ an. 1680. *pag.* 291. *Vide in Apparatu n.* 129.
[l] *Pag.* 33. *&* 34. *primæ numeration. & pag.* 32. *tertiæ numerationis, tom.* 29.

& maledictiones enumerat; & inter ea, *Væ pœnæ*, *Væ ignorantiæ*, *Væ culpæ*, & hoc triplex, *Originalis*, *Actualis*, *Mortalis*, *& Venialis*: a quibus omnibus B. Virginem Immunem fuisse docet.

146. Venusta consideratio, sed parum solida, nihilque habens veræ interpretationis. Nam verbum Græcum originale, χαῖρε, quo usus est Lucas Evangelista, istius allusionis capax non est. Illa quoque ethymologia latinæ vocis, *Ave*, arbitraria, & commentitia videtur; siquidem, *a*, particula est negativa in compositione apud Græcos, & non apud Latinos, nisi in vocabulis græcis. Rursus, *Væ*, ut interjectio est, maledictionem, & miseriam insinuans, omnem refugit compositionem; ut bene observat Judocus Clichtoveus, [*m*] qui proinde mutationem illam nominis Evæ, accipiendam esse dicit, secundum conditionem, & sortem ipsius Evæ, omnino mutatam in oppositas proprietates per MARIAM.

147. Expendimus ergo in hoc Testimonio ea verba: *Gratia plena*. Pro quorum recta intelligentia observandum est primo, græcum verbum originale, κεχαριτωμένη, non melius, & enucleatius latine exprimi potuisse, quàm per hæc verba, *Gratia plena*, quibus plenitudo Gratiæ significatur; ut plures gravissimi Patres exponunt, & invicte probant contra Sectarios Franciscus Cardinalis Toletus, & Johannes Maldonatus, Commentario in hunc locum.

148. Observandum præterea cum eodem Maldonato, MARIAM non dici *Gratia plenam*, neque quòd concepisset, neque quòd conceptura esset CHRISTUM; sed quòd ipsa in se, quamvis non ex se, plena esset Gratia, qua quidem digna facta est, ut CHRISTUM conciperet, licèt eam tam plenam, tamque abundantem Gratiam non habuisset, nisi conceptura CHRISTUM fuisset. Ratio est, quia nondum MARIA CHRISTUM conceperat, cum hæc illi verba Angelus dixit, ut ex sequentibus perspicuum est: & græcum verbum κεχαριτωμένη, quod Noster vertit, *Gratia plena*, participium præteriti temporis est. Itaque cùm de Conceptione agitur, perspicue Angelus docet, nondum concepisse, sed concepturam esse; cùm verò de Gratiæ plenitudine, non implendam fore, sed plenam jam esse dicit.

149. Cardinalis Toletus Annotatione LXVI. distinguit inter Gratias, quæ perficiunt Hominem absolute, & quoad se, seu quæ ad rectitudinem, sanctitatem, & innocentiam, eas habentis pertinent; & inter Gratias, quæ perficiunt Hominem in ordine ad alios, seu quæ non Homini dantur propter utilitatem præcipue propriam, sed propter alios. Et harum quidem Gratiarum plenitudinem censet, B. Virgini contigisse, cùm primum Mater DEI effecta est. De prioribus autem Gratiis ait, non esse controvertendum, B. Virginem, ante Conceptionem Filii DEI, earum plenitudinem habuisse, quibus præparata est a DEO, ut dignum Filii DEI habitaculum effici mereretur.

150. Jam vero ex hac Gratiæ Plenitudine, quæ collata est MARIÆ, ut Mater DEI effici mereretur, prout eam a Patribus explicatam habemus; recte deducimus, non fuisse negatam MARIÆ Originalem Gratiam, idest Gratiam Præservantem ab Originali Peccato. *Compellata est Maria*, (inquit S. Gregorius Thaumaturgus [*n*],) *Gratia plena, quoniam cum ipsa totus Gratiæ Thesaurus reconditus erat. Ex omnibus enim generationibus hæc sola Virgo Sancta Spiritu, & Corpore extitit, solaque fert eum, qui verbo omnia portat &c.* Sophronius Senior, S. Hieronymi Familiaris, [*o*] *Etsi*, ait, *in Sanctis Patribus, & Prophetis Gratia fuisse creditur, non tamen eatenus Plena. In Mariam vero totius Gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit, quamvis aliter.*

151. Magis distincte S. Petrus Damianus [*p*]: „ Quid Sanctitatis, *inquit*, quid Justitiæ, quid „ Religionis, quid Perfectionis, singulari huic „ Virgini deesse potuit, quæ totius divinæ Gra„ tiæ charismate plena fuit. Sic namque ab An„ gelo, dum salutaretur, audivit: *Ave gratia* „ *plena*, *Dominus tecum.* Quod rogo vitium „ in ejus mente, vel corpore vindicare sibi po„ tuit locum, quæ ad instar Cœli, plenitudi„ nis totius Divinitatis meruit esse Sacra„ rium? „

152. Propius ad rem nostram S. Fulgentius Episcopus Ruspensis; [*q*]: *Cum dixit*, Ave, *Salutationem illi cœlestem exhibuit. Cum dixit*, Gratia plena, *ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis Gratiam restitutam.* Ira primæ sententiæ, per plenitudinem Gratiæ exclusa dicitur in MARIA; non quia in eam aliquando fuerat introducta, sed quia non *admissa*; seu *prohibita*, & *impedita*, ne introduceretur: Hæc enim est notio Verbi, *excludere*. Plena vero Benedictionis Gratia MARIÆ restituta dicitur, quòd Humano Generi fuerit primitus ablata.

153. Clarissime D. Bonaventura, [*r*] *Domina nostra*, inquit, *fuit plena Gratia præveniente in sua Sanctificatione*, *Gratia scilicet præservativa contra fœditatem Originalis Culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali Gratia præventa, præservataque fuisset.*

154. Laudant aliqui ex Nostris, sub nomine S. Athanasii, sermonem *de Annuntiatione SS. Deiparæ*, in quo hæc leguntur [*s*]: „ Idcirco „ Gratia plena cognominata est, eo quod adim„ pletione Spiritus Sancti, omnibus Gratiis abundaret,

[m] *Lib.* 1. *Elucidatorii Ecclesiast. Annotat.* 2. *in Hymnum*; Ave Maris Stella. *pag.* 245. *& seq.* 4. *edit.* Paris. anno 1548.

[n] *Serm.* 1. *in Annuntiat. B. V. M. pag.* 309. *col.* 2. *tom.* 3. *Biblioth. M. VV. PP.*

[o] *In Epist. de Assumpt. B. V. ad* Paulam, *&* Eustochium *apud D. Hier. col.* 86. *tom.* 5.

[p] *Homil. in Nativ. B. V. M. pag.* 128. *tom.* 2.

[q] *Homil. de Laud. Mariæ ex partu Salvatoris col.* 495. *& in Append. tomi* 5. *Operum S. Aug. Serm.* 123. *col.* 224.

[r] *Serm.* 2. *de B. semper Virg. Maria pag.* 389. *tom.* 3. *ejus Operum edit.* Romanæ an. 1596.

[s] *Extat inter Opera D. Athan. edit.* Paris. an 1608. *tom.* 3. *pag.* 323. *& alterius edit.* Paris. G. L. an. 1627. *tom.* 1. *pag.* 1036. *& novissimæ edit.* Paris. an. 1698. *ex recensione Benedictinor. tom.* 2. *pag.* 397.

„ daret, & virtute Altissimi obumbraretur: quam „ virtutem per omnia tempora Conceptus eam „ habuisse confido, & post Conceptum etiam „ retinuisse. Neque enim id temporarium in „ Virgine accidisse opinor, sed per omnia tem„ pora hoc illi datum fuisse: quemadmodum & „ nunc in præsentia, & in æternum usque ha„ bet Virgo sibi obumbrantem virtutem Altissi„ mi, & superventionem Spiritus Sancti, ut sit „ Gratia plena. „

155. Utroque pede claudicat hoc Testimonium. Sermo iste non est Magni Athanasii, ut validis argumentis evincunt duo eminentissimæ eruditionis Scriptores, Robertus Bellarminus *lib. de Script. Ecclef. in observatione ad* III. *Tomum Operum* S. Athanasii, & Cæsar Baronius *tomo* 1. *Annal. Ecclef. ad Annum Christi* XLVIII. *num.* 19. *& seq. In Notis ad Martyrolog. Rom. die* 25. *Martii*, 15. *Augusti*, & *in Epistola Apologetica* ad Thomam Stapletonum, quæ extat *pag.* 391. *tom.* 2. *Operum S. Athanasii* editionis Benedictinæ. Quibus argumentis non satis obviat P. Raynaudus *Erotemate* x. *de libris suppositiis n.* 154. *pag.* 272. *tomi* XI.

156. Et neque ex laudatis verbis quicquam conficitur; illis enim ea tantum Gratiæ Plenitudo significatur, quæ MARIÆ contigit tempore Conceptionis Filii DEI, cùm juxta promissum Angeli, *Spiritus Sanctus supervenit in eam, & virtus Altissimi obumbravit ei*: & hanc plenitudinem, superventionem, & obumbrationem, putatus Athanasius, permansisse, ait, in MARIA per omnia tempora, utique subsequentia ad Conceptionem Verbi Divini. Legi apud Quendam, sententiam illam sic descriptam: *Quam virtutem per omnia tempora, etiam Conceptionis sui, eam habuisse confido &c.* quasi Sermo sit de Conceptione passiva B. Virginis. At ea verba, *etiam*, &, *sui*, addititia sunt, & contextui plane repugnantia. Hæc notata volui, quòd existimem, falsis citationibus veritatem Piæ Sententiæ labefactari potius, quàm confirmari.

157. Post Patres, luculentissimam habemus ejusdem loci explanationem in Catechismo Cardinalis Roberti Bellarmini, quo, ex plurium Summorum Pontificum decretis, universa utitur Ecclesia. In eo [t] Discipulus interrogat: *Quid significat, Gratia plena?* Magister respondet: „ Gratia DEI tres potissimum effectus in Ani„ ma operatur. Primum est, quod peccata de„ leat, quæ uti maculæ, Animam commacu„ lant. Secundum, quod donis, virtutibusque „ eandem Animam exornat. Tertium, quod ro„ bur etiam suppeditat, ut operibus meritoriis „ insistat, Divinæ Majestati in primis placenti„ bus. Domina nostra Gratiâ plena est. Nam „ quantum ad primum effectum attinet, nullius „ peccati Macula, nec Originalis, nec Actualis, „ nec Mortalis, aut Venialis infecta fuit. Quan„ tum vero ad secundum, habuit illa virtutes „ omnes, donaque Spiritus Sancti in altissimo „ gradu. Quantum denique ad tertium, exercuit „ illa opera, adeo DEO grata, ac meritoria, ut „ quoad Animam, & Corpus digna fuerit om„ nes Choros Angelorum transcendere. „

158. Hunc Catechismum, jussu Clementis VIII. a P. Roberto Bellarmino, nondum Cardinale, compositum, Sacra Congregatio Reformationis recognovit, & approbavit; & idem Clemens per specialem Constitutionem, *Pastoralis Romani Pontificis*, datam Ferrariæ die 15. Julii an. 1598. sui Pontificatus septimo, [u] Ecclesiæ universæ usurpandum proposuit, & enixe commendavit, sequentibus verbis.

159. „ Novum ejusdem Doctrinæ Christianæ „ Libellum per dilectum Filium Robertum Bel„ larminum, Presbyterum Societatis Jesu, de „ mandato nostro conscriptum, ac in duas par„ tes divisum, a dilectis Filiis Reformatoribus „ in Congregatione Reformationis nostra depu„ tatis, diligenter examinari mandavimus. Cum„ que Libellum hujusmodi jam omnino absolu„ tum, & a prædicta Congregatione compro„ batum, in lucem edi, & typis mandave„ rimus, ut posthac unus, idemque modus in „ docendo, & discendo Christianam Doctri„ nam ab omnibus teneatur; motu proprio, & „ ex certa Scientia, maturaque deliberatione „ nostris, dilectis Filiis, Confratribus Doctri„ næ Christianæ de Urbe..... prædictum novæ „ Doctrinæ Christianæ Libellum, ut præfertur, „ examinatum, & approbatum, auctoritate „ nostra, imprimi facere..... concedimus &c. „ Mandantes dilecto Filio nostro, nunc, & „ pro tempore existenti in Urbe Vicario, & „ ejus Officialibus in dicta Urbe, & ejus di„ strictu, ut, tam in publicis, quam privatis „ Scholis, & Ecclesiis, alios Doctrinæ Chri„ stianæ Libellos adhibere, imprimi, & jam „ impressos vendi, seu venales haberi, vel pro„ poni minime permittant &c. Hortamur autem „ in Domino Venerabiles Patriarchas, Archi„ episcopos, Episcopos, & dilectos Filios, eo„ rum Vicarios, nec non Abbates, Parochos u„ niversos, ubique locorum existentes, & alios, „ ad quos spectat, ut quantum per eos fieri po„ terit, in docendo Christianam Doctrinam, in „ eorum quisque Ecclesiis, Diœcesibus, & Pa„ rochiis respective, Libellum hujusmodi, ut „ præfertur, approbatum, & jussu nostro editum „ recipiant, & adhibeant, necnon recipi, & „ adhiberi curent, & faciant &c. „

160. Post hæc, Urbanus VIII. per Constitutionem, *Ex debito*, editam anno 1633. [x] Religiosis Missionariis, *ut in docendo Populos, & præsertim de recenti ad Fidem conversos, uniformes sint, mandavit, quod, instruendis Populis locorum Indiæ Orientalis, Catechismum Romanum, & Doctrinam Christianam parvam, & magnam bonæ memoriæ Roberti S. R. E. Cardinalis Bellarmini nuncupati, in linguas prædictorum Populorum translatas, & impressas, si fieri poterit, omnino adhibeant.*

161. Postremo Benedictus XIV. hodie Regnans, ad

[t] *Parte* 2. Christ. Doctr. copiosa explicatio, *in latinum idioma translata a* Joh. Fuder. Matenensio S. R. E. Protonotario, & Ecclef. Agrippinensis Canonico, *cap.* 5. *col.* 1262. *tom.* 7. *Operum* Card. Bellarm. *Continentis Opuscula varii argumenti*, *edit.* Colon. Agrippin. an. 1617.

[u] *Extat hæc Bulla in vestibulo ejusdem Doctr. Christ. italico nativo idiomate editæ*, Comi per Hier. Frova an. 1608.

[x] *Constit.* 118. §. 6. *pag.* 190. *tom.* 4. *Bullarii Rom. edit.* Lugdun.

ad diversos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos &c. Litteras in forma Brevis dedit die 7. Februarii anno 1742. ubi eandem Doctrinam his verbis commendat: „ Clementis „ Papæ VIII. aliorumque Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, hortamur in „ Domino, & enixe commendamus, in Doctrina Christiana tradenda, adhiberi Libellum de Clementis ejusdem mandato a Cardin. Bellarmino conscriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, „ & approbatum, & denique ab eodem Clemente in lucem, eo saluberrimo Consilio, edi „ jussum, ut unus deinceps, idemque modus „ in docendo, & discendo Christianam Doctrinam ab omnibus teneretur &c. „

162. Hæc ergo Salutationis Angelicæ expositio, quod B. Virgo *Gratia plena* nuncupatur, quia *nullius Peccati Macula, ne quidem Originalis, infecta fuit*; proponitur ab Ecclesia, tanquam pars Doctrinæ, ab omnibus Fidelibus, a Pueris addiscenda; ita ut de Pia Sententia dicere possimus, quod de ipsius Originalis Peccati Doctrina ajebat Augustinus: [y] *Quam Fideles in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac, & cibum parvis, magnisque ministraverunt.* Quid ad hæc Lampridius, qui ad Catetechismos nos provocat *cap. 2. pag.* 16. dicens: *Non e privatorum ritibus, ac opinionibus, sed ex ipsa Ecclesiæ Doctrina, in Conciliis potissimum, & Catechismis firmata deducendum esse, quid Ecclesia tradat, & sentiat?*

Testimonium XXI.

Lucæ eodem capite I. ver. 28.

Dominus tecum.

163. HÆc Salutationis pars, præcedentis explicatio est, & eodem modo intelligenda. Sicut ergo MARIA non ideo *Gratia plena* dicta est, quòd aut CHRISTUM concepisset, aut conceptura esset, sed quòd divinis repleta donis, Deoque gratissima; ita non ideo Dominus cum illa esse dicitur, quòd in illa jam conceptus corporaliter habitet, aut quòd sit, mox concipiendus, habitaturus; sed quòd jam per eam Gratiam, qua plena esse dicitur, spiritualiter in illa sit, ut bene observat laudatus Maldonatus, addens, eadem verba quibusdam etiam aliis dicta, sed illis precando, non enuntiando; MARIÆ autem, enuntiando, non precando.

164. Semper ergo Dominus fuit cum MARIA per Gratiam, & quidem altiori modo, quàm cum Angelis, ut exponit Autor Sermonis XVIII. de tempore, D. Augustino olim adscripti: [z] *Dominus tecum, sed non sicut mecum. In me enim licet sit Dominus, memetipsum creavit Dominus, per te autem nasciturus est. Ita est enim, Maria, Dominus tecum, ut sit in corde tuo, sit in utero tuo; adimpleat mentem tuam, adimpleat ventrem tuum &c.* Quæ cum ita sint, num tibi congruum videtur, quod potuerit MARIÆ aliquando dici: *Diabolus tecum?*

165. Sed & clariorem hujus loci expositionem a nostro Catechismo petamus. Interrogat ibidem Discipulus: Quid significat, *Dominus tecum?* Magister respondet: „ Hæc altera singularis est laus B. Virginis, qua significatur, „ Dominum nostrum, *ab initio Conceptionis suæ*, „ assistendo illi, gubernando illam, instruendo, „ & defendendo, perpetuò cum ea fuisse. Unde „ natum est, quod nunquam peccatum, nec cogitatione, nec verbo, nec opere admiserit. Quare DEUS non solum ornavit Sanctissimam „ Virginem omnibus Gratiis, sed etiam cum ea, „ tanquam Custos Thesauri magni, degere voluit. „

Testimonium XXII.

Lucæ eodem capite I. ver. 28.

Benedicta tu in Mulieribus.

166. HÆc verba, inquit Maldonatus, precantis non sunt, sed annuntiantis, & declarantis; & non significant Benedictionem communem, sed singularem. Dixit autem Angelus, *in Mulieribus*; non quòd non etiam præ omnibus Hominibus sit benedicta; sed quòd ipsa sit Mulier, & non soleat comparatio, nisi inter ea, quæ ejusdem sint generis, fieri.

167. Quid vero præstiterit in MARIA hæc specialis Benedictio, declarat Sophronius loco cit. *Et ideo*, inquit, *Benedicta tu in Mulieribus, id est plus benedicta, quàm omnes Mulieres: ac per hoc quidquid Maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit Benedictio Mariæ.* Eundem sensum clarius expressit S. Bruno Astensis, Episcopus Signiensis, undecimi Seculi Auctor: [a] „ Hæc, *inquit*, sola inter Mulieres benedicitur, quæ adhuc sub antiquæ Prævaricationis Maledictione tenebantur, ex quo primæ Mulieri a DEO dictum est: *Multiplicabo ærumnas tuas &c.* Merito ergo in Mulieribus benedicitur, per quam Mulieribus Benedictio datur, & Mundus a Maledictione liberatur. „

168. Ven. Petrus Canisius *lib.* 1. *de Maria Deipara cap.* VIII. *col.* 86. refert, Lutherum ipsum ex hoc loco, Originalem MARIÆ Innocentiam collegisse *In Sermone quodam de Conceptione*: ubi, *Non enim*, ajebat, *ad eam dici posset*, Benedicta tu, *si aliquando Maledictioni obnoxia fuisset &c. Illud enim proprie benedictum vocatur; quod divina Gratia donatum est, hoc est quod peccato caret.* Interpretem istum execramur, sed interpretationem admittimus. Nam etiam Diabolus verum Testimonium CHRISTO dixit.

169. Claudo hæc tria Testimonia, ex Angelica Salutatione desumpta, verbis S. Ephræmi: [b] „ Initio, *inquit*, Protoparentum delicto in „ omnes

[y] *Lib.* 2. *contra* Julianum *cap. ult. num.* 37. *col.* 552. *tom.* 10.

[z] *Nunc est Sermo* 195. *in Appendice tom.* 5. *Operum S. Augustini col.* 325.

[a] *Homil. in Feriam* 4. *Quatuor Tempor. Adventus pag.* 4. *col.* 2. *tom.* 2. *ejus Operum edit.* Venet. *an.* 1651.

[b] *Serm.* 3. *de diversis Laudibus Dei Genitricis. pag.* 607. *tom.* 3. *Novæ Edit. Siriaco-Latinæ ejus Operum* Romæ an. 1743.

„ omnes Homines mors pertransiit: hodie ve-„ ro per MARIAM translati sumus de morte ad „ vitam. Initio Serpens Evæ auribus occupa-„ tis, inde virus in totum Corpus dilatavit. Ho-„ die MARIA ex auribus, perpetuæ felicitatis „ Assertorem excepit. Quod ergo Mortis fuit, „ simul & Vitæ extitit instrumentum. „ Quibus verbis, MARIÆ oppositio cum morte Originalis Peccati satis aperte indicatur.

TESTIMONIUM XXIII.

Lucæ cap. I. ver. 49.

Quia fecit mihi magna, qui Potens est.

170. HUgo de S. Caro, primus ex Ordin. Prædicat. ad Cardinalatum assumptus, Commentario in hunc textum, [c] recenset Duodecim Magna, quæ singulariter fecit Dominus B. Virgini; & inter ea primo loco reponit, *In utero Matris sanctificationem.* At hæc Sanctificatio quid magnum, & singulare non foret, nisi Eam ab Originali Peccato præservasset; cum etiam Johannes, & Jeremias in utero Matris fuerint utcumque sanctificati. Merito igitur Jacobus de Valentia [d] inter Duodecim itidem Magna, quibus *magnificavit Christus Virginem Matrem suam super omnes puras Creaturas*; enumerat *singularem Sanctificationem, per quam ab omni Peccato eam præservavit.*

171. Sed & multo ante Valentiam, idem Præservationis privilegium inter ea Magna recensuit Isidorus, Archiepiscopus Thessalonicensis, qui sub finem Sæculi XIV. claruit. [e] „ Decebat, *inquit*, „ illius congressus, qui Concipiendæ Virgini causa fuit, primordialem, & antecedentem causam non esse aliud, quam DEI „ congressum, ut quà fieri posset, sola Purissima propheticum quoque illud evitare posset: „ *In iniquitatibus conceptus sum*: possetque de „ se ipsa affirmare, *solam non in peccatis concepit me Mater mea.* Nimirum hoc etiam numerando inter illa, quæ dictum illud complectitur: *Quia fecit mihi magna, qui Potens est &c.* Quod quidem Parentes suo facto ostenderunt: e congressu enim habito cum „ DEO, devenerunt ad congressum, qui suscipiendæ prolis origo est. Optime igitur, & „ congruenter hoc etiam ad miraculorum ejus „ cumulum accessit. „

Quod si forte apud eundem Isidorum, *Oratione in Dormitionem Deiparæ*, aliquid contrarium offenderis; lege Hippolytum Marracium *Nota* 20. ad istam Orationem, & Raynaudum *in Diptychis Marianis, in fine pag.* 140. *& initio seq. tomi* 7. supposititium id esse probantes.

TESTIMONIUM XXIV.

Apocalypsis cap. XXI. ver. 1.

Et vidi Cœlum novum, & Terram novam.

172. IN hoc *Cœlo novo*, B. Virginem intellexit S. Ephræm. *serm.* 3. *cit. Ipsa est*, inquit, *mysticum illud Cœlum novum, in quo Rex Regum, tanquam in sua Sede inhabitavit, ex quo in terram delapsus est, terrenam quandam speciem, & similitudinem præseferens.* In hoc *Cœlo novo*, Diabolus nunquam fuit: in hanc *Terram novam* maledictio nulla descendit. Sed & Ven. Sor. Maria a Jesu, *de Agreda* nuncupata, totum istud caput Apocalypsis, tribus integris capitulis, *de Mira, Immaculata, Sanctaque DEI Genitricis Conceptione interpretatur* [f].

ANACEPHALEOSIS.

173. EX sacrarum Litterarum Testimoniis utrinque allegatis, & *juxta pondus Sanctuarii*, (Levit. cap. 5. ver. 15.) hucusque perpensis, duo hæc tandem elicere non immerito possumus. Primum: Testimonia illa Divina, seu Generalia, seu Virtualia, quæ adversus Illibatum DEI Genitricis Conceptum solent, aut possunt afferri, tam ingenuam, tamque dilucidam, & ipsis quoque probatam Adversariis expositionem recipere; ut sacrosancta Tridentina Synodus a suo Generali Decreto de Originali Peccato, atque adeo ab illis Pauli Sententiis, quas pro hac veritate allegaverat, eandem DEI Genitricem signanter excipere non dubitaverit.

174. Secundum: Multa ex adverso in sacris Litteris extare Testimonia, sibi invicem adstipulantia, quæ, juxta satis rectam rationem, & Patrum, graviumque Interpretum explanationem, partim Mystice, partim etiam Litteraliter, saltem figurate, & implicite, Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem vel illustrant, & insinuant, vel etiam evincunt, & concludunt: etsi non ita clare, & expresse, ut eam statim reddant de fide credendam, ita tamen congrue, & persuasibiliter, ut præbeant Ecclesiæ fundamentum sufficiens ad hanc veritatem, quandocumque Spiritui Sancto visum fuerit, declarandam, tanquam a DEO revelatam; cum præsertim Ecclesia clariora, & expressiora Sacræ Scripturæ Testimonia non habuerit, ut vitam ejusdem B. Virginis ab omni prorsus Actuali Macula liberam sentiret, ac prædicaret.

Nihil ergo in Sacris Scripturis habemus, quod Piæ Sententiæ adversetur; plura, quæ suffragentur, & faveant.

ACTIO

[c] *Tom. 6. suorum Operum fol. 136. col. 2. edit.* Ven. an. 1600.

[d] *In Exposit. istor. verbor. pag.* 1101. edit. Venet. an. 1568.

[e] *Or. 2. in Ingressum Immac. Matris Dei Mariæ ad Sancta Sanctorum pag. 36. sui Marialis, per* Hippol. Marracium *edit.* Romæ an. 1651.

[f] *In Histor. & Vita V. Matris* Dei *Mariæ; sub nomine*, Mistica Civitas Dei, *par. 1. lib. 1. cap. 17. 18. & 19. a pag. 76. edit. latinæ* Antverp. an. 1714.

ACTIO SECUNDA.

TRADITIONIS APOSTOLICÆ TESTIMONIA.

PROLUSIO.

1. TRaditionem Apoſtolicam hic appello Doctrinam illam ſacram, quæ jam inde ab Apoſtolorum temporibus, continuata Sæculorum ſerie, per manus, & ſcripta Veterum Patrum, ad nos uſque pervenit. Hujus Traditionis duo ſunt genera. Alterum eſt Traditionis Peculiaris, & Expreſſæ, quæ rem ipſam ſingularem tangit, diſputationi ſubjectam: Alterum, Traditionis Generalis, & Implicitæ, quæ quædam veluti ſemina, ſeu principia tradit, unde res illa erui, ſeu colligi poſſit.

2. Solius Traditionis Generalis, & Implicitæ, utrinque militantia Teſtimonia, hoc loco examinanda ſuſcipimus. Neque enim Nos, neque Adverſarii, pro ſua quiſque Sententia, Traditionem Peculiarem, & Expreſſam promittere, niſi temere, & inſipienter valemus. Teſtimonia namque Patrum ſingularia, & expreſſa, quæ pro contraria Sententia utcumque allegari poſſint, pauca admodum ſunt: quæ vero pro Pia Sententia producemus, etſi multo plura, tot nihilominus non ſunt, nec tàm priſcis Sæculis continuata, ut Apoſtolicam Traditionem Singularem, & Expreſſam conficere queant: ut videbimus Actione VI. in qua hujuſcemodi Teſtimonia diſcutiemus.

3. Non eſt autem, quod Traditionem Generalem, & Implicitam negligamus, aut prætermittamus. Sola Traditio Generalis de eximia, & ſingulari DEI Genitricis Sanctitate, Gratia, Puritate, & Innocentia, ſatis fuit Eccleſiæ, ut indubitanter crederet, eandem DEI Genitricem, nullo unquam vitæ tempore in culpam ullam, adhuc venialem, & leviſſimam incidiſſe; quam Eccleſiæ Fidem declaravit Concilium Tridentinum *Seſſ. VI. Can.* XXIII. Et quamvis non defuerint Patres, a Dionyſio Petavio recenſiti, [*a*] qui de nonnullis id generis defectibus B. Virginem notare viſi ſint; prævaluit tamen in Eccleſia Traditio illa Generalis; quæ, ſi ad Venialem Culpam excludendam utilis eſt, cur utilis non erit ad excludendam Gravem Culpam Originalem? Traditionis igitur Seriem Chronologicam pro utraque parte ex Generalibus dumtaxat, & Implicitis Veterum Patrum Teſtimoniis contextam fideliter exhibemus, & uſque ad Sæculum XIII. perducimus; quo tempore Patribus Scholaſtici ſucceſſerunt, & præſens Controverſia inter Catholicos apertius agitari cæpit.

4. Pro parte Adverſa, illam eandem Patrum Seriem præſentamus, quam ex Theologis Salmanticenſibus, Carmelit. Diſcalceat. [*b*] & ex noſtro Dionyſio Petavio [*c*] collegit, & non parum locupletavit, atque in aciem eduxit Antonius Lampridius; [*d*] quòd accuratior præ cæteris videri poſſit, quamvis & ipſa ſuos babeat defectus ſupplendos, & nævos caſtigandos, ut identidem obſervabimus. Cum autem Lampridius in fine concludat, *per tria, & decem Sæcula, a Chriſto nato, viguiſſe, & communem fuiſſe in Eccleſia ſententiam, non eximentem à Peccato Adami, niſi unum Chriſtum Dominum, &c.* non miretur Lector, ſi nos in hac Actione, adverſus Lampridium frequenter agentes, viderit.

TESTIMONIA REPELLENDA.

5. PAtrum Sententias, adverſus Piam Sententiam, a Vincentio Bandello a Caſtro novo tumultuarie coacervatas in ſuo Tractatu, ſeu Diſputatione *de Singulari Puritate, & Prærogativa Conceptionis Chriſti*; non perſequar. Tam frequenter, tam inſigniter Bandellus in ſuis citationibus falſus, & fallax a Viris eruditis deprehenſus eſt, & convictus; ut a præſenti Cauſa, tanquam Teſtis inhabilis removeri mereatur. Idem dico de pluribus aliis, qui ejuſdem Bandelli mirabili confidentia decepti, vitiata, vel conficta ab ipſo Teſtimonia, pro ſinceris, & genuinis venditarunt. Inter hos recenſeri duos clariſſimos Viros, ut maxime doleo, ſic diſſimulare non poſſum, ne ea, qua pollent, auctoritate fallant incautos.

6. Bandellus *capite* X. ex D. Ambroſio *libro* (ut ait) *ſuper Beati Immaculati in via*, (hoc eſt Commentario in Pſalmum CXVIII.) hæc verba citavit: [*e*] *Venit Dominus Jeſus, & in Carne, quæ peccato in Matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit.* Bandello nimium fidens Thomas Card. de Vio Cajetanus, *in Opuſculo de Conceptione B. Virginis*, [*f*] ex eodem D. Ambroſii loco *ſuper Beati Immaculati*, eadem recitat verba. Et, quod magis mirere, Melchior Canus, acutiſſimæ naris Homo, *libro* VII. *de locis Theologicis cap.* I. [*g*] eundem D. Ambroſii

[a] *Tom. 6. de Theolog. Dogmat. lib.* 14. *cap.* 1. *a n.* 3. *& a pag.* 210. *edit.* Antverp. an. 1700.
[b] *Tom.* 4. *Curſus Theolog. tract.* 13. *diſp.* 15. *dub.* 4. §. 2. *&* 3. *a pag.* 533. *edit. cit.*
[c] *Loco cit. cap.* 2. *a n.* 2. *& a pag.* 214.
[d] *Cap.* 24. *a pag.* 181.
[e] *Fol.* 11. *pag.* 1. *edit.* Mediolan. *qua utor*, an. 1512.
[f] *Seu Tract.* 1. *tom.* 2. *Opuſculor. c.* 4. *pag.* 139. *edit.* Venet. an. 1588.
[g] *Fol.* 217. *pag.* 1. *edit.* Colon. Agrip. an. 1574.

brosii locum *Concione sexta*, contra Piam Sententiam citat, etsi verba non referat. Et hanc citationem (sicut & reliquas aliorum Patrum, quas ibi adjungit) tam ratam habet, ut *cap.* 3. [*h*] dicat: *Nec fuit integrum, quod Hæreticis semper proprium fuit, Antiquorum Patrum libros corrumpere, &c. Et Ambrosium, aliosque item Patres, in ea fuisse opinione negare*: quod scilicet B. Virgo fuerit in Originali Peccato Concepta.

7. Uterque a Bandello deceptus est. In nulla ex editionibus Operum S. Ambrosii ea verba, *quæ in Matre fuerat*, reperiuntur; sed in eo Commentario, Sermone, seu Concione VI. seu Enarratione in Octonarium VI. ubique legimus [*i*]: *Venit Dominus, & in Carne peccato obnoxia, militiam virtutis exercuit; facta sunt membra nostra jam non arma libidinis, sed arma virtutis, &c.* Quæ quidem Sententia Adversariis nihil prodest. Adnotarunt hoc Eruditi Benedictini, Censores, & Editores Operum S. Ambrosii, ad eum locum. „ Hunc locum, *inquiunt*, „ Catharinus *Opusculo de Conceptione* „ *B. Mariæ* laudat, sed ita refert: *Et in Carne,* „ *quæ peccato in Matre fuerat obnoxia, &c.* Ve- „ rum jam Viris doctis observatum est, hæc „ verba, *in Matre*, nusquam apud Ambrosium „ inveniri. Et certo S. Doctor id tantum hoc „ loco significat, CHRISTI Carnem ejusdem, ac „ nostram, quæ peccato obnoxia est, naturæ „ esse: neutiquam vero inficiatur B. Virginis „ Immunitatem ab omni Peccato, quippe quam „ non obscure adstruat in ultimum ipsius Psal- „ mi versiculum, illis verbis: *Suscipe me, non* „ *in Carne, quæ in Adam lapsa est. Suscipe* „ *me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorru-* „ *pta sit Virgo, sed Virgo per Gratiam, ab om-* „ *ni integra labe Peccati* „ Ubi autem ajunt, *Catharinus*, legendum, *Cajetanus*, in quo hanc adulterationem Ambrosianæ Sententiæ, ipsemet Catharinus notavit. [k]

8. Item Bandellus capite XVII. [*l*] *B. Herardum Episcopum, & Martyrem, in Sermone Nativitatis B. Virginis*, sic exclamantem induxit: *O felix Puella, quæ concepta in peccato, purificatur ab omni peccato, & postea Filium concepit sine peccato.* Hæc ipsissima verba sub nomine *Erardi* (aspirationis nota omissa) *Episcopi, & Martyris, in Sermone Nativitatis B. Virginis*, allegat pagina sequenti Cajetanus: & hunc quoque locum, sub eodem Auctoris nomine, & Sermonis, seu Concionis titulo, citat *ibidem* Canus.

9. Ecce iterum Utrumque a Bandello deceptum. *Istum Sanctum* (inquit Bellarminus in Voto infra citando) *non habemus in Martyrologio, nec scimus, quis sit.* Hoc & alii contestantur. Ego quoque, ea, qua potui, diligentia, Sanctorum Menologia, & Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogos evolvi, & neminem hujus nominis, & qualitatis Sanctum, vel Scriptorem inveni. Historiam dumtaxat S. Gerardi Episcopi Canadiensis in Pannonia, & Martyris, singulari erga B. Virginem pietate insignis, legi apud Laurentium Surium [*m*]. Sed is neque Herardus, aut Erardus est, neque aliquid scripsisse perhibetur. Ab Antonio Possevino [*n*] plures Gerardi, Ordinis Prædicatorum Scriptores recensentur, qui Sermones conscripserunt. Num Sermo ille de Nativitate, unius ex istis fuerit, quem Bandellus, variato paulisper nomine, Episcopum, & Martyrem consecravit?

10. Demum Bandellus, (ut plura simul perstringam) capite XIII. (*o*) *S. Chrisostomum super Matthæum*, scripsisse refert, quod *Christus naturam humanam de Peccatrice suscepit*: & cap. XV. [*p*] laudat S. Maximum in *Sermone de Assumptione B. Virginis*, dicentem: *B. Virgo fuit in utero Matris sanctificata, & ab omni contagione Originalis Culpæ, antequam nasceretur, per Spiritum Sanctum mundata.* Et similia verba refert ex S. Remigio Archiepiscopo Rhemensi super Psalmum, *Deus, Deus meus, respice in me*: qui est Psalmus XXI.

11. Eadem loca refert Cajetanus, & citat Canus *ibidem*; & cum Bandello errante, erraverunt ambo. Verba illa apud Chrysostomum nuspiam inveniuntur, sed nec inveniri posse, ait Bellarminus in Voto laudato: *Quia blasphemia esset, dicere, B. Virginem fuisse Peccatricem; Peccatrix enim dicitur: quæ peccatis actualibus fordet.* Sermo Assumptionis, S. Maximo adscriptus, suppostitius est. Inter Opera S. Maximi Monachi, & Martyris Monothelitarum tempore, [quorum Catalogum diligentissime describit Possevinus, [*q*] Sermones nulli sunt. Inter Sermones vero S. Maximi Episcopi Taurinensis, qui vixit anno 420. sæpius impressos, Sermo iste *de Assumptione* non apparet, & nec ejus tempore, Assumptionis festum a Latinis celebratum creditur. Lege Cardinalem de Lambertinis, hodie Benedictum XIV. in Annotationibus *super Festum Assumptionis.* Commentaria in Psalmos, quæ circumferuntur, non sunt S. Remigii Episcopi Rhemensis, (de cujus Operibus V. Possevinum tom. 3. Apparatus) sed Remigii Antisiodorensis, Monachi Benedictini. Et nec in hujus Interpretis prolixa Enarratione super illum Psalmum, [*r*] (quam semel, & iterum legi) aliquid ejusmodi reperitur. Omitto Eusebium Emissenum, duplici falsitate citatum, primùm a Bandello *cap.* XIV. & dein a Cajetano, & Cano; de quo alibi.

12. Sed fortasse Canus, non a Bandello proxime, sed a Cajetano falsus est; a quo & alias quasdam ejusdem furfuris citationes mutuatus videtur, nempe S. Antonii de Padua *in Concione*, seu *Sermone de Nativitate B. Virginis*, & S. Vincentii Ferrerii *in Sermone de Conceptione B. Virginis.* In Operibus S. Antonii, editis Lugduni

[h] §. Quarta Conclusio, *fol.* 222. *pag.* 2.

[i] *Fol.* 19. *col.* 2. *partis* 2. *Operum S. Ambr. edit.* Basileensis an. 1516. *& col.* 920. *tom.* 2. *edit.* Paris. an. 1614. *Et n.* 21. *col.* 1039. *tom.* 1. *edit.* Paris. an. 1686. *ex Recens. PP. Benedict. Cong. S. Mauri.*

[k] *In disput. pro Immaculata Dei Gen. Concept. pag.* 39. *&* 40. *edit.* Lugd. an. 1542.

[l] *Fol.* 19. *pag.* 1.

[m] *Tom.* 5. *de Vitis Sanctorum ad diem* 24. *Septembr. a pag.* 348. *edit.* Colon. Agripp. an. 1574.

[n] *Tom.* 1. *Apparat. Sacri a pag.* 542.

[o] *Fol.* 15. *pag.* 2.

[p] *Fol.* 16. *pag.* 2.

[q] *Tom.* 2. *Apparatus a pag.* 425.

[r] *Extat tom.* 16. *Bibl. PP. pag.* 1083.

Lugduni anno 1635. ex recensione Fr. Johannis de la Haya Ord. Minor. Sermo iste *de Nativitate Virginis* non invenitur; & nec in aliis Sermonibus ejusdem Sancti, quidquam videre est Piæ Sententiæ contrarium. Sermo vero S. Vincentii *de Conceptione B. Virginis*, nullibi habet verba illa, a Cajetano allegata: *B. Virgo Maria fuit in Originali Peccato Concepta, sed eadem die, & hora, statim post animationem fuit per Sanctificationem a peccato contracto mundata.* Sed potius Piam Sententiam ubique spirat, ut vidimus *Act. I. n.* 15. 72. & 106. & videbimus etiam *Act. VI Art. II.* Consule Sermonum ejus editiones Lugdunenses anni 1539. & anni 1558. & tertiam antiquiorem Venetam anni 1496. ubi Sermo ille legitur a *fol. 6. col.* 2. At, inquies, quî potuit Canus citationibus fidere Cajetani, quem in eodem lib. VII. [s] *In Sanctorum lectione parum versatum dicit?* Rem teneo, modum ignoro.

13. Observantur etiam in Cano tres aliæ citationes falsæ in subjecta materia, quæ, nescio unde, irrepserint. Citat librum 53. D. Augustini contra Julianum; cum notissimum sit, libros Augustini contra Julianum senarium numerum non excedere. Citat quoque sic: *Damas. lib. 3. Sententiarum suarum.* Et sive Damasum Papam intelligas, sive Damascenum, neuter libros Sententiarum conscripsit. Citat insuper Hugonem de S. Victore *de Sacramentis par. 2. cap.* 4. Et in hoc opere Hugonis *de Sacramentis Christianæ Fidei* (quod extat Tomo III. edit. Venetæ Anni 1588. a pagina 218.) sive librum primum, sive secundum evolvas, *par. 2. cap.* 4. nihil prorsus de hoc argumento reperies. Omnes istas Cani citationes, ita, ut retuli, invariatas legi in triplici editione ejus egregii Operis *de locis Theologicis*, Veneta Anni 1567. Coloniensi Anni 1574. & ipsa postrema Patavina Anni 1724. curata, & adornata a Fr. Hyacintho Serri. Absit a me, ut tam insignis Theologi existimationi quicquam detractum velim; sed istæc adnotare oportuit, ne quis ejus auctoritate nixus, cæca fide credat, quod idem *loco cit.* scripsit: *Sanctos omnes, qui in ejus rei mentionem inciderunt, uno ore asseverasse, B. Virginem in Originali Peccato Conceptam.*

14. Nuper ad manus meas pervenit vetustum Volumen inscriptum in fine: *Catena Aurea Angelici, Divinique Doctoris S. Thomæ de Aquino S. Ord. Præd. diligenter, fideliterque nuper redacta super omnia Evangelia Dominicalia &c. per Relig. P. Fr. Petrum de Vincentia ejusdem Ord. &c. impressa in alma Venetiarum Civit. An. Dom. Sal.* MCCCCLXXXXIIII. XXVIII. *Aprilis.* Huic operi in eodem Volumine adnexum est Opusculum, cum hoc titulo: *De B. Virginis Conceptione ducentorum, & sexdecim S. Matris Ecclesiæ Doctorum, vera, tuta, & tuenda Sententia.* Et cum hac clausula: *Expleiunt auctoritates ducentorum sexdecim Doctorum, cum quatuor Capitulis præcedentibus, de Veritate Conceptionis BB. V. Mariæ, sollicitudine Fr. Petri de Vincentia Ord. Præd.* Magna aviditate legi hoc opusculum, & cùm Bandellum mihi oleret, collatione facta inter utrumque, tandem comperi, non aliud esse, quàm purum putum, & fere exscriptum Summarium primæ partis Bandellianæ Disputationis, quæ non multo ante, anno scilicet 1481. primum prodierat Bononiæ; [t] ac proinde iisdem fictis, supposititiis, vel depravatis Patrum testimoniis scatere.

15. Sciebam tamen, istud Vincentiæ Opusculum, furtivis typis recusum Tolosæ circa Annum 1649. ab Academia Tolosana sugillatum fuisse, tanquam *Temerarium, Scandalosum, & toti Ecclesiæ Catholicæ maxime Injuriosum*; subindeque a P. Petro Possino egregie refutatum per librum inscriptum, *Vincentia victus*, qui eodem anno prodiit Montalbani in Gallia. Cumque iterum idem Opusculum, sub titulo *de Veritate Concept. B. V. Mariæ*, circa annum 1660. clandestine impressum apparuisset Panormi; fuit similiter proscriptum ab Inquisitione Hispanica, tanquam *Scandalosum, Temerarium, & enormiter Injurium in universam Ecclesiam Catholicam.* Et denuo impressa est Panormi Confutatio illa Petri Possini, [u] P. Alva [x] censet, istum Petrum de Vincentia, esse fictum nomen; sed Jacobus Echard [y] probat, esse verum Auctorem.

16. In plerisque etiam ex Defensoribus Piæ Sententiæ, in hac causa tractanda, *Diligentiam, & criticam sagacitatem* requirit Dionysius Petavius: [z] *Nam*, inquit, *nec in citandis Auctoribus fidem, ac delectum adhibent, qui omnium maxime necessarius est &c.* Et hoc ego fateor, quod experimento didici: sed excusandos Antiquiores censeo, quòd eo tempore scripserint, cùm non adeo vigebat Criticæ Artis studium, nec tam multa extabant solidioris eruditionis monumenta. Recentiores vero lapsi interdum sunt, quia singula indagandi labore deterriti, in referendis Patrum Testimoniis, Priorum ductum bona fide sunt secuti. Hunc ego scopulum ut evitarem; Patrum sententias, non ex rivulis, sed ex ipsis fontibus hausi, ut præfatus sum.

17. Ansam inde arripuit Lampridius, universe de Nostris sic obloquendi: [a] *Sancti Ambrosii, Cyrilli Alexandrini, aliorumque Patrum adulterina, & ficta loca adferunt.* Et rursus: [b] *Addiderunt, & nonnulla Sanctorum Patrum loca .... e supposititiis scriptis petita, aut e veris pessime explicatis, scilicet Sanctorum Cypriani, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Bernardi &c.* Quasi vero Pia Sententia omni Patrum auctoritate sit destituta.

18. Si Lampridius, eadem solertia, animique contentione, qua Patrum Sententias, Immaculatæ B. Virginis Conceptioni in speciem adversantes, conquisivit, collegit, atque digessit; alias eorumdem, aliorumque Patrum faventes Sententias conquisivisset, invenisset utique ipsorum

[s] *Cap. 3. in 5. Conclusione fol.* 223. *pag.* 1.
[t] *Ut refert* Jacob. Echard *tom.* 2. *de Scriptor. Ord. Prædicator. pag.* 2.
[u] *V. Epistolam Nuncup. ad Ill. Senatum Panor. & cap.* 2. *istius Confut.*
[x] *In Sole Veritatis cum Ventilabro verit.* 307. *pag.* 874. *col.* 2. *& seq.*
[y] *Tomo* 1. *de Scriptor. Ord. Prædic. pag.* 880.
[z] *Lib.* 14. *de Incarnat. cap.* 2. *n.* 9. *pag.* 216. *tom.* 6.
[a] *Cap.* 10. *in fine pag.* 75.
[b] *Cap.* 11. *pag.* 79.

rum quoque Ambrosii, Hieronymi, Augustini, & cæterorum Patrum loca bene multa, non *e suppositiiis scriptis*, nec *e veris pessime explicatis*, *petita*; ex quibus pro Pia Sententia Chronologicam Seriem, suâ illâ locupletiorem, & luculentiorem, colligere, & digerere valuisset; ut nos facto ipso demonstrabimus. At Lampridius. *Quæ sibi propitia in Antiquis Ecclesiæ Scriptoribus visa sunt, hæc diligenter arripuit, summaque confidentia oculis incautæ Gentis objecit, triumphum hac una via sibi pollicitus. Quæ vero sibi adversari apud Veteres Patres novit, aut dissimulavit, aut levi brachio excussit.* [c]

Testimonia Arcessenda.

19. ADmonet insuper Petavius, [d] huc advocanda non esse Testimonia illa, quibus B. Virgo, *Illibata*, *Incorrupta*, *Impolluta*, *& Immaculata* a Patribus, præsertim Græcis, prædicatur: *Et frustra esse*, ait, *qui iis, & similibus ex vocabulis, quæ summam in B. Virgine munditiem, integritatemque significant; confectum sibi negotium putant, ut apud quos ista repererint, eos sibi in testimonium asciscant illius, quem probare volunt, Intacti, Immaculatique Conceptus.*

20. Verum, ne in hoc doctissimi Viri monito acquiescerem, Petavius ipse suasit. Quid æquius, quam Petavium, Petavio Auctore, deserere? Hic Theologiæ Dogmaticæ Magister, capite primo illius ejusdem libri, adstruens B. Virginis immunitatem ab omni culpa personali, etiam levissima, hæc habet: [e] „ Denique quod „ ab omni Culpa, suapte voluntate concepta, „ Immunis B. Virgo fuit, saltem illa suadere pos- „ sunt Græcorum, & Latinorum Patrum elo- „ gia, quæ ἄχραντον, idest Impollutam, & In- „ contaminatam illam nuncupant, & ejusdem- „ modi titulis exornant, quæ antecellentem om- „ nibus, & singularem vitæ Integritatem, & „ Innocentiam continent. „ Cur ergo hæc eadem elogia ad Conceptus quoque Mariani singularem Integritatem, & Originalem Innocentiam pertinere non dicamus? Noxa Originalis, non minus quàm Venialis, peccatum est; habet enim, juxta Tridentinum, [f] *veram, & propriam peccati rationem.* Immo Culpa Originalis, cum sit Lethalis, longe gravior Noxa, & fœdior Macula est, quàm Culpa Venialis; ut explicatum est in Apparatu *n.* 183. *& seqq.* Sane D. Anselmus [g] non putavit, CHRISTUM posse simpliciter dici a Peccato Immunem, nisi & ab Originis Peccato Immunis fuisset: *Dubium non est*, inquit, *eum omnino sine Peccato esse: hoc autem esse non valet, nisi absque Peccato de massa peccatrice sit assumptus.*

21. Rursum Petavius, capite II. [h] immaculatum DEI Genitricis Conceptum probaturus, hanc profert rationem: „ Movet autem me, ut „ in eam sim partem propensior, Communis „ maxime Sensus Fidelium omnium, qui hoc „ intimis mentibus, altèque defixum habent, & „ quibus possunt indiciis, officiisque testantur, „ nihil illa Virgine castius, purius, innocen- „ tius, alienius denique ab omni sorde, & la- „ be Peccati procreatum a DEO fuisse. Tum „ vero nihil cum inferis, & horum rectore „ Diabolo, adeoque cum qualicumque Dei of- „ fensa, & damnatione commune unquam ha- „ buisse &c. „ Si ergo Patrum Sententias invenerimus, idipsum, iisdem, aut similibus verbis, exprimentes, quod fert Communis omnium Sensus; quid causæ est, cur confectum nobis negotium non putemus, ut eos nobis Patres in testimonium asciscamus illius, quem probare volumus, intacti, immaculatique Conceptus?

22. At, ajebat Petavius, *Etiam Immaculati, & Innocentes appellantur in Scriptura, qui præsente & Justitia, & Sanctitate præditi sunt, etsi ab originis vitio non fuerint exempti.* Esto. Neque enim ea laudabimus Patrum Testimonia, quibus B. Virgo utcumque dicitur Illibata, Intemerata, aut Immaculata, sed illa, quibus *singulariter*, *summe*, *aut ex omni parte Illibata*, *Intemerata*, *aut Immaculata* prædicatur: quod certe in reliquos Justos non quadrat.

23. Cæterum epitheton, *Immaculata*, simpliciter prolatum, (quod tam frequenter a Patribus, præsertim Græcis, B. Virgini, præ cæteris attribuitur,) denotare videtur, non qualemcumque munditiam, sed omnimodam cujuscumque maculæ remotionem; itaut simpliciter *Immaculata* dici nequeat, quæ aliquid maculæ aliquando habuerit: quemadmodum *Incorrupta* dici non potest, quæ corruptionem semel passa sit. Hæc enim est notio græcæ vocis ἄμωμος, (latine *immaculatus*) apud Patres Græcos; ut tradit Johannes Gaspar Svicerus [i] ex D. Chrysostomo, vel potius ex alio quodam Græco Interprete antiquo, in Psalmum CXVIII. ubi sic: [k] *Immaculatus est is, qui omni scelere, flagitio, & sorde liber est; qui maculæ, iniquitatis, & peccati expers est.*

24. Hanc quoque vocis, *Immaculatus*, notionem fuisse apud Patres Latinos, colligitur ex D. Ambrosio, e cujus Commentario in Isaiam, hanc Sententiam laudat D. Augustinus: [l] *Idcirco Christus Immaculatus, quia nec ipsa quidem nascendi solita conditione maculatus est*: & ex Johanne Cassiano, [m] qui Sanctum ab Immaculato discernens: *Inter Sanctum*, inquit, *& Immaculatum multa distantia est. Aliud enim est, esse quempiam Sanctum, idest divino cultui consecratum.... Aliud est autem, esse absque Peccato, quod unius Domini Jesu Christi singulariter convenit Majestati.*

25. Sicuti

[c] *Verba sunt* Cl. V. Lud. Ant. Muratorii *adversus* Thom. Burnetum *in libro* de Paradiso &c. *cap.* 23. *pag.* 236. *edit.* Veronens. an. 1738.
[d] *Loco cit. ad num.* 16.
[e] *Num.* 15. *pag.* 214.
[f] *Sess.* 5. *in decr. de Peccato Originali*, *cap.* 5.
[g] *Lib.* 2. *Cur* Deus homo *cap.* 16.
[h] *Num.* 10. *pag.* 216.
[i] *Tom.* 1. *Thesauri Ecclesiast. e PP. Græcis, ordine alphabet. concinnati.*
[k] *Apud D. Chrysostomum pag.* 685. *tom.* 5. *edit.* Paris. G. L. *ex Recens.* D. Bernardi de Montfaucon.
[l] *Lib.* 4. *contra duas epist. Pelag. cap.* 11. *col.* 488. *tom.* 10.
[m] *Collat.* 22. *quæ est secunda* Abbatis Theonæ, *cap.* 10. *pag.* 232. *tom.* 7. *Bibl. PP.*

25. Sicuti ergo ex hoc titulo, *Immaculatus*, qui propria, & speciali ratione, CHRISTO Domino tribuitur in Scripturis, [n] & ipsi convenit per naturam; rectissime infertur ejus Immaculata Conceptio; ita ex eodem titulo, *Immaculata*, qui propria etiam, & speciali ratione, B. Virgini tribuitur quoque in Scripturis, [o] etsi non ei conveniat, nisi per Gratiam, similiter infertur ipsius Conceptio Immaculata. Et hinc obtinuit Fidelium usus, ut, cùm B. Virginem simpliciter *Immaculatam* appellant, ejus ab Originali Macula immunitatem designare velint: sicuti cùm nominant *Festum Immaculatæ*, *Officium Immaculatæ*, *Imaginem Immaculatæ*.

ARTICULUS I.

Apostolicæ Traditionis Testimonia, ab adversa Parte allegata.

26. NON ante tertium CHRISTI Sæculum, hanc qualemcumque Testimoniorum seriem adoriri, datum est Adversariis. Nam Clemens Alexandrinus, a quo initium sumit Lampridius, inter Scriptores tertii Sæculi reponitur a Card. Bellarmino, ab Auctore Bibliothecæ Max. PP. a Johan. Dominico Musantio, [p] & ab aliis. Singulis quibusque Testimoniis, breves quasdam hoc loco notationes subjicimus, quibus pleraque omnia vel inepta, vel vitiata, vel exorbitantia demonstramus. Plenam, & necessariam eorundem expositionem, Piæ Sententiæ minime repugnantem, *Articulo II.* exequemur.

SÆCULUM CHRISTI III.

TESTIMONIUM I.

Clemens Alexandrinus Anno CCIV.

Solum Verbum est, in quod Peccatum non cadit: est enim Peccare, natura Omnibus Innatum, & Commune. [q]

27. HIc locus extra propositum adducitur, ubi non de Peccato Originis, sed Actionis sermo est; ut indicat ipsum verbum, *Peccare*, quod actum sonat; & integra Oratio declarat, quæ sic habet: *Peccatoris amplectitur pœnitentiam, quæ peccata sequitur, pœnitentiam diligens. Solum enim Verbum est, in quod peccatum non cadit: est enim peccare, natura omnibus innatum, & commune; post peccatum autem resipiscere, non est cujusvis Hominis, sed ejus, qui est jure magnifaciendus.* Dic sodes, quid Peccato Originis, cum Pœnitentia, & Resipiscentia? Num dicemus cum Jansenianis, [r] *quod Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro Peccato Originali?* O felix initium Lampridianæ Traditionis! Cæterum quod ait Clemens, *in solum Verbum peccatum non cadere; & peccare, natura omnibus innatum*: ita intelligendum est, ut solum Verbum peccare non possit; cæteri vero, seu Angeli, seu Homines, suapte natura ad patranda peccata capaces, vel etiam proni sint.

TESTIMONIUM II.

Tertullianus Anno CCVIII.

Solus DEUS sine peccato, & solus Homo sine peccato Christus, quia & Christus Deus. [s]

28. HOc quoque Testimonium frustraneum est: de Peccatis enim propriis, & personalibus potissimum ibi agit Tertullianus, ut ex præcedentibus liquet. *Sic*, inquit, *pessimi, & optimi quidam, & nihilominus unum omnes Animæ genus. Sic & in pessimis aliquid boni, & in optimis nonnihil pessimi. Solus enim Deus sine peccato &c.* Porro, quod ait, *in optimis nonnihil pessimi* esse; verum est propter peccata venialia, a quibus, juxta Tridentinum, [t] nemo Justus, B. Virgine excepta, perpetuo vivit Immunis. Quod vero dicitur, *Solus Deus esse sine peccato, & solus Homo Christus, quia & DEUS*: intelligendum est de Immunitate à Peccato, oriunda ex impossibilitate peccandi, ni dicere velimus, Angelos Sanctos fuisse aliquando cum Peccato.

29. Et hinc apparet, quàm inepte inferant Adversarii fore, ut B. Virgo æquetur CHRISTO, si absque omni peccato fuisse dicatur. Hoc sane argumento, nec ipsum Pelagium refelli posse credidit D. Augustinus: [u] *Absit*, inquit, *ut ei dicamus*, quod a quibusdam (forte a D. Hieronymo [x]) *contra se dici ait*, *comparari Hominem* DEO, *si absque peccato esse asseratur: quasi vero Angelus, quia absque peccato est, comparetur DEO. Ego quidem hoc sentio, quia etiam cum fuerit in nobis tanta justitia, ut ei addi omnino nihil possit, non æquabitur Creatura Creatori.*

TESTIMONIUM III.

Origenes Anno CCXL.

Scriptura dicit: Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus. *Hoc ipso ergo omnis, qui ingreditur Mundum, quòd in vulva Matris est*

[n] *Ad Hebr. c. 14. & 1. Petri II. 19.*
[o] *Cantic. cap. 5. ver. 2.*
[p] *In Face Chronologica n. 27. & 28. Sæculi 3.*
[q] *Lib. 3. Pædagogi cap. 12. pag. 74. col. 2. tom. 3. Bibl. PP.*
[r] *Est propositio 19. ex Damn. ab* Alex. VIII. *die 7. Decemb. an.* 1690.
[s] *Lib. de Anima cap. 41. pag. 497. edit.* Paris. an. 1616.
[t] *Sess. 6. Can. 23.*
[u] *Lib. de Natur. & Grat. contra* Pelag. *cap. 33. col. 143. tom. 10.*
[x] *Epist. 43. ad Ctesifontem contra* Pelag. §. Soleis *col. 479. par. 2. Tom. 4.*

est positus, & quòd materiam Corporis ab origine paterni sanguinis sumit, in Patre, & in Matre contaminatus dici potest. Solus vero meus Jesus, mundum ingressus, in Matre non est pollutus. [y]

30. OMisit Lampridius hujus Sententiæ initium, quod alioqui sua intererat, nempe: *Omnis qui ingreditur hunc Mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Scriptura dicit &c.* Tacuit quoque rationem, ab Origene adductam post illa verba, *dici potest*; quæ interest nostra, videlicet: *Aut nescis, quia cum quadraginta dierum factus fuerit Puer masculus, offertur ad Altare, ut ibi purificetur, tamquam qui pollutus fuerit in ipsa Conceptione, vel Paterni Seminis, vel Uteri Materni? Omnis ergo Homo in Patre, & Matre pollutus est. Solus vero &c.* Dicimus ergo, hanc esse unam ex Sententiis Generalibus de Macula Originali, ab omnibus contracta, juxta Legem communem, juxta quam non solum concipimur, verum etiam nascimur ex utero contaminati; ut patet ex illis verbis Jobi, quæ Origenes allegat juxta versionem LXX. & ex ratione, quam adjicit de Purificatione Pueri post quadraginta dies. Adde, videri Origenem esse contentum sola pollutione in radice, quæ est in ipsa Conceptione Seminali, ut indicat illa disjunctio: *In ipsa Conceptione vel Paterni Seminis, vel Uteri Materni.*

31. Monet ibi Lampridius Lectorem: *Cætera vide, uti & homiliam* VI. *super Numeros.* Sed in illis cæteris aliquid potius invenimus, quod illibatum Matris CHRISTI Candorem commendet: *In Matre* (prosequitur Origenes) *Non est pollutus. Ingressus est enim Corpus Incontaminatum. Ipse enim erat, qui & dudum per Salomonem dixerat: (Sap. 8. 20.)* magis autem cum essem bonus, veni ad Corpus Incoinquinatum. *Non est ergo coinquinatus in Matre. Sed ne in Patre quidem &c.* Igitur secundum Origenem, Dominus JESUS in Matre non est pollutus, quia ingressus est Corpus Incontaminatum, & Incoinquinatum, Uterum videlicet ipsius Virginis Matris. Quanto autem verius, & perfectius, non esset CHRISTUS pollutus in Matre, si Mater nulla unquam Peccati Labe polluta fuisset? Quid de hac eximia Virginis Matris Puritate alibi scripserit Origenes, infra videbimus.

32. In Homilia vero sexta indicata, (quæ est *pag.* 120. *col.* 2.) de Peccatis Actualibus apertissime loquitur Origenes. Ibi enim CHRISTUM Dominum Prophetis omnibus anteponit. *Quia solus est sine Peccato, qui Peccatum non fecit, idcirco in ipso solo mansit, & permansit Spiritus Sanctus.* Hanc autem Spiritus Sancti mansionem negat in Prophetis, quia potuerunt peccare, & interdum etiam peccaverunt, ut probat de Moyse, Davide, & Salomone: *Et quomodo*, inquit, *conveniet, ut tempore peccati, mansisse in eis dicamus Spiritum Sanctum?* Num hinc inferes, in B. Virgine, subintroeunte interdum peccato, non mansisse Spiritum Sanctum?

TESTIMONIUM IV.

S. Dionysius Alexandrinus Anno CCLX.

Nullus peccati est expers, nisi solus Christus, sicut & Pater Christi, & Spiritus Sanctus. [z]

33. ACtione quarta, (ad quam magis spectat) ostendemus, hoc Testimonium a Lampridio vitiatum referri. Interim observo, *Expertem esse peccati*, non hic sonare, esse immunem a Peccato quomodocunque, cum etiam Angeli Sancti immunes sint a Peccato; sed esse immunem a peccato suapte natura, quod soli DEO competit. Idem dico de S. Gregorio Nysseno, S. Ephræm Syro, & D. Chrysostomo, quos, e serie Chronologica exiliens, Lampridius hoc loco memorat, *Christum solum sine Peccato deprædicantes.*

SÆCULUM CHRISTI IV.

TESTIMONIUM V.

S. Hilarius Anno CCCLX.

Ergo cum missus est (CHRISTUS) *in similitudinem Carnis peccati, non sicut Carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis Caro est, a peccato scilicet, Adamo Parente, deducta; in similitudine peccati Carnis est missus, existente in eo non peccato, sed peccati Carnis similitudine.* [a] Item: *Ipse utique perfectus, & sine peccato solus, & unus, in cujus ore dolus non fuit.* [b] Rursus: *Ecce venit Princeps hujus Mundi, & non invenit in me quidquam. Solus enim extra peccatum est D. N. Jesus Christus.* [c]

34. PRima D. Hilarii Sententia solum tangit universale Debitum contrahendi Originale Peccatum a quo Debito solum CHRISTUM eximit. Etenim Peccatum, ex quo esse, & a quo deducta dicitur omnis Caro, aliud intelligi nequit præter carnalem Concupiscentiam, per quam omnis humana Caro ex Adamo peccante propagatur, (ut D. Augustinus exponit;) & sic contrahit Debitum incurrendi, ubi primum animatur, Originale Peccatum, & hoc incurrit, nisi singulari DEI privilegio præservetur.

35. Duæ posteriores Sententiæ deviant a proposito, quippe quæ CHRISTUM solum, & unum absque Peccato, non tam Originali, quam Actuali, fuisse prædicant, ut in altera indicant ea ipsa verba, *in cujus ore dolus non fuit*; In altera, verba proximè antecedentia declarant: *Humanæ Naturæ fiducia ista non est, ut probari*

[y] *Hom.* 12. *in caput* 21. *Levit. pag.* 102. *col.* 2. *& seq.* *edit.* Paris. 1604.

[z] *In Epist. Synodica ad* Paulum Samosatenum, *pag.* 342. *tom.* 3. *Bibl. PP. & aliis in locis, alibi citandis.*

[a] *Hæc Hilarii verba, nullo cit. loco, refert D. August. lib.* 1. *contra* Julian. *cap.* 3. *col.* 501. *exponit autem lib.* 2. *cap.* 4. *col.* 531.

[b] *Tract. in Psal.* 118.

[c] *Tract. in Psal.* 138. *in fine num.* 47. *col.* 525. *edit.* Paris. An. 1693. *ex Recensione Benedictinor.*

bari se velit, ut sciri cor suum postulet, ut cognosci semitas suas expectet, ut inspici non metuat, si via iniquitatis in se sit, ut per hanc cognitionem in æternam viam deducatur. Vox ista (nimirum *proba me DEUS, & scito cor meum &c.* quæ auditur in eo Psalmo) *ejus tantum potest esse, qui dixit: Ecce venit Princeps hujus Mundi &c.*

TESTIMONIUM VI.

S. Ambrosius Anno CCCLXXXV.

I. SENTENTIA.

Unum solum Hominem Mediatorem DEI, & Hominum eo quòd sit natus ex Virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxiæ vinculis non teneri. Omnes autem Homines sub peccato nasci, quorum ipse ortus in vitio est: quia Concupiscentiæ voluptate concreti, prius subirent Contagia delictorum, quam vitalem de hoc aere spiritum ducerent. (d)

36. PLures D. Ambrosii Sententias objicit Lampridius, & quidem omnes ab ipsomet D. Augustino allegatas in libris contra Pelagianos; quas confusionis vitandæ causa singillatim exponimus.

37. Hæc prima Sententia, (quam non ex certo quodam Ambrosii loco, sed ex pluribus, ante productis, & in unum conglobatis, adducit D. Augustinus,) tota tendit ad excludendum in CHRISTO, & adstruendum in nobis Debitum contrahendi Originale Peccatum, ob longe disparem Generationis modum: quòd nimirum CHRISTUS ex Virgine natus sit, nos per carnalem Concupiscentiam procreati. Ideo namque ait de CHRISTO, quod *Generationis obnoxiæ vinculis non tenetur*; *de nobis vero quod sub peccato* (non dixit *in peccato*) *nascimur*; hoc est sub obligatione contrahendi peccatum concipimur, quodque prius subeamus contagia delictorum, *quam vitalem de hoc aere spiritum ducimus*, hoc est priusquam vivere incipimus, cùm formalis peccati nondum sumus capaces.

38. Notat ibi Lampridius, quod *olim obnoxii appellabantur servi.* Sed frustra: *Obnoxius* enim a Latinis dicitur is, *qui pœnæ obligatus est ex delicto, & generatim, qui quovis modo est obligatus, seu subjectus.* V. Calepinum Facciolati.

II. SENTENTIA.

Per unum Dominum Jesum Salus ventura nationibus declaratur, qui solus non potuit justus esse, cum generatio omnis erraret, nisi ex Virgine Generationis obnoxiæ privilegio minime teneretur. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me Mater mea; *dicit is, qui justus præ cæteris putabatur. Quem igitur jam justum dixerim, nisi horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneant? Omnes sub peccato: Ab Adam in omnes regnabat mors. Veniat solus Justus in conspectu DEI, de quo jam non exceptione, dicatur:* (e) Non peccavit in labiis suis; *sed,* (f) Peccatum non fecit. (g)

39. QUæ in hac Sententia dicuntur, de omnis Generationis errore, de Generatione obnoxia, de Conceptione in iniquitatibus, de Vinculis Naturæ communis; eandem cum præcedenti Sententia expositionem habent, ut intelligantur de Debito contrahendi peccatum, sicut ipse Augustinus intellexit, ibid. inculcans, quod D. Ambrosius *solum Christum, quia sit natus ex Virgine, a Vinculis obnoxiæ Generationis excepit, omnibus cæteris, ex Adam sub peccati Obligatione nascentibus.* Quod vero D. Ambrosius, solum CHRISTUM Justum fuisse dicat in conspectu DEI, & ipsum solum non fecisse peccatum; exponendus est de Justitia soli CHRISTO ingenita, & de remotione a peccato, ipsi soli etiam innata. Nam alioqui in Evangelio (Lucæ 1.6.) de Zacharia, & Elizabeth legimus, quod *erant Justi ambo ante DEUM*: & tam est certum, B. Virginem non fecisse peccatum, quàm est certum, nullum commisisse Actuale Peccatum, adhuc Veniale: peccatum enim non *fit*, nisi voluntate, & actione propria, etsi *contrahi* possit aliena.

III. SENTENTIA.

Solus enim per omnia ex natis de Fœmina Sanctus Dominus Jesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus novitate non senserit, & Cœlesti Majestate depulerit. (h)

40. SEntentia hæc potius confirmat, quod modo dicebamus. Non ait D. Ambrosius, quod solus JESUS sit *Sanctus* utcunque, sed *Sanctus per omnia*; atque adeo Sanctus, Sanctitate sibi debita, & ingenita, quippe qui *terrenæ* contagia *corruptelæ*, non ex indulgentia, & veluti precario evaserit, sed *Immaculati Partus novitate non senserit, & Cœlesti Majestate depulerit.*

41. Inducit hìc Lampridius D. Augustinum asserentem: *Hæreticum esse manifestum, qui huic antiquo Catholico dogmati contradicit.* Sed quò tendat, non video. Numquid persuadere vult Lampridius, Hæreticum esse manifestum, qui dixerit, DEI Genitricem, Sanctam natam esse, & terrenæ contagia corruptelæ, quibus erat obnoxia, ex ipsius CHRISTI meritis evasisse per gratiam?

(d) *Apud D. August. lib. 2. contra* Julian. *cap. 9. n. 32. col. 546. tom. 10.*
(e) *Job. cap. 2. v. 10.*
(f) *1. Petri. cap. 2. v. 22.*
(g) *Apud D. August. lib. 2. contra* Julian. *cap. 2. nu. 4. col. 527. ex libro D. Ambrosii de Noe, & Arca, in quo tamen libro, ut nunc extat, ista verba desiderantur.*
(h) *Apud ipsum Ambros. lib. 2. in Luc. cap. 2. & apud D. August. lib. 1. Operis Imperfecti contra Julian. num. 66. col. 905. & seq. par. 2. tom. 10.*

IV. SENTENTIA.

Idcirco Christus Immaculatus, quia nec ipsa quidem nascendi solita conditione maculatus est &c. Dignum enim fuit, ut qui non erat habiturus corporeæ peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Merito ergo David flebiliter in se deploravit ipsa inquinamenta naturæ, & quod prius inciperet in Homine macula, quàm vita. (i)

V. SENTENTIA.

Ideo & quasi Homo per universa tentatus est, & in similitudinem Hominum cuncta sustinuit, sed quasi de Spiritu natus, abstinuit a peccato. Omnis enim Homo mendax, & nemo sine peccato, nisi unus DEUS. Servatum est igitur, ut ex Viro, & Muliere, idest per illam Corporum commixtionem, nemo videatur expers delicti: Qui autem expers est delicti, expers est etiam hujusmodi Conceptionis. (k)

42. UTramque Sententiam simul proposui, quia utraque vel nimis probat, vel nobis favet. Utrinque enim infertur, quod B. Virgo, vel Personali etiam Peccato sorduerit, vel immunis quoque fuerit ab Originali Peccato. In priori Sententia, CHRISTUS idcirco dicitur Immaculatus, utique in vita sua, quia nec ipsa nascendi solita conditione maculatus est, hoc est nec Originalem Maculam nascendo contraxit; & vicissim dignum fuisse pronunciatur, ut qui non erat habiturus peccatum Corporeæ Prolapsionis, idest proprii lapsus Personalis, nullum sentiret Generationis naturale Contagium, hoc est Originale Peccatum, quod ex ipsa naturali Generatione contrahitur.

43. In posteriori Sententia similiter dicitur CHRISTUS abstinuisse a Peccato, utique Personali; quia de Spiritu natus est, ac proinde absque Originali Peccato. Unde hanc regulam generalem tradit Ambrosius, *ut nemo ex Viro, & Muliere conceptus*, (Conceptione nimirum, quæ, juxta Legem communem, secum afferat Maculam Originalem) *videatur expers delicti*, scilicet Proprii, ac Personalis: & contra, qui *expers est* istius *delicti*, *expers etiam sit hujusmodi Conceptionis* Maculatæ: sic etiam hunc locum intelligit Petavius (*l*). Si ergo B. Virgo expers fuit cujuscumque Delicti proprii, & Personalis, ut sentit Ecclesia; juxta D. Ambrosium, expers etiam fuit Maculatæ Conceptionis, licet ex Viro, & Muliere fuerit Concepta.

POSTREMA SENTENTIA.

Omnes Homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum, dicente Domino (corr. vel adde, *David*): Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me Mater mea. *Ideo Pauli caro, Corpus mortis erat, sicut ipse ait:* Quis me liberabit de Corpore mortis hujus? *Christi autem Caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit.* (*m*)

44. HAnc Sententiam descripsi, ut extat apud Divum Augustinum loco citato per Lampridium, non ut ab ipso Lampridio refertur, cum additamento novem linearum, & duarum detractione. Nil autem aliud in ipsa continetur, nisi Doctrina Generalis de transfusione Originalis Peccati, a quo CHRISTUS sua morte nos redemit. Cum quo quidem Peccato nos omnes, non solum concipi, sed etiam nasci ex utero, indicat ibi D. Ambrosius, dum illud Davidicum allegat secundum versionem LXX. *Et in delictis peperit me Mater mea.*

SÆCULUM CHRISTI V.

TESTIMONIUM VII.

S. Johannes Chrysostomus Anno CCCCIV.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meum; (Psal. LVIII. 5.) *solus Christus hæc dicere potuit, qui peccatum non habuit, & idcirco cursum Salutis nostræ direxit.*

45. HAnc Chrysostomi Sententiam videndam nobis dicit Lampridius *in Catena Græcorum Patrum:* rectius dixisset, *In expositione Patrum Græcorum in Psalmos*, a nostro Balthasare Corderio concinnata. (*n*) Verum licet expositio istius Psalmi D. Chrysostomo ibi tribuatur, Chrysostomi tamen revera non est: Ut enim monet Cl. V. Bernardus de Montfaucon (*o*) (qui accuratissimam Operum S. Chrysostomi editionem novissime adornavit) legitimæ expositiones D. Chrysostomi super Psalmos, a **XLIX.** Psalmo, usque ad CXVIII. desiderantur.

46. Cæterum cujuscumque fuerit hæc Sententia, ultra propositum excurrit. Quia ubi David ait: *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine: sine iniquitate cucurri, & direxi:* de solis personalibus peccatis indubitanter loquitur. Si ergo solus CHRISTUS ea verba dicere potuit, ita ut eadem verba B. Virgo dicere non potuerit; jam non Originale dumtaxat Peccatum, sed & Personale B. Virgini appingeretur. Quod cum admittere nequeat Lampridius, fateri debet, vocem illam, *Solus*, in qua tantopere fidit, exponendam necessario esse.

TESTI-

(i) *Apud D. Aug. lib. 4. contra duas Epistolas* Pelagianorum *cap. 11. num. 29. col. 488. tom. 10.*

(k) *Apud eundem D. August. lib. 1. de Nuptiis, & Concupisc. non cap. 34. ut citat* Lampridius, *sed cap. 35. num. 40. col. 300. tom. 10. ex expositione D. Ambrosii in* Isai. *quæ non extat.*

(l) *Loco cit. cap. 1. num. 13. pag. 213. col. 2.*

(m) *Apud D. August. lib. 2. contra Julian. cap. 3. n. 5. col. 528. ex Tract. D. Ambr. contra Novatianos, sive de Pœnitentia lib. 1. cap. 3.*

(n) *Tomo 2. pag. 155. edition.* Antverp. an. 1646.

(o) *In Præfatione ad Tomum quintum §. 1. & 6.*

TESTIMONIUM VIII.

S. Zosimus Papa, Anno CCCCXVII.

Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemtus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus, sicut scriptum est: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. (*p*)

47. IN hac concisa Sententia, (de qua plenius relata, alibi redibit Sermo) nihil auditur de Originali Macula, ab omnibus omnino contracta, sed sola Redemptionis definitio traditur. Hæc autem quomodo intelligenda sit, copiose declaravimus *Actione I. a num. 62.* sequentes ductum ipsius S. Augustini, qui istam Sententiam laudat.

48. Placet nihilominus, quæ de Redemptione Præservativa ibi diximus, alio D. Augustini loco confirmare. Non minus Solutio denotat Vincula, quam Redemptio Captivitatem. Et tamen Augustinus (*q*) verba illa *Act. II. 24. Quem DEUS suscitavit, solutis doloribus inferni*; sic exponit: „Quod si movet, quemadmodum accipiendum sit, Inferni ab eo solutos dolores, „(neque enim cæperat in eis esse, tanquam „in vinculis, & sic eos solvit, tanquam si catenas solvisset, quibus fuerat obligatus) facile „est intelligere, sic eos solutos esse, quemadmodum solvi possunt laquei venantium, ne „teneant, non quia tenuerunt.„

TESTIMONIUM IX.

S. Augustinus, Anno CCCCXXV.

I. SENTENTIA.

Solus ergo, ille, etiam Homo factus, manens DEUS, peccatum nullum habuit unquam, nec sumpsit Carnem peccati, quamvis de materna Carne peccati. Quod enim Carnis inde suscepit, id profecto aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit. (*r*)

49. HUjus Magni Patris Sententias abundantius, & prolixius, quàm par erat, describit Lampridius. Quædam ex illis idem omnino enuntiant. Aliarum, pauca dumtaxat verba ad rem pertinere posse videntur. Parcius illas referam, ne Lectorem meum fatigem; sed nihil, quod aliquam difficultatis speciem præseferat, dissimulabo.

50. Itaque ex pluribus D. Augustini Sententiis, a Lampridio relatis, id unum sonantibus, *Omnem Humanam Carnem, sola Christi Carne excepta, Carnem esse Peccati*; hanc unam elegi, quæ, cum Matrem CHRISTI nominet, peculiarem continere videtur difficultatem. Cæterarum, loca dumtaxat diligentius cito: *Lib. I. de Nuptiis, & Concupiscentia. Cap.12.* (s) *Lib.V. contra Julianum.* (t) *Lib. VI. Operis Imperfecti contra eundem.* (u) *Lib. X. de Genesi ad litteram. cap.* 18. (x) Quibus addo quædam alia loca, suppressis verbis, indicata a Lampridio, in quibus nil est invenire, præter *Carnem Peccati. Capite XXVIII. Libri I. de Peccatorum Meritis. Cap.* seu potius *num. CCXVIII.* & *CCXXV. Libri II. Operis Imperfecti contra Julianum.* Item *Cap.* seu *num. LXXIX. Libri IV.* & *Cap.* seu *num. XXXIV. Libri VI. ejusd. Operis.*

51. Jam vero quid sit, apud D. Augustinum, & alios Patres ipsum secutos, *non esse Carnem peccati*, solius CHRISTI proprium; & *esse Carnem Peccati*, cæteris Hominibus commune; ex iisdem S. Doctoris locis planissime explicabimus. Interim circa descriptam Sententiam, observandum primo est, verba illa, *de Materna Carne peccati*, in aliis Codicibus aliter legi, *de Natura Carnis peccati*, vel *de Materia Carnis peccati*; ut ibi notant Editores Benedictini: sensum tamen eundem esse, nempe de Substantia Carnis humanæ, quæ erat obnoxia peccato.

52. Observandum præterea, sensum eorum verborum: *aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit*: esse non posse, quod CHRISTUS Carnem illam, quam de Virgine suscepit, aut paulo ante susceptionem, aut in ipsa susceptione ab aliqua Peccati Macula præcedente mundavit. Secus B. Virgo non nisi paulo ante Incarnationem CHRISTI, aut in ipsa Incarnatione, sanctificata fuisset: quod absit a Fidelium mentibus. Id ergo, *aut suscipiendum mundavit*, recte intelligitur, quod CHRISTUS Matrem suam, de qua erat Carnem purissimam suscepturus, a Peccati Macula præservando. Mundam creavit, ut non obscure indicant verba sequentia: *Ideo*, inquit Augustinus, *Virginem Matrem, non lege Carnis peccati, hoc est non concupiscentiæ carnalis motu concipientem, sed pia fide sanctum Germen in se fieri promerentem, quam eligeret, creavit, de qua crearetur, elegit.* Hoc est tam puram creavit, ut digna esset, quæ eligeretur in Matrem DEI. De hoc verbo, *Mundare*, & aliis similibus infra redibit Sermo. Illud vero, *aut suscipiendo mundavit*, commode intelligitur cum P. Vasquez, (*y*) de Carne universa, hoc est de tota Natura Humana, quam CHRISTUS assumendo partem quandam illius, ab omni peccato emundavit.

(p) *In Epist. quæ non extat, sed ejus fragmentum affert D. August. epist.* 190. (*aliàs* 157.) *cap.* 6. *n.* 23. *vol.* 707. *tom.* 2.

(q) *In Epistola ad Evodium* 164. (*aliàs* 99.) *cap.* 1. *num.* 3. *col.* 574.

(r) *Lib.* 2. *de Peccator. merit. & remiss. cap.* 24. *n.* 38. *col.* 61. *tomi* 10.

(s) *Num.* 13. *col.* 287. *ejusd. Tomi.*

(t) *Non cap.* 14. *ut apud* Lampridium, *sed cap.* 15. *num.* 52. *col.* 654.

(u) *Non cap. sed num.* 35. *col.* 1368.

(x) *Num.* 32. *col.* 268. *& seq. tom.* 3.

(y) *Tom.* 2. *in* 3. *Partem disput.* 117. *cap.* 11. *num.* 120. *& seq.*

II. SENTENTIA

Si enim propterea morimur, quia ille (Adam) *mortuus est; ille autem mortuus est, quia peccavit, pœnam dicunt* (Pelagiani) *transire sine culpa, & innocentes Parvulos injusto supplicio puniri, trahendo mortem sine meritis mortis. Quod de uno solo Mediatore DEI, & Hominum, Christo Jesu, Catholica Fides jubet.* [Corr. *novit*] (z).

53. QUa ratione mors temporalis, (de qua hic sermo est,) censeatur pœna peccati; & ipsa quoque B. Virgo dicatur alibi ab eodem D. Augustino, *mortua propter peccatum*; luculenter explanavimus in Apparatu, a *num.* 82. Sed & hic addo insignem de ipsius CHRISTI Morte D. Augustini locum *lib.* 2. de Peccatorum Meritis, & Remissione. (a) *Sed quia*, inquit, *in eo erat similitudo Carnis peccati, mutationes ætatum perpeti voluit, ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa Caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus. Quæ tamen Mors in Carne peccati, inobedientiæ debita redditur; in similitudine autem Carnis peccati, obedientiæ voluntate suscepta est.* Si ergo CHRISTUS, juxta D. Augustinum, ob solam similitudinem Carnis peccati, sponte susceptam, moriturus erat; quid mirum, quod B. Virgo propter solum peccati Debitum in Adamo contractum, mortua sit?

III. SENTENTIA.

Hoc ergo excepto Lapide Angulari, (CHRISTO Domino,) *non video, quomodo ædificentur Homines ad habendum in se habitantem DEUM, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati.* (b)

54. ET ego non video, qua ratione Lampridius pro maculata DEI Genitricis Conceptione, hæc D. Augustini verba depromat; quæ, si quid probant, ipsam illius Nativitatem inferunt maculatam. Nec prodest Lampridio effugium ad Nativitatem in utero, quæ est ipsa Conceptio, ut indicavimus in Apparatu *num.* 124. Hoc enim loco S. Doctorem de Nativitate ex utero loqui, ita perspicuum est, ut cœcus sit, qui id non advertat. Lege quæ apud ipsum sequuntur *n.* 33. & videbis, data opera refutatam ab Augustino Illorum interpretationem, qui ea CHRISTI verba: (c) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* referri posse ajebant, ad Nativitatem in utero, quin opus sit, quod quis nascatur ex utero, ut per Gratiam renasci queat. Quomodo vero Sententia ista sit intelligenda, ne Sanctificationi B. Virginis in utero adversetur, jam exposuimus ibidem *n.* 125. *& seq.*

55. Quapropter frustra, & plusquam frustra, bis in eadem *pag.* 187. recitat Lampridius illam D. Augustini Sententiam ex lib. 2. de Peccatorum Meritis: (d) *Teneamus indeclinabilem Fidei confessionem. Solus unus est, qui sine peccato natus est in similitudinem Carnis peccati*: suppletis præsertim his, quæ proxime sequuntur, verbis: *sine peccato vixit inter aliena peccata, sine peccato mortuus est propter nostra peccata.* In qua quidem Sententia non solum Nativitas, verum etiam Vita, & Mors sine peccato, soli CHRISTO adscribitur; idque tanquam certum Fidei Dogma traditur. Quis ergo somniare poterit, istius Sententiæ rigore pulsari B. Virginem?

56. Præcedenti Sententiæ adnectit Lampridius hanc aliam ex Sermone XIII. de Tempore: *Solus sine peccato est natus, quem sine Viri complexu, non concupiscentia Carnis, sed obedientia genuit mentis.* Sed in primis hæc Sententia emendicanda non erat ex Sermone isto, quem jam constat non esse D. Augustini: cum sumi potuerit *ex libro* 1. *de Peccatorum Meritis*, (e) ubi etiam legimus: *Solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu, non concupiscentiâ Carnis, sed obedientiâ mentis Virgo concepit.* Deinde hæc ipsa Sententia, Nativitatem a Conceptione distinguens, solum CHRISTUM sine peccato natum dicit.

IV. SENTENTIA.

Nemo mundus a sorde, nec Infans, cujus est diei unius vita super terram. Sinite, miserum remissionem accipere Peccatorum per eum, qui solus nec Parvus, nec Magnus potuit habere peccatum. (f) Et alibi: *Definita est Sententia. In Adam,* inquit, *omnes peccaverunt. Solus esse innocens Infans potuit, qui de opere Adam non natus est.* (g)

57. UTerque locus eandem Sententiam habet de maculata peccato, omnium Hominum, nedum Conceptione, verum etiam Nativitate. Utrobique enim Sermo est de Infante jam nato, quem certe signat illud Jobi dictum juxta versionem LXX. Uterque etiam locus soli CHRISTO tribuit Immunitatem ab omni peccato, non qualemcumque, sed quæ illi conveniat suapte natura, & ratione suæ Conceptionis; ut indicant verba illa, *solus potuit.* Quis enim neget, potuisse B. Virginem, per DEI gratiam, & privilegium, Immunem servari ab omni Peccato?

V. SENTENTIA.

Secundùm rationem quippe illam seminalem, ibi (idest in lumbis Abrahæ) *fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in Matrem, secun-*

(z) *Lib.* 4. *contra duas epist.* Pelagianorum *cap.* 4. *n.* 6. *col.* 471.
(a) *Cap.* 29. *num.* 48. *col.* 66. *tom.* 10.
(b) *Epist.* 187. (aliàs 57.) *quæ est ad* Dardanum *de Præsentia* DEI *c.* 9. *num.* 31. *col.* 688. *tom.* 2. *solam Epistolam citavit* Lampridius *adigens Lectorem ad totam illam legendam, quæ valde prolixa est.*

(c) *Johan.* 3. 5.
(d) *Cap.* 35. *num.* 57. *col.* 69. *tom.* 10.
(e) *Cap.* 29. *num.* 57. *col.* 32. *ibid.*
(f) *Lib.* 4. *contra duas epist.* Pelagianorum *cap.* 4. *n.* 4. *col.* 470. *tom.* 10.
(g) *Enarratione in Psalm.* 50. *num.* 10. *col.* 468. *tom.* 4.

secundum quam rationem non ibi erat Christi Caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariæ Caro. Quapropter nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahæ secundum animum; secundum Carnem vero, & Levi, & Christus; sed Levi secundum Concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam Substantiam corporalem. Cum enim sit in semine, & visibilis corpulentia, & invisibilis ratio, utrumque concurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad Corpus Mariæ; quia & ipsum eo modo conceptum, & exortum est. Christus autem visibilem Carnis substantiam de Carne Virginis sumpsit: ratio vero Conceptionis ejus non a semine virili, sed longe aliter, ac desuper venit. (h)

58. TÆdet me valde, hujuscemodi Sententias transcribere, quæ implendis tantum chartis pares sunt. Quid, obsecro, ex tam prolixa Sententia tandem elicimus, nisi hoc unum, quod CHRISTUS secundum Carnem descendit ex Abraham, vel etiam ex Adam, non usitato modo per commixtionem sexuum, & operante Concupiscentia; (quamquam & ipsum MARIÆ Corpus eo modo conceptum fuit, & exortum) sed modo ineffabili per Virginem, operante Spiritu Sancto. Quis autem nostrum est tam insipiens, ut istud neget, vel dubitet? Et quis unquam alicujus nominis Auctor Orthodoxus docuit, DEI Genitricem, a B. Anna absque virili consortio, de Spiritu Sancto Conceptam fuisse? Calumnia hæc est, quam Johannes Pomeranus, unus ex primis Lutheri Discipulis, imponebat Catholicis, ut refert Card. Bellarminus (*i*). Nec fit verisimile, quod ait Turrecremata, (*k*) in nonnullis innominatis Clericorum Breviariis reperiri hæc verba, tanquam ab Angelo dicta ad S. Joachim: *Propter quod revertere ad Conjugem tuam, & invenies eam habentem in Utero de Spiritu Sancto*: Lege P. Alvam. (*l*) Sed fuerit aliquando in Vulgo hic error, quem memorat, & refellit Raynaudus: (*m*) his certe fabulis non indigemus, ut Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem asseramus.

59. Aliam Sententiam præcedenti affinem recitat Lampridius *ex lib. VI. Operis Imperfecti, cap. LXVIII.* Sed Capita hujus libri sexti non sunt plusquam XLI. Et nolui tempus terere in ea Sententia inquirenda, quæ id ipsum, quod præcedens, effert, & præterea nihil.

VI. SENTENTIA.

Tu dicis, etiam pro Peccatoribus mortuum, (CHRISTUM) *ego dico, non nisi pro Peccatoribus mortuum, itaut respondere cogaris: si nullo peccato Parvuli obstricti sunt, non esse pro Parvulis mortuum. Dicit enim ad Corinthios:* (n) Quoniam unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. *Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Numquid eos, qui de Corpore exierunt? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus mortuus est Christus, quomodo alibi* (o) *dicit:* Et vos cum essetis mortui in delictis, & præputio Carnis vestræ, vivificavit cum illo. *Ac per hoc*, Unus, *inquit*, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt &c. *Quia ergo non in Corpore, restat, ut in peccato esse mortuos omnes, pro quibus Christus mortuus est, nemo neget, nemo dubitet, nisi* (expungatur hoc *nisi*) *qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.* (p)

60. SI sub hac Sententia ipsam quoque B. Virginem comprehendere oporteat, ut eam in Originali Peccato, sicut & reliquos, actu mortuam esse dicamus; jam secundùm D. Augustinum, omnes fere CHRISTI Fideles, qui id negant, negarent se esse Christianos; & ipsemet Lampridius, qui saltem id dubitat, se dubitaret esse Christianum: quin etiam oppido errasset Sixtus IV. Pontifex Maximus, in Constit. *Grave nimis*, ubi potius *Erroneam, & a veritate penitus alienam*; declaravit assertionem eorum, qui Piam Sententiam, hæresis insimularent. Ut quid ergo id generis S. Patris Augustini Sententiæ, quæ Pelagianos feriunt universim negantes Originale Peccatum, in hanc Causam obtruduntur, ubi de sola DEI Genitrice, ab eo Peccato, ob singulare Privilegium, eximenda agitur? Qua vero ratione, CHRISTUS etiam pro B. Virgine mortuus sit; & quomodo Apostolica Doctrina cum Pia Sententia concilietur; jam exposuimus *Actione I. a num. 59.*

VII. SENTENTIA.

In hoc autem quarto (loco,) *utrum esset in Filiis Hominum, vel esse potuisset, aut posset, qui non ex peccato ad justitiam perfectissimam perveniret, sed nullo unquam peccato esset obstrictus, hoc quæritur. Ideo si illa vera sunt, quæ tam multa de Parvulis diximus; nec est in Filiis Hominum quisquam, nec fuit, nec erit, excepto uno Mediatore, in quo nobis propitiatio, & justificatio posita est &c.* (q) Et infra: *Nullus existit Homo, de quo in hac vita constituto, veraciter dici possit, quod nullum habuit omnino peccatum, excepto uno Mediatore, qui nos Creatori nostro per remissionem reconciliat peccatorum.* (r)

61. DEsumpta sunt hæc *ex lib. 2. de Peccatorum Meritis, & Remissione*; ubi D. Augustinus non de Originali Labe, sed de Propriis, & Actualibus Peccatis ex instituto agit, a quibus neminem omnino immunem in hac vita esse, fuisse, vel fore contendit, præter unum CHRISTUM. Sic enim initio præfatur ad Marcellinum:

(h) *Lib. 10. de Genesi ad litter. cap. 20. num. 35. col. 270. par. 1. tom. 3.*
(i) *Loco cit. pag. 139. tom. 4.*
(k) *Par. 10. cap. 3. fol. 207. pag. 2.*
(l) *In Sole Verit. Verit. 231. pag. 655. col. 2.*
(m) *In Diptychis Marian. par. 1. pun. 1. pag. 19. & seq. tom. 7.*

(n) *2. ad Cor. 5. 14.*
(o) *Ad Coloss. 2. 13.*
(p) *Lib. 6. contra Julian. cap. 4. num. 8. col. 665. & seq.*
(q) *Lib. 2. de Peccator. Meritis cap. 20. num. 34. col. 58.*
(r) *Cap. 29. num. 47. col. 65.*

num: „ De Baptismo Parvulorum &c. priore „ libro, satis, ut arbitror, disputavimus. In „ hoc autem, vivatne aliquis in hoc Sæculo, „ vel vixerit, victurusve sit sine ullo omnino „ peccato, excepto uno Mediatore DEI, & Ho- „ minum Homine CHRISTO JESU, qui dedit se- „ metipsum Redemptionem pro omnibus, quan- „ ta ipse donat, diligentia, vel facultate disse- „ rendum, enodandumque suscepi &c.„; Igitur Augustinus immunitatem ab omni Actuali Peccato, perinde ac ab Originali, solius CHRISTI propriam esse docebat, ut in ea ipsa posteriori Sententia liquet, in qua de hujus vitæ peccatis sermo est. Et tamen idem S. Augustinus ab hac sua generali doctrina, *in libro de Natura, & Gratia*, (s) quem certe post libros *de Peccatorum Meritis* conscripsit, (t) B. Virginem luculenter excepit: ut suo loco videbimus.

VIII. SENTENTIA.

Quisquis ergo, fuisse, vel esse in hac vita aliquem Hominem, vel aliquos Homines putat, excepto uno Mediatore DEI, & Hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est Divinæ Scripturæ, ubi Apostolus ait: Per unum Hominem peccatum intravit &c. *Et necesse est, ut impia contentione asserat, esse posse Homines, qui sine Mediatore Christo liberante, atque salvante sint liberi a peccato, quum ille dixerit* (Matth. IX. 12.) Non est opus Sanis Medico, sed male habentibus. Non veni curare Justos, sed Peccatores. (*u*)

62. REferens Lampridius D. Augustini Testimonia, abundare videtur in superfluis, deficere in necessariis. Dissimulavit hoc loco verba proxime adjecta a D. Augustino, quibus Sententiam suam ad personalia etiam peccata extendit. En illa: *Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam Hominem juste vixisse in hac vita, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo Johanni, qui ait:* (Ep. I. cap. I. ver. 8.) Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *Non enim ait, habuimus, sed habemus.* Tum animadvertit Augustinus, id non esse intelligendum de sola Concupiscentia, *quæ peccati nomen accepit*, sed de aliis voluntate adjunctis: ad quod allegat verba illa Orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra*; & Jacobi Apostoli: (cap. I. ver. 2.) *In multis offendimus omnes.* Supra etiam dixerat: (x) *Aliud est, esse sine peccato, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est; aliud, esse sine querela, quod & de multis Justis, etiam in hac vita dici potest &c.* Docet enimvero in hoc libro Augustinus, Perfectionem illam Justitiæ, per quam Homo sine ullo prorsus peccato sit, præsentis hujus vitæ non esse. Quæ quidem necessario exponenda sunt, ut dicemus. Posteriora verba allegatæ Sententiæ: *Et necesse est, ut impia contentione asserat &c.* nos non tangunt: ita enim dicimus, B. Virginem ab omni Peccato liberam fuisse, ut asseramus, non sine Mediatore CHRISTO, liberante, atque salvante, libertatem hanc fuisse consecutam, modo explicato *Act. I. a num. 62.*

63. Ut nihil indiscussum relinquamus, alios percurrimus D. Augustini locos, quos, suppressis verbis, citat Lampridius. *Lib. I. de Peccatorum Meritis, cap. XXIX.* (y) *Nemo*, inquit Augustinus, *renascitur in Christi Corpore, nisi prius nascatur in Peccati Corpore.* Et hoc si absque exceptione sumatur, idem probat, quod probatum iri ex tertia Sententia, diximus num. 54. *Libro II. Operis Imperfecti, cap.* seu *num. LXXX.* (z) Nihil omnino inveni, quod faciat ad præsentem quæstionem. *Lib. IV.* ejusd. Operis *cap. LXXXVIII.* (*a*) solum innuitur quinta illa D. Ambrosii Sententia, quam supra ab eodem D. Augustino accepimus. Caput XC. ejusd. Oper. & Libri (*b*) non aliud habet, nisi Davidis, & Jobi notissima verba. Demum *lib. XX. de Civitate DEI. cap. VI.* (*c*) idem Dogma generale tradit D. Augustinus de omnium morte in peccatis, quod in sexta Sententia, de qua actum est *num. 60.* nisi quod hoc loco de peccatis etiam propriis, & actualibus loqui videatur: *Omnes, inquit, mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod justum est: & pro omnibus mortuis, Vivus mortuus est Unus, idest nullum habens omnino peccatum.* De aliis locis jam observavimus *num. 52.* quod non nisi tritam, & generalem Sententiam habeant de Carne peccati. Curiosus Lector fidei, & diligentiæ meæ periculum faciat.

TESTIMONIUM X.

S. Leo Magnus Papa, An. CCCCXLV.

I. SENTENTIA.

Dominus noster, Peccati, Mortisque Destructor, sicut nullum a Reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Et infra: *Alienum quippe ab hac Nativitate est, quod de omnibus legitur* (d): Nemo mundus a sorde, nec Infans, cujus est unius diei vita super terram. *Nihil ergo in istam singularem Nativitatem de Carnis concupiscentia transivit, nihil de Peccati Lege manavit.* (e)

64. SI *Reatus* hoc loco accipiatur pro ipsa formali Culpa, sensus istius Sententiæ esse non potest, quod CHRISTUS nascens nullum prorsus a Culpa simpliciter liberum invenit. Nam certe, ut de Parvulis rite expiatis, & reliquis

Justis

(s) *Cap. 36. num. 42. col. 144. tom. 10.*

(t) *V. Lib. 2. Retractat. cap. 35. col. 53. ubi primos libros contra* Pelag. *a se conscriptos, fuisse ait libros de Peccator. Meritis, & Remiss.*

(u) *Lib. de Perfect. Justitiæ cap. 21. num. 44. col. 188. ejusd. tomi.*

(x) *Cap. 11. num. 24. col. 178.*

(y) *Col. 31. tom. 10. par. 1.*

(z) *Col. 985. par. 2. tom. 10.*

(a) *Col. 1182.*

(b) *Col. 1184. par. 2. tom. 10.*

(c) *Col. 579. tom. 7.*

(d) Job. *cap. 14. ver. 4. juxta versionem LXX.*

(e) *Serm. 1. de Nativ. Dñi cap. 1. col. 35.*

Justis tunc viventibus taceam, in Præcursore suo Johanne, & in sua Genitrice MARIA nullam prorsus Culpam invenit. Sensus ergo est, quod CHRISTUS nullum reperit a Culpa liberum; quem ipse, suis meritis, a DEO prævisis, non liberaverit. Et nos sponte fatemur, B. Virginem, propter merita ipsius CHRISTI, ab omni tum Originali, tum Personali Culpa fuisse liberatam, liberatione tamen præservativa, quæ Matrem DEI decebat. Quod si *Reatus* accipiatur pro obligatione ad subeundam aliquam pœnam; ex Reatu isto non infertur Culpa Originalis. Potuit enim B. Virgo præservari ab Originali Peccato, & nihilominus manere obnoxia aliquibus pœnis, ob Adæ peccatum, toti Generi Humano inflictis, ut abunde declaratum est in Apparatu *nu.* 85. *& seqq.*

65. In verbis sequentibus, de ipsa quoque Nativitate ex utero sermonem esse, nemo est, qui non advertat. Ast, quod S. Leo sorde peccati maculatam crediderit DEI Genitricis Nativitatem, plusquam temere diceretur; quandoquidem ejus tempore, Nativitas B. Virginis in Ecclesia Romana solemniter colebatur, ut observatum est in Apparatu *num.* 129. *&* 131.

II. SENTENTIA.

Nova Nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine Paternæ Carnis concupiscentia, sine Maternæ Carnis injuria. Quia futurum Hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet Humanæ Substantiæ naturam, & Humanæ Carnis inquinamenta nesciret. Et infra: *Venit enim Dominus Jesus Christus contagia nostra auferre, non perpeti; nec succumbere vitiis, sed mederi.* (f)

66. NOn aliud hic docet S. Leo, quam quod CHRISTUM talis Conceptio, & talis Nativitas ex Virgine decebat, ut virtute illius Conceptionis, & Nativitatis, humanæ Carnis inquinamenta nesciret. Nos vero non dicimus, B. Virginem ab Humanæ Carnis Inquinamentis, hoc est ab Originali Peccato, & a Fomite immunem fuisse virtute suæ Conceptionis, aut Nativitatis, sed ex Gratia, & Privilegio singulari. Alia, quæ adducuntur verba, quid prosunt? An non potuit CHRISTUS auferre nostra contagia, & nostris vitiis mederi; nisi & in B. Virgine contagia, & vitia reapse fuissent? Hujuscemodi Sententiis inutilibus, poterat Lampridius non unum, sed plures libros implere.

III. SENTENTIA.

Terra enim Carnis humanæ, quæ in primo fuerat Prævaricatore maledicta, in hoc solo B. Virginis Partu Germen edidit benedictum, & a vitio suæ stirpis alienum. Cujus spiritalem originem in regeneratione quisque consequitur, & omni Homini renascenti aqua Baptismatis instar est Uteri Virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit & Virginem; ut peccatum, quod ibi evacuavit sacra Conceptio, hic mystica tollat Ablutio. (g)

67. MErito hæc Sententia inter alias generales recensenda fuit. Nam verbis illis, quæ B. Virginem designant: *Ut peccatum, quod ibi evacuavit sacra Conceptio &c.* significari Originale ejusdem Virginis Peccatum, tunc primo evacuatum, cum CHRISTUM concepit; absurdissima esset interpretatio. Evacuatum ergo dicitur per eam sacram Conceptionem Peccatum, quia & a B. Virgine concipiente quàm longissime fuit omnis Concupiscentia, & a Prole concepta omne Peccatum. Illa vero verba generalia, quibus solus CHRISTUS dicitur *Germen Benedictum, & a vitio suæ stirpis alienum*; una cum aliis similibus inferius exponenda sunt. Obiter hic noto, tam Matrem, quam Prolem a B. Elisabeth Spiritu Sancto repleta, Benedictam nuncupari: (h) *Benedicta tu in Mulieribus, & Benedictus Fructus ventris tui:* Item, B. Virginem, etsi ab Originali Peccato præservatam, non fuisse ab eo alienam, sicut alienus fuit CHRISTUS. Alienus enim quis dicitur ab ea re, quæ ad ipsum nullo modo spectat: Peccatum autem Originale ad B. Virginem, tanquam ad naturalem Adæ Filiam, hæreditario Debito spectabat.

IV. SENTENTIA.

In totius Humani Generis strage communi, unum solum igitur fuit remedium sub divinæ rationis occulto, quod posset subvenire prostratis, si aliquis Filiorum Adam, Originalis Prævaricationis alienus, atque innocens nasceretur, qui cæteris exemplo prodesset, & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatæ radicis sine semine propago esse, de quo Scriptura dicit: (i) Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? *Dominus David factus est Filius David, & de promissi germinis fructu, proles est orta sine vitio, gemina conveniente natura.* (k)

68. FAcillime intelligitur hæc Sententia de Debito incurrendi Originale Peccatum, si attendantur insinuatæ in ea rationes. Ab hoc Debito solus CHRISTUS pronunciatur Immunis, & quia sine virili semine conceptus, & quia Homo simul & DEUS, & ideo *Originalis Prævaricationis Alienus.* Cæteri vero Homines, huic Debito dicuntur obnoxii, quia naturalis generatio, & seminis immunditia, eos a Debito incurrendi Originale Peccatum Immunes concipi non sinit. Hoc tamen non impedit, quominus aliquis ex speciali DEI gratia, & privilegio, ab Originali Peccato reipsa incurrendo præservetur. Profecto non alia ratione semen appellari immundum, nisi propter istud Debitum, quod inde contrahimus; luculenter exposuit S. An-

(f) *Serm. 2. de Nativitate Domini cap. 2. col. 38.*
(g) *Serm. 4. de Nativit. cap. 3. col. 46.*
(h) *Lucæ 1. 42.*

(i) *Eodem cap. 14. Job. ver. 4. juxta vulgatam Versionem.*
(k) *Serm. 8. de ead. Nativit. cap. 3. col. 61.*

S. Anselmus, laudatus *Actione I. num. 38.*

69. Eundem sensum habet illa alia ejusdem S. Leonis Sententia, quam profert Johannes Launoius (l) ex Sermone V. de eadem Nativitate Domini: (m) *Cum de sola conditione nascendi una esset cunctis causa pereundi. Solus itaque inter Filios Hominum, Dominus Jesus Innocens natus est: quio solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus.* Nempe ipsam nascendi conditionem esse nobis causam, & necessitatem incurrendi Originale Peccatum; etsi possit DEUS, hujus causæ effectum impedire per Gratiam. Quia tamen longe alia fuit in CHRISTO nascendi conditio, (quippe qui sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus est,) idcirco solus ille inter Filios Hominum Innocens natus est, hoc est innocentia non adventitia, & superaddita, sed nativa, & sibi ingenita.

Aliàs D. Leonis Papæ Sententias, & ex aliis locis petitas, *Act. V.* de Summis Pontificibus opportunius discutiemus.

TESTIMONIUM XI.

Joannes Cassianus, An. CCCCXLVI.

Hoc de illo, qui solus est absque peccato, tanquam singulare memoratur: (Rom. VIII. 3.) Misit DEUS Filium suum in similitudinem Carnis Peccati. *Quia veram, atque integram suscipiens substantiam Carnis humanæ, non ipsum peccatum in ea, sed similitudinem peccati suscepisse credendus est.* Et infra: *In hoc ergo ille Homo, qui natus ex Virgine est, magna a cunctis, qui ex utriusque sexus commixtione producimur, distantia segregatur, quod cum omnes non similitudinem, sed veritatem Peccati in Carne gestemus, ille non veritatem, sed similitudinem peccati, & veræ Carnis assumptionem suscepit.* (n)

70. IN hac Collatione, (quæ est secunda Abbatis Theonæ) non de Originali Noxa sermo est, sed de Actualibus Peccatis; a quibus saltem raris, & levibus, neminem, solo CHRISTO excepto, Immunem esse definitur; ut ex antecedentibus, & consequentibus patet. (o) „Nullus, *inquit*, ita circumspectus in hujus Mundi potest esse conflictu, ut eum saltem rara, „ & levia peccatorum tela non feriant &c. „ *Et rursum*: (p) „ Aliud est, esse quempiam Sanctum, idest divino cultui consecratum &c. „ Aliud est autem, esse absque peccato, quod „ unius Domini nostri JESU CHRISTI singulariter convenit Majestati; de quo etiam Apostolus velut præcipuum quid, ac speciale „ pronunciat, dicens: qui peccatum non fecit. Satis enim vilem, atque indignam ejus „ præconiis laudem, quasi incomparabile, ac „ divinum aliquid assignavit, si etiam nos illibatam ab omni Peccato possumus transigere „ vitam &c. „ *Et iterum*: (q) „ Cæterum Justos, ac Sanctos Viros non esse immunes a „ culpa, manifeste Scriptura pronunciat, dicens: „ *Septies in die cadit Justus, & resurget.* Quid „ enim aliud est cadere, quàm peccare? „

71. Quæ igitur ibi dicuntur de veritate Peccati, quam nos in Carne gestamus, & cujus tantum similitudinem CHRISTUS suscepit; non pro Originali Peccato, a quo jam per Baptismum expiati sumus, sed pro Actualibus Peccatis, & eorum scatebra, Concupiscentia, dicta sunt; cum exceptione tamen B. Virginis necessario intelligenda.

TESTIMONIUM XII.

S. Maximus Episcopus Taurinensis, Anno CCCCL.

Solus DEI Filius Peccatores liberat, quia solus liber est a peccato.

72. REfert hanc Sententiam Lampridius ex Sermone VII. *de Paschate*, qui extat inter Anecdota Muratorii *Tomo IV.* Fidem habeo Muratorio, quod Sermo ille sit fœtus genuinus S. Maximi. Quod autem verba ista Piæ Sententiæ adversentur, non est, cur credam Lampridio. Ut firma sit ratio S. Maximi, intelligenda est de libertate a peccato, non qualicunque, (secus & Angeli Sancti Peccatores liberarent) sed solius DEI Filii propria, qui ita liber est a peccato, ut suapte natura ab omni Peccato prorsus Immunis sit. Luculentum ejusdem S. Maximi pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione Testimonium, ex aliis Anecdotis Clariss. Viri Johannis Mabillonii *Act. VI.* proferemus.

SÆCULUM CHRISTI VI.

TESTIMONIUM XIII.

S. Fulgentius Episcopus Ruspensis, Anno DXXV.

I. SENTENTIA.

Hæc est Gratia, qua factum est, ut DEUS, qui venit peccata tollere, quia peccatum in eo non est; Homo conciperetur, atque nasceretur in similitudine Carnis peccati, de Carne peccati. Caro quippe Mariæ, quæ in iniquitatibus fuerat humana solemnitate concepta, Caro fuit utique peccati, quæ Filium DEI genuit in similitudinem Carnis peccati. (r)

73. HÆc Sententia eadem est cum prima illa Augustini, in qua ipsa quoque B. Virginis Caro, Peccati Caro fuisse dicitur. Nec moveant illa verba: *Quæ in iniquitatibus fuerat humana solemnitate concepta:* Aliud quippe signifi-

(l) *Præscriptione 9. de Concept. B. M. V. pag. 17. tom. 1.*
(m) *Cap. 5. col. 51.*
(n) *Collat. 22. cap. 11. & 12. pag. 232. Bibl. PP. tom. 7.*
(o) *Cap. 7. pag. 231.*
(p) *Cap. 9. pag. 232.*
(q) *Cap. 13. pag. 233.*
(r) *Lib. de Incar. & Grat. c. 6. col. 289.*

significare non possunt, nisi Carnem MARIÆ, cæterorum Hominum ritu, per carnalem concupiscentiam, (quæ per metonymiam, *Peccatum*, & *Iniquitas* passim appellatur) propagatam fuisse. Sermo enim est de Conceptione Carnis, quæ formalis Peccati capax non est. Recole Doctrinam S. Anselmi descriptam *Act. I. n.* 37. & seq.

74. Huic Sententiæ aliam subnectit Lampridius ex ejusdem libri *Capite VII.* (s) Cujus summa est, quod *Caro Peccati vere in se peccatum habet.* Hanc tamen Sententiam, quia obstare posse videtur generali expositioni, quam dabimus Testimoniis *de Carne Peccati*, discutiendam reservamus ad Articulum sequentem: sicut & illam ex libro *de Fide* ad Petrum Diaconum, (t) *Firmissime tene &c.* quæ citari solebat sub nomine D. Augustini.

ALTERA SENTENTIA.

Peccans igitur Homo, totam in se peccato subdidit progeniem, quando delinquendo veram perdidit libertatem: a quo enim quis devictus est, & Servus addictus est; & omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Ab hac servitute, qua nascens parvulus tenetur obstrictus, solus Mediator DEI, & Hominum Homo Christus Jesus liber est genitus: qui licet verus Homo natus fuerit, non tamen interveniente concupiscentia Carnis, nec ex concubitu Maris, & Fœminæ, sed de Spiritu Sancto natus, ita veram Carnem de Carne Matris accepit, ut Dominus verus non Culpam Humanæ sumeret Originis, sed Naturam. (u)

75. DE Debito hic agitur, quod, cùm primùm Adam peccavit, tota ejus Progenies naturali via ab ipso descendens contraxit, incurrendi Originale Peccatum; (neque enim tunc eramus, ut vere possemus infici Originali Peccato) & a quo Debito solus CHRISTUS liber fuit, quia non interveniente Concupiscentia Carnis, nec ex concubitu Maris, & Fœminæ, sicut cæteri Homines, sed de Spiritu Sancto est genitus. Etenim divinus hic generationis modus non tantum Peccatum, verum etiam Peccati Debitum removet a CHRISTO. Ille vero communis Generationis modus solum Peccati Debitum in nobis proxime infert, & ex consequenti Peccatum, nisi Debitum divinitus relaxetur.

TESTIMONIUM XIV.

Ferrandus Diaconus Carthaginensis, Anno DXXV.

Caro Christi non erat in iniquitatibus concepta. Propter quid ergo conditionem mortis videtur experta? Manifeste scimus, non necessitate, sed voluntate pro nobis mortuum fuisse Filium DEI. (x)

76. FErrandum ad septimum Sæculum, circiter annum CHRISTI 630. transfert Lampridius. Sed Illum hoc Sæculo VI. una cum S. Fulgentio claruisse, aperte dignoscimus ex duabus ipsius Epistolis, quas ad eundem S. Fulgentium, tanquam ad Magistrum suum scripsit: *De Baptismo Æthiopis moribundi, & De quinque quæstionibus*; quibus Epistolis S. Fulgentius abunde respondit, ut observare licet in operibus S. Fulgentii. (y) Obiit autem S. Fulgentius, juxta Bellarminum, anno 529. Numquid Ferrandus plusquam centum annis ei, cui scribebat, supervixit?

77. Tota difficultas hujus Sententiæ est in reddenda ratione, cur B. Virgo mortis conditionem est experta, si semel ab Originali Peccato fuit Immunis. At non unam dispensationis hujus causam produximus in Apparatu *num.* 87. & *seqq.* Discrimen etiam quoad hoc inter CHRISTUM, & MARIAM, insinuat ipse Ferrandus. Quia, cum Caro CHRISTI non fuerit in iniquitatibus concepta, hoc est non fuerit via ordinaria per Concupiscentiam propagata ex Adamo; sicut ad CHRISTUM nullo modo spectabat Adami peccatum, ita nec mors, Generi Humano inflicta propter illud peccatum. Ob contrariam rationem, utrumque malum jure communi spectabat ad MARIAM; & potuit DEUS illam præservare a malo Culpæ, quin a malo Pœnæ mortis præservare voluerit; ut dictum est ibid. *num.* 84. & *seq.*

78. Alteram Ferrandi Sententiam ex eodem loco opponit Lampridius. Sed illa ad aliam Testimoniorum Classem rejicienda est, in quibus fit expressa mentio de B. Virgine. Interim quæro a Lampridio, qui sibi velit Ferrandus, in ea Sententia, cùm ait, quod *Caro Christi fuit dissimilis Carni Mariæ*, etiam ex hoc Capite, *quoniam nullas penitus, neque per voluntatem, neque per ignorantiam commisit iniquitates.* Num credidit, quod MARIA aliquas per voluntatem, vel per ignorantiam, commisit iniquitates? Si hoc sensit Ferrandus, quid de MARIÆ Originali Peccato senserit, curandum non est.

TESTIMONIUM XV.

Homiliæ, editæ sub nomine Episcopi Gallicani.

I. SENTENTIA.

Accedere ad mortuum, hoc est, accedere ad peccatum &c. Omnium commune est Originale Peccatum: omnes igitur ad illud accedere, non dubium est &c. Nunc autem de Summo Sacerdote videamus, per quem Dominum, & Salvatorem intelligimus. Ipse enim ad nullum mortuum accessit, quia neque Originale Peccatum a Parentibus traxit, neque a se peccatum aliquod commisit. Ipse est enim, de quo scriptum est: Qui peccatum non fecit, nec

(s) *Corrige cap.* 15. *col.* 302.
(t) *Col.* 358. *Operum* S. Fulgentii.
(u) *Lib.* 1. *de Veritate Prædestinat. & Gratiæ DEI cap.* 2. *col.* 607.

(x) *In Epist. ad Anatolium Diac. Urbis Romæ pag.* 503. *tom.* 9. *Bibl. PP.*
(y) *A col.* 568. *& a col.* 228.

nec inventus est dolus in ore ejus. *Ipse igitur solus est, qui ad Patris, & Matris mortem, & peccatum non accessit.* (z)

II. SENTENTIA.

Initiator omnium rerum, abs te (B. Virginem alloquitur) *initiatur; & profundendum pro Mundi vita sanguinem de Corpore tuo accepit; ac de te sumpsit, quod etiam pro te solvat. A peccati etenim nexu per se non est immunis, nec ipsa Genitrix Redemptoris. Solus ille, licet ex Debito renascatur, lege tamen veteris Debiti non tenetur.* (a)

79. SUb hoc titulo utramque Sententiam producit Lampridius, & nos monet, Homilias illas haberi in Biblioth. Patrum *Tomo VI.* earumque partem Eusebio cuidam Gallicano, partem Eucherio Lugdunensi, aut Cæsario Arelatensi, aut Fausto Regiensi, aut antiquissimis Monachis Lirinensibus; partem denique Brunoni Signiensi Episcopo tribui.

80. At, si pars istarum Homiliarum S. Eucherio Lugdunensi, aut Cæsario, vel etiam Hilario Arelatensi, aut Fausto, vel etiam Maximo Regiensi tribuitur; (uti sunt *Homiliæ quinquaginta ad Populum*, extantes a *pag.* 619. ex quarum una desumpta est secunda Sententia) cur Homilias istas, quoad hanc partem non retraxit Lampridius ad Sæculum V. quo omnes illi claruerunt? Rursum, si pars earum Homiliarum Brunoni Astensi, Episcopo Signiensi, seu Signino tribuitur; (ut, juxta præfixam annotationem, sunt *Homiliæ in Evangelia totius anni*, extantes a *pag.* 686. ex quarum una desumpta est prima Sententia,) cur istas Homilias quoad hanc partem non distulit Lampridius ad Sæculum XII, quo claruit S. Bruno Signiensis? V. Possevinum. (*b*)

81. Plerasque omnes ex illis Homiliis, quæ sunt ad Populum, vel ad Monachos, esse S. Eucherii Episcopi Lugdunensis, late probat Cardinalis Baronius, (*c*) etsi non neget, nonnullas esse aliorum ejusdem ætatis, & professionis Scriptorum, quos modo indicavimus. Baronio consentiunt Possevinus, (*d*) & Raynaudus. (*e*) Omnes autem Critici constanter negant, Homilias istas esse Eusebii Emisseni, seu Emeseni, Hominis Græci, & perfidi Ariani, sub cujus nomine eas edidit Johannes Gaigneius. Quare trifariam lapsi sunt Turrecremata, (*f*) Bandellus, (*g*) & Cajetanus *loc. cit.* qui secundam illam sententiam, nobis objectam, & Eusebio Emisseno adscribunt, & hunc Sanctum appellant, & particulam illam, *Per se*, expungunt.

82. Jam, quæ in priori Sententia, difficultatem ingerere videntur, sunt ea verba: *Ipse solus est, qui ad Patris, & Matris mortem, & peccatum non accessit.* Sed hæc verba, sicuti non indicant CHRISTUM habuisse in terris Patrem, & Matrem, ad quorum peccatum non accesserit; ita nec indicant, in Matre CHRISTI fuisse aliquod peccatum, ad quod ipse CHRISTUS non accesserit. Sensus ergo legitimus est, CHRISTUM non fuisse generatum ex Patre, & Matre per carnalem concupiscentiam, unde juxta Legem communem derivatur in Prolem Originale Peccatum; sed ex sola Virgine Matre, per operationem Spiritus Sancti. Possumus etiam altiori sensu eadem verba sic intelligere, quod CHRISTUS ad Patris peccatum non accessit, quia Patrem non habuit, nisi DEUM; & nec ut Homo, ad Matris peccatum accessit, quia Matrem habuit ab omni Peccato, & peccati Fomite prorsus Immunem.

83. Posterior Sententia expositione non indiget, sed gratulatione nostra. Illa namque aurea particula, *Per se*, in omnibus impressis exemplaribus reperta, cum non sit otiose posita, luculenter indicat, a communi Lege Originalis Peccati, reipsa incurrendi, B. Virginem exemptam esse non quidem suapte Natura, aut propriis meritis, sed ex DEI Gratia speciali, & ob merita Passionis CHRISTI Filii ejus, qui *quod de ea sumpsit, pro ea solvit*, solutione videlicet peccatum præveniente, & peccati Debitum extinguente; hoc est redemptione præservativa, quæ Matrem DEI addecebat, ut verba proxime subsequentia insinuant: *Parum tamen tibi cum cæteris commune Matribus est: Medicum enim dolorum nostrorum sine dolore paris, & sanatorem depravati Sæculi, atque corrupti, sine ulla pudoris corruptione progeneras.*

84. Ad Salmanticenses nos provocat Lampridius, *Per additum illud*, per se, *nihil enervari ostendentes vim istius Sententiæ.* At quam vim Salmanticenses in ista Sententia non enervari ostendunt? Non aliam certe, nisi vim ad probandum in B. Virgine Debitum Originalis Peccati: (*h*) *Ly per se*, inquiunt, *non additur specialiter pro Deipara, sed pro omnibus, & ita sensus est, non quod aliquis Nexum, seu Debitum peccati defacto non incurrit, sed quod a tali peccato, vel debito jam incurso nemo, neque ipsa Redemptoris Genitrix, per se, hoc est propriis meritis, liberatur, aut ejus solutionem, vel remissionem consequitur; sed per Christi Sanguinem, in omnium Redemptionem effusum.* An autem hoc solo Debito Lampridius sit contentus, sagax Lector deprehendere poterit, ex iis, quæ ille scribit *Cap. seq.* (*i*)

TESTIMONIUM XVI.

Aurelius Cassiodorus, Anno DXXX.

Ait Angelus: Spiritus Sanctus superveniet in te &c. *Quis, rogo, in hac Majestate nascendi, aut Origi-*

(z) *In Homil. Dominica* 5. *in Quadrag. pag.* 739. *tom.* 6. *Bibl. Maxima PP.*
(a) *Hom.* 2. *de Nativ. Domini pag.* 621. *ibidem.*
(b) *Tomo* 1. *Apparat. Sacri pag.* 253.
(c) *Tomo* 6. *Annal. edit.* Coloniensis. ad an. 441. *n.* 5. *& seqq.*
(d) *Tomo* 1. *Apparat. V. S.* Eucherius *pag.* 457. *& V.* Eusebius Emissenus *pag.* 472.
(e) *In Indiculo Sanctor.* Lugdun. *V.* S. Eucherius *pag.* 54. *& in Pietat.* Lugdun. *num.* 57. *pag.* 328. *tomi* 8.
(f) *Fol.* 96. *pag.* 2.
(g) *Folio* 14. *pag.* 1.
(h) *Disp. cit. dubio* 4. *num.* 140.
(i) *Cap.* 25. *pag.* 204.

Originalis Peccati credat esse culpam, aut profanam aliquam Carnis suspicetur offensam? Absque Peccato sine dubio venit, qui erat omnium peccato soluturus, conceptus mystico inspiramine, natus ex Virgine &c. (k)

85. QUid Lampridium, cæterosque Adversarios nostros hæc Sententia juvare queat, non video. Rectissime, & efficacissime arguit Cassiodorus in hunc modum: *Christus erat omnium peccata soluturus, fuit conceptus mystico inspiramine, natus ex Virgine:* igitur, *absque Peccato sine dubio venit.* Sed ineptissimum est, (ut demonstrant Dialectici) ex opposito illius antecedentis, ad oppositum hujus consequentis, inverso modo sic arguere: *B. Virgo non erat omnium peccata solutura, non concepta fuit mystico inspiramine, nec ex alia Virgine; ergo cum Peccato sine dubio venit:* Quemadmodum si quis ita argueret: *Qui currit, movetur; ergo qui non currit, non movetur.*

86. Hoc eodem Sæculo duas S. Gregorii Magni Sententias, ex *libris Moralium*, (l) & ex *Expositione in Ezechielem*, (m) profert Lampridius. In neutra de ipso Originali Peccato agitur; sed in prima de Immunitate CHRISTI ab omni concupiscentiæ fomite; in altera de ejusdem Immunitate ab omni Actuali Peccato, sermo est. Eas nihilominus indiscussas non relinquimus, sed ad Actionem V. transferimus.

SÆCULUM CHRISTI VII.

87. QUatuor hujus Sæculi Testimonia producit Lampridius. I. Ex Ferrando Diacono, loco supra citato: II. *Ex Clero*, ut ait: *Romano, Sede vacante, anno 639. vel 640. in epistola ad Episcopos Scotiæ.* III. Ex Johanne Papa IV. *in Apologia pro Honorio Papa.* IV. ex S. Hildephonso Archiepiscopo Toletano *lib. de Virginitate B. Mariæ.*

88. De Ferrando jam egimus ad Sæculum Sextum, in quo certe claruit. Clerus Romanus, & Johannes Papa ad Classem Pontificum congruentius remittuntur. Testimonium, quod ex libro S. Hildephonsi *de Virgin. B. Mariæ*, refert Lampridius, in eo libro, qui re vera est S. Hildephonsi, non reperitur: (n) extat vero in libro *de Perpetua Virginitate S. Mariæ, & de ejus Parturitione, seu contra eos, qui disputant de Perpetua Virginitate &c.* Qui liber est ab illo diversus, (o) & non S. Hildephonsi est, sed S. Paschasii Ratberti, ut ipsi Lampridio suboluit. Ratbertus autem nono Sæculo scripsit, in quo Testimonium istud examinabimus.

89. Utrumque sane librum sub nomine ejusdem S. Hildephonsi, P. Franciscus Fevardentius Ord. Minor. edidit Parisiis anno 1576. & hanc editionem cum Auctore Bibl. Max. PP. non pauci bona fide sunt secuti. Sed & Vincentius Bellovacensis Sæculi XIII. Scriptor, (p) & quidam alii Veteres, ex eo libro *de Parturitione B. Virginis*, Sententias citarunt, tanquam S. Hildephonsi. At Cll. VV. Johannes Mabillonius, (q) & Lucas Acherius (r) pluribus argumentis evincunt, librum istum esse S. Paschasii Ratberti, Abbatis Corbeiensis. Hujus etiam opinionis sunt meliores Critici, P. Johannes Poza, (s) Nicolaus Antonius, (t) Natalis Alexander (u), Gulielmus Cave, & Casimirus Oudinus in Hildephonso. Fieri autem potuit, ut in quibusdam Codicibus Mss. uterque liber *de Virginitate S. Mariæ*, ob similitudinem argumenti, unus post alterum a Librariis, more tunc consueto, fuerit conscriptus; ut apparet in Ms. Codice Collegii Burdigalensis Soc. Jesu, cujus meminit Possevinus: (x) & idcirco a Legentibus, vel Excribentibus idem utriusque libri Auctor creditus sit.

90. Comes Ludovicus Andruzzi (y) librum istum, seu sermonem, (ut ipse vocat) *de Perpetua Virginitate, & Parturitione S. Mariæ*, D. Hildephonso pro viribus vindicare conatur. Sed incassum, mea quidem Sententia. Inter alia refert Andruzius, Thomam Tamayum de Vargas apud Bollandum (z) testari, a tribus Mss. Codicibus præfatum sermonem D. Hildephonso attributum. Sed in illis *Notationibus* Thomæ Tamay *in vitam S. Hildephonsi*, de istis Mss. nullam fieri mentionem animadverti. Memorat quoque Andruzius Mss. Codices Operum S. Hildephonsi, a P. Alva, oculato teste recensitos *in Tomo, Radii Solis in Hildephonso.* Tomus iste mihi ignotus. *In Sole Veritatis cum Ventilabro Seraphico &c. edito Matriti anno 1660.* (a) ubi P. Alva agit de S. Hildephonso, ne verbum quidem habet de Mss. hujus S. Doctoris. Cæterum nostra potius interesset, hunc librum esse S. Hildephonsi: inde enim satis clarum pro Pia Sententia Testimonium eruemus.

SÆCULUM CHRISTI VIII.

TESTIMONIUM XVII.

Beda Venerabilis, circ. annum DCCXXX.

I. SENTENTIA.

Genuit Peccatores Morti obnoxios primus Peccator, primus Prævaricator: venit ad salvandos, de

(k) *Lib. de Anima, non Cap. VII. ut citat* Lampridius, *sed Cap. XIV. pag. 1261. tom. 11. Bibl. PP.*
(l) *Libro 11. cap. ult.*
(m) *Lib. 1. in* Ezechiel. *Hom. 8. num. 21.*
(n) *Extat hic liber tomo 12. Biblioth. Max. PP. a pag. 549.*
(o) *Hic alter liber extat ibid. a pag. 565. sub ejusdem* Hildephonsi *nomine.*
(p) *Lib. 7. Speculi Historialis cap. 121. fol. 85.*
(q) *In Actis Sanctorum S. Benedicti, Sæcul. 2. in observatione de Scriptis S. Hildephonsi pag. 519. & in Præfat. ad partem 2. Sæculi 3. pag. 3.*
(r) *In Præfat. tom. 1. & 12. sui* Spicilegii *pag. 7.*
(s) *Lib. 4. Elucidarii B. V. M. Tract. 4. cap. 6.*
(t) *Tom. 1. Bibl. Hispan. Veter. lib. 5. cap. 6. num. 332. a pag. 295.*
(u) *Tom. 5. Histor. Ecclesiast. Sæculi 7. cap. 4. art. 7. pag. 568.*
(x) *Tom. 2. Apparat. V.* Hildephonsus *pag. 51.*
(y) *In quodam libello de hoc argumento, quem edidit* Romæ an. 1742.
(z) *Tom. 2. Sanctor. Januarii ad diem 23. in Vita S. Hildephonsi pag. 539.*
(a) *Veritate 142. pag. 495.*

de Virgine Salvator, qui ad te, non qua venisti, venit. Non enim ille de concupiscentia Maris, & Fœminæ, nec de illo vinculo concupiscentiæ. Sanctus, *inquit*, Spiritus superveniet in te. *Dictum est hoc Virgini in Fide ferventi, non concupiscentia Carnis æstuanti &c.* (b) Et infra: (c) *Ecce unde nemo sine peccato nascitur. Ecce propter quod Dominus, non sic concipi voluit, quem Virgo concepit.*

91. NOn aliud utrobique significatur, nisi, Debitum, quo *Morti*, idest Peccato, *obnoxii* generamur a Parentibus, in ipsorum Generantium Carnali Concupiscentia fundari; de qua CHRISTUS concipi noluit, ut a se removeret, nedum peccatum ipsum, verum etiam Debitum contrahendi illud. Utrumque enim removet a CHRISTO sua ipsius Conceptio ex Virgine. Adde, utrobique ipsam quoque Nativitatem nostram non obscure comprehendi. Nam in priori loco hæc sequuntur: *Etsi quæ alia Testimonia declarant, neminem nasci ex Adam, nisi vinculo delicti, & damnationis obstrictum; neminemque inde liberari, nisi renascendo per Christum.* Et in posteriori loco hæc præcedunt: *Ecce unde trahitur Originale Peccatum*, (scilicet ex Concupiscentia in Conceptione) *ecce unde nemo sine peccato nascitur.*

II. SENTENTIA.

Christus nullo modo cecidit, quia neque Actualiter, neque Originaliter. Quod Actualiter non ceciderit, patet; patet quoque, quod nec Originaliter. Soli enim illi casum Originalis Peccati patiuntur, qui per pœnam ipsius Originalis Peccati, idest per Concupiscentiam generantur. Christus vero per Concupiscentiam generatus non est, quia sine carnali delectatione de Spiritu Sancto conceptus est. Christus ergo Originalis Peccati sane expers dicendus est. (d)

92. ECce iterum Lampridius peccat in regulas consequentiæ, a Dialectica præscriptas. Ex hoc, quod soli illi Originaliter cadunt, qui per Concupiscentiam generantur; recte intulit Beda, CHRISTUM, qui per Concupiscentiam generatus non est, Originaliter non cecidisse: perperam vero infert Lampridius, B. Virginem, quæ per Concupiscentiam generata est, Originaliter cecidisse. Ineptiam istius consequentiæ statim perspicies in his exemplis: *Soli Viventes possunt mori; soli Volentes, peccare. Ergo DEUS, & Angeli Sancti, qui viventes, & volentes sunt, possunt mori, possunt peccare.* Ineptissimæ consequentiæ.

93. Et ratio est, quia *Ex puris Particularibus nihil infertur:* Solos autem Viventes posse mori, solos Volentes, peccare; non est, omnes Viventes posse mori, omnes Volentes peccare; sed aliquos dumtaxat, cum exclusione tamen omnium aliorum, qui Viventes, & Volentes non sint. Quamobrem ex illo eodem Antecedente: *Soli Viventes &c.* rectissime infertur e contrario: ergo lapis, qui nec vivens, nec volens est; nec mori proprie, nec peccare potest. Tuum erit, studiose Lector, ejusmodi exempla ad rem nostram accommodare; & vel hinc deprehendere, an Scholasticæ subtilitates, veræ, & solidæ Eruditioni necessariæ sint.

III. SENTENTIA.

Item pertinet ad nostræ Fidei fundamentum Verbi Incarnatio, ut scilicet credamus, DEI Filium assumpsisse Carnem ex Virgine, & in Virgine; quam Carnem & creando assumpsit, & assumendo creavit, non de nihilo Carnem sibi in Utero Virginis creando, vel formando, sicut quidam Hæretici senserunt; sed potius de Substantia Virginis Carnem assumpsit, quam assumendo creavit, idest purificavit, non conceptus libidinosa lege concipiendi, & ideo Immunis ab omni Peccato. (e)

94. DOceat nos Lampridius, quibus verbis hæc Sententia immunitati B. Virginis ab Originali Peccato adversetur. Num, quòd CHRISTUS Carnem, quam de Virgine assumpsit, assumendo purificasse dicitur? At si hæc purificatio intelligeretur ab Originali Peccato; jam Caro Virginea tunc primum ab eo Peccato purificata fuisset: quod certe blasphemum est, dicere. Carnem ergo illam CHRISTUS assumendo purificavit, vel quia absque ulla prorsus libidine concretam, ac proinde veluti noviter creatam assumpsit, vel quia illam ad Divinam quandam Puritatem evexit. An vero, quòd CHRISTUS Immunis fuisse dicitur ab omni Peccato, quia non libidinose conceptus? Sed hæc causa, etsi efficacissima sit ad inducendam eam Immunitatem, non tamen est unica, nec tanquam unica redditur a Beda; cum utique possit eadem Immunitas aliunde provenire. Quemadmodum in CHRISTO provenit etiam ratione Unionis Hypostaticæ cum Verbo Divino, ut indicant D. Ambrosius, in tertia Sententia cit. & S. Leo Magnus in fine quartæ Sententiæ. Quare si CHRISTUS via ordinaria conceptus fuisset, adhuc non contraxisset Originale Peccatum.

95. Omitto aliam Bedæ Sententiam, quæ ita se habet: *Ad distinctionem nostræ Sanctitatis Jesus singulariter Sanctus nasciturus asseritur. Nos quippe etsi Sancti efficimur, non tamen nascimur;*

(b) *In Exposit. Epist. ad Romanos cap. 5. ad illa verba*, per Jesum CHRISTUM *col. 65. tom. 6. Operum* Bedæ *edit.* Colon. Agripp. an. 1612.
(c) *Cap. 8. ad illa verba*, Condelector Legi DEI, *col. 120. ibidem.*
(d) *Commentar. in Psal. 4. col. 330. tomi 8.*
(e) *Commentar. in librum* Boethii *de Trinitate col. 638. ejusd. tomi 8.*

mur; quia &c. (*f*) Hanc enim, verbis etiam invariatis, desumpsit Beda ex libris Moralium S. Gregorii Magni: (*g*) quam cum ex ipso D. Gregorio nobis opponat Launoius, agens de Pontificibus, Piæ Sententiæ adversis; illuc ipsam remittimus, hìc tantum monentes, sermonem ibi esse non tam de Conceptione, quam de Nativitate.

Testimonium XVIII.

Etherius Uxamensis Episcopus, & Beatus Abbas, Anno DCCXC.

Non potest DEI Filius tibi esse similis, quia & ipsa conceptione humana, multum dissimilis tibi est. Ille conceptus de Spiritu Sancto, non de virili semine, solus sine peccato. Tu vero de virili semine, de massa perditionis, & concupiscentia utrorumque Parentum: Est natus de Muliere, in peccatis conceptus, & in peccatis natus. Ille enim inter Homines solus natus de Virgine, & solus sine Peccato conceptus, & solus sine Peccato natus. (h)

96. SI Lampridius Sanctitatem quoque Marianæ Nativitatis impetere vellet, nescio, an clariorem in speciem locum allegare posset; ubi Conceptio apertissime distinguitur a Nativitate, & tam Conceptio, quàm Nativitas sine Peccato, soli CHRISTO tribuitur; nos autem omnes in Peccatis & concipi, & nasci dicimur. Cum ergo id nec velit, nec velle possit Lampridius; quam pro Nativitate responsionem ipse dederit, dabimus & nos pro Conceptione.

97. Prætereo Testimonium Concilii Provincialis Forojuliensis, hìc a Lampridio productum; quod & idem effert, ac præfata Sententia, & spectat ad Actionem IV.

SÆCULUM CHRISTI IX.

Testimonium XIX.

S. Paschasius Ratbertus, Abbas Corbeiensis, Anno DCCCXX.

At vero B. Maria, licet ipsa de Carne peccati sit nata, & procreata, ipsaque quamvis Caro peccati fuerit, non tunc jam, quando præveniente Spiritus Sancti gratia, ab Angelo præ omnibus Mulieribus benedicta vocatur: Spiritus Sanctus superveniet in te &c. *Alioqui si non eodem Spiritu sanctificata est, & emundata; quomodo ejus Caro non Caro peccati fuit? Et si Caro ejus de massa primæ prævaricationis venit, quomodo Christus Verbum, Caro sine peccato fuit, qui de Carne peccati Carnem assumpsit; nisi quia Verbum, quod Caro factum est, eam primum obumbravit, in quam Spiritus Sanctus supervenit, & virtus Altissimi totam eam possedit? Propterea vere Caro ejus jam non Caro peccati fuit, in qua DEUS totum infundit,* (corr. *se totum infudit*) *& Verbum, quod Caro factum est, sine peccato ad nos venit.* (i)

98. IN hac Sententia, (quam sub nomine S. Hildephonsi citabat Lampridius, & nos Ratberti esse diximus *n.* 88. *& seqq.* Duo sunt, quæ difficultatis speciem præseferant, 1. Quod B. Virgo de Carne Peccati sit nata, & procreata, atque adeo Caro Peccati fuerit: 2. Quod præveniente Spiritus Sancti Gratia, sanctificata est, & emundata. At vero, ut B. Virgo dicatur *Caro Peccati*, satis est, quod humano more sit concepta, ratione cujus Conceptionis, Debitum contraxit incurrendi Originale Peccatum: Et hoc ipsum Debitum satis est, ut etiam sanctificata, & emundata recte dicatur per Gratiam prævenientem Spiritus Sancti; ut Articulo sequenti luculenter declarabimus. Cæterum S. Ratbertum hoc eodem loco, præcedentibus, & sequentibus verbis Præservationem B. Virginis ab Originali Peccato docuisse, *Actione VI.* ostendemus.

Testimonium XX.

Haymo, Episcopus Halberstatensis, Anno DCCCXLV.

Adam exemplar est futuris, (adde *idest*) *Posteris suis in peccato: quia sicut ille Peccator, & Mortalis extitit, ita omnes Posteri ejus Peccatores, & Mortales nati sunt, & nascuntur quotidie, transducto Originali Peccato in Posteros, ut B. Augustinus dicit, per Concupiscentiam coitus; sed per Gratiam &c.* (supple *Domini nostri Jesu Christi liberantur a peccatis, & morte æterna.*) *Sicut enim nullus Homo extra Adam, idest extra progeniem illius, ita nullus extra Peccatum illius, præter Christum.* (k)

99. PRiora hujus Sententiæ verba valde generalia sunt, & ipsam quoque Posterorum Adæ Nativitatem peccato involvunt. Posteriora, bene cohærent cum Pia Sententia: Quia etsi credamus, B. Virginem reipsa non contraxisse ex Adam Originale Peccatum, non tamen dicimus, eam fuisse extra peccatum Adæ, hoc est non pertinuisse ad eam, ratione originis, Adæ peccatum, quasi ipsa fuisset extra Legem Adæ impositam.

(f) Lampridius *sic citat,* Homilia in Feriam Quatuor Temporum. *Citare debuerat,* Homilia in Feriam quartam Quatuor Temporum Adventus, *seu in caput* 1. Lucæ *col.* 225. *tom.* 5.
(g) *Lib.* 28. *cap.* 52. *col.* 598. *tom.* 1.
(h) *Lib.* 1. *adversus* Elipandum *apud* Henricum Canisium *par.* 1. *tom.* 2. *Lectionum antiquar. pag.* 340. *nova editionis* Antverp. an. 1725.
(i) *Lib. contra eos, qui disputant de perpetua Virginitate, & Parturitione B. Virginis pag.* 56. *tom.* 12. *Bibl. PP. sive in Opusculo de Partu Virgin. pag.* 6. *tom.* 12. *Spicilegii* Acherii.
(k) *Comment. in cap.* 5. *epist. ad Rom. fol.* 32. *& seq. edit.* Paris. an. 1531.

TESTIMONIUM XXI.

Rabanus Maurus, Archiepiscopus Moguntinus, Anno DCCCL.

In illa generatione, quæ secundum Adam est, nullus absque peccato nasci potest. In ista, quæ per Christum de Baptismo exordium sumit, omnes, qui regenerantur, absque omni delicto tam originali, quàm actuali renascuntur. Ad exemplum videlicet Redemptoris nostri, qui solus inter Homines, verus Homo sine peccato conceptus est, & absque ullo delicto de Virgine est editus; ut quod primus Adam per inobedientiam contraxerat, ipse secundus Adam per obedientiam, non delinquendo retraheret.

100. HAnc Sententiam citat Lampridius ex Cap. LII. Tractatus *Adversus Judæos*, quem editum dicit a Chiffletio, & a Martene, & Durand; (*l*) additque, hunc librum ab aliis tribui Amoloni, Archiepiscopo Lugdunensi, iisdem temporibus florenti. At si Vir eruditus legisset Admonitionem præviam Martene, & Durand, (*m*) comperisset, non esse eundem librum *Contra Judæos*, illum, quem edidit Chiffletius, ac quem ipsi ediderunt; & illum quidem a Chiffletio editum, non Rabano, sed Amoloni, vel potius Hratgano tribuendum; istum vero a Martene, & Durand editum, (ex quo ea verba sunt desumpta) non Amoloni, sed Rabano, seu (ut alii scribunt) Hrabano tribuendum esse.

101. Cæterum cujuscunque fuerit hæc Sententia; ab scopo, ut pleræque omnes, aberrat. Aperte namque signat Legem communem, juxta quam omnes, etiam nascimur cum Peccato, & a quo non liberamur, nisi per Baptismum renascamur.

TESTIMONIUM XXII.

Remigius, Antisiodorensis Monachus, Anno DCCCXC.

Et vincas, (*Psal. L. ver. 6. & 7.*) *scilicet omnes judicatos: omnes enim juste judicari possunt, quamquam multi* (corr. *multùm Justi, multùm provecti: tu solus injuste, quia solus a Peccato Immunis.* Cum judicaris, *o Pater in Filio. Verbum in assumpta Humanitate hoc futurum prævidit, ut Filius DEI veniret judicandus.* Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. *Quasi dicat: & non solum judicatus vincis omnes judicatos in tali scelere, quale meum est, in hoc quod illi juste, tu injuste: sed etiam omnes Homines, quia omnes sunt peccatores, tu autem solus sine peccato. Et transfert in se omne Humanum Genus:* Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: *In quibus subjungit*, & in peccatis concepit me Mater mea; *idest in Concupiscentia carnali concepit, quæ carnalis delectatio ex Peccato primi Parentis in Carne nostra viget &c. Non enim Maritus, quia Maritus est, mortalis est; erat enim & Dominus mortalis, sed non de Peccato, suscepit pœnam nostram, sed non culpam nostram.* (n)

102. IN priori parte hujus Sententiæ de Peccatis Personalibus agitur, pro quibus omnes juste judicari posse dicuntur, solo CHRISTO excepto, quia solus ab illis fuit Immunis. Neque enim de Originali Peccato, sed de Peccatis propriis, & personalibus Judicium instituitur. Posteriorem partem hujus Sententiæ vitiatam puto: non enim satis intelligo, quò tendant ea verba: *Non enim Maritus &c.* Sed qualiscunque illa sit, nonnisi communem Doctrinam tradit, de transfusione Originalis Peccati in omnes Homines, media carnali Concupiscentia.

SÆCULUM CHRISTI X.

Vacat omni Testimonio.

SÆCULUM CHRISTI XI.

TESTIMONIUM XXIII.

S. Petrus Damiani Anno ML.

Quicumque de massa prævaricatrice Mundum ingredimur, longam restem Originalis Peccati trahimus nobiscum. Solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, quem Virginalis thalamus, ignorante Viro, terris effudit. Longe quippe aliter, & dissimili modo conceptus est, Spiritu Sancto, tota Majestate, Virginem inundante, atque mundante; superans usum Carnis, Naturæ ordinem, Viri commixtionem. Sic quippe decebat, ut peccatum nesciret, qui peccata tollebat, ut similitudinem Carnis susciperet, non autem Carnem Peccati. Cum igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem unquam Mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Hieremiam, & Johannem Baptistam. Quamquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiore Sanctificationis genere mundata sit. (o)

103. DOctrinam hoc loco generalem tradit B. Damianus de contracto ab omnibus Adæ Filiis, hunc Mundum ingredientibus, Originali Peccato; solum autem CHRISTUM excipit, non qualicumque ex causa, sed ratione suæ admirabilis Conceptionis, vi cujus non modo Peccatum illud reipsa non contraxit, verum etiam nescivit, tanquam id quod ad se minime pertineret. Cui Doctrinæ non opponitur, quod B. Virgo

(l) *Tom. 5. Thes. novi Anecdot. col. 513.*
(m) *Ibid. col. 401.*

(n) *In Enarrat. in Psal. 50. pag. 1138. tom. 16. Bibl. PP.*
(o) *Serm. 1. in Nativ. S. Johan. Bapt. 23. in ordine, pag. 45. tom. 2. & V. pag. 66.*

B. Virgo ex specialissima DEI Gratia ab eodem Peccato fuerit servata Immunis, quod alioqui secum trahere debuerat.

104. Sed quid ego istius Sententiæ interpretationem quæro, cum ipsemet Damianus, præservatam B. Virginem ab Originali Peccato, postremis verbis non obscure significet? *Quamquam*, inquit, *& de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimioris Sanctificationis genere mundata sit:* additque rationem: *Utpote Sacrarium illud, in quo DEUS, DEI Filius Carnem fuerat suscepturus.* Quænam porro est hæc sublimioris generis Sanctificatio, præ Sanctificatione Hieremiæ, aut Johannis Baptistæ, (quæ etiam in utero facta est) nisi Sanctificatio præveniens Peccatum, & ab ipso præservans? Celerior, aut copiosior Sanctificatio non foret Sublimioris Sanctificationis Genus; ut enim ajunt Philosophi, *Magis, & minus non variant speciem.* Nec obstat, quod B. Virginem mundatam dicat Damianus. Hanc enim mundationem factam etiam dicit ipso Incarnationis Dominicæ tempore. Sed de hoc infra.

105. Aliam B. Damiani Sententiam (p) præmiserat Lampridius: cui nos, ut Adversariis morem geramus, inter peculiaria Testimonia locum dabimus Actione VI.

106. Eodem loci discutiemus famosam D. Anselmi, seu potius Bosonis, cum Anselmo conferentis, Sententiam, libro secundo Operis, cui titulus: *Cur DEUS Homo* cap. 16. Nec prætermittemus aliam, quam nomine ejusdem S. Anselmi recitat Lampridius ex libro *de Excellentia B. Virginis Mariæ* cap. 3. Quamquam hic liber Anselmi revera non est, ut olim censuit Bellarminus, (q) sed Eadmeri ejus discipuli, & familiaris, ut nuper detexit Gabriel Gerberon in Edit. Oper. S. Ansel. & tradidit etiam Johannes Puteus. (r)

SÆCULUM CHRISTI XII.

Testimonium XXIV.

Gilbertus Crispinus, Abbas Westmonasteriensis, Anno MCVI.

Cum Christum Originali Peccato obnoxium esse dicis, omnino mentiris: nam de Immaculata Virgine conceptus, & natus, sine virili semine genitus est, ac proinde originalis Culpæ particeps non est &c. Quapropter omnis Homo, carnali delectamento genitus, cum Originali Peccato nascitur, qui per luxuriam, vitiatam naturam a primo Parente trahens, & de corruptione Carnis natus, illa placida natura caret, in qua primum primus Homo factus est. Denique dum in Conceptu Christi omnis luxuria defuit, nullam de Carne Peccati maculam traxit; imo cooperante Spiritu Sancto, placidum, & mundum Conceptum habuit, quia omni delectamento luxuriæ caruit, & quia in terris Patrem non habuit, de corruptione Carnis natus non fuit. (s)

107. HUjus Sententiæ scopus est, removere a CHRISTO Debitum contrahendi Originale Peccatum. Istud enim Debitum aperte sonant illa verba: *Christum Originali Peccato obnoxium esse:* Quod pernegat Gilbertus. Et ad idem Debitum a CHRISTO excludendum collineant rationes, quas adducit. Quia *de Immaculata Virgine conceptus, & natus &c.* Et quia *in Conceptu Christi omnis luxuria defuit, immo cooperante Spiritu Sancto &c.* Ideo vero universaliter ait, quod *omnis Homo, carnali delectamento genitus, cum Originali Peccato nascitur*; & non tantum, *cum Debito Peccati:* quia hoc est, quod secundum Legem communem contingit, ut qui cum Debito contrahendi Originale Peccatum concipitur, reipsa cum eo Peccato concipiatur, immo & nascatur.

108. Addo, Gilbertum hoc loco videri locutum de Peccatis etiam actualibus, si verba intermissa reddantur. Hæc est integra ejus Sententia: *Cum Christum Originali Peccato obnoxium dicis, omnino mentiris. Ipse enim Originale Peccatum non habuit, quia in iniquitate* (hoc est Concupiscentia) *conceptus non fuit, immo & omnibus aliis caruit, quia omnino peccatum non fecit. Nam de Immaculata Virgine &c.*

Testimonium XXV.

Hugo de S. Victore, Anno MCXXV.

De Carne illa, cui unitum est Verbum, quæritur utrum prius in Maria fuit Caro illa obligata peccato? Quod ita fuisse, Augustinus dicit. Sed in ipsa separatione, per Spiritum Sanctum mundata fuit, & a peccato, & a fomite peccati. Mariam vero totam prorsus a peccato, sed non a fomite peccati mundavit, quem tamen sic debilitavit, ut postea non peccasse credatur. (t)

109. HÆc est vera, & legitima Hugonis de S. Victore Sententia, loco citato per ipsum Lampridium. Ast (quod difficile creditu videtur, & tamen verissimum est) Lampridius, Hugonis nomine, non Hugonis, sed Petri Lombardi verba describit, libro tertio Sententiarum, distinctione tertia, §. *De Carne Christi, antequam conciperetur.* Quæ plane verba diversa sunt, & nec eandem omnino exprimunt Hugonis Sententiam, ut collatione facta, cuique statim apparebit.

(p) *Ex Opuscul. seu Libro, qui dicitur* Gratissimus de Simoniacis.

(q) *De Scriptoribus Ecclesiast. in* Anselmo *ad an.* 1081.

(r) *Tomo 1. de Rebus Anglicis lib. de Illustr. Angliæ Scriptoribus ad* an. 1121.

(s) *In Dialog. inter Christianum, & Judæum, (qui olim* Guillelmo Catalaunensi, *sub idem tempus florenti tribuebatur, dein a* Caveo, Dupinio, *& aliis huic* Gilberto *adjudicatus est) pag.* 1888. *tom.* 20. *Bibl. PP.*

(t) *In Summa Sent. Tract. 1. cap. 16. fol. 194. col. 1. tom. 3. edit.* Venet. Anni 1588.

110. Ex prioribus Hugonis verbis nonnisi Peccati Originalis Debitum, quod in MARIA præcesserit, erui potest. Non enim ait Hugo, quod Caro illa prius in MARIA fuerit *infecta peccato*, sed quod fuerit *obligata peccato*. Sicut etiam idem Hugo lib. II. *de Sacramentis Christianæ Fidei*, Parte I. Cap. V. fol. 268. col. 3. dixit: *Filium DEI de Carne obnoxia peccato, Carnem assumpsisse, liberam a peccato, & ideo liberam, quia liberatam*; liberatione videlicet præservativa. Utrobique Scopus Hugonis erat, eos refutare, qui ajebant: „Carnem illam, quæ „assumpta est a Verbo, ita ab initio, & in primo Parente, quando tota massa Naturæ humanæ per peccatum corrupta est, a corruptione, & a contagione peccati Immunem fuisse custoditam, & ab ipso primo Parente usque ad susceptionem sui a Verbo, liberam ab omni peccato, & mundam deductam, ut nunquam sub peccato fuerit, (*hoc est sub obligatione contrahendi peccatum*) & ideo a peccato non liberatam, sed liberam.„ Quam opinationem, tanquam erroneam refutat etiam D. Thomas in lib. III. Sentent. dist. III. quæst. IV. art. I.

111. Posteriora verba ejusdem Sententiæ, asperitatem habent, sed ab omnibus lævigandam. Si enim, ut sonant, accipiantur, significare videntur, Carnem CHRISTI, cum conciperetur, & MARIAM totam, cùm primùm concepit, fuisse a Peccato mundatas; quo nihil absurdius cogitari potest. Dicendum ergo, Hugonem loqui *de mundatione præservativa*, quæ Dominicæ Carni naturaliter obvenit, ratione suæ Conceptionis, qua de Spiritu Sancto concepta est; MARIÆ autem, in gratiam ejusdem Conceptionis, qua CHRISTUM erat conceptura. Quod vero addit Hugo, MARIAM a peccati Fomite nec tunc simpliciter fuisse mundatam: D. Thomæ, & communi Theologiæ opponitur, ut vidimus in Apparatu *n.* 97. *& seqq.*

112. Ante Hugonem citaverat Lampridius Rupertum Abbatem Tuitiensem *lib.* 1. *Commentar. in Cantica*: post Hugonem citat D. Bernardum in decantata *Epistola ad Canonicos Lugdunenses*, *& Sermone secundo in Assumptionem B. Virginis*. Cum uterque Piæ Sententiæ iis in locis palam adversari videatur; Actione VI. examinandus est.

TESTIMONIUM XXVI.

Richardus de S. Victore, Anno MCL.

Maculam peccati (CHRISTUS Dominus) *de Materna Carne non contraxit, sed delevit.* Et infra: *Et notandum in Matre, ejusque Prole: quia in Matre Caro mundata; in Prole non mundata; sed munda: in illa purgata, in ista pura.* (u)

113. PRiori loco subjungit Lampridius, Salmanticenses dicere, quod Richardus *aperte supponat, adfuisse ibi, si non in se ipsa, in suo tamen Debito prædictam Maculam.* De Peccati Debito non sum sollicitus. Sed Richardum audire mihi videor, dicentem: (x) *Ecce sic repetis Sententias meas, ut eas non impleas verbis meis. Redde verba mea, & nihil valebunt tua.* Si enim ad contextum attendatur, utrobique Richardus, nec de Originali Peccato, nec de ejus contrahendi Debito agit, sed de solo Concupiscentiæ Fomite.

114. Hunc Fomitem, priori loco Richardus ait, CHRISTUM non contraxisse *de Materna Carne*, sed potius in ea *delevisse*. En integram ejus Sententiam: *Manifestum est itaque, quod ad destructionem Peccati venit, qui in ipso Mundi ingressu Maculam Peccati de Materna Carne non contraxit, sed delevit. Si tantum sola ejus Conceptio valuit, ut Concupiscentiæ Fomitem, totiusque corruptionis radicem deleret, quid quæso in expiationem Corporis sui*, (idest Ecclesiæ) *valere potuit Nativitas, Humilitas, Circumcisio, Conversatio, paterna Obedientia, Crucifixio?* Omitto, Richardum loqui de Macula Carni inhærente, & de ejus deletione, quæ contigit in ipsa Incarnatione Dominica. Numquid Originale Peccatum Carni inhæret? Numquid Peccatum illud tunc primùm deletum est in Virgine?

115. Posteriori loco, de purgatione ejusdem Fomitis sermonem habet Richardus; quam quidem purgationem in B. Virgine factam putabat Richardus sub ipsum Incarnationis Dominicæ tempus; ut ex verbis proxime sequentibus apparet: „Sic, *inquit*, in primo statu (*Viæ*) „natura nostra purgatur; in secundo (*Patriæ*) „penitus pura invenitur: in priori sanctificatur, in posteriori glorificatur. Prior itaque est Purificationis, & Sanctificationis; secundus, Puritatis, & Glorificationis. Habemus itaque in Matre signum Purificationis, & Sanctificationis nostræ; habemus in Prole signum futuræ Puritatis, & Glorificationis nostræ. Signum tamen utriusque status in sola Virgine Matre notare possumus, signum Purificationis nostræ, quando aliquid adhuc habuit, quod emundari oportuit; signum Puritatis nostræ, quando post Spiritus Sancti obumbrationem, Peccati Fomite extincto, in sua Puritate permansit.„

TESTIMONIUM XXVII.

Anonymus, qui floruit Anno MCLX.

Restat, ut si Virgo concepit, non de Creatura, sed de Creatore concipiat. Et cum omnis Conceptus ex Carnis voluptate proveniat, attestante Propheta, qui ait: In peccatis concepit me Mater mea; *nemo concipitur sine peccato: sed ipse*

(u) *Lib.* 1. *de Emmanuele cap.* 12. *fol.* 86. *par.* 1. *edit.* Lugdun. Anni 1534.

(x) *Sunt verba D. Augustini ad* Julianum *libro* 3. *Operis Imperfecti n.* 108. *col.* 1094. *par.* 2. *tomi* 10.

ipse Dominus hoc signum daturus est, quod Virgo concipiat. Ergo Conceptus iste sine peccato erit. Concipiet itaque cum integritate Virginitas, non de Carne, sed de Spiritu. (y)

116. QUid hæc ad inferendum in B. Virgine Originale Peccatum, prodesse valeant, prorsus non video. Auctor iste, quicumque ille sit, non adversus Pelagianos, sed adversus Judæos agens, nihil est de Originali Peccato sollicitus: sed singularem CHRISTI Conceptionem ex Virgine, de Spiritu Sancto, absque Carnis voluptate peractam, conatur adstruere; eamque Conceptioni reliquorum Hominum contraponit, ex Carnis voluptate provenienti; quam voluptatem, more consueto, *Peccatum* appellat, & significari vult verbis illis: *In peccatis concepit me Mater mea.* Et subinde in idem argumentum totus incumbit.

117. Patribus hucusque allegatis adjungit Lampridius Innocentium Papam III. in tribus Sermonibus; Richardum de S. Laurentio, Pœnitentiarium Romanum, (verius Rothomagensem,) & Gulielmum Durandum, Mimatensem Episcopum, cognomento Speculatorem. Innocentium ad Pontificum classem rejicimus, quo loco illum objicit Launoius. Duo alii in hac Traditionis serie, quæ Sæculo XII. clauditur, locum non habent. Richardus enim a S. Laurentio an. 1240. Durandus an. 1286. claruit. Fatemur autem duos hosce Scriptores in contraria Sententia fuisse: etsi namque ex verbis a Lampridio allegatis non satis aperte id colligatur, constat tamen ex aliis locis, quos referre nihil attinet. Sed istorum auctoritas tanti non est, ut Piæ Sententiæ negotium facessat.

ARTICULUS II.

Generalis Expositio Testimoniorum, quæ allegata sunt ab Adversariis.

118. QUæ hactenus a nobis in singulis Testimoniis strictim adnotata sunt, dissipandæ contrariæ Traditioni sufficere posse videntur. Sed, ut hæc somniata Traditio penitus evanescat, eadem Testimonia, in quinque classes distributa, iterum ad examen vocamus, & unicuique Classi, congruam, atque necessariam Expositionem præbemus, validis rationibus confirmatam.

Testimoniorum Primæ Classis Expositio.

119. HÆc Classis ea Testimonia complectitur, quæ, nulla Originalis Peccati facta mentione, *solum DEUM*, vel *solum Christum*, enuntiant *Sanctum*, *Justum*, *& absque ullo Peccato.*

120. Hæc porro Testimonia ita intelligenda sunt, sicuti pleraque alia Sacrarum Litterarum Testimonia, in quibus perfectiones aliquæ soli DEO tribuuntur, non quòd aliis per participationem, aut per gratiam competere non possint; sed ob singularissimum titulum, quo conveniant DEO, *a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est.* (Jacob. I. 17.) Sic Apocalypsis *cap.* 15. *ver.* 4. soli DEO tribuitur Pietas: *Quia solus Pius es.* Et tamen innumeri sunt in Scripturis, qui *Pii* dicuntur, & a *Pietate* commendantur. V. *Concordantias.* Item Apostolus I. ad Timotheum *cap.* I. *ver.* 17. scribit, quod *soli DEO Honor, & Gloria* debeatur: ait nihilominus, scribens ad Romanos *cap.* 2. *ver.* 10. quod *Gloria, & Honor, & Pax est omni operanti bonum.* Rursus idem Apostolus (z) de DEO asseverat: *Qui solus habet Immortalitatem.* At vero Fide sanctum est, Angelos, & Animas rationales esse *Immortales.* Cur ita? Audi D. Augustinum: (a) *Cum omnino non dubitem, & Immortalem esse Animam, non ita, ut DEUS, qui solus habet Immortalitatem, sed modo quodam sui generis.*

121. Præterea solus DEUS in Scripturis Sanctis appellatur Justus, non solum comparate ad Homines, verum etiam ad Angelos Sanctos, in quibus certe nulla est, aut fuit, aut futura est injustitia, seu peccatum. *Non justificabitur* (ait David Psal. CXLII.) *in conspectu tuo omnis Vivens.* Ubi, ut observat D. Hieronymus in Epistola ad Damasum, (b) „ Non ait, *non justificabitur omnis Homo*, sed, *omnis Vivens*; idest „ non Evangelista, non Apostolus, non Propheta. Ad majora conscendo: Non Angeli, non „ Throni, non Dominationes, non Potestates, „ cæteræque Virtutes. Solus DEUS est, in quem „ peccatum non cadit: cætera cum sint liberi arbitrii, juxta quod & Homo ad imaginem, & „ similitudinem DEI factus est; in utramque „ partem possunt suam flectere voluntatem. „ *Tum exponit S. Doctor, qua ratione solus DEUS dicatur Justus*; „ Unde & ab Apostolo *solus Justus*, *solus dicitur Immortalis*: non quòd Angeli sint injusti, & mortales, sed quòd ipse „ sit *Immortalis*, *& Justus*, cui collata universa „ Justitia, Iniquitas invenitur. „

122. Veniat nunc Lampridius, & dicat: (c) *Quid significet*, Solus, *nos docet Ecclesia, cum* in

(y) *In Tract. advers.* Judæos *col.* 1565. *tom.* 5. *thesauri Anecdotorum* Martene, *&* Durand.

(z) I. *ad* Timoth. 6. 16.

(a) *Epist.* 143. (*aliàs* 7.) *ad* Marcellin. *n.* 7. *col.* 466. *tom.* 2.

(b) *Epist.* 146. *prope finem col.* 1205. *tom.* I. *ejus Operum edit.* Paris. an. 1609. *ex Recensione* Mariani Victorii Reatini.

(c) *Cap.* 24. *pag.* 189.

in Hymno Virginum de Deipara ait, quæ sola Virgo parturit. Reponemus: Quid etiam significet *solus*, non Ecclesia tantum in Hymno Angelico, in quo canit, *Tu solus Sanctus, Tu solus Dominus &c.* verum etiam Sacræ Litteræ frequenter nos docent.

123. Demum Patres *solum Deum*, vel *solum Christum absque peccato* prædicantes, non tam de Originali, quam de Personali, & Proprio Peccato loquebantur; ut adnotavimus *num.* 27. 28. 32. 46. 70. 86. 102. Et tamen indubitabile est, DEI Genitricem nullo unquam infectam fuisse Proprio & Personali Peccato, adhuc levissimo. Talem ergo Patres soli DEO, vel soli CHRISTO Immunitatem ab omni Peccato tribuebant, quæ, cum sit DEO, & CHRISTO naturalis, & ingenita, ipsam quoque peccandi possibilitatem excludit; nullique adeo Creaturæ Angelicæ, vel Humanæ convenire potest. Cujusmodi immunitatem, solius DEI, & CHRISTI propriam, luculenter expressit S. Dionysius Alexandrinus, (*d*) [a Lampridio corrupte allegatus in IV. Testim.] *Nisi fuisset*, inquit, *Christus, idem, qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi. Nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut & Pater Christi, & Spiritus Sanctus.*

TESTIMONIORUM SECUNDÆ CLASSIS EXPOSITIO.

124. HUic Classi assignamus plurima illa Testimonia, quæ totum Genus Humanum, Originali peccato infectum esse, simpliciter enuntiant; sive Doctrinam generalem tradunt de transfusione Peccati Adami in omnes ejus Posteros, naturali via ex ipso propagatos.

125. Ab istis generalibus Testimoniis, Unam DEI Genitricem excipere, nulla est difficultas; ut de ejusdemmodi Generalibus Scripturæ Testimoniis late ostendimus *Actione I.* a *num.* 49. Est & necessitas ejusdem exceptionis; cum indiscriminatim Patres, eadem universali Doctrina comprehendant Nativitatem omnium Hominum sub Peccato, & Vitam etiam omnium in Peccatis, (ut mox videbimus) a quibus Humanæ Naturæ cladibus DEI Genitricem excipere necesse est.

126. Ad hæc, Tridentinum in suo Decreto de Originali Peccato, Canone II. universaliter definivit, *Adam per inobedientiæ Peccatum, non tantum Mortem, & Pœnas Corporis, verum etiam Peccatum in omne Genus Humanum transfudisse.* Hac tamen universali definitione non obstante, in fine ejusdem Decreti declaravit: *Non esse suæ intentionis comprehendere in eo Decreto, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam DEI Genitricem.* Ex illis ergo Generalibus SS. Patrum effatis de Originali totius Humani Generis contagione, nihil prorsus infertur contra Originariam B. Virginis Integritatem.

TESTIMONIORUM TERTIÆ CLASSIS EXPOSITIO.

127. IN hac Classe illa Patrum Testimonia collocamus, quæ ita omnes Homines sub Originali Peccato concludunt, ut a lapsu in hoc Peccatum, *unum & solum* CHRISTUM excipiant.

128. De hujusmodi Testimoniis, quibus maxime nituntur Adversarii, in primis asserimus, esse ab omnibus Piis Orthodoxis necessario exponenda. In iis quippe Testimoniis non solum audimus, omnes Homines, præter CHRISTUM, concipi in Peccato, verum etiam nasci cum Peccato; ut observatum est *n.* 30. 44. 54. 55. 56. 57. 65. 96. 99. 101. In iisdem quoque Testimoniis non sola Immunitas ab Originali Peccato uni CHRISTO attribuitur; verum etiam Immunitas a Peccatis Propriis, & Personalibus; ut vidimus *num.* 35. 42. 43. 61. 62. 108. Et ejusdem formæ sunt, si recte perpendantur, duæ aliæ Sententiæ, quas producit Valdesius Epist. xv. *pag.* 206. & 207. una ex Auctore lib. contra V. Hæreses cap. 5. *Sicut ille Natus est solus inter Mortuos liber &c.* & altera ex S. Johanne Damasceno Homilia in Sabbatum Sanctum: (fol. 564. nostræ editionis) *Tentatus in similitudinem Peccati, ejus tamen expers Legem implevit, solus inter Homines sine peccato conspectus.* Quis autem credat, quod tot Illustres Patres, contra indubitatum, & perantiquum Ecclesiæ sensum, asserere voluerint, DEI Genitricem MARIAM non modo Conceptam, verum etiam Natam cum Originali Peccato; nec tantum Originali Peccato infectam, sed & Propriis, ac Personalibus Peccatis sordidam fuisse? V. Apparatum a *n.* 115. & a *n.* 120.

129. Rursus, Patres hanc suam de Originali, vel etiam Personali Peccato Generalem Doctrinam, cum exceptione solius CHRISTI; ita firmam reputabant, ut eam traderent, tanquam inconcussum Catholicæ Fidei Dogma; & oppositam, tanquam hæresim manifestam explodere nt; ut apparet ex *num.* 41. 55. 60. Quare D. Fulgentius Episcopus Ruspensis, (*e*) inter XL. Capitula, *ad Regulam veræ Fidei firmissime pertinentia*, hoc recenset: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem Hominem, qui per concubitum Viri, & Mulieris concipitur, cum Peccato Originali nasci, impietati subjectum; & ob hoc, natura iræ Filium nasci....... a qua ira nemo liberatur, nisi per Fidem Mediatoris DEI, & Hominum, Hominis Jesu Christi, qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus &c.*

130. Scimus autem, quod Sixtus IV. in sua Extravag. *Grave nimis*, a Concilio Tridentino, & subsequentibus Pontificibus confirmata, *Erroneum* declaravit, & a *veritate penitus alienum, asserere, eos qui crederent DEI Genitricem ab Originalis Peccati macula præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore.*

(*d*) *In Epist. Synodica ad* Paulum Samosatenum. *pag.* 277. *tom.* 1. *Bibl. Gl. Patrum.*

(*e*) *In libro de Fide ad* Petrum Diaconum *col.* 358. *& V. col.* 363. *Hic liber* Augustino *olim tribuebatur, & sub nomine* Augustini *Sententia ista refertur cap.* Firmissime, *de Consecratione dist.* 4.

fore. Nisi ergo Patres istos exponi posse, ac debere dicamus, alterum e duobus fatendum erit Adversariis; aut tot Illustres Patres hac in re tanti momenti turpiter errasse; aut Sixtum IV. Doctrinam Fidei, ab antiquis Patribus traditam, despexisse. Et utrumque pessimum.

131. Deinde istorum locorum, in quibus a Lege Peccati solus CHRISTUS excipitur, duplicem Expositionem offerimus, etsi alteram altera feliciorem, & Patrum menti congruentiorem. Sed prius monendum est cum S. Johanne Chrysostomo: (*f*) *Qua mente hæc dicantur, scrutari oportet, & de qua materia* (Auctor) *loquatur, & quid emendare velit, cum hæc loquitur.* Nec non cum D. Hilario: (*g*) *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.* Quod quidem Hilarius monebat propter Arianos, qui contra Filii Divinitatem similes Scripturarum locutiones objiciebant, (*h*) quibus *solus Pater*, dicitur *Sapiens*, *solus Verus*, *solus Bonus*, *solus Potens.*

132. Prima Expositio est Judoci Clichtovei ajentis: (*i*) „ Sacri Auctores cum Dominum „ nostrum eximunt ab Originalis Peccati contagio: sub ipso & Sacratissimam ejus Matrem „ intelligunt, atque comprehendunt, & ideo non „ curant ampliorem, aut expressiorem ipsius B. „ Virginis exceptionem explicare: quandoquidem eodem potiuntur privilegio, & ejusdem „ censentur juris Rex, & Regina, Sponsus, „ & Sponsa, Filius, & Mater. „

133. Hæc Expositio suaderi potest hoc plausibili argumento. Ut ait S. Leo Magnus, (*k*) CHRISTUS est *Unum cum Patre in substantia, quæ nunquam fuit minor Patre: unum cum Matre in Corpore, quod creavit:* Utque addit Arnoldus Carnotensis, (*l*) *Una est Mariæ, & Christi Caro, unus Spiritus, una Charitas.* Sicut ergo Apostolus *ad Rom. cap. 5. ver. 12.* docens, quod *Per unum Hominem, Peccatum in hunc Mundum intravit*; in Adamo intelligit etiam Evam, quia unum erat cum illo, qui dixit Genesis II. 23. & 24. *Hoc nunc os, ex ossibus meis, & Caro de Carne mea:* ut observat Auctor Hypomnestici, seu libri Hypognosticon. (*m*) Ita similiter Patres, solum CHRISTUM excipientes a communi Lege Peccati; in CHRISTO intelligunt etiam MARIAM, quæ unum quid erat cum ipso. In rem cadit pulchra illa S. Joh. Chrysostomi Sententia: (*n*) *Merito is quoque, qui est natus, Matri talia præbuit privilegia. Quæ enim habuit Solus, ea illi quoque Soli dedit.*

134. Altera illorum Testimoniorum Expositio, quam indicavit Scotus, (*o*) & nos eligimus, est: Juxta Legem, communem, omnes Homines, præter CHRISTUM, subesse Originali Peccato; & solum CHRISTUM, ratione suæ Conceptionis, ab eo incurrendo fuisse Immunem, ac proinde Immunem, non tantum ab ipso Peccato, verum etiam a Debito contrahendi illud. De hoc Debito non nulli ex illis Patribus plane loquuntur, ut monstratum est *n.* 37. 39. 75. 91. 107. 110. Et hoc Debitum a CHRISTO removere satagit S. Anselmus cap. XII. & pluribus seqq. libri *de Conceptu Virginali.* Sic autem intellecta ejusmodi Testimonia, Piam Sententiam non tangunt. Non enim dicimus, B. Virginem, ex communi Lege, aut ratione suæ Conceptionis, sed ex Privilegio, & Gratia singulari exemptam fuisse ab Originali Peccato; nec ita exemptam, ut a Debito etiam illud incurrendi fuerit Immunis.

135. Hanc esse genuinam Patrum mentem, colligitur primo ex ratione, quam adducunt, ut ostendant, solum CHRISTUM inter omnes Homines ab Originali Peccato Immunem fuisse. Quia nimirum omnes alii Homines ex Viro, & Muliere per Carnalem Concupiscentiam generantur; solus autem CHRISTUS ex Virgine, per operationem Spiritus Sancti genitus est. In hoc ergo CHRISTUM cæteris Hominibus contraponunt, quod ipse ratione suæ Conceptionis nec contraxit, nec contrahere debuit Originale Peccatum; cæteri vero Homines ratione suæ ipsorum Conceptionis Peccato Originali contrahendo sunt obnoxii; &, nisi speciali DEI Privilegio eximantur, (cujus Privilegii possibilitatem negare non poterant Patres) reipsa Peccatum illud contrahunt, cum primò concipiuntur. Etenim Lex illa Adamo imposita, eos omnes, & solos Homines complectebatur, qui per naturalem generationem, ac proinde per Carnalem Concupiscentiam ex Adamo traherent originem; ut dictum est in Apparatu *n.* 52.

136. Aliam quoque Immunitatis CHRISTI ab Originali Peccato, rationem interdum indicant laudati Patres, Unionem scilicet Hypostaticam cum Verbo Divino; ut observare est in SS. Ambrosio, Augustino, Leone, & Fulgentio. Hæc autem ratio non tantum omnem Immunitatem ab Originali Peccato infert in CHRISTO, & quidem seorsum ab ipsius Virginali Conceptione; sed etiam Immunitatem a quocunque alio Peccato, ipsaque adeo possibilitate peccandi. Per eam quippe ineffabilem Unionem, *facta est quodammodo ipsa Gratia illi Homini naturalis, quæ* (al. *qua*) *nullum peccatum posset admittere*; ut loquitur D. Augustinus in Enchiridio cap. XL. col. 212. Tomi VI. Solus ergo CHRISTUS dicitur a Patribus Immunis a Peccato, sive Originali, sive Personali; non qualicunque Immunitate, sed ea speciali Immunitate, quam secum affert duplex iste titulus, a Patribus consideratus.

137. Colligitur secundo ex errore Pelagianorum, quem refellere, & evertere, nervis omnibus contendebant Patres. Hæresis quippe Pelagiana, hac in parte non erat, ex singulari DEI

(f) *Hom. 25. in Capus 14. epist. ad Rom. pag. 703. edit.* Paris. an. 1731. *Ex Recensione* Domni Montfaucon.

(g) *Lib. 4. de Trinit. n 14. col. 835. edit.* Paris. an. 1693. *Ex Recensione Benedictinorum.*

(h) *Num. 8. col. 830.*

(i) *Lib. 2. de Puritate Concept. B. V. cap. 15. fol. 51. pag. 2.*

(k) *Serm. 1. de Nativit. cap. 3. col. 50.*

(l) *De Laudibus Mariæ pag. 1282. col. 1. tom. 22. Bibl. PP.*

(m) *Lib. 2. cap. 3. col. 11. Append. tom. 10. Operum S. August.*

(n) *In Orat. de Natali S. Johan. Baptistæ apud Metaphrasten, relata a* Surio *pag. 907. tom. 3. de Vitis Sanctor. edit.* Colon. Agripp. an. 1579.

(o) *In 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. n. 14.*

Privilegio unum aliquem Hominem, præter CHRISTUM, non contrahere ab Adamo Originale Peccatum; sed, ex ipsa Lege Naturæ, nullum Hominem revera concipi, aut nasci cum peccato. Siquidem Pelagius apud D. Augustinum (p) ajebat, *Peccatum Adæ ipsum solum læsisse, & non Genus Humanum:* & Julianus apud eundem Augustinum, (q) *Non in uno Homine, omnes Homines peccasse originaliter, & tanquam in massæ unione communiter.* Satis ergo erat ad institutum Augustini, & reliquorum Patrum, asserere, & firmare, omnes Homines, præter CHRISTUM, spectata Lege communi, & naturali eorum propagatione ab Adamo peccante, contrahere ex ipso Originale Peccatum. Quod autem aliquis, præter CHRISTUM, singulari DEI Gratia, & Privilegio, diceretur exemptus ab eo peccato; potius contradicebat, quam favebat Hæresi Pelagianæ, juxta quam naturale erat Hominibus, concipi, & nasci absque peccato. Profecto Concilium Tridentinum in suo Decreto de Originali Peccato totam Hæresim Pelagianam exposuit, atque damnavit; & tamen in declaratione subjuncta, Marianæ Immunitatis privilegium sartum tectum esse voluit.

138. Quamobrem Venerabilis Robertus Cardinalis Bellarminus definite, distincteque scripsit: (r) „ Fidem Catholicam, id solum requirere, ut „ credamus, omnes Homines, qui per Carnalem „ generationem ex Adam nascuntur, ex eodem „ trahere Originale Peccatum, nisi forte, singulari privilegio, a communi Lege quis excipiatur. Proinde cum ad singulos descenditur, non „ erit continuo Hæreticus, qui hunc, aut illum „ negaverit in Peccato fuisse conceptum; sed tamen temere id negabit, & jure, ac merito præsumeretur Hæreticus, nisi probabiles rationes „ attulerit, cur singulare illud Privilegium in „ hunc, vel illum Hominem convenire censuerit. Quales rationes nemo hactenus protulit, „ nisi pro Conceptione unius Virginis MARIÆ.„

139. In eadem Sententia fuit Eximius Doctor (disp. IX. Sect. IV. num. 9.) *Si ex meritis Christi*, ait, *diceretur alicui alteri datum hoc Privilegium; non videretur damnandum, tanquam plane Hæreticum: quia oppositum non est plane definitum, neque in Scriptura continetur. Esset tamen non solum temerarium, sed etiam erroneum: quia fere est contra communem sensum Patrum, & contra id, quod generaliter sentit tota Ecclesia.*

140. Similiter Alphonsus de Castro, (s) agens de Hæresi Beguardorum, & Beguinarum, quæ erat, *posse Hominem, tantam virtutis perfectionem in hac vita acquirere, ut reddatur prorsus impotens ad peccandum:* animadvertit: „ Certe „ si Beguardi, & Beguinæ hoc dicerent, posse „ fieri ex quodam particulari Privilegio, & specialissimo DEI adjutorio alicui concesso, „ nullus illos propter hoc de Hæresi notasset. „ Potest enim DEUS ex quodam insigni Privilegio sic assistere voluntati alicujus Hominis, ut nunquam illam permittat in peccatum „ labi. „

141. Cur ergo, inquies, tam anxie Sancti Patres, agentes contra Pelagianos, a contagione Originalis Peccati solum CHRISTUM, virtute suæ Conceptionis excipiunt; & nullum alium ex singulari privilegio exceptum memorant?

142. Respondent optime Salmanticenses Theologi *num.* 206. Sapientissimo Consilio id factum esse, ne Pelagiani in suæ Hæresis Patrocinium ea exceptione abuterentur; quemadmodum abusus videtur Julianus apud D. Augustinum. (t) Immo idem Julianus apud Bedam, (u) ipsa etiam unius CHRISTI exceptione abutebatur: ajebat enim, *Nullum peccatum esse Homini ingenitum, quandoquidem ille, & Carnis veritate circumdatus, & maculæ immunis extiterit.* Quem sic Beda redarguit: *Quæ poterit esse Consequentia, ut ideo dicatur nullum peccatum, ex Masculi, & Fœminæ conjunctione nascentibus, esse congenitum; quoniam Filius DEI, qui sibi sine ministerio Viri, Corpus ex Virgine fabricavit, & Carnis veritate circumdatus, & maculæ Immunis extitit? Quæ est ratio consequens, ut Homo purus innocentiam suæ Nativitatis astruat, exemplo nati in Carne Mediatoris DEI, & Hominum?*

143. Colligitur tertio, ex præcipuo Scopo, ad quem collineabant Patres in astruendo Originali Peccato: nempe ut contra Pelagianos, declaratos Gratiæ DEI Hostes, evincerent, CHRISTI Redemptionem, & Gratiam DEI per CHRISTUM omnibus omnino necessariam esse, ut a peccati captivitate liberentur, & in libertatem Filiorum DEI asserantur. Quem Scopum potissimum respicit Augustinus, ut patet in IV. VI. & VIII. Sententia. Ideo ergo a Peccati Captivitate unum ipsum CHRISTUM, omnium Redemptorem, eximebant, ut significarent, omnes omnino, præter CHRISTUM, Redemptione indigere. At vero Actione I. a *num.* 62. ratione, & auctoritate, præsertim Augustini, jam ostendimus, necessariam fore Redemptionem, non tantum iis, qui in captivitatem reipsa inciderint, verum etiam iis, qui captivitati incurrendæ proximi fuerint, vel obnoxii. Cum ergo Augustinus, & reliqui Patres, omnes Homines, præter unum CHRISTUM, Peccato subjiciunt; de subjectione, & captivitate loquuntur, sive in re, sive in debito, quam omnes Homines incurrunt, præter unum CHRISTUM: qui *solus* [inquit Augustinus (x)] *potuit ita nasci, ut ei non opus esset renasci:* hoc est qui virtute suæ Nativitatis, sive Conceptionis, Redemptione non indiguit.

144. Placet hoc argumentum elegantissimis Ven. Petri Canisii (y) verbis illustrare. „ Huc „ ibant maxime (Patres), ut probarent, & „ convincerent, ex tota Posteritate Adæ, nullum in conceptione, nullum in ortu, nullum „ in

(p) *Lib. de Gestis* Pelagii *num. 65. col. 226. tom.* 10.
(q) *Lib. 6. contra* Julianum *cap.* 24. *n.* 75. *col.* 705.
(r) *Lib. 4. de Amissione Gratiæ &c. cap.* 16. *n.* 11. *pag.* 140. *tom.* 4.
(s) *Lib.* 12. *adversus Hæreses V.* Peccatum, *hæresi* 9. *fol.* 349. *edit.* Antverp. *an.* 1565.
(t) *Lib. 4. Operis Imperfecti n.* 122.
(u) *Lib. 1. in Cantica Canticor. de Gratia DEI contra* Julianum *col.* 717. *tom.* 3. *edit.* Colon. Agrip. *an.* 1612.
(x) *In Enchirid. cap.* 48. *col.* 214. *tom.* 6.
(y) *Lib.* 1. *de Maria Deipara cap.* 7. *col.* 67.

„ in vita, vel morte ab omni Peccato Immunem esse censendum; considerata nimirum Humanæ, tam imbecillis, quam corruptæ Naturæ conditione, & seclusa Redemptoris CHRISTI Gratia: cujus, ut Augustinus, Hieronymus, Innocentius, & Prosper, sic alii etiam, Assertores acerrimi esse voluerunt. Interim vero, quid Iidem præpotenti CHRISTI Salvatoris Gratiæ non tribuunt? An vero hujus Gratiæ virtutem Sanctis omnibus æque efficacem assignant? Num in quibusdam, & in MARIA potissimum Gratiæ plenitudinem negant? Qui certe, dum Deiparam in omni vita, adeoque in ortu ipso Peccati puram prædicant, an non aliis viam muniunt, & ostendunt, ut ex eodem fundamento, nempe CHRISTI erga suam Parentem amore, & studio singulari, colligatur, nihil omnino vetare, quominus, ut omnis MARIÆ Vita, ipsaque Nativitas, sic etiam Conceptio, Pura, & Immaculata constituatur? „

145. Patrum interpretatio, hactenus explicata, & comprobata, Adversariis nostris displicere non debet, si quidem velint Angelici Præceptoris Doctrinam ab errore, & falsitate Immunem defendere. S. Thomas *in Prima Secundæ, quæst.* 81. *art.* 3. illas Patrum locutiones imitatus, absolute pronunciavit: *Secundùm Fidem Catholicam firmiter est tenendum, quod omnes Homines præter solum Christum, ex Adam derivati, Peccatum Originale ex Adam contrahunt: alioquin non omnes indigerent Redemptione quæ est per Christum: quod est erroneum.* Idem habet *in librum IV. Sentent. dist.* 43. *quæst.* 1. *art.* 4. *ad* 3. Et sub hac Doctrina, ex eodem titulo indigentiæ Redemptionis, expresse comprehendit B. Virginem *in librum III. Sentent. dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. aliisque in locis. Constat autem ex nuper dictis, potius erroneum esse, quod secundùm Fidem Catholicam firmiter sit tenendum, B. Virginem Originale Peccatum contraxisse; & falsum omnino esse, quod si B. Virgo hoc Peccatum non contraxisset, non indiguisset Redemptione.

146. Merito igitur, ut alios præteream, tres insignes Angelici Doctoris Interpretes, & ejusdem Ordinis Prædicatorum Magistri Doctissimi, Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus, Seraphinus Capponi a Porrecta, & Johannes a S. Thoma locis citatis *Act. I.* ad *num.* 59. *&* 67. eodem plane modo D. Thomam exponunt, quo nos Patres illos exposuimus, videlicet Ipsum loqui, spectata ratione generationis nostræ; & de Peccato Originali, ab omnibus contracto in re, vel in debito. Quam expositionem iisdem fere rationibus comprobant, quibus nostram comprobavimus. Quod si ita expedit D. Thomam interpretari, cur non similiter & Patres, quorum ille Doctrinam secutus est? Id de D. Augustino sponte fatetur Cajetanus (z): *Est*, inquit, *necessarium secundùm Catholicam Fidem credere, quod omnis utriusque sexus, ab Adam secundùm rationem seminalem proveniens, ex ipsa sua generatione sit obnoxius Peccato Originali: & contra Pelagianos dicentes oppositum, Augustinus disserit, & definit.*

TESTIMONIORUM QUARTÆ CLASSIS EXPOSITIO.

147. AD hanc Classem revocamus Testimonia illa, quæ omnem humanam Carnem, Marianam quoque, sola Dominica Carne excepta, *Carnem Peccati* appellant.

148. Ejusmodi Testimonia intelligi non posse de Formali Originis Peccato, quod B. Virgo reipsa contraxerit; pluribus etiam argumentis, evincimus. Et primò Patres *de Peccato Carnis* loquuntur, ut verba sonant. Verum autem, & formale Peccatum Originis non est in Carne, sed in Anima, ut probat D. Anselmus (a): *Quoniam*, inquit, *Injustitia non potest esse, nisi ubi Justitia debet esse; Originale Peccatum, quod est Injustitia, non est, nisi in Natura Rationali.* Et late exponit S. Thomas (b) docens, *In Semine corporali esse Peccatum Originale, sicut in causa instrumentali; sed sicut in subjecto, Peccatum Originale nullo modo posse esse in Carne, sed solum in Anima.*

149. Secundò Patres Carnem nostram, *Peccati Carnem* appellant, prius, quam Anima in ipsam infundatur. Unde est illa quæstio, quæ D. Augustinum vehementer angebat (c): *De Anima, utrum & ipsa eodem modo propagata* (scilicet per traducem, sicuti Caro) *Reatu, qui ei dimittatur obstricta sit, (non enim possumus dicere solam Carnem Parvuli, non etiam Animam indigere Salvatoris, & Redemptoris auxilio), an etiam non propagata, eo ipso, quo Carni Peccati aggravanda miscetur, jam ipsius Peccati remissione, & sua Redemptione opus habeat?* Quis autem credat, D. Augustinum, & reliquos Patres agnovisse verum, & formale peccatum in Carne, quam nondum Anima vivificaverit? *Si semen Hominis*, ajebat ibidem S. Anselmus, *non est susceptibile Justitiæ, priusquam fiat Homo; non potest suscipere Originale Peccatum, antequam Homo sit.*

150. Tertiò D. Augustinus tam firmum putavit, omnem humanam Carnem, præter Carnem CHRISTI, esse *Carnem Peccati*; ut oppositum, tanquam hæresim detestandam habuerit: (d) *Corpus*, inquit, *Christi inde dictum esse in similitudine Carnis peccati, quia omnis alia Hominis Caro Peccati est, quisquis negat &c. detestandus Hæreticus invenitur.* Estne, juxta D. Augustinum, Hæreticus detestandus Populus Christianus, a maximo usque ad minimum, qui negat B. Virginem contraxisse Originale Peccatum?

151. Quartò Patres, qui nominatim B. Virginis Carnem, *Peccati Carnem* appellant; hanc ei appellationem convenisse significant, sub ipso etiam Dominicæ Incarnationis tempore;

(z) *Comment. in prim. secund. quæst.* 81. *art.* 3.
(a) *In libro de Conceptu Virginali, & Peccato Originali cap.* 3. *pag.* 98.
(b) *Prim. secund. quæst.* 83. *art.* 1.
(c) *Lib.* 2. *de peccator. merit. & remiss. cap.* 36. *num.* 59. *col.* 70.
(d) *Lib.* 5. *contra* Julianum *cap.* 15. *col.* 654. *tom.* 10.

re; ut loquuntur D. Augustinus, & D. Fulgentius in I. Sententia, ac etiam Ratbertus. Quis autem ita desipiat, ut dicat, B. Virginem usque ad id tempus Originali Peccato infectam fuisse? Apostolus quoque ad Rom. VII. 17. & seqq. *dolet, habitare in Carne sua peccatum.* Numquid adhuc erat in Apostolo Originale Peccatum?

152. Quid est ergo, in phrasi Sanctorum Patrum, esse *Carnem Peccati*, quod omnibus, præter unum CHRISTUM, necessario conveniat? Non aliud sane, quàm esse Carnem, per Carnalem Concupiscentiam, ex semine utriusque Parentis propagatam: Quæ Concupiscentia ex Peccato primi Parentis in nos derivata, nisi singulare DEI privilegium intercedat, Via est, qua transfunditur in Fœtum, cum primùm animatur, Originale Peccatum. Hac enim ratione, Caro illa sic genita, & propagata, Caro peccati merito nuncupatur. Quemadmodum ipsa Concupiscentia, quæ in nobis manet post Baptismum, non semel ab Apostolo Peccatum appellatur; *non quòd vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*; ut declarat Tridentinum in laudato decreto *Can. V.* Atque in hoc sensu asserere potuerunt illi Patres, ipsam quoque DEI Genitricis Carnem, fuisse *Carnem peccati*, quin sentirent, DEI Genitricem Originalis Peccati labe reipsa maculatam fuisse.

153. Negabant vero Pelagiani, Carnem humanam esse *Carnem Peccati*; non quia negabant, illam per Carnalem Concupiscentiam propagari, (quod evidens est) sed quia negabant, hanc Concupiscentiam esse vere, & proprie effectum peccati Adæ, & esse Viam, per quam vere, & proprie derivetur in nos Originis Peccatum. Hoc, & nihil aliud adstruere potuit D. Fulgentius, cum scripsit (*e*): „ Si Caro Peccati non mendaciter dicitur, habet in se Caro ipsa Peccatum; si vero Peccatum non habet, falsum portat Carnis Peccati vocabulum. Sed eam, de qua loquimur, Carnem Peccati, verax discipulus Veritatis Paulus appellat. Restat igitur, ut sicut vere Caro, cum Caro dicitur, ita vere in se Peccatum habeat, cum Caro Peccati, ore Apostolico, nuncupatur. „ Nam alioqui Concupiscentia, quæ in nobis manet post Baptismum, eodem ore Apostolico non semel Peccatum appellatur; quin tamen revera peccatum sit, plusquam in effectu, & in causa; ut modo audivimus ex Tridentino, & eleganter expressit S. Augustinus, Concupiscentiam appellando *Filiam, & Matrem Peccati.*

154. Eandem *Carnis Peccati* notionem explanavit nobis olim Didymus Alexandrinus, S. Hieronymi in Sacris Litteris Magister, qui locum illum Apostoli (ad Rom. VIII. 3.) *DEUS Filium suum mittens in similitudinem Carnis peccati*; (unde phrasis ista desumpta est) in hunc plane modum interpretatur: „ (*f*) Caro omnium Hominum ex conjunctione Viri, & Fœminæ existit, excepta Carne primi Parentis, & ea, quam CHRISTUS assumpsit: non enim aliter Corpus Hominis fit, nisi Corpora Maris, & Fœminæ misceantur. Igitur quia Salvator ex sola Virgine Corpus assumpsit, quod non duxit principium ex coitu, idcirco Carnem Domini, similitudinem Carnis, quæ ex coitu existit vocavit. Non enim simpliciter dixit, habere eam similitudinem Carnis, sed *similitudinem Carnis Peccati.* „ *Et paulo post:* „ Si Corpus ex conjunctione sumpsisset, nullâ differentiâ, existimatus utique esset, obnoxius esse illi peccato, cui erant omnes, ex Adam per successionem profecti, & orti. „ *Et rursus:* „ Quia post peccatum facta fuit conjunctio Adæ cum Eva, idcirco dicta est Caro peccati. Qui enim erat ante peccatum immortalis, factus est per peccatum mortalis, atque ita successio mortalitatem habet. „

Testimoniorum Quintæ Classis Expositio.

155. HUjus Classis Testimonia sunt, quæ B. Virginem *Sanctificatam*, *Mundatam*, *Purgatam* dicunt; quæque proinde, istorum verborum ambigua significatione discreta, nullo negotio exarmantur: ut enim monebat S. Joh. Chrysostomus (*g*): *Non vocibus simpliciter, sed dicentis menti, necesse est, semper attendere & accuratam dictorum scire distinctionem.*

156. Ut a *Sanctificatione* incipiamus: Vox hæc, (quam perperam Adversarii sibi tanquam peculiarem adoptârunt) ex sua propria notione non denotat præcedens peccatum, quod deleat. Nam & CHRISTUS sanctificatus est, ut ille dixit de se ipso Johan. X. 36. *Quem Pater sanctificavit.* Rationem exhibet D. Thomas: (*h*) quia ad Gratiam Sanctificantem, seu Justificantem, (quam ipse appellat *Operantem*) *per se pertinet, facere justum. Sed quod justum faciat ex impio, hoc accidit ei ex parte subjecti, in quo peccatum invenitur.* Unde infert, quod *Anima Christi justificata est per Gratiam operantem, in quantum per eam facta est Justa, & Sancta a principio suæ Conceptionis; non quòd ante fuerit peccatrix, aut etiam non justa.*

157. Quocirca Vetustissimus inter Scholasticos, Alexander de Hales, ad omnem ambiguitatem vitandam, multiplex Sanctificationis Genus apte distinxit, & luculenter explicavit: (*i*) „ Sanctificatio, *inquit*, est motus ad Sanctitatem &c. Motus in Sanctitatem dicitur aliquando *de Sancto in Sanctum*; aliquando *de non Sancto in Sanctum.* Et motus de non Sancto in Sanctum est dupliciter: Quia, *non Sanctum*, potest dici *privative*, sive *contrarie*, vel *negative. Non Sanctum negative*, potest dici de eo, quod non est, quia illud, quod non est; est „ non

(e) *Lib. de Incarn. & Gratia, non cap. VII. ut citat* Lampridius, *sed cap. XV. col.* 302.

(f) *In libro contra* Manichæos, *quem a* Francisco Turriano *latine redditum primus edidit* Ant. Possevinus *tom.* 1. Apparatus, *pag.* 423. *& V. pag.* 398. *Extat quoque apud* Henricum Canisium *vol.* 1. Antiquarum Lectionum *a pag.* 204. *noviss. editionis.*

(g) *Hom.* 13. *in Epist. ad Rom. ad illa verba*, qui in carne vivunt &c. *num.* 7. *pag.* 168. *tom.* 9.

(h) *Tert. par. quæst.* 7. *art.* 9. *ad* 2.

(i) *Tert. par. Summæ Theologicæ quæst.* 9. *membr.* 1. *art.* 2; *pag.* 29. *edit.* Venet. *an.* 1575.

„ non Sanctum. *Non Sanctum contrarie*, *vel* „ *privative*, dicitur de eo, quod est tantùm privatum Sanctitate, sive habens contrariam dispositionem ad Sanctitatem: sicut aliquis Peccator. „ Sanctificatio ergo *de non Sancto*, dicitur vel *de* „ *non Sancto negative*, vel *de non Sancto privative*, sive *contrarie*. Sanctificatio quæ est *de* „ *non Sancto negative*, illa fuit in CHRISTO „ Homine, in ipsa Incarnatione sua. Scilicet „ quando creabatur ejus beata Anima, prius fuit „ dicere de ea, *non Sanctum*, quia prius fuerat „ non ens: in sua autem Creatione fuit mutata „ de non ente, in ens, & *de non Sancto negative*, *in Sanctum*. Alio modo dicitur Sanctificatio, motus *de non Sancto privative*, sive *contrarie*, *in Sanctum*. Et ista Sanctificatione sanctificatus fuit Johannes Baptista in utero: quia „ Johannes ante Sanctificationem fuit privatus „ Sanctitate, & habebat dispositionem contrariam, scilicet Culpam Originalem. Hoc etiam „ modo sanctificatur quilibet parvulus in Baptismo. Hæc autem Sanctificatio non fuit in „ CHRISTO, quia CHRISTUS Homo nunquam „ fuit privatus Sanctitate. „

158. Tum pergit Halensis declarare aliud Sanctificationis genus, quod est motus in Sanctitatem *de Sancto in Sanctum*. Et dupliciter etiam contingere ait: „ Uno modo cum movetur „ aliquis de minori Sanctitate in majorem Sanctitatem. Alio modo, non quia moveatur in „ majorem Sanctitatem, sed quia movetur in „ continuationem Sanctitatis. „ Prioris modi affert exemplum in Apostolis, pro quibus CHRISTUS oravit ad Patrem (Johan. XVII. 17.) *Sanctifica eos in veritate*; posterioris autem modi, in CHRISTO Domino, qui de se dixit ibid. ver. 19. *Pro eis ego sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate*. Eamdem Doctrinam summatim tradit D. Thomas *in lib. III. Sentent. dist. 3. quæst. 5. art. 3.*

159. Itaque cùm Patres, B. Virginem sanctificatam dicunt, vel absolute, vel in utero Matris; commode intelliguntur de Sanctificatione, *quæ fit motus de non Sancto negative, in Sanctum*; hoc est de Sanctificatione, quæ illi contigit in primo suæ Animationis instanti, itaut simul esse cœperit, & esse Sancta, ac proinde ab Originali Peccato Immunis. Cùm vero Patres indicant, B. Virginem, sub ipsum Dominicæ Incarnationis tempus sanctificatam fuisse; necessario intelliguntur de Sanctificatione, *quæ fit motus de minori in majorem Sanctitatem*, ut per se patet.

160. Quod si audieris, B. Virginem non tantum sanctificatam fuisse, verum etiam Sanctificatione indiguisse: Et hoc quoque verum erit, salva ejusdem Immunitate ab Originali Peccato. Quia, ut Durandus, & Paludanus, (*k*) nostri cæteroquin olim Adversarii, iisdem verbis docuerunt: „ Aliquis potest indigere Sanctificatione per Gratiam dupliciter. Uno modo, „ ut habeatur Gratia ad elevandam, & perficiendam naturam solùm, & non ad tollendam „ aliquam culpam. Alio modo, ut habeatur Gratia ad tollendam aliquam culpam, & elevandam naturam. Primo modo indiguerunt Sanctificatione Angeli boni, qui nunquam peccaverunt, & Homo in statu innocentiæ. Hoc „ etiam modo indiguisset Sanctificatione B Virgo, dato, quod non fuisset concepta in Originali Peccato; quia Gloria non habetur, nisi „ mediante Gratia &c. Secundo modo non indigent sanctificari, nisi illi, qui commiserunt aliquam culpam, vel contraxerunt. „

161. Fateor tamen, B. Virginem non indiguisse Sanctificatione per Gratiam ad elevandam naturam. tantùm, quemadmodum indiguerunt Angeli, & Adam in sua prima creatione, qui nec peccaverunt, nec alicui peccato contrahendo erant obnoxii: sed etiam indiguisse Sanctificatione per Gratiam ad impediendum Originale Peccatum, cui contrahendo erat obnoxia. Nisi enim B. Virgo in primo suæ Animationis instanti sanctificata fuisset per Gratiam, hoc ipso incurrisset Originale Peccatum, quod in ipsa privatione Gratiæ Sanctificantis positum esse, late probavimus in Apparatu a *n.39*.

162. Rursum, si forte apud quosdam Veteres invenies, B. Virginem post sui Conceptionem sanctificatam fuisse; illud, *Post*, non te permoveat. Quia, cum alia sit *Posterioritas temporis*, alia *Posterioritas naturæ*; Conceptio sumpta pro infusione Animæ, etsi non præcessit ordine *temporis*, præcessit tamen ordine *naturæ*, Sanctificationem B. Virginis. Ut enim ait Apostolus I ad Cor. xv. 46. *Non prius, quod spiritale est, sed quod animale; deinde quod spiritale.*

163. Ne vero putes istam Naturæ *Prioritatem*, & *Posterioritatem*, inventum esse Scholasticorum; audi D. Augustinum *lib. I. de Genesi ad litteram cap. XX. n. 29. col. 126.* dicentem: *Creator DEUS non priore tempore fecit informem materiam, & eam postea formavit: formatam quippe creavit materiam. Sed quia illud, unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est.* Juxta quam Doctrinam S. Thomas *1. par. quæst. 62. ar. 3.* ubi defendit, *Angelos esse creatos in Gratia*; eidem D. Augustino (*l*) indicanti, Sanctorum Angelorum conditionem, *Ex informitate formatam esse*; respondet: *Quod si informitas illa Angeli intelligatur per comparationem ad formationem Gratiæ, non præcessit ordine Temporis, sed ordine Naturæ formationem, sicut etiam de formatione corporali Augustinus ponit.*

164. Eadem prorsus ratione, qua *Sanctificationem*, multiplicem quoque *Emundationem*, seu *Purgationem*, distinguere possumus, & explicare: Unam, quæ de non mundo privative, seu contrarie, faciat mundum; hoc est id, quod immundum erat, a præjacentibus sordibus diluat: Alteram, quæ de non mundo negative, faciat mundum; hoc est id, quod simpliciter non erat, facit, ut mundum, & purum existat. Quia (ut bene arguit P. Vasquez) (*m*) sicuti, ex communi modo loquendi, mundum, & purgatum, seu purum, non solum dicitur id, quod cum prius esset immundum, impurum, & pollu-

(k) *In 3. dist. 3. quæst. 1. fol. 187. col. 2. Ibid. quæst. 1. art. 1. fol. 19. col. 3.*

(l) *Lib. 2. de Genesi ad litt. cap. 8. n. 16. col. 137. tom. 3.*

(m) *Disp. 117. tom. 2. in 3. par. cap. 12. n. 131.*

pollutum, mundum, & purum efficitur; verum etiam id, quod nunquam immundum, & pollutum fuit: Ita quoque mundari, & purgari, seu mundum, purgatum, & purum fieri, dici potest, id quod nunquam immundum, & pollutum fuit. Est & tertia Emundationis, seu Purgationis species, quæ non sit remotio ab aliqua *positiva* (ut ajunt) immunditia, sed promotio a minori ad majorem munditiam, sive perfectionem. Nam a S. Dionysio Areopagita, (*n*) in cœlesti quoque Hierarchia, *Purgationes*, & *Expiationes* fieri dicuntur, ita, ut supremus Ordo Angelorum a DEO purgetur, Secundus a Primo, Tertius a Secundo, & demum a Tertio Ecclesiastica Hierarchia purgetur. Quam Expiationem, & Purgationem, alibi (*o*) declarat Areopagita, non esse in Angelis Sanctis, *ab aliquo piaculo, ac scelere; sed esse a DEO profectam illustrationem, quæ eos & ad perfectiorem divinarum rerum Scientiam, & ab ignoratione earum, quarum nondum Scientiam habeant, purget, & liberet.*

165. Hanc quoque *Purgationis* distinctionem tradidit, & ad rem nostram aptavit Petrus Paludanus, Ordinis Prædicatorum, *Enarratione prima in Evangelia de Tempore, partis Hyemalis, fol. 213. pag. 2. edit. Lugdun. anni 1589.* (ubi retractat, quod contra Piam Sententiam docuerat *in lib. 3. Sent.*) „ Aliquid, *inquit*, dicitur purgari dupliciter. Uno modo, quod aliquid immundum aufertur: alio modo, quod aliqua perfectio superadditur, per quam non solum mundum ostenditur, sed etiam ab omni immunditia Peccati præservatur. Primo modo non intelligitur Damasceni dictum, quod *Spiritus Sanctus venit in Ipsam, purgans*: sed secundo modo. Et sic oportet intelligi commune dictum tam Sanctorum, quam Magistrorum &c. „

166. Præterea dupliciter potest quis Purgatione, & Emundatione indigere: uno modo, ut abstergatur a Sordibus, quibus jam erat inquinatus: quemadmodum Parvuli indigent Lavacro Regenerationis, ut ab Originali Macula purgentur, & Adulti indigent Pœnitentia, ut a propriis Reatibus expientur. Alio modo, ut præservetur a Sordibus, sive Originalibus, sive Propriis, quibus contrahendis proximus, & obnoxius erat. Et qui hoc modo purgatur, & mundatur, verè, & propriè, excellentiore tamen ratione, purgatus, & emundatus dicitur a Sordibus: sicuti qui præservatur ab imminente captivitate, verè, & propriè, sed excellentiore ratione, redemptus dicitur a Captivitate. In hunc sensum derivare quis posset verba illa Richardi, in XXVI. Testimonio objecta: *In Matre Caro mundata, in Prole non mundata, sed munda; in illa purgata, in ista pura.* Quia nimirum Caro B. Virginis indiguit Emundatione, & Purgatione, ut a Sordibus, quibus contrahendis, ex vi suæ Generationis erat obnoxia, præservaretur: Cujusmodi Emundatione Caro CHRISTI, ineffabili modo Concepta, non indiguit.

167. Ubicumque igitur Patres B. Virginem *Mundatam*, vel *Purgatam* fuisse, dicunt; rectissime intelliguntur, vel de illa Emundationis, seu Purgationis specie, quæ ipsam de non munda negative fecerit mundam; vel certe de Purgatione, seu Emundatione præservativa, quæ ipsam a labe, alioquin incurrenda, præstiterit illæsam.

168. Hoc quidem innuisse videntur Patres illi, qui B. Virginem non *Purgatam*, aut *Mundatam*, sed *Præpurgatam*, & *Præmundatam* dixerunt. S. Gregorius Nazianzenus: (*p*) *Humana omnia, excepto Peccato, suscipit, conceptus quidem ex Virgine, Anima, & Corpore a Spiritu præpurgata*: S. Germanus Episcopus CP. (*q*) *Christus DEI Sapientia, & Virtus suam carnem ædificavit, ex Virum non experta casta Matre & Virgine, præpurgata Anima, & Corpore*: Et S. Nicephorus, Episcopus item CP. (*r*) *Habitans in Utero Sanctissimæ Immaculatæ DEI Genitricis, in Anima, & in Carne præmundatæ Spiritu.* Quemadmodum Nicolaus de Cusa, seu Cusanus, Episcopus Brixiensis, & S.R.E. Cardinalis, [qui medio sæculo XV. claruit] (*s*) dixit, quod *Præliberatorem Virgo Sancta habuit, cæteri Liberatorem, & Postliberatorem.* Quia *qui concipitur, & nascitur Liber, non indiget Liberatore a servitute, in qua nunquam fuit.*

169. Traditam Expositionem, ratam, & firmam esse, sponte fatetur Card. Cajetanus. (*t*) Ait enim: *Si B. Virgo in propria Persona habuit debitum contrahendi maculam Originalis Peccati &c. Gratia illa, quæ præveniendo sanctificavit eam, ligando etiam fomitem, habuit rationem Gratiæ Mundativæ, Reconciliativæ, Redemptivæ &c.* Et iterum: *A Peccato Originali mundatus dicitur, non solum qui a contracta Actuali Macula mundatus est; sed qui a Macula quidem in debito, & initio, in propria Persona fundato, mundatus est.* Sed nihilominus (quod monstrum videri potest) *cap. seq.* eas contra Piam Partem Sanctorum Remigii, Maximi, Bedæ, Antonii de Padua existimatas Sententias urget, in quibus nil aliud sonat, quàm B. Virginem ab omni Macula, seu Contagione Peccati, fuisse mundatam.

170. Comprobatur autem hæc Expositio ex more loquendi ipsorum Patrum. Quidam enim nedum ab Originalis Peccati Macula, verum etiam a Peccati Actualis sordibus B. Virginem mundatam, seu purgatam dicunt. Venerab. Beda, (*u*) *Superveniens*, inquit, *in Virginem Spiritus Sanctus... mentem illius quantum humana fragilitas patitur, ab omni vitiorum sorde castificavit.* Et paulo post: *Spiritus Sanctus Cor illius cum implevit, ab omni æstu Concupiscentiæ Carna-*

(*n*) *Cap. 10. de Cœlesti Hierarchia pag. 41.*
(*o*) *Cap. 6. de Ecclesiastica Hierarch. §. 3. pag. 138. edit. Parif. an. 1615. Ex Recensione nostri* Lanzellii.
(*p*) *Orat. 38. in Christi Nativit. pag. 620. edit.* GL. Parif. an. 1630. *Ex Recensione* Jacobi Billii.
(*q*) *In Theoria rerum Ecclesiasticarum pag. 57. col. 1. tom. 10. Bibl. PP.*
(*r*) *In Epist. ad* Leonem Papam III. *quæ extat tom. 9.* Annalium Card. Baronii *ad an. 811. n. 31.*
(*s*) *Lib. 8. Excitationum, ex Sermone,* Sicut lilium inter spinas. *pag. 617. edit.* Basileens. an. 1565.
(*t*) *Tom. 2. Opusc. Tract. 1. de Concept. B. V. cap. 3. §.* in secundo autem sensu. *pag. 139. col. 1.*
(*u*) *Hom. in Festo Annunciat. B. M. V. inter Homilias hyemales de Sanctis col. 337. tom. 7.*

Carnalis temperavit, emundavit a desideriis temporalibus &c. Richardus a S. Victore: (x) *Nisi* (B. Virgo) *ab omni vitiorum contagione penitus purgata fuisset, DEUM, DEI Filium generare non posset: Ut enim Virgo conciperet, Virgo pareret, summa Sanctitate, summa Puritate opus habebat.*

171. Atqui hæc omnia intelligi certe non possunt, nisi de *Castificatione*, (ut ita dicam) *Purgatione*, & *Emundatione* Præservativa. Quis enim ferat audire, in B. Virgine, (quam certa Fide credimus, nulla unquam Peccati Actualis labecula fuisse inquinatam) præcessisse aliquando *Vitiorum Sordes, æstum Carnalis Concupiscentiæ, Desideria Temporalia, Contagionem Vitiorum, a quibus castificata, emundata, & purgata fuerit?* Quemadmodum ergo, cum B. Virgo dicitur mundata, aut purgata ab omni Contagione Peccati Actionis; intelligi debet præservata, ne ejusmodi labe pollueretur: ita similiter cum mundata, aut purgata dicitur a Contagione Originalis Peccati, intelligi debet præservata, ne ista labe contaminaretur: quandoquidem Patres de utraque labe eodem modo loquuntur. Atque ita S. Thomas (*in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 2.*) agens de Immunitate B. Virginis ab omni Peccato Actionis, verba illa Bedæ, quæ sub nomine S. Ambrosii *in Cap. I.* Lucæ sibi objecerat, interpretatus est: *Dicendum, quod Castificatio a Sordibus vitiorum non intelligitur remotio existentium, sed impedimentum futurarum Sordium.*

172. Insuper aliqui etiam Patres istam B. Virginis Emundationem, seu Purgationem referunt ad ipsum Dominicæ Incarnationis tempus; ut adnotavimus *numer.* 54. 94. 104. 111. Sic etiam S. Leo Magnus dixit: (y) *Cum in omnibus Matribus non fiat sine Peccati sorde Conceptio, hæc inde purgationem traxit, unde concepit.* Et S. Johannes Damascenus: (z) *Post Sanctæ Virginis assensum &c. Spiritus Sanctus in eam supervenit, eam lustrans*, seu (quod idem est) *purgans*, ut habet alia versio. At vero Purgatio ista intelligi certe non potest de aliqua Originalis, vel Actualis Peccati Macula, quæ usque ad illud tempus adhæserit B. Virgini. Non semper ergo Purgatio, & Emundatio præsupponit alicujus Peccati maculam, quam diluat.

173. Ejusmodi B. Virginis Purgationem, quæ Incarnationis tempore peracta indicatur a Patribus; non pauci exponunt per absolutam extinctionem fomitis, quem in B. Virgine, ab initio dumtaxat ligatum fuisse opinantur cum D. Thoma. Sed, cum nullo unquam modo peccati fomes fuerit in B. Virgine, ut ostendimus in Apparatu a *num.* 100. Purgationem istam, promotionem fuisse dicimus ad sublimiorem Munditiam, Sanctitatem, & Perfectionem; ei Purgationi similem, quæ a D. Dionysio Areopagita in Cœlestem Hierarchiam inducitur. Quo etiam modo S. Thomas (a) verba illa S. Damasceni exposuit; ut vidimus in Apparatu *num.* 104. Etsi addat, posse etiam intelligi per hoc, *quod purgavit eam totaliter a fomite.*

174. Potest etiam eadem Purgatio intelligi de Præservatione ab omni macula in CHRISTI Conceptione; ut illa eadem verba S. Damasceni alibi exponit D. Thomas: (b) *Et ideo dicit Damascenus, quod Spiritus Sanctus supervenit Virgini, purgans ipsam, id est præservans, ne cum Peccato Originali conciperet.* Sic certe intelligenda sunt hæc, quæ D. Ambrosio tribuuntur: (c) *Peccato subjectum non fuit Corpus Domini: expiata est enim a Spiritu Sancto Caro Domini, ut in tali Corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.* Expiatione nimirum præservativa, quatenus Caro illa sumpta est ex Virgine, nulla interveniente Carnali Concupiscentia. Similiter quod scripsit Arnobius Junior: (d) *Jesus autem Immaculatus solus, Virgineam aulam ingressus, ipsum Tabernaculum a maculis liberavit:* intelligendum est cum Ven. Petro Canisio (e) de maculis, quæ in aliis Fœminis esse consueverunt, a quibus CHRISTUS suam Matrem servavit immunem.

OBSERVATIONES.

175. AD istarum Expositionum lucem, quis non miretur singularem DEI Providentiam, quæ Sanctorum Patrum vocem, & calamum ita moderata est, ut in tot, pro Originali Peccato disputationibus, & libris adversus Pelagianos, nihil unquam illis exciderit, quod præsenti Ecclesiæ sensui, & cultui erga Immaculatam B. Virginis Conceptionem, inexplicabiliter adversaretur? Et quis contra, non stupeat, aut Adversariorum confidentiam, inflatis buccis crepantium, Veteres Patres, nemine dissentiente, B. Virginem cum Originali Macula conceptam agnovisse; aut Erasmi, aliorumque Sectariorum impudentiam, ex eodem falso pronunciato, venerandas Patrum Traditiones generatim eludere conantium, quòd eas hac in re neglexerit Ecclesia? Lege Natalem Alexandrum *Tom.* 3. Historiæ Ecclesiasticæ *Sæculi II. Dissert. XVI.* §. 21.

176. Ut Piam Sententiam ab iis, quæ opponuntur Veterum Patrum Testimoniis, protegamus, non opus nobis est cum Eminentissimo Gotti (f) memorare: » De aliis etiam, prioribus Sæculis, dubitatum fuit inter Patres, nondum eliquata veritate, de quibus postea omnis dubietas sublata fuit. De Beatitudine Animarum Justorum, an hanc statim purgatæ consequantur, an vero eis ad finem Mundi foret differenda; per multa Sæcula Patribus hinc inde stantibus, disceptatum fuit. De Regno mille-

(x) *Lib. 2. de Emmanuele cap. 26. pag. 321. partis primæ edit.* Venet. *an. 1592.*
(y) *Serm. 2. de Nativit. Domini cap. 3. pag. 39.*
(z) *Lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 2. fol. 218. pag. 2.*
(a) *3. part. art. 3. ad 3.*
(b) *3. part. art. 32. ad primum.*
(c) *Comment. in cap. 8. ad Rom. col. 286. tomi 3. Operum S. Ambrosii edit.* Paris. *an. 1614. quæ Commentaria non esse D. Ambrosii, sed alius antiqui Scriptoris, probat* Bellarminus *in Ambrosio.*
(d) *Comment. in Psal. 14 pag. 243. in fine, tom. 8. Bibl. PP.*
(e) *Lib. 1. de Maria Deipara cap. 9. pag. 70.*
(f) *Tom. 4. de Veritate Christ. Relig. par. 2. cap. 41. §. 2. num. 18.*

„ millenario per hanc vitam, quæ inter Patres „ fuerit contentio, omnes norunt.„ Nec etiam necesse est, monere cum Cl. V. Ludovico Antonio Muratorio: (g) „ Excusandi sunt Veteres, quod nondum excussis, & ad trutinam „ revocatis ab Ecclesia quæstionibus, aliquas „ olim opiniones induerint, quas deinde Ecclesia, a veritate alienas deprehenderit, atque proscripserit. Sunt & alii complures nævi „ in primitivis Ecclesiæ Scriptoribus ..... quos excusare, Christiani Hominis est; amplecti rursus, ac tueri, esse non potest, nisi Hominis „ temere agentis. „

177. Videntur utique præmonitiones istæ necessariæ, ut Fidei Dogma de Cœlesti Beatitudine, Sanctorum Animabus statim post Mortem, nisi aliqua purgatione indigeant, conferenda, & ex tunc usque in sempiternum continuanda; (*h*) fartum tectum habeamus. Ut enim omittam Patres, qui in magno numero stetisse feruntur pro Beatitudinis dilatione usque ad extremum Judicii diem; quos exponere conatur Card. Bellarminus: (*i*) Sane CHRISTUM cum Sanctis post universalem Resurrectionem, mille annis regnaturum in terris; non pauci antiquiores Patres post Papiam, Episcopum Hierapolitanum, & S. Johannis Auditorem, aperte sustinuerunt, χιλιαςαὶ propterea nuncupati, id est Millenarii. Hanc, *Multorum Veterum opinionem fuisse* [refert D. Hieronymus (*k*)] *Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii*; *& Græcorum, Irenæi Lugdunensis Episcopi, & Apollinarii, quem*, inquit, *non solum suæ Sectæ Homines, sed & Nostrorum, in hac parte dumtaxat, plurima sequitur multitudo.* Et alibi, (*l*) memoratis istorum placitis, subjungit: *Quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus: quia multi Ecclesiasticorum Virorum, & Martyres ita dixerunt &c.* Inter quos certe fuit S. Justinus Philosophus in Dialogo cum Tryphone Judæo *pag.* 89. *& seq. tom.* 2. *par.* 2. *Bibl. PP.*

178. Hanc quoque opinionem, depurgatam tamen a carnalibus deliciis, D. Augustinus se aliquando secutum fuisse testatur *lib. XX. de Civitate DEI* (*m*) *Quæ* inquit, *opinio esset tolerabilis, si aliquæ delitiæ Spiritales in illo Sabbato* [id est Millenario Regno, quod successurum dicebant post sex annorum millia a Creatione Hominis,] *adfuturæ Sanctis per Domini præsentiam traderentur. Nam & nos hoc opinati fuimus aliquando.* Scilicet in Sermone de die Octava Paschæ. (*n*)

179. At quæso te, Lector Erudite, ubinam apud antiquiores Patres invenies tam declaratam, & apertam opinionem de Maculata, Originis Peccato, DEI Genitricis Conceptione: quemadmodum fuit illa de Millenario CHRISTI Regno? Quem antiquioris Sæculi Scriptorem citare poteris testantem, opinionem Piæ Sententiæ contrariam, *Multorum illius ævi Ecclesiasticorum Virorum, & Martyrum fuisse, quos plurima secuta sit multitudo*; sicuti de Millenarii Regni opinione S. Hieronymus non semel testatur? Ex Patribus, longissima serie recensitis, nec unum est reperire, qui vel infectam ipso Originali Peccato B. Virginem expresse tradat, vel id ab alio Patre, seu æquali, seu anteriori, traditum esse referat: ut ex hactenus dissertis liquet. In alia verò eorum Patrum serie, qui de B. Virgine nominatim, & expresse quodammodo loquuntur, inferius exhibenda, vix unum aut alterum, sequioris ævi Scriptorem, & inter Patres postremum, invenies, de quo suspicari possis, infectam Originis Peccato B. Virginem credidisse, ut ibi ostendemus.

ARTI-

(g) *De Paradiso &c. contra* Thomam Burnetum *cap.* 8. *pag.* 63.

(h) *Hoc Dogma definitum, & declaratum habemus a* Benedicto XII. *per Bullam*, Benedictus Deus, *a pag.* 185. *tom.* 1. *Bullar. Rom.* Cherubini.

(i) *Tomo* 2. *Controv.* 4. *generali de Ecclesia Triumph. lib.* 1. *de Beatitud. Sanctor. cap.* 1. *& cap.* 4. *& V.* Alphonsum de Castro *lib.* 3. *adversus hæreses. Verbo*, Beatitudo, *hæresi* 6. *fol.* 94.

(k) *In proœmio libri* 18. *in* Isaiam, *ad* Eustochium. *col.* 477. *& seq. tom.* 3. *ex edit. Benedict.*

(l) *Lib.* 4. *Comment. in* Jerem. *cap.* 14. *col.* 620. *ibid. Et vide in Catalogo Scriptor. Ecclesiast. ad Dexterum, in* Papia, *n.* 18. *col.* 109. *par.* 2. *tom.* 4.

(m) *Cap.* 7. *col.* 581. *tom.* 7.

(n) *Serm.* 259. (*al.* 19. *ex* Sirmondianis) *num.* 2. *col.* 1060. *& seq. tom.* 5.

ARTICULUS III.

Apostolicæ Traditionis Testimonia, a Pia Parte allegata.

SÆCULUM CHRISTI I.

TESTIMONIUM I.

S. Andreas Apostolus, circiter Annum LIX.

Quomodo (al. *Quoniam*) *de Immaculata Terra factus est Homo Primus, qui per lignum prævaricationis mundo mortem intulerat; necessarium fuit, ut de IMMACULATA Virgine natus Christus, perfectus Homo, qui est DEI Filius, qui primum Hominem fecerat, vitam æternam, quam perdiderant omnes, repararet, & de ligno Crucis lignum Concupiscentiæ excluderet.* (o)

180. QUia primus Homo Adam, figuram seu formam CHRISTI gerebat, ut Apostolus tradit (p); idcirco D. Andreas cum Terra Virgine, de qua creatus est Adam, comparat Immaculatam Virginem, de qua natus est CHRISTUS. Cur autem Terra illa, quæ fuit veluti Adami Parens, *Immaculata* dicatur, D. Ambrosius exponit: (q) *Ex Terra creatus Virgine, quæ ad Verbum DEI formata, & creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidali, cædiumque concreta sanguine flagitiis & dedecore polluta, nondum Carne nostra damnata, Maledicto obnoxiæ hæreditatis.* Cum igitur Virginem, CHRISTI Matrem, *Immaculatam* appellaverit D. Andreas, per comparationem ad illam Terram, de qua formatus est Adam; significare voluit, hanc Virginem fuisse *ad Verbum DEI formatam, nullo dedecore pollutam, & nec maledicto obnoxiæ hæreditatis damnatam.* Non enim fas erat, Primum Hominem, *qui Mundo mortem intulerat*, magis Illibatam, ut sic loquar, habere Parentem, quam Filium DEI, *qui vitam æternam, quam perdiderant omnes, reparavit.*

181. Hanc Apostoli Andreæ comparationem illustrat alter Andreas, Hierosolymitanus, sive Cretensis dictus, qui Sæculo VII. claruit: (r) „Cum, *inquit*, Redemptor nostri Generis novam, priori succedaneam, Nativitatem, ac Formationem exhibere voluisset; quemadmodum illic accepto limo, ex Virgine, & Illibata Terra, primum Adam effinxit: Sic & hic modò, suæ ipse Incarnationis Auctor, alterius, ut sic dicam, vice Terræ, Mundam hanc, Immaculatissimamque Virginem e tota natura eligens, nostrorumque in ea figmentum nova ratione componens, Adæ fictor, novus Adam effectus est: ut Recens iste, temporibusque nihilo minus superior, Veteri illi salutis causa foret.„ Quid porro est, *Mundam hanc, & Immaculatissimam Virginem e tota natura eligere*; nisi eam e tota massa naturæ corruptæ Mundam, & Immaculatam sibi reservare? Eandem quoque, inter Adam, & CHRISTI exortum, comparationem, antiquissimi Patres, S.Irenæus, & Tertullianus (s) usurparunt, quam ab Apostolo Andrea hausisse videntur.

VINDICATIO EPISTOLÆ PRESBYTERORUM ACHAJÆ, DE MARTYRIO S. ANDREÆ.

182. HAnc Epistolam, in qua laudata verba leguntur, esse legitimam, omnes fere Catholici Scriptores probant, & defendunt, præsertim Natalis Alexander, Ord. Præd. Magister, (t) & Andreas Du-Saussay, Episcopus, & Comes Tutellensis. (u) Utrumque & nos præstabimus, ne allegatum Testimonium nutare videatur.

183. Pro fide & veritate istius Epistolæ stat potissimum vetus & continuata Ecclesiæ Traditio, quam a temporibus laudatorum Patrum Irenæi, & Tertulliani repetere possumus. Clariora habemus Monumenta in subsequentibus Sæculis. Aliquid ex hac ipsa Epistola decerptum apparet, cum in Præfatione Missæ S. Andreæ, quæ describitur *in lib. Sacramentorum* S. Gregorii Magni, ut clari Editores Benedictini observârunt: (x) Tum etiam in Missa de Natali S. Andreæ, quæ est in Missali Gothico, ex manuscripto Codice nongentorum annorum, edito a Ven. Card. Josepho Maria Thomasio. (y) Elogium quoque S. Andreæ, quod est in genuino Usuardi Martyrologio, (z) circa annum 812. conscripto, ex eadem Epistola desumptum est. Addit Saussay Martyrologium Bedæ: sed primitivum Bedæ Martyrologium, (a) ad diem 30. Novembris solùm enuntiat, *Natale S. Andreæ.*

(o) *Hæc S. Andreæ verba referuntur a* Presbyteris, *&* Diaconis Achajæ, *tanquam a Testibus oculatis, & auritis, in Epistola de ejus Martyrio, ad universas Ecclesias: quæ Epistola extat tom. 6. Collect. Histor. Sanctorum per* Fr. Laurentium Surium. *ad diem 30. Novemb. pag. 619. edit.* Coloniens. an. 1575.

(p) *Ad Romanos 14. & prima ad Cor. cap. 15. ver. 45.*

(q) *Enarrat. super cap. 2. Genesis de Paradiso,* ad Sabinum *col. 423. tomi 1.*

(r) *Orat. 1. in Natalem* DEI *Genitr. pag. 650. col. 1. tom. 10. Bibl. PP.*

(s) *Lib. 3. advers.* Valentinum *cap. 31. pag. 299. par. 2. tom. 2. Bibl. PP. In libro* de Carne Christi *cap. 17. pag. 561.*

(t) *Tomo 3. Histor. Eccles. I. Christi Sæculo, cap. 12. art. 10. pag. 46.*

(u) *In Vindiciis hujus Epist. ad calcem Operis de Gloria S. Andreæ. Edit.* Paris. an. 1656.

(x) *In Notis subjectis ad eam Præfationem, col. 143. & seq. & in Notis posteriorib. Nota 507. col. 423. tom. 3.*

(y) *Pag. 302. edit.* Rom. an. 1680.

(z) *Apud* Bollandianos *tom. 7. Junii pag. 710.*

(a) *Editum a* Bollando *tom. 2. Sanct. Martii pag. XL.*

184. Veteres praeterea Patres de hac Epistola cum laude meminerunt, vel etiam ipsius fragmenta quaedam suis scriptis inseruere. Ut est in primis antiquus Auctor libri *de vera, & falsa Poenitentia*, (b) quem sub nomine D. Augustini frequenter citant Petrus Lombardus in libris Sententiarum, & Gratianus in Decreto. Deinde Alii, qui a Saeculo CHRISTI VIII. usque ad XII. claruerunt. Etherius, Uxamensis Episcopus, & Beatus Abbas *loco cit.* sub numerum 96. Simeon Metaphrastes, a quo haec acta descripta habemus; Remigius, Monachus Antissiodorensis; (c) B. Petrus Damianus Serm. II. in Natali S. Andreae, (d) qui & de eadem Historia sic loquitur: *Non immerito in singularem auctoritatis arcem recepta est, quam qui viderunt, scripserunt Orbi, & Ministri fuere Sermonis.* Item Lanfrancus Archiep. Cantuariensis, libro *de Corpore, & Sanguine Domini.* Ivo, Carnotensis Episcopus, in Sermone *de Convenientia veteris, & novi Sacrificii*; & D. Bernardus, Sermonibus in Vigilia, & in Natali S. Andreae.

185. Demum haec Acta ab antiquis temporibus, per universam Ecclesiam, in Ecclesiastico Officio pro Festo S. Andreae recitari consueverunt. Cumque occasione recognoscendi Breviarium Romanum, de iis inter Viros doctos, & graves, acriter disputatum esset, omnium consensu approbata, suum locum retinuerunt, ut refert Card. Bellarminus lib. *de Script. Eccles.*

186. Istius Epistolae fidem labefactare totis viribus conantur Heterodoxi, quia veritatem, & realem praesentiam Corporis CHRISTI diserte testatur. Quot vero argumenta profert unus ex illis, Guillelmus Cave, in sua Historia litteraria ad annum CHRISTI 59. *pag.* 17. totidem fere sunt mendacia.

187. Mendacium est 1. Hanc Epistolam *olim a S. Philastrio Brixiensi, ab Innocentio I. & Gelasio Papis in Apocryphorum censum detrusam esse.* Nam Philastrius lib. *de Haeresibus num. XL. pag.* 711. *tomi V. Bibl. PP.* loquitur de Actibus, ab Andreae Discipulis, & Comitibus, *dum veniret de Ponto in Graeciam, conscriptis:* in quibus multa fabulosa referuntur, ut quod *Canes, & Bestiae loquerentur &c.* quae a Manichaeis conficta videntur. Innocentius I. Epistola III. ad Exuperium Episcop. Tolosanum §. 7. [quae extat Tomo III. Conciliorum pag. 15.] damnat Acta, quae *sub nomine Andreae, a Xenocharide, & Leonida, Philosophis scripta sunt.* Gelasius cap. *Sancta Romana Ecclesia* Dist. XV. apocryphos censet *Actus Apostolorum, nomine Andreae Apostoli, nomine Philippi Apostoli, nomine Petri Apostoli*, quasi ab ipsis conscriptos.

188. Mendacium est 2. *Baronium non uno loco eam Epistolam damnare videri, anno* 44. *sect.* 42. & 43. *anno* 69. *sect.* 34. Etenim Baronius in iis Annalium locis solum damnat Actus illos S. Andreae, a Philastrio, Innocentio, & Gelasio, vel etiam a D. Augustino (e) reprobatos. Nostram vero Epistolam, cùm in Notis ad Martyrologium Romanum die 30. Novembris, tum maxime in Annalibus Ecclesiasticis ad eundem annum 69. & Sect. seu num. 34. ab illis Actibus apocryphis secernens, defendit, atque commendat. *Quae vero*, inquit, *de Andreae Martyrio in Epistola Presbyterorum Achajae habentur expressa, digna existimata sunt, ut in Ecclesia recitentur.* Dicat nunc Valdesius, (f) Caveum in hoc imitatus, quibus aliis in locis Baronius, *firmam sibi* de iis Actibus *opinionem non fuisse prodiderit.*

189. Mendacium est 3. Eandem Epistolam *ab omnibus penè damnatam, etiam a Cordatioribus Pontificiis esse rejectam.* Quinam porro sunt omnes illi, nisi Gregales sui, Haeretici Viri? Et quinam sunt isti Cordatiores Pontificii, praeter unum Du-Pinium, quem ipse laudat? At nec Du-Pinius ipsam omnino rejicit, sed dubiam tantum habet, nec inter Pontificios merito recenseri debet. Quod autem ea, quae in hac Epistola narrantur, *incredibilia* Caveo videntur; *& piam fraudem, & ineptum Monachorum ingenium, & zelum manifesto sapere:* mirum non est, cum nec ea *Testimonia*, quae, Propheta testante, *credibilia facta sunt nimis*, apud ipsum fidem invenerint; & vetus sit Haereticorum cacoëthes, Monasticum statum maledictis proscindere. Quae adversus Monachos Ariani egerint, habemus ex D. Athanasio (g), & ex Rufino. (h) Similia de Donatistis refert D. Augustinus. (i) Jovinianus quoque Virginitatis, & Continentiae statum deprimebat, contra quem duos libros scripsit S. Hieronymus, qui extant Tomo 4. ejus Operum *Parte secunda a col.* 144.

TESTIMONIUM II.

S. Jacobus Apostolus, Frater Domini appellatus, Primus Hierosolymorum Episcopus, circiter Annum LX.

Commemorantes [inquit in sua Liturgia (k)] *Sanctissimam, Immaculatam, Gloriosissimam Dominam nostram, Matrem DEI, & semper Virginem Mariam.* Rursus: *Commemorationem agamus, Sanctissimae, Immaculatae, Gloriosissimae, Benedictae Dominae nostrae &c.* Et iterum: *Praecipuè Sanctissimae, Immaculatae, super omnes Benedictae, Gloriosae Dominae nostrae &c.* Iterumque: *Dignum est, ut te vere Beatam dicamus*

(b). *Cap.* 8. *num.* 22. *col.* 236. *Appendic. tom.* 6. *Operum S. Augustini.*
(c) *Comment. in Psal.* 21. *tom.* 16. *Bibl. PP.*
(d) *Pag.* 167. *tom.* 2. *suorum Operum.*
(e) *Lib. de Fide contra* Manichaeos *cap.* 38. *col.* 33. *Appendicis tom.* 8. *hic enim liber revera non est D. Augustini.*
(f) *Epist.* 4. *pag.* 31.
(g) *In Historia Arianorum, ad Monachos. num.* 72. *pag.* 388. *par.* 1. *tom.* 1. *edit.* Paris. anno 1698. *Ex Recensione Benedictinorum S. Mauri.*
(h) *Lib.* 2. *Historiae Eccles. cap.* 3. *pag.* 232. *edit.* Paris. an. 1580.
(i) *Lib.* 3. *contra litteras* Petiliani *cap.* 40. *num.* 48. *col.* 321. *tom.* 9.
(k) *Extat initio par.* 1. *tom.* 2. *Bibl. Maximae PP. ubi illae commemorationes sunt pag.* 3. *col.* 1. *& pag.* 4. *col.* 1. *& pag.* 6. *col.* 2. *Et initio tom.* 2. *Bibl. PP. GL. ubi illae commemorationes sunt pag.* 5. 6. 16. *&* 22.

dicamus Deiparam, semper Beatam, & omnibus modis Irreprehensam, seu *Immaculatam*, ***& Matrem DEI nostri***, ***honorabiliorem***, *quàm Cherubim*, *& gloriosiorem*, *quàm Seraphim.* Et demum: *Sanctissimæ*, *Intemeratæ*, *Gloriosissimæ*, *Benedictæ Dominæ nostræ &c. memoriam celebrantes.*

190. ANnon hæc elogia, quibus, in Sacrosancto Missæ Ministerio, primitus instituto, B. Virgo toties invocatur, *Sanctissima*, *Immaculata*, *Intemerata*, *super omnes Benedicta*, *semper Beata*, *omnibus modis Immaculata*, *Gloriosior*, *quàm Seraphim &c.* mirifice nobis insinuant, quæ fuerit, ab ipsis temporibus Apostolicis, de ejusdem B. Virginis singulari Sanctitate, & Puritate, nulla unquam Labe temerata, apud Viros Apostolicos, & primos illos CHRISTI Fideles existimatio? Enim vero, qua veritate, & proprietate B. Virgo, *super omnes Benedicta* diceretur, quæ primordiali Maledicto subjecta fuit? Aut *semper Beata*, quæ infelicissimum Conceptum sortita est? Vel *omnibus modis Immaculata*, si Originalem Maculam secum traxit? Vel *Honorabilior quàm Cherubim*, *& Gloriosior*, *quàm Seraphim*, si sub Diaboli potestate aliquando jacuit?

191. Apostolicam S. Jacobi Liturgiam, in hujuscemodi *Sanctissimæ*, *& Immaculatissimæ DEI Genitricis* commemorationibus, constanter imitantur reliquæ omnes, Orientalis Ecclesiæ Liturgiæ; quæ ex illa, tamquam ex fonte dimanarunt, ut de celeberrimis Sanctorum Basilii, & Chrysostomi Liturgiis testatur S. Proclus, Episcopus CP. infra laudandus.

192. In Liturgia, seu Missa S. Basilii Magni, ex vetustis Codicibus latinæ interpretationis descripta, *(l)* ter, & quater fit commemoratio, *DEI Genitricis*, *& semper Virginis Mariæ*, cum his titulis, *Sanctissimæ*, *Intemeratæ*, *Benedictæ*, *Impollutæ.* Et in alia, ejusdem Basilii nomen præferente, Liturgia, [plurium S. Basilii Liturgiarum meminit Cardinalis Bona *lib. I. Cap. IX. num. 2. pag.* 78.] *Alexandrina* nuncupata, (*m*) commemoratio legitur *Sanctissimæ*, *Immaculatæ*, *Benedictionibus cumulatæ*, *Dominæ nostræ Deiparæ*, *& semper Virginis Mariæ.* In Liturgia quoque S. Johanni Chrysostomo adscripta, (*n*) totidem vicibus resonat Invocatio, seu Commemoratio, *Sanctissimæ*, *Impollutæ*, *Intemeratæ*, *Immaculatæ*, *super omnes*, sive *super omnem modum Benedictæ*, *Gloriosæ Dominæ nostræ*, *Deiparæ*, *& semper Virginis Mariæ.* De Liturgia S. Basilii scripsit Petrus Diaconus, ineuntis Sæculi VI. Auctor: *(o) Quam pene universus frequentat Oriens.* Hodie tamen Græci [ut ait Card. Bona (*p*)] Liturgia S. Basilii, certis dumtaxat quibusdam diebus utuntur; reliquo anni tempore, Liturgiam S. Chrysostomi in usu habent.

193. In Bibliotheca tum Græco-Latina, tum Maxima Patrum *Tomo* 2. exhibetur Liturgia quædam sub nomine S. Marci, quæ licet revera S. Marci non sit, cum tamen e vetere Codice *Ms.* eruta fuerit [studio Cardinalis Sirleti] olim usurpata videtur in aliquibus Ecclesiis, præsertim Ægypti. In hac etiam observamus (*q*) Commemorationem *Sanctissimæ*, *Intemeratæ*, *& Benedictæ Dominæ nostræ*, *DEI Genitricis*, *& semper Virginis Mariæ.* Extat insuper in *Bibl. Max. PP. Tomo XXVII.* alia Liturgia, qua Æthiopes uti dicuntur; ubi similiter (*r*) B. Virgo invocatur, *Immaculata* vere *Regina*, *Gloria nostrorum Parentum*; & iterum, iterumque, *Sancta*, *& Immaculata.* Demum Maronitæ in sua Missa (*s*) memoriam faciunt, *Scienter*, *& nominatim Sanctæ*, *& Laudabilis Virginis*, *& in omni tempore Beatæ*, *Genitricis DEI Mariæ.*

194. Ex quibus compertum habemus, Titulos istos, summam, & omnimodam Sanctitatem, ac Puritatem præ se ferentes, a temporibus Apostolicis, in Actione omnium Sacratissima incruenti Sacrificii, ab Orientali Ecclesia B. Virgini perpetuo esse attributos.

195. Non hic disputo, utrum Sanctus hic Jacobus, Primus Hierosolymorum Antistes, sit unus ex duodenario Apostolorum numero, qui Jacobus Alphei nominatur in Evangelio, & Jacobus Minor dicitur, ad differentiam Jacobi Majoris, Fratris Johannis; an vero sit alius, ab utroque Jacobo diversus, ut late contendit P. Godefridus Henschenius. (*t*) Utrumvis enim dicamus, allegati Testimonii firmitas, inconcussa manet. Siquidem Jacobus noster & in Concilio Apostolorum [Act. XV.] Sententiam tulit, quam Apostoli, & Seniores secuti sunt; & Epistolam Catholicam scripsit, quam ut Canonicam amplexa est Ecclesia. Sed oportet, Liturgiam istam huic nostro Jacobo adserere.

VINDICATIO LITURGIÆ S. JACOBI.

196. LIturgiam, quæ Græce, & Latine simul, & seorsim, sub Jacobi, Primi Hierosolymorum Antistitis, nomine, sæpius edita est; Recentiores Hæretici, præsertim Casaubonus, Cocus, & Rivetus apud Allatium, necnon Guillelmus Cave in sua Historia Litteraria ad annum XXXI. pag. 10. tanquam Spuriam [verius tanquam suis Dogmatibus adversam] tota vi refellere conantur. Ex Catholicis, præter Natalem Alexandrum, (*u*) rarus est, qui eam omnino rejiciat: Plurimi Jacobo adjudicandam censent,

(l) *Extat in ejus Operibus, a pag. 567. edit.* Antverp. *an. 1616. ex Recensione* Andreæ Scoti, *& a pag. 856. edit.* Paris. an. 1603. *& paulo diversa pag. 42. tom. 2. Bibl. GL. PP.*

(m) *Extat pag. 674. tom. 2. Oper. S. Basilii edit.* GL. Paris. ann. 1722. *Ex Recensione* Juliani Guarnieri Benedictini.

(n) *Extat pag. 66. tom. 2. Bibl. GL. PP. & pag. 780. tom. 12. Oper. S. Chrysost. postremæ edit.* Gl. an. 1731.

(o) *In lib. de Incar. & Gratia cap. 8. col. 279. inter Opera S. Fulgentii.*

(p) *Lib. 1. de rebus Liturgicis cap. 9. n. 3. pag. 78.*

(q) *Pag. 34. & pag. 12.*

(r) *Pag. 626. 631. & 633.*

(s) *Apud* Card. Bona *lib. 2. de rebus Liturgicis cap. 12. n. 2. pag. 622.*

(t) *In Actis Sanct. Maji in Comment. prævio ad Vitam S. Jacobi §. 4. pag. 24.*

(u) *Tom. 3. Histor. Eccles. I. Christi Sæculo cap. 12. art. 3. pag. 39. & seq.*

etsi non negent, quædam, pro temporis opportunitate, fuisse illi deinceps adjecta. Ex hujus Liturgiæ Defensoribus, speciali mentione digni sunt Leo Allatius, Græcæ eruditionis scientissimus, (x) Johannes Cardinalis Bona, in rebus Liturgicis apprime versatus, (y) & R.P. Honoratus a S.Maria, Carmel. Discalceatus, intemperantis critices Moderator, (z) qui & ait: *Inter Viros Doctissimos receptum esse debere, Liturgiam Jacobo attributam in more fuisse primorum Sæculorum.* Quod confirmare possumus ex Commemoratione, quæ ibi fit, *Christianorum, in vinculis, & custodiis detentorum, Captivorum, Exulum, Eorum, qui ad metalla, & supplicia damnati sunt, & qui in dura servitute agunt, Patrum, & Fratrum nostrorum.* Hinc enim colligimus, Liturgiam istam, Persecutionum tempore usurpatam fuisse.

197. Validissimum quoque, pro hujus Liturgiæ Apostolicæ veritate, argumentum est, constans Orientalis Ecclesiæ Traditio. Et primo S.Justinus Philosophus, & Martyr, post Apostolica tempora, primus eorum, quorum scripta ad nos pervenerunt, Palæstinus genere, & diu in Hierosolymitana Ecclesia commoratus; in Apologia pro Christianis ad Imperatorem Antoninum Pium, (a) attingit ritus, quos, sua ætate, Christiani, sacris operantes, servabant; quos quidem in Liturgia S.Jacobi, primi Hierosolymorum Episcopi, descriptos videmus.

198. Secundo S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, qui anno CHRISTI 365. claruit, in sua Catechesi Mystagogica quinta, (b) hujusmet Liturgiæ, etsi tacito nomine S. Jacobi, preces, & ritus explanat, & post explanationem monet, *Retinete has Traditiones.* Unde autem hæc Traditio Liturgiæ ortum habuerit, expresse declarat S. Epiphanius, Scriptor ejusdem Sæculi quarti, (c) ubi ait, Apostolos fuisse *Mysteriorum Duces, una cum Jacobo Fratre Domini, ac primo Episcopo Hierosolymorum. Duces mysteriorum*, intelligit Institutores rituum, quibus Divina Mysteria celebrarentur.

199. Tertio S. Proclus Patriarcha Constantinopolitanus [qui anno CHRISTI 430. floruit, & cujus magno cum honore meminit S. Cyrillus Alexandrinus in Expositione Symboli Niceni,] in libro de Traditione Divinæ Liturgiæ (d), ut rem indubitatam tradit, quod *Inter eos, qui Mysticæ Liturgiæ Expositionem in scriptis relictam, Ecclesiæ tradiderunt, facile primum locum obtinent Clemens Apostolorum Principis Discipulus &c. & D. Jacobus, is, cui Ecclesiæ Hierosolymitanæ administratio sorte obvenit, ejusque primus Episcopus a Summo & Maximo Pontifice, Christo Domino nostro, constitutus est. Postea vero Basilius Magnus &c. Paulo post, S. noster Pater, Johannes,* [scilicet Chrysostomus] *&c.* Unde & Leontius Byzantinus Monachus, proxime sequentis Sæculi Scriptor, Theodorum Episcopum Mopsuestenum, primum Nestorianæ Hæresis parentem, acriter reprehendit (e), quod *aliam Missam effutivit, præter illam, qua Patribus tradita est Ecclesiæ, neque reveritus illam Apostolorum, nec illam Magni Basilii, in eodem spiritu conscriptam.* Ad hunc Theodorum, antea Monachum, & status monastici turpem Desertorem, extant duæ gravissimæ S. Johan. Chrysostomi Parænefes. (f)

200. Quarta Synodus Quini-sexta, Trullana nuncupata, quòd in Trullo Palatii Imperialis fuerit celebrata, anno 692. ex D. Jacobi Liturgia probat adversus Armenos, vinum aqua miscendum esse in Missæ Sacrificio (g): *Nam*, inquit, *& Jacobus, Christi Domini nostri, secundum Carnem Frater, cui Hierosolymitanæ Ecclesiæ thronus primùm est creditus; & Basilius, Cæsariensium Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus gloria omnem Terrarum Orbem pervasit; mystico nobis in Scripto tradito Sacrificio, ita consecrandum in Divina Missa, ex aqua, & vino Sacrum Calicem tradiderunt.* Et frustra reclamat Natalis Alexander, *hanc Synodum nec Ecclesiæ universæ consensu, nec Sedis Apostolicæ judicio approbatam fuisse.* Non enim hic agimus de aliquo Fidei Dogmate, vel Disciplinæ Præcepto stabiliendo; sed illos CCXI. Episcopos diversarum Nationum, tanquam Testes idoneos Ecclesiasticæ Traditionis producimus; quæ Traditio si nutasset, ab Armenis redargui facile potuissent. Alii quoque veteres Scriptores Græci, apud Allatium, ex eadem Liturgia auctoritates eruunt ad quædam Catholicæ Fidei Dogmata comprobanda.

201. Quinto denique, Græcæ Ecclesiæ Menologium, Auctoritate Basilii II. Imperatoris, decimo CHRISTI Sæculo vulgatum (h), die XIII. Octobris, in Elogio S. Jacobi, Fratris CHRISTI, hæc enuntiat: *Jacobus Sanctus, primus Hierosolymorum Episcopus ab ipso Christo renuntiatus, & primus ab eodem edoctus, Divini Sacrificii rationem composuit; quam latius fusam, postea Basilius Magnus, & post hunc, Chrysostomus, Hominum infirmitati consulentes, compendiariam tradidere.*

Cum Græcis consentiunt & Syri; quorum unus, Johannes Marcus nomine, labentis Sæculi VI. Scriptor, Commentarium scripsit lingua Syriaca in S. Jacobi Liturgiam, in quo animadvertit, Traditionem hanc ab Apostolorum temporibus servatam fuisse; ut refert Abrahamus Ecchellensis. (i)

202. Ex hac igitur, tot Testibus comprobata Traditione, liquido apparet, aliquam fuisse S. Jacobi

(x) *Epist.* 1. *ad* Bartholdum Nihusium, *inter ejus* Symmicta *lib.* 1. *a pag.* 176. *edit.* Coloniæ Agripp. an. 1653.

(y) *Lib.* 1. *de rebus Liturgicis cap.* 8. *num.* 3. *a pag.* 70. *edit.* Paris. an. 1676.

(z) *Tom.*3. *Observat. in regulas, & usum Critices lib.*5. *dissert.*3. *art.*2. §.4. *& seqq. a pag.*123. *edit. Latin.*

(a) *Apolog.* 2. *prope finem pag.* 32. *par.* 1. *tom.* 2. *Bibl. PP.*

(b) *A Pag.* 538. *tom.* 4. *Bibl. PP.*

(c) *Heresi* 79. *contra* Collyridianos *pag.* 335. *edit.* Paris. an. 1566.

(d) *Pag.* 627. *tom.* 6. *Bibl. PP.*

(e) *Lib.* 3. *contra* Eutychianos, *&* Nestorianos *nu.* 18. *pag.* 697. *tom.* 9. *Bibl. M. PP.*

(f) *Extant initio tom.* 1. *suor. Oper. postremæ edit. ex Recens.* Bern. de Montfaucon.

(g) *Canone* 32. *col.* 1362. *tom* 7. *Conciliorum.*

(h) *De hoc Menologio agendum est Act.* 3. *Elogium istud refertur etiam ab* Henschenio §. 3. *loco a nobis cit. sub n.* 195.

(i) *In Notis ad Hebediesu, de Scriptoribus Chaldaicis pag.* 135. *ut refertur a* Card. Bona.

cobi Liturgiam, sive scriptis editam, sive oretenus, & facto traditam, & ab ejus Discipulis postea litteris consignatam. Quod vero Liturgia ista, quæ Jacobi nomine insignita apud nos extat, alia sit ab illa S. Jacobi Liturgia, Veteribus nota, & vice illius a quopiam recente Impostore supposita: non nisi per summam temeritatem diceretur. Quandoquidem hæc Liturgia, quam præ manibus habemus, ex antiquis Mss. Jacobi nomen præferentibus, eruta est; & notas omnes habet, quas de Liturgia S. Jacobi nobis Veteres reliquerunt.

203. Contraria Sectariorum argumenta, [quibus plane utitur Natalis Alexander] id summùm probant, paucas quasdam additiones genuinæ S. Jacobi Liturgiæ, decursu temporis obtigisse. Sed *num propterea* [inquit Allatius] *tota machina ruit*; *aliusque Liturgiæ Auctor quærendus est?* An ideo [ait Card. Bona] Pentateuchum Moysi tribuendum non erit, quia in fine Deuteronomii, ipsius mors, & sepultura ab alio Scriptore edita est? Idem est de libro Josue, qui & ab ipso Josue conscriptus perhibetur, & in fine, ejusdem Josue mortem, & sepulturam refert. Cæterum, ut innotescat, quàm infirmis molitionibus, Sacræ Antiquitatis Monumenta convellere nitantur, qui Critici audire volunt; argumenta illa ad trutinam revocemus.

204. Arguunt primo: Nomen, θεοτόκος, id est *Deipara*, in ea Liturgia B. Virgini attribuitur. Hoc autem nomen ante Concilii Ephesini tempora infrequens erat; nec Concilium illud, cum alias pro hoc nomine proferat auctoritates, ejus Liturgiæ mentionem ullam fecit.

205. Contra: Frequentissimum jam olim fuisse Deiparæ nomen, prætermissis, Liturgiis S. Basilio, & S. Chrysostomo adscriptis, in quibus sæpe recitatur, apertissime constat ex Patribus, Concilio Ephesino longe Antiquioribus. Magnus Athanasius octies ad minus in suis scriptis Deiparam nominat: (*k*) Eusebius Cæsariensis, duplici in loco, Deiparæ titulum, MARIÆ adjungit: (*l*) & multo ante, Origenes Adamantius, & S. Methodius Martyr, Patarensis Episcopus (*m*) B. Virginem pleno ore DEI Matrem nuncupaverant. S. Gregorius Nazianzenus, non tantum Deiparæ nomen usurpat, verum etiam Fidelibus omnino credendum pronuntiat: (*n*) *Si quis*, inquit, *Sanctam Mariam*, *Deiparam non credit*, *extra Divinitatem est.* Unde merito Socrates, Eusebio, & Origene citatis, ajebat: (*o*) *Itaque Nestorius videtur veterum lucubrationes penitus ignorare*, *& ob eam causam, hanc Virginem*, *Deiparam ... insectatur*.

206. Nec tantum a Patribus, verum etiam a Populo Christiano hoc Deiparæ nomen frequentatum esse; colligitur ex Leontio Byzantino, qui de Theodoro Mopsuesteno, primo hujus nominis aggressore, narrat, (*p*) quod, *Cum ausus esset vocem* θεοτόκον, *id est Deiparam vituperare, ira inde totum contra se Populum commovit.* Et Evagrius, insolentissimæ Novitatis arguit Nestorium, (*q*) quod *Vocem hanc, Deiparam, a multis lectis*, *spectatisque Patribus fabricatam*, *repulit*, *atque adeo rejecit*, *& vocem Christiparam*, *ab se veteratore affictam*, *& conflatam*, *ei opposuit.* Eandem Novitatem in Nestorio reprehendens Theodoretus, usum hujus vocis, *Deiparæ*, ab Apostolis traditum censet: (*r*) » Primus, » *inquit*, initæ Novitatis gradus fuit, non oportere Sanctam Virginem, quæ DEI Verbum » peperit, quod ex ea Carnem suscepit, Deiparam confiteri, sed Christiparam dumtaxat; » cum tamen antiquissimi Orthodoxæ Fidei Prædicatores, juxta Traditionem Apostolicam, » Deiparam docuerint nominare, & credere Domini Matrem. »

207. Quod Patres Concilii Ephesini ejus Liturgiæ auctoritatem Nestorio non objecerint; mirum non est, cum neque Methodii, Origenis, Eusebii, & aliorum fortasse Antiquiorum Testimonia protulerint. *An necesse fuerit*, inquit Allatius, *omnes omnium Patrum*, *ubicunque essent locorum*, *libros habuisse præ manibus illos Patres*, *notasse*, *laudasse? Indicârunt*, *quæ illis peropportuna visa sunt*, *reliqua*, *vel non observârunt*, *vel observata prudenter neglexerunt.* Sane Petavius *lib. XIV. de Incarnatione cap.* 15. *num.* 3. advertit, se *lib. III. cap.* 6. ad duas in CHRISTO Naturas affirmandas adduxisse Antiquissimorum Patrum suffragia, Clementis Romani, Ignatii Martyris, Justini, Irenæi, Clementis Alexandrini, Hippolyti Martyris, Origenis; quorum tamen nemo in Concilio Chalcedonensi est auditus.

208. Ratio quoque illius silentii Patribus esse potuit, vel quòd jam noverant, Theodorum, Nestorianæ Sectæ Ducem, Liturgias omnes abrogasse, novasque suo arbitrio induxisse; ut nuper accepimus a Leontio. Vel quòd D. Jacobi Liturgia fuerit hebraice primùm conscripta: [ut merito censet Allatius] unde poterat Nestorius cavillari, vocem illam hebraicam non recte exprimi per Græcam, θεοτόκον.

209. Arguunt secundò: Vox etiam ὁμοούσιος, id est *Consubstantialis*, in eadem Liturgia Verbo Divino, & Spiritui Sancto apponitur. Hæc autem vox ante Concilium Nicenum non erat consecrata usu solemni Ecclesiæ, licet aliqui Patres ea usi fuissent. Addunt & nomen *Vivificantis*, Spiritui Sancto in ea Liturgia attributum; quod in Concilio Constantinopolitano primo usurpatum est. Et cur, inquiunt, Patres agentes contra Arium, & Macedonium tam illustre

(k) *Orat.* 3. *contra* Arianos *pag.* 563. 579. 583. *& Orat.* 4. *pag.* 642. *par.* 1. *tom.* 1. *& lib. de Incarnat. & contra* Arianos *pag.* 875. *&* 889. *& lib.* 1. *contr.* Apollinarium *pag.* 924. *&* 932. *par.* 2. *tom.* 1.

(l) *In Vita* Constantini *lib.* 3. *pag.* 896. *edit.* Basileensis an. 1579. *& Comment. in Psal.* 109. *pag.* 703. *tom.* 1. *Collectionis Novæ PP. Græcorum*, Eusebii &c. *edit.* Gl. Paris. an. 1706. *ex Recens.* Bernardi de Montfauçon.

(m) *Orig. hom.* 1. *in diversos pag.* 274. *par.* 2. Meth. *hom. de* Simeone, & Anna *pag.* 421. *edit.* Combefisii.

(n) *Orat.* 35. *pag.* 564. *& orat.* 51. *pag.* 738. *edit.* Paris. an. 1630.

(o) *Lib.* 7. *Hist. Ecclesiast. cap.* 32. *pag.* 369. *tom.* 7. *Bibl. M. PP.*

(p) *Lib.* 3. *cit. n.* 10. *pag.* 695. *tom.* 9. *Bibl. M. PP.*

(q) *Lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 2. *pag.* 962. *tom.* 11. *Bibl. M. PP.*

(r) *Lib.* 4. *Hæreticarum Fabul. n.* 12. *pag.* 245. *tom.* 4. *edit.* Paris. ann. 1642. *ex Versione*, *& Recognit.* Jacobi Sirmondi.

S. Jacobi Testimonium prætermiserunt?

210. Contra: Concilio Constantinop. non indigebat Jacobus, ut Spiritum Sanctum, *Vivificantem* appellaret, qui in Scripturis hoc verbum expressum habebat: Job XXXIII. 4. *Spiraculum Omnipotentis vivificavit me.* Joh. VI. 64. *Spiritus est, qui vivificat.* II. Cor. III. 6. *Spiritus autem vivificat.* Præterea, si absque ductu Concilii Niceni, *Ex antiquis quidam eruditi, clarique Episcopi, atque Scriptores, circa Patris, & Filii Divinitatem, Consubstantialis nomine usi sunt*, ut apud S. Athanasium jam citandum fassus est Eusebius Cæsariensis; quare non potuit hoc eodem nomine uti S. Jacobus, qui ab ipso CHRISTO audierat: [Joh. X. 30.] *Ego, & Pater unum sumus?* Quod autem vox, ὁμοούσιος, ante Nicenum Concilium, non solum perspecta fuerit Patribus; verum etiam Sacrosancta, & Intemeranda, observare licet in Epistola S. Athanasii ad Afros Episcopos (s), ubi narrat, quod *Prisci Episcopi, ante annos prope centum, & triginta, cum magnæ Romæ, tum etiam nostræ Urbis, scriptis suis eos culpaverunt, qui Filium rem factam, & Patri non Consubstantialem dicerent.* Cur autem Patres illi, ejus Liturgiæ Testimonio usi non sint; responsio patet ex dictis pro voce θεοτόκος.

211. Arguunt tertiò: In ea Liturgia canitur Trisagium, id est ter sanctus Hymnus. Trisagium autem circa tempora Felicis III. anno 483. in Pontificem assumpti, cantari cæpit in Ecclesia, quæ illud ab Angelis didicit anno 446.

212. Contra: Trisagium est duplex: Alterum, in quo ter Sanctus dumtaxat repetitur, scilicet *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus:* Alterum, in quo voci *Sanctus*, ter repetitæ, alia vox additur, videlicet: *Sanctus DEUS, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nostri.* Trisagium primi generis non aliunde Ecclesia didicit, quam ab Isaia *cap.6. ver.3.* qui Seraphim vidit *clamantia, & dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus &c.* Illud tam Græca, quam Latina Ecclesia ab immemorabili tempore in divinis Mysteriis cantare consuevit. Hujus perantiqui Ritus meminit S. Johannes Chrysostomus: (t) *Cogita*, inquit, *cum quibus stes temporε illorum mysteriorum, cum Cherubim, & Seraphim &c. Quomodo ergo poteris cum illis dicere*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, *qui ore usus es ad Contumeliam.* Meminit quoque Auctor libri *de Fide sua*, creditus Athanasius: (u) *Sicut*, inquit, *in Mysteriis ore nostro dicimus, ita Conscientia teneamus, Sanctus, Sanctus, Sanctus DEUS Omnipotens.* Et S. Cyrillus Hierosolymitanus, in laudata Catechesi Mystagogica quinta, rationem affert, cur istud Trisagium in sacris Mysteriis recitemus: *Commemoramus*, ait, *etiam illa Cherubim, quæ in Spiritu Sancto cernebat Isaias, circumstantia Thronum DEI &c. atque dicentia:* Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabaoth: *Propterea enim traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa Cœlesti Hymnodia, cum supermundana Militia communicemus &c.* Qui Patres uno saltem Sæculo Felicem III. præcesserunt.

213. De solo Trisagio secundi generis potest esse difficultas. Narrat quippe Nicephorus Callistus, (x) quod, cum Byzantini, vehementi terræmotu præterriti, [qui plurimas Orientis Urbes, Constantinopolim præsertim anno 446. per sex menses concusserat, atque devastaverat] in campo extra urbem unà cum Imperatore Theodosio Juniore, & Patriarcha Proclo, Litaniis, & Supplicationibus dediti, collacrymarent; » Subito e medio, inspectantibus omnibus, divina quadam vi, Puer in aërem sublimis » ad cœlestem usque tractum, ita ut jam non » appareret, sublatus, divinam vocem, qua » Angelis DEUM laudibus ferre, mos est, audivit; eaque voce percepta, rursum priore per » aërem via reversus descendit, & Episcopo » Proclo, ipsique Imperatori, & multitudini » omni ...... ab Angelis canentibus se verba hæc » audivisse renuntiavit: *Sanctus DEUS, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere nostri.* Quæ ubi Proclus intellexit, statim ad » eum modum, Populum psallere jussit; & » terræmotus statim etiam constitit, omninoque » quievit. Imperator porro, & inter Fœminas » admiratione omnium digna, Pulcheria, tanto periculo perculsi, constitutione Imperiali » confestim, ut per Orbem omnem divinus » Hymnus iste concineretur, decreverunt. Ex » eo tempore Ecclesia CHRISTI eum acceptum, » non quolibet tantum die usurpat, sed etiam » cujuslibet carminis, & laudis DEI initio, ante omnia pleno ore præmittit. »

214. Verùm tota hæc historia non evincit, Trisagium istud ante id tempus fuisse Ecclesiæ penitus ignotum; sed tantum probat, in usu frequenti apud Populum non fuisse; atque ab Angelis, uti præsentissimum remedium ad DEI iram avertendam, fuisse revelatum: Et hoc dumtaxat eruitur ex illa Epistola Felicis Papæ ad Petrum Fullonem sive Cnapheum, a Natali Alexandro allegata. (y) Ibi enim cum scripsisset Pontifex, quod » Non ex humana traditione, sed ab Angelis, nobis laus ista profluxit: qui ante Crucem (*hoc est ante Christi Passionem, & Mortem*) dicebant, Sanctus, » Sanctus, Sanctus, sicut respicere Isaias meruit; post Crucem vero cum laude clamabant, » Sanctus DEUS, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis. *Postea subjungit:* Denique cum Terræmotu Constantinopolis quateretur, Populusque in campo oraret, infantulus &c. Quam » (*scilicet laudem*) ubi Populi incæperunt, » Civi-

(s) *Num.6. extat hæc Epist. par.896. par.2. tom.1. Oper. S. Athan. edit.* Paris. GL. an.1698. *Ex Recens. Benedictinorum: & apud* Theodoretum *lib.1. Hist. Ecclesiast. cap.7. pag.543. edit. cit. Vide etiam epist. S. Athan. de Synodis* Arimini, *&* Seleuciæ *n.43. pag.757. ibid.*

(t) *Hom. 14. in epist. ad Ephes. pag. 108. tom. 11. edit. cit.*

(u) *Pag. 631. tom. 2. Oper. S. Athan. edit.* GL. *Benedictinor.*

(x) *Lib. 14. Hist. Ecclesiast. cap. 46. a col. 927. edit.* Francofurt. an. 1588.

(y) *Extat hæc epist. col. 158. tom. 5. Concilior.*

„ Civitatem receperunt, Deoque per hujusmodi „ laudem propitio facto, ab imminenti ira liberati sunt. „

215. Immo Nicephorus ipse, ut Theopaschitas arguat, Trisagio hanc clausulam, *Qui crucifixus est pro nobis*, cum Fullone, pravè adjicientes; (z) *Ter sanctum*, inquit, *porro carmen id, ut apparet, & mihi videtur, jam inde ab Apostolis, etiam ante Theodosii Junioris, & Procli Patriarchæ tempora per manus Ecclesiæ traditum est &c.* Additque, eum, qui carmen hoc primus composuit, ab Angelis mutuatum esse illud, *Sanctus, Sanctus, Sanctus:* quod vero sequitur, a Davide accepisse, qui dixit psalmo XLI. 3. *Sitivit Anima mea ad DEUM Fortem Vivum*; hac dumtaxat dictione, *Vivus*, in ejusdem significationis vocem, *Immortalis*, commutata. Certe Trisagium istud legitur in Liturgia citata S. Basilii Magni, qui claruit anno CHRISTI 370.

216. Arguunt quarto: Hujus Liturgiæ contextus pluribus Sententiis, ex Epistolis Pauli decerptis, ornatus est. Constat autem, multas ex iis Epistolis post Martyrium S. Jacobi fuisse conscriptas.

217. Contra: Post diligentem inquisitionem, tres dumtaxat, vel quatuor Pauli Sententiæ, cum aliqua etiam verborum variatione, & additione, in hac Jacobi Liturgia mihi occurrerunt; & illæ quidem desumptæ ex prima Epistola ad Corinthios *cap.2. v.9. &* 10. *& cap.11. v.* 25. *&* 26. & ex secunda ad eosdem *cap.13. v.13.* Istæ vero Epistolæ conscriptæ sunt anno CHRISTI 57. & 58. [ut ad eos annos probat Card. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis num. II. & num. XXXVI;] ac proinde septem, vel sex annis ante Martyrium S. Jacobi, quod contigit septimo Neronis anno, [ut scribit S.Hieronymus in Catalogo] hoc est anno CHRISTI 64. Potuit ergo Jacobus Sententias aliquas ex his Epistolis decerpere, sicuti & Petrus *Epist.2. cap.3.* generatim citavit Epistolas Pauli.

218. Arguunt denique quinto: [hoc argumentum omisit Natalis Alexander] In ista Liturgia recitantur preces pro degentibus in Monasteriis, quæ eo tempore constituta non erant; & fiunt commemorationes de Confessoribus, quod nomen longo post tempore fuit usurpatum.

219. Contra: Hoc posterius de Confessoribus, imperitissime objicitur. Cardinalis Baronius, Ecclesiasticæ Antiquitatis peritissimus, in Notis ad Martyrol. Rom. die 2. Januarii lit. *b.* „ Sciendum est, *inquit*, diversa admodum significatione a præsentis temporis usu, hanc „ vocem a Majoribus usurpatam. Illi enim neminem eo nomine *(Confessoris)* appellabant „ nisi eum, qui CHRISTI Fidem, interpellatus coram Fidei Hostibus confessus esset. Si „ vero aliquod genus tormentorum esset expertus, nec tamen Martyrio occubuisset, tunc „ & Martyr vocatus, idemque aliquando etiam „ dictus reperitur Confessor, quod scilicet non„ dum Martyrium consummasset. Licet si vim „ harum vocum expendas, eædem sint; nihilo minus tam apud Tertullianum, quam etiam Cyprianum, & alios plerosque Antiquorum, eo sensu, quo diximus, eas voces accipi consuevisse, perspectum satis, exploratumque habetur. Obtinuit postmodum usus, „ ut omnes, qui sancta, & laudabili vita vixissent, sanctoque demum, ac probato fine „ in Domino quievissent, Confessores appellarentur. „ In eam rem citat Baronius non paucas S. Cypriani Epistolas; sed & plures citare poterat, quæ vel *ad Martyres, & Confessores* sunt inscriptæ, vel de iis tractant.

220. Quod vero de degentibus in Monasteriis opponitur, aperte refellitur ex libro Philonis Judæi, patria Alexandrini, *de Vita Theoretica*, id est Contemplativa. (*a*) In hoc libro Vir ille disertissimus cœlestem vitam, & sanctos mores Monachorum, & sacrarum Virginum enucleate describit, quos S. Marcus Evangelista instituit in Ægypto. Et de iis inter alia refert: „ Extra mœnia degere in hortis, aut villis solitarios: & singulos habere sacras ædiculas, „ quæ famnia *(id est honestatis loca)* vocant, „ sive Monasteria, ubi solitarii sanctæ vitæ ministeriis dant operam. Et hoc genus reperiri in „ multis Orbis regionibus, merito ut absolutæ „ probitatis, receptum a Græcis, atque Barbaris, maxime tamen in Ægypto frequentari per præfecturas singulas, præsertim circa „ Alexandriam. „ Scribebat autem Philo eadem ætate, qua S. Marcus Alexandrinam instituebat Ecclesiam; quo etiam tempore S. Jacobus Hierosolymitanam Ecclesiam administrabat: Martyrium enim S. Jacobi uno tantum anno S. Marci mortem præcessit.

221. Centuriatores Magdeburgenses, [quos apostolica Monastici status institutio pupugit] negant, Philonem, de Christianis esse locutum. Sed a tribus antiquioribus, & gravioribus Patribus mendaces arguuntur. Eusebius Cæsariensis (*b*) observat, quod Philo in eo libro, *evidentissime omnia Ecclesiæ instituta complectitur, quæ & tunc tradita sunt, & in hodiernum diem servantur a nobis. Sed & Abstinentium vitas eorum dumtaxat, qui nunc in Ecclesiis, vel Monasteriis degunt, describit ad liquidum.* Ex qua descriptione idem Eusebius, quæ præcipua sunt, decerpens, Istorum voluntariam paupertatem, professionem Castitatis, Solitudinem, Jejunia, Psalmodiam, sacras Lectiones, & Meditationes summatim refert. S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, de Philone loquens, ait (*c*) *Qui horum conversationes, & laudes eorum exequens, & Monasteria ipsorum in vicinia circa Mariam paludem recensens, non de aliis quibusdam narravit, quam de Christianis &c.* Et S.Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiastic. num.XI. [col.106. P.2. T.4.] „ Philo, *inquit*, „ librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in Nostrorum „ laude

(z) *Lib.* 18. *ejusd. Histor. cap.* 51. *col.* 1161. *& seq.*

(a) *Extat pag.* 688. *inter Opera Philonis GL. edita* Coloniæ Allobrogum ann. 1613. *ex interpret.* Sigismundi Galenii.

(b) *Lib.* 1. *Histor. Ecclesiast. cap.* 16. *&* 17. *a pag.* 686. *edit.* Basileensis an. 1579.

(c) *In Panario, hæresi* 29. Nazareorum *post medium pag.* 35.

» laude versatus est: non solum eos ibi, sed in » multis quoque Provinciis esse memorans, & » habitacula eorum dicens Monasteria: ex quo » apparet, talem primùm CHRISTO credentium » fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse » nituntur, & cupiunt &c. »

222. Adjice iis satis gravem, & satis antiquum Auctorem, Johannem Cassianum, ita scribentem: (d) *In primordiis Fidei pauci quidem, sed probatissimi, Monachorum nomine censebantur, qui a beatæ memoriæ Evangelista Marco, qui primus Alexandrinæ Urbi præfuit, normam suscepere vivendi.* Quod utique ex eo Philonis libro accepisse, credendum est. Adjice & Venerabilem Bedam, in Prologo Commentarii in Marcum *col.92. tom.V.* & Nicephorum Callistum lib. secundo *Histor. Ecclesiast. cap.XVI.* quorum alter D. Hieronymi, alter Eusebii sensus, & verba sectatus est. Quapropter merito Concilium Meldense, anno 845. celebratum *Can. IX.* [col.963. Tomi 9. Concilior.] quasi definivit, *Sacrum Monasticum Ordinem a DEO inspiratum, & ab ipsis Apostolis fundatum fuisse.* Unde immerito Sectarii Scripta S. Dionysii Areopagitæ ex hoc capite repudiant, quòd in libro *de Ecclesiastica Hierarchia cap.VI.* [pag.133. edit.Lanzelii] Monachorum Ordinem, mores, & nomen describit, *& Monasticæ Consecrationis Mysterium* exponit. Difficultatem quandam ex Josephi Hebræi libris sibi opponit, & facile diluit Card. Bellarminus *Tom. II. Controversiar. Fidei lib. II. de Monachis cap. V. a n.22.*

223. Hæc erant omnia, quæ contra Liturgiam S. Jacobi opponebant Sectarii. Illas vero splendidas B. Virginis Commemorationes, a nobis allegatas, intactas reliquerunt, excepta *Deiparæ* nomenclatura, quam tam nervose vindicavimus. Et vero, quæ in illis Commemorationibus difficultas esse poterat? B. Virgo non paucis annis, ante Jacobi mortem, ipso præsente, [ut par est credere] ex hac vita migraverat, quippe in Cœlos assumpta, anno Salutis 48. juxta Eusebium, vel anno 57. juxta alios. DEI Genitricis dignitatem, & meritum nemo melius noverat, quam Jacobus. Et danda erat Ecclesiæ norma laudandi, & invocandi in sacris Ministeriis, Redemptoris nostri dilectissimam Matrem, Populique Christiani singulare Præsidium. Cum enim hunc morem Ecclesia constanter observaverit, ab Apostolica Traditione descendisse, fatendum est.

224. Denique, etsi demus, accessiones aliquot Liturgiæ S. Jacobi a Posterioribus factas; ad istas appendices rejici non debent ejusmodi DEI Genitricis Commemorationes, quas alioqui in cæteris omnibus Orientalis Ecclesiæ Liturgiis eodem ferme modo usurpatas videmus. Verissima namque est regula illa, quam omnibus Catholicis probandam exhibet R.P. Honoratus a S.Maria §.VII. pag.132. *Quæcumque in omnibus Liturgiis, eodem modo leguntur, ea ab Apostolo Jacobo, sive scripto, sive traditione, descendunt; de cæteris vero superest dubitandi locus &c.*

225. Hæc tam prolixa Liturgiæ S.Jacobi Vindicatio, Philologis, præsertim Orthodoxis, displicere non debet; in qua plura sacræ antiquitatis monumenta & non nulla Catholicæ Ecclesiæ documenta, modulo nostro, illustrata, & confirmata sunt.

SÆCULUM CHRISTI II.

TESTIMONIUM III.

S. Justinus, Philosophus & Martyr, Anno CL.

Et ex Virgine, Homo genitus, ut qua via a Serpente inobedientia initium sumpsit, eadem via etiam exitium caperet. Eva enim cum Virgo esset, & incorrupta, Serpentis verbo concepto, inobedientiam, & mortem peperit: fide autem, & lætitiâ conceptâ, MARIA Virgo, cum nuntium ei lætum Gabriel Angelus attulisset &c. respondit fiat mihi secundum verbum tuum. (e)

226. QUemadmodum Apostolus II. *Cor. X. 45. & 47.* Primo, & Veteri Adamo, qui mortem attulit, CHRISTUM contraponit secundum & novissimum Adam, qui vitam nobis restituit: Ita frequenter Patres apud Raynaudum in *Glossario Nomenclatoris Mariani (pag.443. Tomi 7.)* Antiquæ, & Primæ Virgini Evæ, quæ via, & instrumentum fuit nostræ perditionis, novam, & secundam Virginem MARIAM contraponunt, quæ nostræ itidem salutis via, & instrumentum fuit. Primus ex hisce Patribus, est S. Justinus, qui Inobedientiam, & Mortem, quæ per Virginem Evam initium sumpsit, per MARIAM Virginem exitium cœpisse, dicit. Qui autem hæc dicit, num credit, illamnet Inobedientiam, & Mortem; quæ per Evam initium, per MARIAM exitium sumpsit; in ipsam MARIAM ex Eva fuisse transfusam?

TESTIMONIUM IV.

S. Irenæus, Episcopus Lugdunensis, & Martyr, Anno CLXXX.

Ipse, (CHRISTUS) *initium viventium factus, quoniam Adam initium Morientium factus est..... Sic autem & Evæ inobedientiæ nodus solutionem accepit per obedientiam* MARIÆ. *Quod enim alligavit Virgo Eva per incredulitatem, hoc Virgo* MARIA *solvit per Fidem.* (f) Et alibi: (g) *Sicut illa seducta est, ut effugeret DEUM; sic hæc suasa est obedire DEO, ut Virginis Evæ Virgo* MARIA *fieret Advocata. Et quemadmodum astrictum est morti Genus Humanum per Virginem: æqua lance disposita Virginalis Inobedientia, per Virginalem Obedientiam. Adhuc enim Protoplasti peccato, per correptio-*

(d) *De Cœnobiorum institutis lib. 2. capit. 5. pagin. 20. tom. 7.*

(e) *In Dialogo cum Tryphone Judæo, Ephesi habito, post medium pag. 95. col. 2. tom. 2. par. 2. Biblioth. Maxima PP.*

(f) *Lib. 3. adversus hæreses* Valentini *cap. 33. pag. 300. par. 2. tom. 2. Biblioth. M. PP.*

(g) *Lib. 5. cap. 19. pag. 353. ibid.*

correptionem Primogeniti emendationem accipiente, & Serpentis prudentiâ devictâ per Columbæ simplicitatem, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti.

227. DUplex utrobique Contrapositum eleganter describitur: Unum Adami mortificantis cum CHRISTO vivificante; alterum Evæ alligantis cum MARIA solvente. Sicut ergo primum contrapositum non patitur, quod CHRISTUS eidem morti obnoxius fuerit, a qua erat alios revocaturus; ita nec secundum pati videtur, quod MARIA eidem nodo fuerit adstricta, qui ab ipsa solvendus erat.

228. De CHRISTO loquens Cassiodorus, (h) recte sic arguebat: *Absque Peccato sine dubio venit, qui erat omnium Peccata soluturus.* Cur & nos, huic Irenæi Sententiæ inhærentes, non possumus similiter arguere: *Absque nodo Culpæ Originalis sine dubio venit, quæ nodum istum erat in aliis solutura?*

TESTIMONIUM V.

Q. Septimius Florens Tertullianus, Ecclesiæ Carthaginensis Presbyter, Anno CXCII.

Sed & hic ratio defendit, quod DEUS imaginem, & similitudinem suam, a Diabolo captam, æmula operatione recuperavit. In Virginem enim adhuc Evam irrepserat Verbum ædificatorium Mortis. In Virginem æque introducendum erat DEI Verbum extructorium Vitæ: ut quod per ejusmodi sexum abierat in Perditionem, per eundem sexum reduceretur in Salutem. (i)

229. PRæmiserat Tertullianus illam S. Andreæ Comparationem, explanatam *num.* 180. Hic autem eamdem Justini, & Irenæi inter Evam, & MARIAM antithesim, altiore [ut assolet] sensu, & sermone persequitur: ne dicere quis audeat, *Verbum Diaboli ædificatorium Mortis*, Ipsam quoque morti addixisse Virginem MARIAM, *in quam introducendum erat DEI Verbum extructorium Vitæ*; adeo ut *in Perditionem abierit*, illa eadem, per quam Genus Humanum *reducendum erat in Salutem.*

SÆCULUM CHRITI III.

TESTIMONIUM VI.

S. Hippolytus, Episcopus Portuensis, & Martyr, Anno CCXX.

Porro autem Area ex lignis, quæ putrescere non poterant, erat ipse Salvator: per hanc enim, putredinis, & corruptionis expers ejus Tabernaculum significabatur, quod nullam peccati putredinem genuit...... Dominus autem a peccato alienus erat, & ex his lignis, putrefactioni non obnoxiis, secundùm Hominem, hoc est ex Virgine, & Spiritu Sancto; intus, & foris, tanquam purissimo Verbi DEI auro circumtectus. (k)

230. QUis non videat, expressum in hac Sententia, DEI Genitricis ab omni Peccati putredine immunitatem? Etenim CHRISTI Salvatoris Tabernaculum, ejus scilicet Humanitas, omnis putredinis, & corruptionis, id est omnis Peccati expers adstruitur: quia ex lignis similiter *putrefactioni non obnoxiis* ædificatum erat. Quænam vero sint hæc ligna, statim declaratur: *Hoc est ex Virgine, & Spiritu Sancto.* Quid ultra desideramus?

TESTIMONIUM VII.

Origenes Adamantius, Clementis Alexandrini Discipulus, Anno CCXXVI.

Hujus itaque Unigeniti DEI dicitur hæc Mater, Virgo MARIA, *digna DEI, Immaculata Sancti Immaculati, una unius, unica unici.* (l) Et infra: *Accipe* [Joseph] *eam sicut commendatum Cœlestem Thesaurum, Deitatis divitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam justitiam.* Deinde: *Audite omnes vos, quæ hæreditatem doloris, & tristitiæ post illam,* [scilicet Evam] *& ex illius condemnatione sumpsistis &c. Audite, quod Virgo in utero accipiet, non ex desiderio partum concipiens: quæ neque persuasione Serpentis decepta est, neque ejus afflatibus venenosis infecta.* Et alibi: (m) *Non indiget* [CHRISTUS] *Patre super terram: Incorruptibilem enim habet Patrem in excelsis. Non indiget Matre in Cœlis: Immaculatam, & Castam habet Matrem in terra, hanc multùm Beatam, Virginem* MARIAM.

231. ILlustria sunt illa Absolutæ Puritatis Elogia: *Immaculata Sancti Immaculati, Deitatis divitiæ, plenissima Sanctitas &c.* Sed longe

(h) *Allegatus Testimonio 16. Art. 1.*

(i) *Lib. de Car. Christi cap. 17. pag. 561.*

(k) *Apud* Theodoretum in Eranifte *Dialogo 1. pag. 36. tom. 4. Et in ejus Operib. in Fragm. pag. 268. vol. 1. edit.* Hamburgi an. 1716.

(l) *Hom. 1. ex decem Homil. in diversos locos novi Testam. in caput 1.* Matt. Cum esset desponsata &c. *pag. 274. par. 2. ejus Oper. edit.* Paris. an. 1604.

(m) *Hom. 3. in caput 2.* Matth. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph. *pag. 280. ibid. Hæ duæ Homiliæ non sunt ex illis, quas* Origeni *adjudicant* Bellarminus, *&* Labbe, *atque* Raynaudus *tom. 11. Erotemate 10. de libris suppositiis §. 2. numer. 248.*

longe illustrius est, quod CHRISTI *Patri Incorruptibili in Excelsis*, respondeat, *Immaculata Mater in Terra.* Quæ vero de MARIA singulariter dicuntur: *Neque persuasione Serpentis decepta est &c.* Ipsam non obscure eximunt ab eo speciatim peccato, quod ex persuasione, & venenosis illius Serpentis afflatibus, in alias Evæ Filias derivatum est.

232. Albertus Pius, non minus Nobilis Carporum Comes, quàm Scriptor eruditus, (*n*) probans contra Erasmum, singularem, & omnimodam MARIÆ Innocentiam; ea quoque laudat Origenis verba: *Digna DEI, Immaculata Sancti &c.* Et: *Quæ neque persuasione Serpentis &c.* Atque subjungit: *Quæ verba non solum illam ab Actuali Peccato immunem fuisse statuunt, verum & ab Originali fuisse præservatam ostendunt.*

233. Sed prætereundum non est, quid Erasmus in *Apologia ad libros Alberti Pii* respondeat: (quidquid alibi scripserit) *Quàm magnifice*, inquit, *secus sentiam de Sacratissima Virgine, declarat Pæan meus, & obsecratio jam toties excusa, præterea Liturgia cum concione, quam edidi: Semperque favi Sententiæ, quæ liberat eam ab omni Peccato; etiam Originali &c.* Pæan iste erat: *Tu felix illa Plantula de Jessea radice subnata, nihil tamen inde genitalium sordium trahens. Tu sacratissimum Pacifici Regis Templum, tam magnificum, ut in eo Rex Olympi præsideret: tam sacrum, ut nulla unquam Peccati Labe potuerit profanari.* Hæc, & alia de Erasmo refert Vener. P. Petrus Canisius *lib. 1. de M. Deipara cap. 8. sub finem; pag. 64. & seq. edit.* Ingolstadii.

TESTIMONIUM VIII.

S. Gregorius, Neocæsariensis Episcopus, Thaumaturgus nuncupatus, Anno CCXXXIII.

Virgo Eva...... ab Auctore omnis mali, Serpente, verbum suscepit, & sic sensu mentis corrupta est; ut per ipsam fraudulentus venenum effundens, mortemque admiscens, in omnem Mundum introduxit: ac propterea omnis Sanctorum ærumna nata est. Verum in sola Sancta Virgine ejus lapsus reparatus est. Et post aliqua: *Cum ipsa totus Gratiæ thesaurus reconditus erat. Ex omnibus enim generationibus hæc sola Virgo, Sancta Corpore, & spiritu extitit.*

Ipse cœlestium omnium Potestatum Dominator, ex omni Creatura te Sanctissimam, & Ornatissimam elegit: & per sanctum, ac castum, purum, impollutum ventrem tuum, fulgidissima Margarita in salutem totius Orbis terrarum progreditur; quoniam & tu Sancta, omni humana natura gloriosior, purior, sanctior que effecta es.

Et quis iste obsignatus est liber, (de quo Isaias XXIX. 11.) *nisi omnino Immaculata Virgo?* Et paulo post: *Missus est Servus incorporeus ad Virginem Inviolatam, atque Immaculatam. Missus est a peccato liber ad eam, quæ omnis corruptionis expers erat.* Et infra: *Qui Evam condemnavit, ejus Filiam* (MARIAM) *tantopere glorificare contendit.*

234. DEcerpta hæc sunt ex tribus Thaumaturgi Sermonibus de Annuntiatione B. V. MARIÆ. (*o*) Primo loco non obscure significari videtur B. Virginis Præservatio a communi lapsu Generis Humani, dum *in ea sola*, præ cæteris Sanctis, *lapsus ille reparatus* dicitur; *eaque sola ex omnibus Generationibus, Sancta Corpore, & Spiritu, extitisse* prædicatur, ab initio scilicet suæ Conceptionis: Quod certe nemini datum est. Secundo loco generalis est Sententia de superlativa Sanctitate, & Puritate DEI Genitricis; & hæc Puritas sæpe inculcatur. Tertio loco eadem B. Virginis Puritas omnimoda commendatur, & Angelorum Puritati æquiparatur: dumque Evæ damnationi, MARIÆ Glorificatio contraponitur, quam longe fuerit MARIA a parentali damnatione, insinuatur.

VINDICATIO SERMONUM S. GREGORII THAUMATURGI DE ANNUNTIATIONE B. V. MARIÆ.

235. SErmones istos esse revera S. Gregorii Thaumaturgi, cujus nomine inscribuntur, Illustrium Criticorum opinio est, Leonis Allatii, (*p*) Theophili Raynaudi, (*q*) Honorati a S. Maria, (*r*) & Gerardi Vossii, qui eos græce in Crypta Ferrata repertos, atque collatos cum Vaticanis, & Sirletanis Mss. Codicibus optimæ notæ, inter opera Thaumaturgi a se collecta, latine edidit. Subdubitant Card. Bellarminus *in libro de Scriptoribus Ecclesiast.* & Natalis Alexander, (*s*) quia Veteres horum Sermonum non meminerunt: fatentur tamen, nullum esse argumentum, quo convinci possit, esse supposititios. At Ludovicus Ellias Du-Pin (*t*) pro virili parte contendit, Sermones istos S. Gregorio Thaumaturgo abjudicandos esse. Dupinum sequitur Casimirus Oudinus, qui & ejus argumenta summatim refert. (*u*) Hæc, quanti ponderis sint, expendamus.

236. Opponit primo Dupinus altum de iis Sermonibus Antiquorum silentium: nec non stilum, a cæteris S. Gregorii scriptis omnino discrepantem.

237. Sed R. P. Honoratus a S. Maria (*x*) demonstrat, neutrum argumentum per se spectatum,

(n) *Lib. 9. ex 23. in locos lucubrationum variarum* Desiderii Erasmi *fol. 129. pag. 2.*

(o) *Pag. 309. 311. & 313. tom. 3. Biblioth. M. PP.*

(p) *In Diatriba de Simeonum scriptis, pag. 92. & 105.*

(q) *In Miscellis Philologicis pag. 551. tom. 13.*

(r) *Tom. 1. Dissert. 3. art. 10. a pag. 308. & tom. 2. lib. 3. Dissert. 1. art. 1. §. 3. pag. 270.*

(s) *Tom. 3. Histor. Ecclesiast. Sæcul. 3. cap. 4. art. 5. n. 6. pag. 612. & seq.*

(t) *In Biblioth. Auctor. trium prior. Sæculorum, sæcul. 3. pag. 572.*

(u) *Tom. 1. de Scriptor. Ecclesiast. ad annum 266. col. 294. & seq.*

(x) *Tom. 1. Dissert. 3. art. 2. §. 1. & seq. a pag. 268. & art. 7. a pag. 293.*

tum, solidum esse, & universale: cùm propter alias rationes, tum maxime quia multa sunt Antiquorum opera, ab omnibus recepta ut legitima, quorum alii Veteres non meminerunt; & quorum stilus valde discrepat, aut discrepare videtur a cæteris, quæ illorum Auctorum creduntur, operibus. Res certe nova non est, quod pro ætatis, & argumenti varietate, stilus Auctoris varietur. Ipsum consule, qui optime notat miram quorundam Criticorum contrarietatem, argumentum ex Veterum silentio petitum, nunc exaltantium, nunc deprimentium; & incredibilem libertatem, qua secundum præjudicatas opiniones, & privatum judicium, de Scriptorum stilo pronuntiant.

238. Opponit secundo voces de Mysteriis Trinitatis, & Incarnationis in eis Sermonibus usurpatas; quarum dumtaxat post Arii, & Nestorii natas Hæreses usus fuit.

239. Non alias post accuratam lectionem, offendi hujuscemodi voces, nisi *Consubstantialis*, & *DEI Genitrix*. Item hæc verba: *Inconfuse*, & *immutabiliter a S. Maria Virgine progressus, in Deitate perfectus*, & *in Humanitate perfectus*. Ad duas priores voces jam supra a *nu.* 205. & *nu.* 210. abunde responsum est.

240. Quod attinet ad alia verba, Incarnationis Mysterium explicantia; longe clarius idem mysterium explicat S. Gregorius Nazianzenus, LX. cir annis Nestorio prior, in Epistola ad Cledonium: (y) „ Siquis, *inquit*, Deiparam non „ credit, extra Divinitatem est &c. Siquis for„ matum Hominem fuisse, Deumque postea „ subiisse dicat, damnationi obnoxius est &c. „ Siquis duos Filios, alterum ex DEO, & Pa„ tre, alterum ex Matre, non autem unum, „ eumdemque induxerit, is ab ea quoque Filio„ rum adoptione excidat, quæ recte credenti„ bus promissa est. Quamquam enim DEUS, „ & Homo duæ naturæ sunt, quemadmodum „ & Anima, & Corpus, non tamen duo „ Filii &c. Aliud quidem, atque aliud sunt ea, „ ex quibus Salvator, non tamen alius, atque „ alius: absit. Ambo enim hæc connexione u„ num sunt &c. „ Confer obsecro hæc, & alia, quæ ibi sequuntur, cum XII. Capitulis, sive Anathematismis S. Cyrilli Alexandrini, (z) approbatis a Concilio Ephesino; & videbis, ovum ovo tam simile non esse. Dic ergo, si audes, & hanc S. Gregorii Nazianzeni Epistolam, ab ipso Concilio Ephesino allegatam, (*a*) supposititiam esse.

241. Opponit 3. affectationem quandam in appellanda B. Virgine, *Deipara*; & excedentes laudes, quibus eam exornat: *quod nonnisi post Concilium Ephesinum in usu fuit.*

242. Affectationem istam Magno etiam Athanasio poterat exprobare, in cujus scriptis tam sæpe legimus, MARIAM Deiparam nuncupatam: *V. sub num.* 205. Et laudes istas excedentes reprehendere in multis aliis Patribus, Ephesino Concilio Antiquioribus, in S. Justino Philosopho, S. Irenæo, Tertulliano, S. Hippolyto, Origene, S. Methodio Episcopo, & Martyre, S. Ephræmo, S. Basilio Magno, S. Epiphanio, S. Ambrosio, S. Gregorio Nysseno, S. Hieronymo, S. Johanne Chrysostomo, S. Augustino, & S. Maximo Episcopo Taurinensi, locis in hac Causa, partim allegatis, partim allegandis.

243. Adde Patres, qui cum Concilio Ephesino inter Primos adfuerint, ante ipsum certe claruerunt, S. Proclum, tunc Cyzici Episcopum, Homilia *in Incarnationem D. N. Jesu Christi*; habita Constantinopoli coram Nestorio; & S. Cyrillum Alexandrinum, Homilia Ephesi habita contra Nestorium; quæ Homiliæ B. Virginis laudibus refertæ, extant *Par. I. Conc. Ephesini cap.* 1. *col.* 578. & *Par. II. Actione* 1. *a col.* 1111. *Tomi* 111. *Conciliorum.*

244. Mentitur ergo Rivetus, ubi ait, (*b*) *De laudibus Mariæ, singulare nihil scriptum esse ante Concilium Ephesinum, quo laudari illa cœpit.* Quo mendacio & ipse, & Guillelmus Cave, & Casimirus Oudinus impudenter utuntur, ut quædam scripta Vetustioribus Patribus abjudicent. Scilicet Sectariorum, [idem est de Jansenianis, inter quos eminuit Dupinus (*c*)] nihil æque perstringit aciem, verberat conscientiam, quàm excelsa DEI Genitricis laudatio, & exaltatio. Lege Dypticha Mariana P. Theophili Raynaudi Cautione 1. *a pag.* 7. *Tomi VII.*

245. Opponit denique quarto, Sermones istos eo tempore conscriptos videri, quo profunda pace utebatur Ecclesia, festaque Deiparæ multa solemnitate celebrabat: quæ omnia ævo Gregorii Thaumaturgi non competunt. Huic argumento vires additurus Oudinus, audacter ait: *Ea omnia, quæ ad Festa Mariæ Virginis spectant, longe recentioris ævi sunt, & posteriora Concilio Ephesino anno* 431. *habito.* Sed & hoc non contentus, postea subdit: *Festa B. Virginis Synodo II. Nicæna recentiora sunt.* Fuit autem hæc Synodus celebrata anno 788.

246. Inania hæc sunt, & commentitia. Adhuc tempore immanium persecutionum, magno conventu celebrari consuevisse in Ecclesia Sacras Solemnitates, generatim constat ex iis, quæ die xxv. Decembris annunciantur in Martyrologio Romano de multis millibus Christianorum, (xx. millia numerat Menologium Græcorum) Diocletiano imperante, Nicomediæ combustis in Ecclesia, quo diem CHRISTI Natalem celebraturi, convenerant. Longe facilius sub D. Gregorio Thaumaturgo celebrari Neocæsareæ publice poterant Christianæ solemnitates, ubi eo moriente, septendecim tantum reliqui erant Infideles; ut narrat in ejus vita S. Gregorius Nyssenus. (*d*)

(y) *Epist.* 1. *quæ est Oratio* 51. *pag.* 738. & *seq. tom.* 1.

(z) *Extant a pag.* 145. *tom.* 6. *Operum S. Cyrilli, edit.* GL. Johannis Aubert. & *Par.* 3. Concilii Ephes. *initio, a col.* 1339. *tom.* 3. *Conciliorum.*

(a) *Par.* 2. *Act.* 1. *col.* 1058. & *seq.*

(b) *Apud* Oudinum *in Dissertat. de Scriptis S. Epiphanii cap.* 2. *col.* 34. *tom.* 1.

(c) *Extat apud* Illustr. Carolum Duplessim Episcop. Tutelens. *tom.* 3. *Collectionis Judiciorum &c. par.* 2. *pag.* 420. *Epistola* Clementis XI. *ad* Regem Christianissimum, *in qua* Dupinus, *Nequioris doctrinæ Homo, temerataque pluries Apostolicæ Sedis dignitatis reus, appellatur.*

(d) *In orat. de Vita S. Gregorii Thaumaturgi a col.* 946. *Oper. Nysseni edit.* Paris. an. 1605. *cum notis* Frontonis Ducæi.

247. Sed conjecturis opus non est. Idem Nyssenus ibidem refert, S. Gregorium Thaumaturgum, post quandam persecutionem, peragratâ suâ Provinciâ, *Apud omnes ubique Populos sanxisse, ut nomine eorum, qui pro Fide decertassent, dies festi, atque solemnes conventus instituerentur &c.* Quidni ergo S. Gregorius Festum quoque Annuntiationis DEI Genitricis, quod idem est, ac Festum Incarnationis Dominicæ, magna cum solemnitate celebrari voluerit? Annon Gregorio specialis ardor inerat laudandi, & colendi Sanctissimam illam Virginem, qua præsente, & hortante, a S. Johanne Evangelista divinam Fidei expositionem acceperat? Refert & hoc factum S. Gregorius Nyssenus loco cit., addens, istam Fidei expositionem, *Beata ipsius Gregorii manu exaratam, in Ecclesia Neocæsariensi conservari.* Non erubuit impurissimus Apostata Oudinus de tam Sancto, Gravi, & Antiquo Patre, Gregorio Nysseno, hæc, & alia stupenda Thaumaturgi gesta narrante, dicere: *Penes quem, utpote Græcum, omnium istorum Fides sit.* Qualis, & quantus Vir fuerit Nyssenus, V. in Apparatu Sacro Possevini Tomo primo pag. 584.

248. Quod Festa omnia B. Virginis Concilio Nicæno secundo recentiora sint; impudentissimum est ejusdem Oudini mendacium. In libro Sacramentorum S. Gregorii Magni, & in Codice Gelasiano, citatis in Apparatu n. 130. & 131. qui duobus circiter Sæculis ante istud Concilium conscripti sunt, quatuor B. Virginis Festa recoluntur; *Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, & Nativitatis.* Et in Vita authentica S. Theodosii Cœnobiarchæ apud Surium *Tomo I. ad diem XI. Januarii fol. 77. pag. 2. edit. Venetæ An.* 1581. fit mentio de *die festo Virginis, DEI Matris, valde insigni, & solemni, ad quem magna convenerat multitudo.* Claruit autem Theodosius in Palæstina anno 450. natus Anno CHRISTI 423. ut observat Bollandus in ejus vita §. 1. & 3. *pag.* 680. & 682. *Tomi primi Sanctor. Januarii.* De celebritate Festi Annuntiationis peculiare Testimonium habemus Concilii Toletani X. anno 656. celebrati, decernentis, quod Festum hoc pro majori solemnitate, non VIII. Kalendas Aprilis, ut aliàs, sed xv. Kalendas Januarii celebretur. Nec non Synodi Quini-sextæ, seu Trullanæ, habitæ anno 690. quæ Canone LII. statuit, ut tempore Quadragesimali, præter morem Græcorum, in *Sancto Annuntiationis die*, novum, & perfectum Sacrificium conficiatur. *V. Commentaria* Theodori Balsamonis in *Canones Apostolorum, & Conciliorum pag.* 423. *edit. GL. Parisiensis Anni* 1620. Lege & notas Card. Baronii ad Martyr. Rom. die 25. Martii, ubi plures Veterum Patrum sermones de hac solemnitate recenset.

249. Quod vero idem Annuntiationis Festum Concilio Ephesino multo antiquius sit; cur ex iismet S. Gregorii Thaumaturgi sermonibus, cum eruditissimis Viris Godefrido Henschenio, & Daniele Papebrochio (*e*) non colligamus? Illos enim sermones rejicere, quia tale Festum ea tempestate non erat, esset, ut ajunt, *Petitio principii.* Sunt tamen & alia monumenta, unde eruamus hujus solemnitatis antiquitatem. Prætereo homiliam *de Annuntiatione B. Virginis*, quam inter cæteras S. Chrysostomi homilias reposuit noster Fronto Ducæus *Tom. VI. pag.* 357. sed D. Chrysostomo abjudicat Bernardus de Montfaucon *Tom. II. pag.* 796. Prætereo & duos de Annuntiatione Dominica Sermones, D. Augustino attributos, quos Editores Benedictini in Appendicem *Tom. V. a col.* 321. amandarunt; etsi fortasse prior, CXCIII. in ordine, immerito rejiciatur, cum & in omnibus Mss. Augustinianis appareat.

250. Negari tamen non potest, quod S. Procli, nuper laudati, sint tres illæ *de Annuntiatione*, sive *Incarnatione Dominica*, Orationes, quæ in Biblioth. M. PP. ejus nomine, inscribuntur. (*f*) Istarum primam Constantinopoli; ut dicebam, ante Concilium Ephesinum recitavit. In tertia, Festum istud unum ex primoribus esse, non obscure significat: *At Christianorum*, inquit, *solemnia, divina sunt, & admirabilia, verique Fontes, & Thesauri Salutis. Nam prima nostra Celebritas DEI ad Homines Adventum prædicat.*

251. Præterea Theodoretus, Cyri in Syria Episcopus, qui ante Concilium Ephesinum clarere cœpit; in sua Epistola *Heorstatica*, idest Festiva, de Festo Incarnationis, (quod a Festo Annuntiationis sejungi nequit) ita loquitur, ut dubitari non sinat, tale Festum celeberrimum olim in Ecclesia fuisse: (*g*) „Quando, *inquit*, Unigenitus incarnatus est; qui beneficiorum fontem cernebant illius ætatis Homines, diem festum non egerunt. Hoc vero tempore, universa Terra, & Mare, & Urbes, & Vici quamvis Benefactorem oculis non videant, beneficiorum memoriam diebus Festis celebrant: tantamque celebritates istæ jucunditatem profundunt, ut omnem in partem spiritualis lætitiæ fluenta decurrant.„

252. Ad hunc quoque Festum diem, antiquitus ab Ecclesia celebratum, respexisse videtur D. Augustinus, cùm scripsit (*h*): *Sicut a Majoribus traditum suscipiens, Ecclesiæ custodit auctoritas VIII. Kalendas Aprilis Conceptus traditur, quo & Passus.* Denique Chronicum Alexandrinum, medio Sæculo VII. conscriptum, Annuntiationis Festum ex Apostolica Traditione ortum habuisse, indicat: (*i*) *Hac igitur die, XXV. in quam Martii, uti Romani numerant, Catholica, & Apostolica Ecclesia, accepto more a Divinis Patribus, celebrat S. Dominæ nostræ Gloriosæ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ Annuntiationem.*

TESTI-

(e) *Tom. 3. Sanctor. Martii ad diem 25. num. 2. & 3. pag.* 534.
(f) *A pag. 589. tom. 6. Biblioth. PP.*
(g) *Est epist. 25. pag. 918. tom. 3. edit.* Gl. Parif. an. 1642. *ex Versione* Sirmondi.
(h) *Lib. 4. de Trinit. cap. 5. num. 9. col. 816. tom. 8.*
(i) *Olympia de 194. pag. 924. col. 2. tom. 12. Biblioth. M. PP.*

TESTIMONIUM IX.

S. Dionysius, Episcopus Alexandrinus, Anno CCL.

Una autem, & sola Virgo, Filia vitæ genuit Verbum vivens, & per se subsistens &c. Et alibi: *Qui nunc in novissimis diebus propter nos venit....... Matrem incorruptam, a pedibus usque ad Caput benedictam, servavit, sicut ipse solus novit modum Conceptus, & Ortus sui &c.*

253. CUM hæc scripta sint in quadam Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum; in eum locum illustranda reservantur, ubi de Synodis, & Conciliis agemus. Solùm hic addo, quod sicut B. Virgo a S. Dionysio Alexandrino, *Filia Vitæ*, nuncupatur; ita & a putato Athanasio, antiquo tamen & gravi Scriptore, eadem Virgo, *Mater Vitæ*, appellatur. (k) *Ex Carnibus*, inquit, *& Ossibus ejus, quasi ex veteri Adamo, novus Adam Incarnationem sibi, quasi Costam, efformavit, gestatque illam in perpetuum. Atque hinc est, quod nova Eva, Mater Vitæ nuncupata, manet circumamicta, & circumdata varietate, ad primitias vitæ immortalis omnium Viventium.* Si nedum Filiæ, sed & Matris Vitæ singulari præconio, B. Virgo celebratur: an Mortis Filia aliquando fuisse creditur?

254. Hoc Sæculo, & circa hunc annum laudant aliqui ex Nostris S. Cyprianum, Carthaginensem Episcopum, & Martyrem, Sermone *de Nativitate Domini*; in quo certè clarissimum Testimonium est pro Immaculata B. Virginis Conceptione. At quamvis Jacobus Pamelius, Editor Operum S. Cypriani, Sermones istos de *Operibus Christi Cardinalibus*, ipsi S. Cypriano adscribat, vel alii ejusdem temporis Auctori; reliqui tamen eruditi Viri repugnant, & noster Theophilus Raynaudus (l) demonstrat, eos sermones esse Arnoldi, Abbatis Bonævallis D. Bernardo familiaris; falsòque inscribi ad Cornelium Papam.

TESTIMONIUM X.

S. Methodius, primùm Olympi, & Pateræ in Licia, dein Tyri in Phænicia Episcopus, & Martyr, Anno CCXC.

O cunctis celsior Generationibus, (B. Virginem alloquitur) *quæque inter creata omnia, tum visibilia, tum invisibilia, multis numeris honorabilior enituisti! Felix Radix Jesse, & ter beata Domus David, in qua germinasti. DEUS in medio tui, & non commoveberis: sanctificavit enim te, Tabernaculum suum Altissimus.* Et postea: *Euge; cui ille omnium creditor, debitor sit. Nam qui dixit*: Honora Patrem tuum, & Matrem; *longe potius talibus ipse accenseri volens, gratiam, propriamque ipse Legem in eam servaverit, quæ ultro assumptam ipsi nativitatem ministravit; quamque sine Patre, velut sine Viro, Matrem inscripsit, confirmavitque; divino quodam decore & supra Hominem glorificaverit.* (m)

255. NOn *bene conveniunt, nec in una Sede morantur*, diversis licèt temporibus: Tanta super creata omnia visibilia, & invisibilia Celsitudo; & abjectissima Servitus Diaboli: Tabernaculum Altissimi; & tartarei Serpentis Cubile: Decor quidam Divinus; & fœdissima Macula Originalis: Supra Hominem Gloria; & lapsi Humani Generis Turpitudo. Præterea contextus ille sermonis: *Ter Beata Domus David, in qua germinasti: & DEUS in medio tui, & non commoveberis &c.* non obscure insinuat, B. Virginem, cùm primum germinavit, seu concepta est, DEUM in medio sui constanter habuisse, sanctificatamque ab Altissimo fuisse.

256. Sunt & alia in eadem Oratione verba, singularem DEI Genitricis Sanctitatem, & Puritatem exprimentia. Etenim B. Virgo appellatur, *Intemeratum, prorsusque Immaculatum Altare Incarnati Verbi Divini*: Ipsius Caro dicitur, *Vestis sine Macula ejus, qui induit lumen sicut vestimentum*; Nomen vero, *Divina Gratia plenissimum, ac summe DEO gratiosum prædicatur.*

VINDICATIO ORATIONIS S. METHODII EPISCOPI, ET MARTYRIS, DE PURIFICATIONE B. V. M.

257. HAnc Orationem (unde Sententiam, & Verba laudata decerpsimus) ex Græcis Codicibus Mss. a P. Francisco Combefisio, sub nomine S. Methodii Senioris, Episcopi, & Martyris, græce, & latine editam; ipsius re vera esse, censent P. Antonius Possevinus, P. Philippus Labbè, V. *Methodius*, & eruditissimus Vir Leo Allatius: (n) quibus ita firmiter adhæret noster Godefridus Henschenius, (o) ut ex ea Oratione inferat, Purificationis Festum, (quod Græci Hypapanten, idest Occursum appellant) priscis CHRISTI Sæculis, inter ipsas persecutiones, solemne fuisse.

258. Accedunt valde probabiles conjecturæ. 1. D. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiast. num. 83. in *Methodio* (col. 122. Par. 2. Tom. 4.) quibusdam ejus Operibus memoratis, addit, Ipsum *& multa alia quæ vulgo lectitantur, confecisse*. 2. Hujus Orationis Phrasis, Elocutio, & reliquæ dicendi Formulæ, collatæ cum *Symposio*, idest Convivio, *decem Virginum*, (cujus Operis Methodiani expresse meminit ibi

(k) *In Sermone de Annuntiat. Deipar. tom. 2. Oper. S. Athanasii ex Recensione Benedictin. pag. 397.*
(l) *Erotemate 10. de libris suppositiis §. 2. littera C. nu. 211. & seq. pag. 297. tom. 11.*
(m) *In orat. de Simeone, & Anna, ac de S. Deipara pag. 417. & 421. ejus Operum, una cum Operibus S. Amphilochii, & S. Andreæ Cretensis edit. GL. Paris. an. 1644. ex Versione, & Recensione* Francisci Combefis.
(n) *In Diatriba De Methodiorum scriptis pag. 341.*
(o) *In Actis Sanctor. Februar. tom. 1. ad diem 2. pag. 268.*

ibi S. Hieronymus) eundem utriusque Operis Auctorem sapiunt, & olent, ut adnotavit Allatius. 3. Et potissimum, Scriptor ipse hujus Orationis, ab initio meminit illius Sympofii; tanquam Operis a se prius conscripti: *Cum olim*, inquit, *quantum quidem breviter licuit, qua de Virginitate dicenda erant, in Symposiacis de Castitate, ceu jactis fundamentis abunde explicuerimus; hodierna die totam ipsam, & a radice Virginitatis gloriam &c.*

259. Et hìc iterum res nobis est cum Oudino, qui Caveum secutus, ad Annum 290. num. 5. col. 305. Tomi primi de Scriptoribus Ecclesiasticis, eam Orationem Methodio Seniori abjudicat, & alteri Methodio Juniori, Episcopo CP. vel Theodoro Studitæ, noni Sæculi Scriptoribus adscribendam censet. Sed argumenta, quæ producit, vel sunt jam in præcedentibus jugulata, vel insignem arguentis imperitiam, aut etiam calumniam produnt.

260. Imperitia est, quod hæc *Oratio videtur dicta in aliqua Synodo Ecclesiastica, coram pluribus Episcopis, quos honorabiles Patres, ac Fratres appellat.* Etenim Concilium, quod ibi nominatur, non Synodum Episcoporum, sed Copulationem significat Mysteriorum. *Hodie*, inquit, *Divinorum Oraculorum* (non ait, *Patrum*, vel *Episcoporum*) *Concilium aperitur, eorumque exitus, atque effectus a sacris Prædicatoribus Ecclesiastico cœtui releguntur &c.* Lege Calepinum Facciolati V. *Concilium*, ubi *Concilium Principiorum* a Lucretio dictum reperies. Quos vero compellat, *Honorabiles Patres, ac Fratres*, non loco, sed spiritu, sibi præsentes erant: *Si Civitatem*, inquit, *magni Regis, una cum Ecclesiastico Populo, tanquam spiritu præsentes, ac cum honorabilibus illic* (non, *hìc*) *Patribus, ac Fratribus festum, ac conventum agentes, lætis vocibus salutaverimus.* Per Civitatem Regis Magni intelligere videtur Hierosolymam, ut indicant verba sequentia: *Salve sis Civitas Regis Magni, in qua Salutis nostræ Mysteria perfecta sunt.*

261. Calumnia porro est, quod *Enorme, atque impudens Virginis præconium, Græco adultero dignum, sit, Deum omnium Creditorem, B. Virginis Debitorem dicere.* Etiam Apostolus II. ad Timotheum IV. 8. DEUM sibi Debitorem dixit *Coronæ Justitiæ, quam*, inquit, *reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* In quæ verba S. Augustinus ait: (p) *Quid tibi reddet, nisi quod tibi debet? Unde tibi debet? Quid ei dedisti?* Et statim exponit, in quo sensu DEUS Debitor nostri dicatur: *Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo &c.* Et alibi idem Augustinus istiusmodi debitum agnoscit, & simul exponit: (q) *Supererogatur tibi,* (Domine) *ut debeas: & quis habet quidquam non tuum? Reddis debita, nihil perdens.* Numquid ergo Paulum, & Augustinum Græcos adulteros dixeris? Absit Blasphemia, Apostata etiam Viro indigna.

262. Non recantavit hìc Oudinus suam illam Næniam de cunctis Festis Marianis, Concilio Ephesino posterioribus. Sed, ne cui hinc dubium suboriatur, Lectorem meum admoneo, plures extare Patrum, eo Concilio anteriorum, germanas Orationes *de Occursu Domini*, sive *de Deipara, & Simeone, vel Anna*; præter illam S. Methodii, a nobis allegatam. Una est S. Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymitani, quæ legitur *pag.* 541. *ad finem Tomi IV. Biblioth. Max. PP.* Altera S. Amphilochii, Iconii Episcopi, & S. Basilii æqualis, *a pag.* 22. *ejus Operum edit. GL.* P. Francisci Combefisii. Tertia S. Gregorii Nysseni, ejusdem Basilii Fratris Germani, *a col.* 161. *Tomi secundi ejus Operum, edit. supra cit.* Nominari solet Quarta S. Johannis Chrysostomi; quam tamen inter opera spuria rejicit Montfaucon *pag.* 812. *Tomi secundi ejus Operum.* De Antiquitate ejusdem festi videri possunt Combefisius in notis ad eam orationem S. Amphilochii *pag.* 240. Godefridus Henschenius in Actis Sanctorum Bollandi, *Tomo primo Februarii ad diem* 2. *a pag.* 268. Et Florentinius *in notis ad diem* 2. *Februarii Martyrologii Vetustioris Occidentalis Ecclesiæ pag.* 295.

SÆCULUM CHRISTI IV.

TESTIMONIUM XI.

S. Ephræm Syrus, Diaconus Edessenus, Anno CCCLXV.

Immaculata, & Intemerata, Incorrupta, & prorsus Pudica, atque ab omni sorde, ac labe Peccati alienissima Virgo, DEI Sponsa, & Domina nostra. Et alibi: *Inviolata, Integra, planeque Pura, ac Casta Virgo, DEI Genitrix &c. Sanctior Seraphim, & incomparabiliter reliquis omnibus supernis exercitibus gloriosior.* (r)

263. Hic Vir Sanctissimus, (qui, teste S. Hieronymo (s) *ad tantam venit claritudinem ut post lectionem Scripturarum publice in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitentur.*) hujusmodi præconiis absolutissimam B. Virginis Puritatem ita luculenter exprimit, ut nostra observatione opus non habeant. Verum, quia illa Marianæ Sanctitatis, supra Angelicam, exaltatio apud Patres frequenter occurrit; opportunum hìc est, declarare, qua ratione inde colligatur Immaculata ejus Conceptio.

264. Duæ sunt Sanctitatis partes. Una in negatione, seu exclusione sita est omnis Peccati; de qua S. Dionysius dixit: (t) *Sanctitas quidem est, ut nostra ratione dicam, & sententia, ab omni*

(p) *Commentar. in Psalm.* 83. *versus finem col.* 889. *tom.* 4.
(q) *Lib.* 1. *Confess. cap.* 4. *col.* 71. *tom.* 1.
(r) *In Orat. ad Ss. DEI Genitricem pag.* 708. *& in Sermone de Laudibus B. V. M. pag.* 705. *tomi* 3. *edit.* Colon. an. 1603. *ex versione, & recensione* Gerardi Vossii, *qui Opera S. Ephræmi ex antiquis Codicibus Græcis Mss. eruit.*
(s) *In Catalogo Scriptor. Eccles. num.* 115. *col.* 126. *par.* 2. *tom.* 4.
(t) *Cap.* 12. *de Divinis Nominib. pag.* 264. *edit.* Paris. an. 1615.

omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte Incontaminata Puritas. Altera, Sanctificantis Gratiæ ornatum superaddit, qua, (ut ait Apostolus Petrus epist. 2. cap. 1. v. 4.) *efficimur divinæ Consortes naturæ.* Utraque Sanctitatis parte donati sunt Angeli Sancti. Quia nullum unquam Peccatum commiserunt: siquidem *DEUS Angelis peccantibus non pepercit &c. ibid. cap. 2. v. 4.* Et insuper ab initio suæ Creationis Sanctificante Gratia præditi sunt: quod, ut *dictis Sanctorum magis consonum*, sustinet D. Thomas, (*u*) citans D. Augustinum, (*x*) ubi ait, quod DEUS Angelos *cum bona voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit, simul eis* (al. *in eis*) *& condens Naturam, & largiens Gratiam.* Hoc & alii Patres tradunt apud Suarez *lib. 5. de Angelis, cap. 4.* & Vasquez *tom. 2. in primam partem, disp. 227. cap. 2.*

265. Cùm ergo Patres DEI Genitricis Sanctitatem, modis omnibus, præferunt Sanctitati Angelorum; Ipsam & ab omni prorsus Peccato Immunem, & ab initio suæ Creationis, Sanctificante DEI Gratia præditam fuisse, significare volunt. Quantumvis enim Gratiam, qua nunc fruitur B. Virgo, uberiorem, & eminentiorem esse dixeris Gratia Angelorum; si tamen ejus Originem Gratiâ destitutam, & Peccato infectam posueris, B. Virginis Sanctitatem semper infra Angelicam deprimes.

266. Casimirus Oudinus (*y*) laudata S. Ephræmi Opuscula, spuria esse contendit: aliud tamen argumentum non affert, præter illud nuper explosum, quòd eximiis B. MARIÆ Virginis laudibus referta sint. At ne alicui de tam antiquo DEI Matris Laudatore dubitatio supersit; Lectorem remitto ad Tom. II. Operum S. Ephræmi, quæ Syriace, & latine edita sunt, ex Bibliotheca Vaticana, anno 1740. recensente, & interpretante Petro Benedicto Soc. Jesu: ubi a *pag.* 327. sinistrorsum more Syriaco XII. Sermones de *Nativitate Domini* inveniet, Marianis laudibus intertextos. Ex Sermone VIII. *pag.* 423. hæc ejus verba, cum CHRISTO loquentis, referre satis est: „ Si Matrem tuam „ mente, intelligentiaque assequi nemo potest, „ quis te attingere, se posse credat? Mater tua „ MARIA sola est, si MARIAM cogito &c. Video, „ ut omnibus illam decorasti modis, o Matris „ tuæ Decus! Sponsa tibi data est, antequam ve„ nires. Quod secundùm naturam transactum „ est, venisti, & te concepit &c. „ De istis autem Syriacis Sermonibus, quin S. Ephræmi sint, nemo dubitare potest; ut observat Joseph Simonius Assemanus in Prolegomenis ad Tomum II. Operum Græco-Latinorum S. Ephræmi edit. Romanæ an. 1643. *cap. 4. nu. 12. pag.* LVIII. Ex alio item S. Ephræmi Opusculo indubitato, clarissimum Actione VI. Testimonium producemus.

TESTIMONIUM XII.

S. Basilius Magnus, Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, Anno CCCLXX.

Idcirco DEUS in Carne est, quia hanc Carnem execratam oportebat sanctificari, debilem roborari, ac DEO abalienatam cum eo conjungi, delapsam e Paradiso in Cœlum reduci. Quænam vero est hujusce dispensationis Officina? Virginis Sanctæ Corpus &c. Et paulo post: *Quoniam vero illa Hominum ætas nihil puritati Mariæ æquandum habebat, sic ut Spiritus Sancti susciperet operationem,.....; electa est B. Virgo.* (z)

267. QUod S. Basilius, *execratam, atque a DEO abalienatam* aliquando fuisse crediderit, illam eandem Officinam, in quo oportebat, *nostram Carnem execratam sanctificari, & a DEO abalienatam cum eo conjungi:* verisimile non est. Nam & ad hæc munia electam esse MARIAM dixit, *Quoniam illa Hominum ætas nihil Puritati Mariæ æquandum habebat &c.* Quod humano more dictum, de Singularissima, & Præcellentissima B. Virginis Puritate intelligi debet; ad quam ab æterno prædestinata fuit, ut DEI Mater effici mereretur. Quem sensum expressit S. Bernardus: (*a*) „ Missus est Angelus ad Virginem, „ Virginem Carne, Virginem Mente, Virginem Professione, Virginem denique, qualem „ describit Apostolus, Mente, & Corpore Sanctam; nec noviter, nec fortuito inventam, sed „ a Sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, „ & sibi præparatam. „

TESTIMONIUM XIII.

S. Epiphanius, Salaminæ, sive Constantiæ in Cypro Episcopus, Anno CCCLXX.

Hæc est, quæ per Evam significatur, quæ per ænigma accepit, ut Mater Viventium vocaretur: Illa enim, Mater Viventium vocata est, etiam postquam audivit: Terra es, & in terram reverteris: *post transgressionem. Et mirum est, quod post hanc transgressionem magnum cognomen habuit. Et secundum sensum quidem, ab illa Eva omnis Hominum generatio genita est in terra. Hic vero vere a* MARIA *hæc Vita mundo genita est, ut Viventem gigneret, & facta est* MARIA *Mater Viventium.* Et post pauca: *Sed & aliud de his cogitare, admirabile est, de Eva, inquam, &* MARIA. *Eva enim Mortis causa facta est Hominibus: per ipsam enim ingressa est Mors in Mundum,*

(u) *Prima parte quæst. 62. art. 3.*
(x) *Lib. 12. de Civit. cap. 9. num. 2. col. 308. tom. 7.*
(y) *Tom. 1. de Scriptor. Ecclesiast. ad an. 365. in Dissert. de Operibus S. Ephræm. cap. 2. num. 21. & seq.*
(z) *Hom. in Sanctam Christi Nativit. de Humana ejus Generatione pag. 597. & seq. tom. 2. edit.* Gl. Parif an. 1722. *ex Recensione* Juliani Guarnieri Cong. S. Mauri.
(a) *Hom. 2. super* Missus est. *col. 737. volum. 1.*

MARIA *vero*, *causa Vitæ*, *per quam genita est nobis Vita*, *&c.* (b)

268. IN priori Sententia miratur S. Epiphanius, quod Eva post transgressionem, Matris Viventium magnum cognomen habuerit, cum potius fuerit Mater Morientium, morte Peccati; sed cognomen illud, Evam accepisse ait per ænigma: quia nimirum typus fuit MARIÆ, quæ veram Vitam Mundo progignens, vere facta est Mater Viventium, Vitâ Gratiæ. Non ergo MARIA, juxta S. Epiphanium, transgressionis, & mortis antiquæ particeps fuit, quæ veram Vitam genuit, & vere Matris Viventium, Vitâ Gratiæ, magnum cognomen accepit. Posterior Sententia antitheses continet superius explicatas, inter Evam, Mortis, & Peccati causam; & MARIAM, Vitæ, ac Gratiæ administram.

269. Utramque Sententiam breviter perstrinxit S. Petrus Chrysologus, (c) ubi, electam esse ait B. Virginem, *Ut Mulier*, *esset omnium Viventium Mater vera per Christum*, *quæ erat in Adamo Mater omnium Mortuorum. Ob hoc namque Christus nasci voluit*, *ut sicut per Evam venit ad omnes Mors*, *ita per Mariam rediret omnibus Vita.*

270. His, & similibus Sententiis tribuitur MARIÆ munus Mediatricis, post CHRISTUM, nostræ Salutis. Sicut ergo D. Augustinus *lib. II. de Peccator. Meritis*, statim ab initio, & *cap.* XXIX. *num.* 47. ex ipso munere Mediatoris, CHRISTUM per se ab omni Peccato immunem ostendit: ita & nos ex munere Mediatricis, post CHRISTUM, MARIAM per ipsum CHRISTUM, ab omni Peccato immunem fuisse colligimus.

Aliud expressius S. Epiphanii Testimonium Actione VI. proferemus.

TESTIMONIUM XIV.

S. Ambrosius, Archiepiscopus Mediolanensis, Anno CCCLXXIV.

Dominus redempturus Mundum, *operationem suam inchoavit a Matre*; *ut per quam salus omnibus parabatur*, *eadem prima fructum Salutis hauriret ex Pignore.* (d)

271. CUr B. Virgo, *prima omnium*, *fructum Salutis ex Christo hausisse* dicitur; quam tempore præcesserunt tot Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, Salutis fructum per eundem CHRISTUM consecuti? Non alia apparet ratio, nisi quia B. Virgo, per *quam Salus omnibus parabatur*, a primo suæ Creationis instanti Salutis fructum hausit ex CHRISTO, cùm ex meritis CHRISTI fuit ab Originali Peccato præservata. Reliqui vero omnes, nonnisi multo post suam ipsorum creationem, Salutis fructum hauserunt a CHRISTO, cùm ab Originali Peccato, in quod inciderant, ex ejusdem CHRISTI meritis liberati sunt.

272. Hanc expositionem didicisse mihi videor a S. Francisco Salesio, Episcopo Genevensi, qui etiam dixit, (*e*) » Mirabilem DEI Genitricis Redemptionem fuisse principium operum » Redemptoris, & omnium Redemptionum primam: quia nimirum Filius, Corde verè Filiali, Matrem suam prævenit in benedictionibus dulcedinis, eamque præservavit, non solum a Peccato, ut Angelos, sed etiam ab omni Peccati periculo &c. »

Alteram alibi (*f*) dedimus pro Immaculata B. Virginis Conceptione, S. Ambrosii Sententiam: Tertiam clariorem dabimus Actione VI.

TESTIMONIUM XV.

S. Gregorius, Episcopus Nyssenus, Anno CCCLXXX.

Cujus (scilicet Incarnati Verbi) *Thalamus*, *Altissimi potestas*, *quasi quædam nubes Virginem ipsam inumbrans*; *Fax nuptialis*, *Spiritus Sancti Splendor*; *Cubile*, *vitiorum expers conditio*; *Nuptiæ*, *puritas incorrupta.* Et paulo post: *Cum enim illa*, (scilicet Eva) *quæ Mortem in naturam per Peccatum introduxit*, *damnata sit*, *ut in doloribus*, *laboribusque pariat*; *oportebat omnino*, *Matrem Vitæ* (MARIAM) *tam Conceptionem a lætitia inchoare*, *quam partum in lætitia perficere &c.* (g)

273. IN his Sententiis duo sunt observanda: alterum, quod CHRISTI Cubile, Uterus videlicet B. Virginis, fuit *Vitiorum expers conditio*; idest talis conditionis, ut ab omni sorde, & fomite Peccati remotus fuerit. Alterum, quod Evæ mortis causæ, & per Peccatum damnatæ, opponitur MARIA, *Mater Vitæ*, & ab ea damnatione immunis. De qua Antithesi pluries actum est.

TESTIMONIUM XVI.

S. Hieronymus Presbyter, Doctor Maximus, Anno CCCXC.

Beata terra Ecclesiæ, *cujus Rex est* CHRISTUS, *Filius Ingenuorum*; *de Abraham*, *Isaac*, *& Jacob*, *Prophetarum quoque*, *& Sanctorum omnium stirpe descendens*, *quibus Peccatum non fuit dominatum*, *& ob id vere fuerunt Liberi. Ex quibus nata est Virgo Liberior*, *Sancta* MARIA, *nullum habens fruticem*, *nullum germen ex latere*, *sed totus fructus ejus erupit in florem &c. Principes quoque ejus sunt Apostoli*,

(b) *Hæresi* 78. *contra* Antidicomarianitas *post medium*; *pag.* 332. *edit.* Parif. an. 1566.
(c) *Serm.* 99. *de Parabola Fermenti col.* 262.
(d) *Lib.* 2. *in cap.* 1. Lucæ *ad ea verba*: Ecce Ancilla Domini, *col.* 21. *volum.* 2. *tom.* 3.
(e) *In Tract. de Amore* DEI *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6.
(f) *Actione* 1. *num.* 163.
(g) *Hom.* 13. *in Cant. post medium col.* 358. *tom.* 1. *edit.* Parif. an. 1605. *Et pag.* 667. *tom.* 1. *edit.* GL. Parif. an. 1615.

Soli, & omnes Sancti, qui Regem habent Filium Ingenuorum, Filium Liberæ, non de Ancilla Agar, sed de Saræ libertate generatum. (h)

274. CHristi Progenitores, liberos fuisse ait S. Hieronymus, quod eis peccatum non fuerit dominatum: cum ergo illis omnibus liberiorem Virginem dicit; satis insinuat, nullum in ea simpliciter fuisse Peccatum: & idcirco CHRISTUM antonomastice *Filium Liberæ* appellat, & non de *Ancilla Agar*, sed de *Saræ libertate generatum*; hoc est de B. Virgine, quæ nunquam fuit Serva Peccati.

275. Alia, nomine S. Hieronymi, circumfertur Sententia, ex Commentario in Psalmum LXXVII. v. 14. Sed ejusmodi Commentaria in omnes Psalmos, vel non sunt D. Hieronymi, ut contendit Johannes Martianay; (*i*) vel certe non sunt pura, & sincera, sed aucta ab alio, qui etiam multa inseruit ex Hilario, Ambrosio, Ruffino, & Augustino, ut observat Card. Bellarminus in *Hieronymo*. Quod satis nobis est, ut tutius hanc Sententiam ad Sæculum sequens transferamus, in quo Auctor ille claruit.

Testimonium XVII.

Sophronius Senior, S. Hieronymi Familiaris, Anno CCCXCV.

Etsi in Sanctis Patribus, & Prophetis Gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena. In MARIAM totius Gratiæ, quæ in CHRISTO est, plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideo inquit, Benedicta tu in Mulieribus, *idest plus benedicta, quàm omnes Mulieres: ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit Benedictio MARIÆ.* (k)

276. SI totius gratiæ, quæ in CHRISTO est, plenitudo in MARIAM venit, quamquam aliter; Justitia originalis, quæ jure suo fuit in CHRISTO, fuit etiam in MARIA per privilegium. Rursus, si quidquid maledictionis infusum est per Evam, abstulit MARIÆ benedictio; in hanc utique maledictio illa non pertransiit. Luculentius hujus Auctoris Testimonium, in Actionem VI. reservamus, ubi *Epistolam de Assumpt. ad Paulam, & Eustochium*, ipsi adferemus.

Testimonium XVIII.

S. Johannes Chrysostomus, Episcopus CP. Anno CCCXCV.

Virgo, Lignum, & Mors, nostræ Cladis Symbola erant. Etenim Virgo erat Eva; nondum enim Virum noverat, quando seducta est: Lignum erat arbor; Mors, supplicium de Adamo. Viden' quomodo Virgo, Lignum, & Mors, Cladis nostræ Symbola fuerint? Jam vide, quomodo eadem ipsa nobis victoriæ causa sint. Pro Eva, MARIA; pro Ligno scientiæ boni, & mali, Lignum Crucis; pro morte Adami, mors Domini. (l) Et alibi: (m) *Quemadmodum Artifex, inventâ materiâ utilissimâ, vas pulcherrimum fabricatur; ita* CHRISTUS, *invento Virginis sancto Corpore, & Anima, Templum sibi construxit animatum.*

277. QUi MARIAM, *victoriæ causam* nobis fuisse dicit, per contrapositionem ad Evam, quæ cladis *nostræ Symbolum* fuit; hujus cladis immunem illam adstruere, videtur. Rursus, qui Virginem Sanctam, ad *Animatum DEI Templum* construendum, *utilissimam materiam* subministrâsse affirmat; nullo unquam pacto hanc materiam vitiatam fuisse arbitratur. Aliam S. Chrysostomi Sententiam, qua B. Virginis Sanctitas super omnes Angelorum Choros extollitur, inferius adducemus.

SÆCULUM CHRISTI V.

Testimonium XIX.

D. Aurelius Augustinus, Hipponensis Episcopus Anno CCCCXV.

Excepta itaque Sancta Virgine, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de Peccatis agitur, haberi volo quæstionem: Unde (aliàs *Inde*) *enim scimus, quid* (al. *quod*) *ei plus Gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte Peccatum; quæ concipere, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse Peccatum: Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas &c.* (n)

278. TAm luculentum, & celebre Testimonium, duplici ratione obscurare, & infirmare conantur Adversarii. Sunt, qui cum Francisco Silvio, laudato a Salmanticensibus, (*o*) respondeant, verba illa, *Unde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit &c.* cum interrogationis

K 4

(h) *Comment. in cap. 10. Ecclesiastes ad ea verba*; Væ tibi terra &c. *col.* 775. *tom.* 2. *edit.* Parif. an. 1699.

(i) *In Appendice tom. 2. Oper. S. Hieronymi, in admonitione pravia ad istos Commentar. col.* 117. *& seqq. & in altera admonit. ad aliam expositionem col.* 521. *& seq.*

(k) *In libello, seu epist. de Assumpt. B. M. V. ad* Paulam, *&* Eustochium, *col.* 789. *tom.* 4. *Oper. S. Hieron. edit.* Mariani Victorii: *& col.* 82. *tom.* 5. *edit.* Johan. Martianay.

(l) *Hom. in S. Pascha, num.* 3. *pag.* 750. *tom.* 3. *edit.* Bernardi Montfaucon.

(m) *Hom. in Christi Nativit. pag.* 496. *tom.* 6. *edit.* Frontonis Ducæi Parif. an. 1614.

(n) *Lib. de Natura, & Gratia cap.* 36. *num.* 42. *col.* 144. *tom.* 10.

(o) *Tom.* 4. *Tract.* 13. *de Vitiis, & Peccatis disp.* 15. *dub.* 6. *num.* 233. *pag.* 570.

gationis nota; esse potius reprehendentis Pelagium, quòd dixerit, *Ipsam, Domini, & Salvatoris nostri Matrem sine Peccato consiteri, necesse esse pietati.* Quasi responderet Augustinus, non esse certum id, quod Pelagius, ut certum asserebat; ac propterea non deesse locum inquisitioni, quam tamen, propter honorem Domini, vult omittere.

279. Multipliciter exploditur aliena istæc interpretatio. Et primo quidem, etsi in impressis exemplaribus legatur adverbium, *Unde*; in duobus tamen Mss. Codicibus Vaticanis, (quos Benedictini Editores indicant) non, *Unde*, sed, *Inde*, legitur. Et sic etiam olim legebatur in omnibus Mss, quibus Veteres Scriptores usi sunt, a Sæculo XI. usque ad XIV. Etenim Hildebertus, Archiepiscopus Turonensis in *Tract. Theol. cap. XIII.* Hugo de S. Victore *Tract. I. Summæ Sententiar. cap. XVI. fol.* 144. Magister Sententiarum *lib. III. dist.* 3. Alexander de Hales *III. Parte Summæ Theol. quæst. IX. memb.* 3. *art.* 2. Albertus Magnus *quæst.* 113. super *Missus est.* D. Thomas *III. parte Summæ quæst. XXVII. art.* 4. in argum. *Sed contra*: S. Bonaventura *in lib.* 3. *Sentent. dist. III art.* 2. *quæst. I.* Petrus Aureolus *in lib. III. Sentent. dist. III. quæst. I.* Gregorius Ariminensis, in D. Augustini Scriptis, siquis alius, versatissimus. *lib. II. Sent. dist. XXX. quæst.* 2. *art.* 3. & plures alii ejusdem ævi, qui Codices emendatiores habuisse videntur, istam S. Augustini Sententiam sic protulerunt: *Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ &c.* Quo pacto ruit tota machina, & clarior apparet Sententia. Facile autem subrepere potuit in Librariis error, ut, unâ litterulâ mutatâ, pro *Inde*, substitueretur, *Unde*.

280. Deinde esto, legendum sit, *Unde*, cum subsequente interrogationis nota; [quam tamen notam non habent editiones Erasmi, & Lovaniensium (p)] recte dici potest cum P. Alphonso Salmerone, (q) in eis verbis contineri interrogationem simul, & responsionem; sic, ut Augustinus simul inquirat, & simul declaret, *Unde id sciamus, quod nimirum concipere, ac parere meruit &c.*

281. Demum, quidquid sit de istis verborum tricis; quod mens Augustini eo loco non fuerit, Pelagium certò id asserentem reprehendere, sed tantum disparem rationem afferre de Matre Domini, ac de Servis Domini, quos etiam sine Peccato esse, ajebat Pelagius; luce clarius esse videtur. Nam Pelagio exemplum Dominicæ Matris afferenti; huic exemplo statim assentitur, absolute respondens: *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de Peccatis agitur, haberi volo quæstionem.* Tum vero disparem rationem exhibet, Cur *ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte Peccatum*; quia scilicet *concipere, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse Peccatum.* Et subinde, idem iterum affirmans de B. Virgine, de reliquis omnibus, multis Scripturarum Testimoniis probat, falsum esse, quod nullum habuerint peccatum: *Hac ergo*, inquit, *Virgine excepta, si omnes illos &c.*

282. Sed & istos Interpretes interrogemus, & conveniamus. Vel hunc Augustini locum intelligitis de solo Peccato Actuali, vel etiam de Originali? Si hoc secundum; dubitavit ergo Augustinus, & noluit habere quæstionem, an B. Virgo Originale Peccatum incurrerit. Ut quid ergo contra Piam Sententiam, tot Augustini Sententias conglobatis? Si illud primum; hallucinati ergo sunt D. Thomas, & reliqui Primores Scholastici, qui locum istum laudant, tanquam indubitatum, pro immunitate B. Virginis ab omni prorsus Actuali Peccato, D. Augustini Testimonium.

283. Quapropter sagaciores Adversarii ad allegatum Testimonium aliter respondent, videlicet S. Augustinum loqui de solis Peccatis Actualibus: quia de iis erat ibi quæstio cum Pelagio, qui & Homines absque ullo Peccato posse vivere, & multos etiam ita vixisse, jactabat.

284. Hæc quoque Interpretatio falsa est, & ratio inefficax. Quæstio Augustini cum Pelagio de Peccatis Actualibus, erat valde affinis, & annexa quæstioni de Peccato Originali, quam cum eodem Pelagio habebat Augustinus; ut colligitur ex pluribus ipsius Augustini locis. (r) Præterea Pelagius hac etiam in parte exemplum DEI Genitricis opponere poterat, ut certe illud opposuit Julianus, primarius Pelagii Discipulus. (s) Non est ergo mirum, quod Augustinus ad exemplum objectum B. Virginis in quæstione de Peccatis Actualibus, responsionem, & exceptionem suam extenderit ad omne Peccatum, tam Actuale, quam Originale.

285. Id autem egisse Augustinum, ex ipsius verbis non obscure colligitur. Ait enim 1. *De B. Virgine, cum de Peccatis agitur, nullam prorsus se habere velle quæstionem*: nullam scilicet ex iis duabus quæstionibus indicatis. Ait 2. eidem Virgini *plus gratiæ collatum esse ad vincendum omni ex parte Peccatum.* Quid est, *omni ex parte*, nisi ex parte Peccati Actualis, propria voluntate commissi, & ex parte Peccati Originalis, aliena voluntate contracti? Et sic olim ea verba exposuit Auctor Sermonum super *Salve Regina*, ut alibi videbimus. Ait 3. B. Virginem excipiendam esse *propter honorem Domini*; & quia *concipere, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse Peccatum.* Honor autem Domini, non minus Originalis, quàm Actualis culpæ Immunitatem, in Matre sua postulare videtur: quemadmodum ipse Dominus nec Originale, nec Actuale Peccatum habuit.

286. Actione III. & IV. duo alia S. Augustini peculiaria Testimonia expendemus. Hìc autem addere liceat pulchra illa Antitheta, quæ sub nomine D. Augustini, ex Sermone de Annuntiatione,

(p) *Fol.* 161. *col.* 1. *tom.* 7. *Pag.* 284. *col.* 2. *tom.* 7.
(q) *In Disp.* 51. *Comment. in epist. ad Rom. pag.* 471. *col.* 2.
(r) *Cap.* 19. 39. & 41. *ejusdem libri de Natura, & Gratia, col.* 135. & 147. & *lib.* 5. *contra* Julian. *cap.* 15. *num.* 57. *col.* 656. *tom.* 10.
(s) *Lib.* 4. *Operis Imperfecti contra* Julian. *num.* 122. *col.* 1207. *tom.* 10. *p.* 2.

tiatione, in Officio Nativitatis B. Virginis quotannis canit Ecclesia. *Mater Generis nostri Pœnam intulit Mundo, Genitrix Domini nostri Salutem intulit Mundo. Auctrix Peccati Eva, Auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit: Illa percussit, ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur.* Hujusmodi certe contraposita inter Evam, & MARIAM, non displicuisse D. Augustino, constat ex ipsius libro I. contra Julianum *cap.* 3. *num.* 5. *col.* 500. ubi laudat posteriorem partem illius Sententiæ S. Irenæi, *Quemadmodum adstrictum est morti &c.* quam adduximus in Testimonio IV. hujus Art. 3.

TESTIMONIUM XX.

S. Maximus Episcopus Taurinensis, Anno CCCCXX.

Parturit igitur Fœmina Salutem Mundi, ut quæ extiterat fomes iniquitatis, fieret Ministra Justitiæ; & per quam Mors sibi in hunc Mundum aditum patefecit, per eam ad nos Vita haberet ingressum. (t)

287. ANnon S. Maximus perspiciebat, quàm absonum esset, ut ea ipsa, quæ per oppositionem ad Evam, Justitiæ Ministra, & Via vitæ fuit; iniquitatem, & mortem ex Eva contraheret? Actione VI. clarissimum ejusdem Testimonium dabimus.

TESTIMONIUM XXI.

S. Cyrillus, Episcopus Alexandrinus, Anno CCCCXXX.

Salve MARIA Deipara, per quam Baptisma Sanctitatis tremendum, & Jordanicum effulsit. Salve MARIA Deipara, per quam Johannes, & Jordanis sanctificantur, & Diabolus rejicitur. (tt)

288. SI per MARIAM, ipsum Originalis Peccati Remedium effulsit, quo Diabolus rejicitur; in id Peccatum, & in Diaboli potestatem incidisse MARIAM, quis credat? Hoc satis est nobis, ex D. Cyrillo allegare. Quod enim nonnulli clarius allegant *de libro VI. Commentarior. in Johannem cap. XV.* S. Cyrilli non est, sed Judoci Clichtovei; qui, cum ex duodecim S. Cyrilli libris super Johannem, quatuor intermedii non invenirentur, Commentatione sua illos supplevit; ut adnotatur in ipsismet editionibus Operum S. Cyrilli Parisiensibus anni 1573. & 1605. ubi Supplementa illa sunt inserta.

TESTIMONIUM XXII.

S. Proclus, Patriarcha CP. Anno CCCCXXX.

Quibus encomiorum coloribus virginalem effingam Imaginem? Quibus laudum præconiis Incontaminatum exornabo characterem Puritatis? Ipsa est penetrale Innocentiæ Sacrarium, Ipsa sanctificatum DEI Templum &c. (u)

289. GLossâ non indiget hæc Sententia, quæ per se loquitur, & exprimit omnigenam DEI Genitricis Puritatem. Illud *Innocentiæ Sacrarium*, ex Græco latine reddidit Petavius, (x) *Impeccantiæ Sacrarium.* Sunt & aliæ duæ S. Procli Sententiæ, quæ Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem clarius attestantur: quarum alteram Actione IV. de Conciliis, alteram dabimus Actione VI. de Patribus in particulari.

290. Hoc eodem anno 430. claruerunt S. Amphilochius Sidæ Episcopus, Cælius Sedulius Presbyter, & Theodoretus Cyri Episcopus, qui pro Pia Sententia citari solent. At priores duo, tanquam testes magis expressi, & peculiares, ad Actionem VI. remittuntur. Tertius vero falsò citatur: verba namque, quæ ex Commentario in Cantica *cap. VI. v.* 7. referuntur, non sunt Theodoreti, sed Michaelis Pselli, cujus nomine ad Sæculum XI. illa producemus. V. Commentarium Theodoreti in Cantica *Tom.* I. ejus Operum, & Paraphrasim Pselli *Tom. XVIII. Bibl. PP.* Hallucinationis causa fuit quidam liber editus Venetiis, anno 1572. hoc titulo: *B. Theodoreti Episc. Cyr. in Cant. Canticorum explanatio &c.* Ubi una cum Theodoreti explanatione, continetur Paraphrasis Michaelis Pselli.

TESTIMONIUM XXIII.

S. Petrus Chrysologus, Archiepiscopus Ravennas, Anno CCCCXL.

MARIA, hebræo sermone, latine Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deserat servitutis; quam nasci, & vocari Dominam, ipsa sui Germinis fecit, & impetravit Auctoritas. Et paulo post: *Beata, quæ inter Homines audire sola meruit præ omnibus:* Invenisti gratiam: *Quantam? Quantam superius dixerat*, Plenam. *Et vere plenam, quæ largo imbre totam funderet, & infunderet Creaturam.* (y)

291. PRior Sententia de Nativitate B. Virginis etiam in Utero, hoc est de ejus Conceptione, intelligenda videtur. Nam & *Dominatoris Genitricem*, Originariæ potissimum *Servi-*

(t) *Hom.* 6. *in Natali Domini col.* 564.
(tt) *Hom. Encom. in S. M. Deiparam pag.* 309. *par.* 2. *to.* 5. *edit.* GL. Parif. an. 1638. *ex Recens.* Joh. Auberti.
(u) *Orat.* 6. Laudatio Sanctæ DEI Genitricis, *pag.* 225. inter ejus *Analecta GL. edita* Romæ an. 1630.
(x) *Lib. cit. cap.* 1. *num.* 15. *pag.* 214.
(y) *Serm.* 142. *de Annuntiat. B. M. V. col.* 361. *& seq.*

Servitutis deserere debuit, trepidatio: & hanc quoque libertatem, *Ipsa sui Germinis facere, & imperare* potuit *Auctoritas*. Et id quidem posterior Sententia confirmat, quæ B. Virginem, Divinâ Gratiâ veluti fusam, seu conflatam enuntiat. Est & aliud S. Chrysologi enucleatius Testimonium, quod Actione VI. allegabimus.

TESTIMONIUM XXIV.

S. Basilius, Seleuciæ in Isauria Episcopus, Anno CCCCXLVIII.

O Alvum Sanctam, DEI Receptricem, in qua disruptum est Peccati Chirographum, in qua DEUS factus est Homo, permanens DEUS. Et infra: *Ave gratia plena, DEI, Hominumque Sequestra constituta, ut inimicitiarum parietes intergerini convellantur, & cœlestia, terrenaque in unum coeant.* (z)

292. SI verba hæc ita intelligamus, ut illo Peccati chirographo, quod in B. Virgine disruptum est, ipsa minime teneretur; utque B. Virgo, quæ DEUM Homini conciliavit, nunquam DEO fuerit Inimica; a mente hujus Basilii non recedimus. Sic enim ipse Virginem Sanctissimam affatur: (a) *Ut quis honesta quæque, & gloriosa de te loquatur, haud quidem ille aberravit a vero, sed pro merito haud fecerit satis.*

293. Circa hoc tempus claruit Crysippus Presbyter Hierosolymitanus, cujus peculiare Testimonium Actione VI. audiemus.

TESTIMONIUM XXV.

Auctor Commentariorum in omnes Psalmos, apud D. Hieronymum, Anno CCCCLXXV.

Ecce Dominus venit in Ægyptum Sæculi istius super Nubem levem, Virginem. Et deduxit eos in Nube diei. Pulchrè dixit, Diei: *Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* (b)

294. PLanum est, B. Virginem nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce; idem sonare, ac nunquam fuisse in Peccato, sed semper in Gratia; juxta phrasim Scripturarum, qua Peccatum, Tenebræ; Gratia, Lux appellatur. Et ideo Job de sua Conceptione in Peccato ajebat *cap. 3. v. 4. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum DEUS desuper, & non illustretur lumine &c.* De Conceptione igitur B. Virginis dicere possumus, quod de Creatione Angelorum scripsit S. Augustinus (c). *Nullo quidem modo, secundùm aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus: sed simul ut facti sunt, lux facti sunt, non tamen ita tantum creati, ut quoquo modo essent, & quoquo modo viverent, sed etiam illuminati, ut sapienter, beateque viverent.*

295. Annum 475. huic Scriptori assignavimus, quem ipsemet indicavit in explanatione Psalmi CVIII. (col. 416.) ut optime observat Cardinalis Bellarminus. Ibi enim ait, suo tempore fuisse annum quadringintesimum ab excidio Hierusalem, in quo cœpit ultima captivitas Judæorum. Hoc autem excidium contigit anno XLII. post Passionem Domini, ut idem Auctor ibidem tradit. Si ergo his annis addamus annos XXXIII. Vitæ CHRISTI, erunt omnes simul anni CCCCLXXV. Potuit autem tunc citare S. Eucherium; quia Eucherius Senior, (*d*) ex suis scriptis celebris, floruit anno CHRISTI CCCCXXXV. ut tradit Sigibertus. Quapropter ex citatione S. Eucherii Lugdunensis, non recte colligit Johannes Martianay in priore admonitione cit. Auctorem istum non absolvisse eos Commentarios ante Sæculum Sextum.

296. Eodem anno claruit Faustus Regiensis, cujus præclarissimum Testimonium Actione VI. proferendum est.

TESTIMONIUM XXVI.

Auctor Libri contra quinque Hæreses, circ. Annum CCCCLXXVII.

Dicit tibi DEUS creator Hominis, Filius Hominis: Quid est, quod te permovet in mea Nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego Matrem, de qua nascerer, feci: Ego viam meo itineri præparavi, atque mundavi. Hanc, quam despicis Manichæe, Mater mea est, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari, cum eam facerem, potui inquinari, cum ex ea nascerer &c. (e)

297. LIbrum istum D. Augustino sine cunctatione adjudicant Card. Bellarminus, & Editores Lovanienses; quem etiam Beda sub nomine Augustini olim allegavit. Sed nuperi Editores Benedictini contendunt, eum librum non esse revera D. Augustini, sed alius docti Auctoris, qui non multo post S. Augustinum scribebat; id potissimum colligentes ex defletis in eodem libro Vandalicæ Persecutionis calamitatibus. Quæ quidem persecutio cœpit sub Genserico, Vandalorum Rege Ariano, anno 437. & duravit

(z) *Orat. 39. in Ss. Deipar. Annunt. pag. 483. tom. 8. Bibl. Max. PP. & pag. 212. & 215. Vol. in quo sunt ejus 40. Orationes una cum Operibus S. Greg. Thaumat. & Macarii Ægyptii, editæ* Paris. anno 1622. *ex Versione, & Recensione* Claudii Dausquei Soc. Jesu.

(a) *Pag. 485. prioris edit. & pag. 219. posterioris.*

(b) *Exposit. in Psal. 77. ver. 14. col. 206. tom. 4. Oper. S. Hieron. ex edit.* Mariani Victorii Reatini: *& col. 319. Append. tom. 2. ex edit.* Johann. Martianay Benedictini.

(c) *Lib. 11. de Civ. DEI cap. 11. col. 281. tom. 7.*

(d) *Duos fuisse* Eucherios, *ambos* Præsules Lugdunenses, *ostendit* Raynaudus *in Indiculo Sanctorum* Lugdun. *a pag. 48. tom. 8.*

(e) *Cap. 5. dicti libri, col. 6. Appendicis tom. 8. Operum V. Augustini.*

vit usque ad annum 499. cum tamen Augustinus diem obierit extremum anno 433.

298. Agit Auctor in hoc loco adversus Manichæos, qui (ut ipse cap. 1. præmiserat) putabant, *Phantasma esse, quod dicitur, Dominum Christum fœmineo potuisse nasci ex Utero: non enim dignum est*, ajebant, *ut tanta Majestas per sordes, & squallores Fœminæ transiisse credatur*. Et pluribus argumentis evincit, nullas fuisse in Virgine Matre sordes, quibus CHRISTUS ex ea nascens inquinaretur. Primum argumentum hoc est, quia ipse CHRISTUS, Creator Hominis, illam, ex qua nasceretur, fecit, suaque manu, idest speciali cura, & operâ fabricavit. Quibus verbis originales sordes, quæ in prima Hominis Creatione contrahi solent, a B. Virgine penitus removere videtur. Ideo vero subjicit: *Si potui inquinari cum eam facerem, potui inquinari, cum ex ea nascerer*. Quia DEUM, Matrem suam Peccati sorde inquinatam fecisse, in aliquod probrum & dedecus cederet ipsius DEI Creatoris. Merito igitur Jacobus de Valentia, Episcopus Christopolitanus, ad hæc putati Augustini verba subjungit: (*f*) *Manifestum est, quod DEUS singulariter, & specialiter fabricavit Eam ultra communem modum aliarum, non in Peccato, sed in Gratia, præparando viam itineri suo, ut ipsa esset apta, & digna Mater DEI, de qua Carnem assumeret*.

299. Hic est perspicuus, & genuinus istorum verborum sensus. Illa vero interpretatio, quam excogitavit Valdesius, *Epist.* 15. *pag.* 205. & *seq.* nimirum „ Matrem Domini fabricatam, „ & præparatam fuisse, non quando MARIA „ concepta fuit in Utero S. Annæ, sed quando „ ad eam missus est Gabriel: tunc enim illam „ fecit Matrem suam, cùm illam mundavit per „ Gratiam, quam MARIA tunc solùm, obediendo consecuta est, & credendo Angelo, facta est „ Benedicta. „ Ista, inquam, interpretatio, & alienissima, & absurdissima est. Quis enim non videat, ea verba: *Dicit DEUS Creator Hominis: Ego Matrem de qua nascerer feci: Hæc Mater mea est, sed manu fabricata est mea: Si potui inquinari, cum eam facerem*: juxta planum, & obvium sensum referri ad tempus, quo primùm B. Virgo creata fuit a DEO, Creatore Hominis? Et quis ferat audire, B. Virginem *tunc solùm consecutam esse Gratiam, per quam mundaretur; & factam esse Benedictam, quando a DEO missus est Gabriel, & ipsa credidit, & obedivit?*

300. Doctrinam D. Thomæ 3. *par. quæst.* 27. *art.* 3. *ad* 3. de intelligentia verbi, *Purgare*, subjungit Valdesius, non advertens, quod sibi contradicat: Ipse namque ex verbo, *mundare*, paulo ante intulerat Maculam Originalem in B. Virgine: quia *Nihil*, inquit, *mundatur, nisi quod antea inquinatum fuit*. At Divus Thomas agnoscit ibi *Purgationem, quæ non fit ab aliqua Impuritate Culpæ, vel Fomitis*. V. hanc ejus Sententiam a nobis laudatam in Apparatu *num.* 104. & quæ de hujuscemodi vocibus late disseruimus in hac Actione a *num.* 164.

301. Quidam ex antiquis Piæ Sententiæ Assertoribus, apud Petrum de Alva, (*g*) verba illa putati Augustini: *Si potui inquinari &c.* in tertia persona sic efferebant: *Si potuit inquinari, cum eam facerem &c.* Quo pacto ad B. Virginem referuntur, & planissime indicant, quod sicut ipsa inquinata non fuit, cum a DEO singulariter fieret, ita nec DEUS inquinatus est, cum ex ea nasceretur.

302. Hanc lectionem, ut plane confictam exsibilant Adversarii; & evidentis falsitatis arguere se putant Salmanticenses *disp. XV. cit. num* 240. *pag.* 572. Quia, *inquiunt* „ D. Augustinus agebat contra Manichæum, negantem „ res corporeas, & visibiles a DEO fuisse factas, quasi indignum DEO esset, ad hæc visibilia causalitatem suam extendere, & quasi „ ex tali causalitate posset inquinari. Quod delirium reprehendit, & impugnat D. Augustinus prædictis verbis, ex Persona CHRISTI „ prolatis: *Si potui inquinari &c.* atque adeo „ sicut nascendo ex Matre Corporea; & Visibili, inquinatus non fuit; ita nec creando illam, inquinari potuit. „

303. Sed toto Cœlo aberrant a mente istius Auctoris, cujus hæc tantum pauca verba legerunt. Si primum libri Caput legissent, statim animadvertissent, ejus scopum non esse, impugnare istud Manichæorum de rerum Creatione delirium; sed aliud eorundem Commentum de Incarnatione CHRISTI, quam phantasticam putabant; quia inde DEUM inquinatum iri somniabant. Quæ cum ita sint, hinc potius comprobatur lectio illa Antiquorum: *Si potuit inquinari, cum eam facerem &c.* Nam Manichæi alioquin delirantes, (ut Salmanticenses ajunt) *indignum DEO esse ad hæc visibilia causalitatem suam extendere*; ultro concederent, quod DEUS inquinari potuit, cum B. Virginem faceret. Quamvis ergo lectio illa simpliciter approbanda non sit, quòd in nullo exemplari hodie reperiatur; contemnenda tamen non est, cum & in Codd. Mss. quibus Veteres illi usi sunt, extasse videatur; & facillimum fuerit, ex verbo *Potuit*, ultimam litterulam excidisse.

Testimonium XXVII.

S. Jacobus, Episcopus Sarugensis, cognomento Doctor, circ. Annum CCCCLXXXIII.

Si qua macula, aut defectus Animæ ejus (B. Virginis) *inesset, aliam sibi Matrem quæsivisset* (Dominus), *quæ omnis labis expers esset*. (h)

304. His verbis, humano quidem modo, sed luculenter exprimitur, quam aliena ab

(f) *In Canticum*, Magnificat, *pag.* 1108. *col.* 2. & *V. pag.* 1105.

(g) *In Sole Veritatis, num.* 60. *Triturationis pag.* 137. & *seqq.*

(h) *Serm.* 1. *de S. V. DEI Genitrice Maria. Extat cap.* 27. *num.* 21. *pag.* 310. *tom.* 1. *Bibl. Orientalis* Clementino-Vaticanæ, *studio* Simonii Assemani *edit.* Romæ an. 1719.

ab omni Macula, Labe, & Defectu esse debuit Mater Domini. Auctorem istum Guillelmus Cave differt ad annum 700. At Simonius Assemanus, Syrus Maronita, (qui ejus Opera diligentissime recensuit,) ex ipsius S. Jacobi vita, ab Anonymo Syro conscripta, demonstrat, eum natum esse anno 452. atque adeo florere potuisse anno designato.

TESTIMONIUM XXVIII.

S. Sabbas, sive Sabba, Abbas, Anno CCCCLXXXIV.

Hic (Angelus Gabriel) *te brevi conveniet, ceu unicam pulchritudinis incorruptæ Columbam, & plane Recreationem Generis nostri. Ille idem, o Virgo in omni genere Sanctitatis perfecta, sonora te voce salvere jubebit.* (*i*) Rursus: *In te, quæ nulli unquam culpæ affinis fuisti, spem omnem meam repono. Nemo, ut tu Domina, inculpatus est æque, nec præter te incontaminatus quisquam, o nævo nulli subjecta!* (*k*) Et aliis in locis (*l*) B. Virginem appellat, *Nævo nulli subjectam, omni nævo intactam, ab omni nævo Immunem, & macularum semper omnium expertem.*

305. SPlendidissimis hisce Verbis, atque Sententiis; quæ in Menæis Græcorum, a S. Saba collectis, auctis, & in formam Divini Officii ordinatis, jam inde a tot Sæculis, per totam Orientalem Ecclesiam decantantur; Traditionem nostram generalem mirifice illustrari, nemo non videt.

SÆCULUM CHRISTI VI.

TESTIMONIUM XXIX.

S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis in Africa, Anno DXX.

In primi Hominis Conjuge, nequitia Diaboli seductam depravavit mentem: In secundi autem Hominis Matre, Gratia DEI, & mentem integram servavit, & carnem. (*m*)

306. HÆc DEI Gratia, quæ in secundi Hominis Matre, mentem integram servavit, & carnem; contraposita nequitiæ Diaboli, quæ seductam Evæ mentem depravavit; non alia esse videtur, quàm Gratia præservans a Contagione Originali, quæ ab Eva sumpsit initium.

TESTIMONIUM XXX.

S. Anastasius Sinaita, Episcopus Antiochenus, Anno DXLIV.

Et quis..... audebit dicere, quod Ea, (B. Virgo) *quæ est ejusdem simul cum DEO Essentiæ, quoad Carnem attinet, non sit ad Imaginem, & Similitudinem ejus, qui est ex ipsa natus? Quomodo enim est Mater hujusmodi Filii, non ferent in se integram, & illæsam Fœtus sui Imaginem?* (*n*)

307. NIl frequentius apud Patres, quàm Imaginem DEI in Homine, læsam, & deformatam fuisse per Adæ Peccatum. Qui ergo non audebit dicere, quod DEI Mater non ferat in se integram, *& illæsam Fœtus sui Imaginem*; nec etiam audebit dicere, quod Ipsa Originali fuerit temerata, & vitiata Peccato. Expressius Sinaitæ Testimonium Act. VI. erit.

TESTIMONIUM XXXI.

Arator, S. R. E. Subdiaconus, Anno DXLV.

DEI Genitrix intacta Tonantis,
A Natoque ornata suo, mala criminis Hevæ
Virgo secunda fugat: nulla est injuria sexus.
Restituit, quod prima tulit. (*o*)

308. NUm *DEI Genitrix intacta Tonantis*, quæ *fugat mala criminis Hevæ*, iisdem malis involuta aliquando fuit? Et quæ aliis *restituit, quod Heva tulit*, an id ipsum sibi ablatum sensit?

309. Hæc Arati carmina, illustrasse videtur Alanus Magnus de Insulis, Doctor universalis nuncupatus, qui sub initium Sæculi XIII. claruit, (*p*) ubi cecinit:

Crimina Matris
Ista luit, Matremque facit sua Nata renasci.
Ut sic Munda ream, Corruptam Virgo, Pudica
Effrontem, Miseram Felix, Humilisque Superbam
Abluat, & vitæ pariat sua Filia Matrem.

TESTI-

(i) *Ode* 1. *in Profesto Annuntiat. B. M. V. apud* Eschenium, & Papebroch. *in Actis Ss. Martii tom.* 3. *pag.* 536.
(k) *In Menæis Græc. die* 2. *Januar. Ode* 3. *apud* Hippol. Marracium *en Mariali S. Germani pag.* 235.
(l) *Die* 3. & 5. *Januar.* & 12. *Febr. apud eundem* Marrac. *pag.* 115.
(m) *Serm. de duplici Nativ. Christi æterna, & tempor. col.* 491.
(n) *Lib.* 6. *Anagogicar. Contemplat. in Hexaemeron, vers. finem pag.* 885. *tom.* 9. *Biblioth. M. PP.*
(o) *Lib.* 1. *Carminum, quæ*, Vigilio Papa *annuente, publice recitavit. pag.* 126. *tom.* 10. *Bibl. M. PP.*
(p) *In Encyclopedia cap.* 9. *pag.* 378. *edit.* Antuerp. an. 1654.

TESTIMONIUM XXXII.

Timotheus, Episcopus Hierosolymitanus, Anno DLXX.

Unde etiam, supra omnes Inculpata, & omnibus modis Sancta Virgo, per illum, qui domicilium habuit in ea, qui eam in superiora loca assumptam traduxit, usque adhuc Immortalis est. [q]

310. JAm vides sensum universalem istorum verborum, quibus B. Virgo *Inculpata dicitur supra omnes, & omnibus modis Sancta*: hoc est *Inculpata*, etiam supra Angelos; & *Sancta*, etiam Originali Sanctitate.

SÆCULUM CHRISTI VII.

TESTIMONIUM XXXIII.

S. Sophronius Junior, Patriarcha Hierosolymitanus, Anno DCXXX.

Uterum, qui Virginitatis resplendebat castitate, MARIÆ Sanctæ, Honestæ, ac Divinæ, & ab omni inquinamento Liberæ, ingressus, &c. [r]

311. PRætermissis *Sanctæ*, ac *Divinæ* titulis; immerito, *ab omni inquinamento Libera*, absolute, & universaliter diceretur MARIA, si fœdissima Originalis Peccati labe involuta aliquando fuisset. Et notandum, *Liberam* appellari MARIAM, non *Liberatam*; ne suspicio subeat alicujus inquinamenti, prius contracti, a quo postea fuerit expedita. Scio equidem, in alia Versione ejusdem Epistolæ S. Sophronii, unde hoc Testimonium produximus, pro *Liberæ*, legi, *Liberatæ*. Sed hæc Versio recipienda non est: quia verbum Græcum originale, ἐλεύθερον, latine redditur, *Liber*, seu *Immunis*: *Liberatus* autem, aliis vocibus græce denotatur. *V. Lexicon Manuale Græco-Latinum, & Latino-Græcum* Cornelii Schrevelii editum Patavii anno 1715. Quocirca, cum *Tomo VII. Conciliorum Actione X. & XI. sextæ Synodi* ambæ Versiones exhibeantur; *col.* 161. monemur, *longe accuratiorem* esse priorem editionem.

TESTIMONIUM XXXIV.

S. Andreas Hierosolymitanus, Archiepiscopus Cretensis, Anno DCXXXV.

Gaudium, à Primo Parente amissum, ipsa per se, orta ex David, Filia Adæ, incolume restituit. [s] *Cælorum* (hoc est Cœlestium Spirituum) *naturam puritate supergressa est.* [t] *Peccato omni, ac Sorde sublimior, & terrenum nihil habens.* [u]

312. PAuca hæc S. Andreæ verba satis sunt ad generalem, & implicitam Traditionem comprobandam. Plura alia nobis offert Vir iste Sanctus, unus ex primis Sanctæ Conceptionis Marianæ Cultoribus, luculentissima Testimonia, quæ aliis in locis producenda sunt.

TESTIMONIUM XXXV.

S. Hildephonsus, sive Ildephonsus, Archiepiscopus Toletanus, Anno DCLVIII.

Quod in mea Redemptione est operatus, in tuæ Personæ veritate formavit: quod mihi Redemptor factus est, tibi Filius fuit: quod pretium emptionis meæ factus est, ex Carne tua ejus Incarnatio fuit, in qua vulnera mea sanavit; ex Carne tua vulnerandum Corpus exhibuit, in quo mortem meam tolleret: a mortalitatis tuæ Corpore, mortale Corpus attraxit, in quo mea deleret peccata: quod tulit a te Corpus, sine peccato suscepit. [x]

313. HIs verbis mirabiliter insinuare videtur S. Ildephonsus, DEI Genitricem, quæ nostræ Redemptionis tam intima fuit Administra, non fuisse a CHRISTO redemptam eo communi, & vulgari Redemptionis genere, quo nos redempti sumus; sed alio singulari, & excellentiori, per quod a vulneribus, a morte, a peccatis, non sicuti nos erepta, sed præservata fuit. Enimvero juxta Doctrinam Angelici Doctoris, [y] dat unicuique DEUS Gratiam, quæ, secundum rectam rationem, maxime congruat muneri, in quo ab ipso DEO constituitur. Cum ergo B. Virgo electa sit a DEO, ut singulari modo cooperaretur Redemptioni, & huic fini nihil possit esse magis contrarium, quam Peccatum; consequens est, ut B. Virgo gratiam obtinuerit, quæ ipsam ab omni Peccato præservaverit.

314. Luculentius aliud S. Ildephonsi, pro Originaria DEI Genitricis Integritate, Testimonium dedimus *Act. I. num.* 94. Quod vero ex libro de *Perpetua Virginitate S. Mariæ, ejusque Parturitione*, sub nomine S. Ildephonsi citari solet; jam diximus *n.* 119. *& seq.* spectare ad S. Paschasium Ratbertum, de quo infra.

(q) *Orat. de Propheta Simeone, DEI Susceptore, pag.* 847. *tom.* 2. *Bibl. GL. PP. & pag.* 1215. *tom.* 10. *Biblioth. Max. PP.*

(r) *In Epistola Synodica ad* Sergium Episc. CP. *quæ extat Action.* 10. *sexta Synodi, col.* 1250. *tom.* 7. *Concil.*

(s) *In Annuntiat. S. Mariæ pag.* 630. *col.* 1. *tom.* 10. *Biblioth. M. PP.*

(t) *Orat.* 2. *in Dormit. S. Mariæ, pag.* 658. *col.* 2. *ibid.*

(u) *In Encomio Zonæ DEI Genitric.* (quod hujus Andreæ esse suspicatur Combefis) *pag.* 997. *tom.* 12. *Biblioth. Max. PP.*

(x) *Lib. de Virginit. S. Mariæ cap.* 12. *pag.* 564. *col.* 1. *tom.* 12. *Biblioth. Max. PP.*

(y) 3. *Parte quæst.* 27. *art.* 5.

SÆCULUM CHRISTI VIII.

TESTIMONIUM XXXVI.

S. Germanus, Patriarcha CP. Anno DCCX.

Salve non manufactum Tabernaculum, atque a DEO conditum, in quod semel in consummatione Sæculi solus DEUS, ac Summus Pontifex introivit. (z) Et alibi: (a) *Illa vero, quæ purissimam numeris omnibus materiam subministrat, muliebris naturæ Decus, & Ornamentum longe præstantissimum; cujus incorrupta Integritas modum omnem, comparationemque excedens, Cælestium Spirituum, eminentissimæ licet, Puritati collata, facile antecellit &c.* Superius autem (b) dixerat, *Christum descendisse tanquam pluviam in vellus, in Supereminentem, & Superimmaculatam omni ex parte Mariam.*

315. QUemadmodum Apostolus (c) CHRISTUM appellans, *Tabernaculum non manufactum*, sic exposuit, *idest non hujus creationis*: ita S. Germanus B. Virginem similiter appellans, *Non manufactum Tabernaculum*, sic etiam a nobis exponi potest: *idest*, *Non hujus communis Conceptionis*, qua scilicet cum Peccato, & sine Gratia concipimur. Reliqua S. Germani dicta ex se clamant summam, & incomparabilem DEI Genitricis Integritatem, omni Angelica Puritate præstantiorem.

TESTIMONIUM XXXVII.

S. Johannes Damascenus, Scholasticæ Theologiæ Præcursor, Anno DCCXXXI.

PRIMA SENTENTIA.

Natura Gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens. Quoniam itaque futurum erat, ut DEI Genitrix Virgo ex Anna nasceretur, Natura Gratiæ fœtum antevertere minime ausa est; verum tantisper expectavit, dum Gratia Fructum suum produxisset. Siquidem oportebat, eam Primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum Primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat. (d)

SECUNDA SENTENTIA.

Ad hunc Paradisum Serpens aditum non habuit, ubi falsæ divinitatis cupiditate flagrantes, jumentis comparati sumus. Ipse enim Unigenitus Filius, cum DEUS, & ejusdem cum Patre Substantiæ esset, ex hac Virgine, & Pura Terra Hominem sibi effinxit. (e)

316. SEnsus prioris Sententiæ non est, quod Gratia MARIAM sanctificavit, priusquam a natura produceretur; quem absurdum sensum nobis appingere conatur Valdesius. (f) Sed neque sensus est, quem ipse comminiscitur, scilicet MARIAM fuisse in Utero sanctificatam, priusquam natura eam ederet in lucem. Etsi namque ejus Sermonis titulus sit *de Nativitate DEI Genitricis*, ibi tamen Damascenus de ipsius mirifica Conceptione loquitur ex Matre sterili; cujus miraculi hanc *Aliam altiorem, & diviniorem rationem a se afferri posse, ait.* Sensus ergo est, quod DEUS voluit, MARIAM ex Matre sterili procreari, ne Anna ante MARIAM, quæ tempore præordinato concipienda erat per Gratiam, aliam prolem susciperet per Naturam, ut sic MARIA Primogenita in lucem ederetur. Adstipulatur autem hoc loco Damascenus Piæ Sententiæ, quia dum MARIAM, *Fructum Gratiæ, & Fœtum Gratiæ* appellat; ab hoc Fructu, & ab hoc Fœtu, in sui prima germinatione, Peccatum excludere videtur.

317. Similis huic est illa S. Germani Sententia: (g) „ Statim ergo, jubente DEO, natura Fœtum suscepit: neque enim ante Gratiam Divinam ausa erat suscipere; verum, cum illa prior ingressa esset, matrix hactenus clausa, portas suas aperuit, susceptumque a DEO pignus apud se retinuit, donec ejusdem voluntate, quod conceptum erat, in lucem prodiit. „ Quibus verbis significat, Conceptum Marianum, non tam Naturæ tribuendum esse, quam Gratiæ; & tanquam *susceptum a DEO Pignus*, Diabolo mancipatum nullo modo fuisse.

318. Posteriorem Damasceni Sententiam indicavi Actione I. *nu.* 75. quam hìc illustro. Serpens, qui ad hunc Paradisum, nempe ad MARIAM, aditum non habuit, est ille Serpens antiquus, qui Evam decipiens, Virus Originalis Peccati in ejus Posteros transfudit. Si ergo Serpens iste ad MARIAM aditum non habuit, quî potuit ipsam Originali Veneno inficere? Rationem etiam exhibet S. Damascenus, quia *Unigenitus DEI Filius ex hac Virgine, & Pura Terra, Hominem sibi effinxit.*

TESTI-

(z) *Orat. in S. Nativit. B. V. Deiparæ versus finem, pag. 457. tomi 2. Biblioth. Græco-Latinæ VV. PP.*

(a) *Orat. in Annuntiat. B. V. pag. 88. sui Marialis per Marracium.*

(b) *Ibid. pag. 72. ejusd. Marialis.*

(c) *Ad Hebræos cap. 9. ver. 11.*

(d) *Orat. 1. de Nativit. B. Virg. f. 330. sub initium.*

(e) *Orat. 2. de Assumpt. Ss. DEI Genitricis, fol. 353. pag. 2.*

(f) *Epist. 15. pag. 206. & seq.*

(g) *In Encomio S. Deiparæ, quando triennis præsentata est in Templo, pag. 63. col. 1. tomi 13. Bibl. PP.*

TESTIMONIUM XXXVIII.

Venerabilis Paulus, Diaconus Aquilejensis, Anno DCCLXXIV.

Si Dominus propter oves perditas missus est, & salvare quod perierat, & ut Peccatores ad pœnitentiam vocaret; quid necesse erat huic Sanctissimæ Matri, & Virgini, inæstimabili Sanctitatis munere prǣditæ, ut inter Publicanos, & Peccatores suo Domino, Filioque corporaliter adhæreret, a quo proculdubio spiritualiter in tempore nunquam creditur defuisse? (h)

319. SEgregat hoc loco Paulus Diaconus B. Virginem a Peccatoribus, ab Ovibus perditis, & ab omni eo, quod perierat; quod inæstimabili Sanctitatis munere prædita fuerit; & a Filio suo spiritualiter in tempore nunquam defuisse, credatur. Non ergo communem cum cæteris sortem incidendi in Originale Peccatum, illam subiisse putavit. Perierat etenim Homo, non solum personalibus delictis, verum etiam primò, & præcipue Originali Peccato.

TESTIMONIUM XXXIX.

B. Flaccus Albinus, sive Alcuinus, Bedæ Discipulus, Anno DCCLXXX.

Et recte quidem Auroræ implesti officium. (MARIAM affatur,) *Ipse enim Sol Justitiæ de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione præveniens, in te lucis suæ radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum, quos Eva induxerat, in fugam convertisti.* Et infra: *Tu pulchra es ut Luna, immo & pulchrior Luna: quia tota pulchra es, & macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio.* (i)

320. QUænam sunt potestates tenebrarum, quas Eva induxerat, nisi dominatus Diaboli, per Originale Peccatum in nos inductus? Hunc ergo dominatum Diaboli B. Virgo MARIA, divinæ Gratiæ præventa radiis, in fugam convertit, ne scilicet ad ipsam quoquo modo accederet. Et ideo tota pulchra fuit, & macula non fuit in ea, nec vicissitudinis obumbratio, per quam prius in umbra Peccati, postea in luce Gratiæ fuerit.

SÆCULUM CHRISTI IX.

TESTIMONIUM XL.

Haymo Episcopus Halberstatensis, circ. Annum DCCCXL.

Potest pars quædam hujus Capituli (scilicet 24. Eccli. Ab initio, & ante Sæcula creata sum &c.) *non incongrue DEI Genitrici aptari, quæ ab ipsa DEI Sapientia taliter creata est, ut per illam, ad redimendam humanam naturam, DEI Filius sine humana Concupiscentia crearetur.* (k)

321. CUm non dicat Haymo, quod DEI Genitrix ab ipsa DEI Sapientia *taliter sanctificata est*, sed *taliter creata est, ut per Illam &c.* Non obscure significat, DEI Genitricem, ab ipsa, & in ipsa sui creatione, a DEI Sapientia talibus Gratiæ donis instructam fuisse, *ut per Illam DEI Filius, ad redimendam Humanam Naturam, sine humana concupiscentia crearetur.* Unum autem ex iis Gratiæ donis proculdubio fuit, ab Originali Peccato, & a Fomite, qui ad ipsum consequitur, singularis exemptio. Et de hac Gratia potissimum loqui videtur idem Haymo, (l) ubi ait: *Nulli Homini, ex Mare, & Fœmina procreato, tanta Gratia collata est, quanta illi, quæ Creatorem suum meruit generare, a quo creata est.*

TESTIMONIUM XLI.

S. Joseph, Hymnographus nuncupatus, Syracusanus, circiter Annum DCCCLXXX.

Ab omni macula, & labe Immunis: Ab omni labe, & macula libera: Omni labe, & macula, & sorde carens: Ab omni labe vacua, ab omni prorsus labe pura, ab omni nævo munda: Unice Immaculata, summe Immaculata, tota sine macula: Sola Immaculata, sola sine omni macula, sola Pura supra omnem Creaturam: Culpæ nescia, Inculpatissima, omni prorsus Culpa vacans.

322. EXcogita, si potes, plures, & significantiores voces, quibus absolutissimam DEI Genitricis Innocentiam, ac Puritatem exprimere valeas. His elogiis Beatissimam Virginem frequenter exornat Nostras iste Sanctus in Theotociis suorum Hymnorum; (m) quorum plusquam trecenti in Ritualibus Græcorum Libris sunt inserti, ut observat P. Octavius Cajetanus. (n)

(h) *Homil. in Evang.* Intravit Jesus in quoddam Castellum. *col.* 274. *tom.* 9. *Collect. Veter. Scriptorum &c. a* Martene, *&* Durand. *edit.* Paris. an. 1733.

(i) *Sermone de Nativit. B.M.V. pag.*631. *tom.*1. *Biblioth. Virginalis.*

(k) *Homilia communi omnibus Festis B. Virginis, pag.* 551. *Partis æstivalis suar. Homiliar. edit.* Colon. an. 1537.

(l) *Homil. in Festo Annuntiat. fol.*105. *Partis Hyemalis alterius edit.* an. 1539.

(m) *V. illos in Actis Sanctor. Bolland. tom.* 4. *Julii, die* 17. *pag.*147. *In Vita S. Leonis Episc. Catanensis pag.*26. *tomi* 2. *Sanctor. Siculor. per* Octavium Cajetanum. *Et in Mariali ejusd. S. Josephi, quod ab* Hippolyto *editum est* Romæ an. 1661.

(n) *Tomo* 2. *Sanctor. Siculor. in Animadversion. ad Vitam hujus S. Josephi, n.* 20. *pag.* 247.

TESTIMONIUM XLII.

Georgius, Metropolita Nicomediensis, circ. Annum DCCCLXXX.

Hodierna diei Festivitas (Conceptionis scilicet B. Virginis) *spirituali luce Gratiæ supra modum effulgens, habet quidem ipsa per se jugem quendam splendorem.* Et paulò post: *Annuntiata nunc diei, Tabernaculi divini extructione,* (hoc est Conceptione DEI Genitricis) *Pietatis quidem fundamenta firmius stabiliuntur.* Et infra: *Hodie figitur Regis Porta, perquam nulli transitus patet,* (alludit ad Ezechiel. cap. 44. ver. 2.) *& quidem quadam & cogitatu majore ratione, per eam transituro præparatur.* Et alibi: *Angeli ejus, quæ Angelis erat nobilior, concipiendæ, faustas afferunt annuntiationes. Prænuntiant Angeli solvendam sterilitatem, ac per Eam disjectum iri medium Peccati parietem, prædicant.*

323. HÆc, & plura alia habet Georgius in prima, & tertia sua Oratione *de Conceptione B. Virginis*; *(o)* quibus hanc Conceptionem ita magnificat, & exaltat, ut nos dubitare non finat, quin ipsam crediderit Sanctam, & Immaculatam: ad cujus propterea celebrandam Solemnitatem, non unam, aut alteram tantum, sed tres integras, & egregias Orationes declamavit; ut alibi melius observabimus.

TESTIMONIUM XLIII.

S. Petrus, Argorum Episcopus, circ. Annum DCCCC.

Nunc omnium Regis CHRISTI, Templi Purissimi jaci fundamenta, contuens omnis Creatura, lætabunda gratias agit. Rursus: *Ex Anna & Joachim, prorsus Immaculatâ Dominâ, & Virgine ditati sumus, quæ nobis in Peccati servitute detentis, libertatem comparabit.* Et infra: *Quandoquidem nos, qui ob Peccatum, morti, corruptionique damnati eramus, DEI Incarnatione indigebamus; oportebat, ut quæ horum magnalium administra futura erat, Puritate omnes Homines antecelleret.* Et demum: *Quomodo intuentes Palatium Purissimum, quod omnium Regi, Christo præparatur, haud exultabunt.* (p)

324. EX his paucis excerptis colligere licet, quàm Puram, quàm Immaculatam, quàmque ab omni Peccato, & Damnatione alienam censuerit Sanctus iste Episcopus DEI Genitricis Conceptionem, in cujus Festivum Encomium, prolixam, & elegantissimam conscripsit Orationem: de qua Actione III. redibit sermo, ubi etiam videbimus, quis, & cujas fuerit hic Auctor, quove tempore claruerit.

TESTIMONIUM XLIV.

Theophanes Cerameus, Episcopus Thauromenitanus in Sicilia, circiter Annum DCCCXC.

Videns Populum meum, Gregem DEO dilectum, ad sacram hanc ædem, tanta cum Religione concurrentem, in qua Dominæ nostræ, OMNI EX PARTE PURISSIMÆ, *Imago non manufacta collocata est, magnopere lætor &c.* (q)

325. P. Franciscus Scorsus Panormit. Soc. Jesu, primus nostri Theophanis accuratus Interpres, & Illustrator, *Nota 2. in Homil. LIX.* ad ea verba, *Omni ex parte Purissimæ*, advertit: *Congessi multas voces ad explicandam unam πανυπέραγνος, nec dum fortassis assecutus sum ejus ἔμφασιν; sed quidquid in hac voce continetur, eoque plus, B. Virginis Sanctitati, & Puritati convenit.*

326. Hunc Auctorem Guillelmus Cave transfert ad an. 1040. Sed malo credere laudato Interpreti, qui *in Conjectaneis de Theophanis Vita §. 4. & seqq.* probat, eum circa annum designatum floruisse. In Menæis Græcorum ad diem XXIII. Februarii, Ode quarta sub nomine S. Theophanis, leguntur de B. Virgine hæc elogia: *A cunctis sordibus incontaminata, & super omnes inculpatos Inculpatissima Domina.* Sed alius videtur esse hic Theophanes, etsi non sequioris ætatis: eodem enim ævo Theophanis Cerامei, plures alios claruisse Theophanes, P. Scorsus observat.

SÆCULUM CHRISTI X.

Obscurum nuncupatum.

TESTIMONIUM XLV.

Leo VI. Orientis Imperator, cognomento Sapiens, seu Philosophus, Anno DCCCCI.

Cum adhuc in paternis lumbis contineretis, Progenitor tuus clamabat: Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere Populum tuum, & domum Patris tui. (Psal. 44. 11.) *Audisti vero, o Filia, commonitionem, & oblita es Populi tui, & fortis, & domus Paternæ; fortis videlicet illius, quam tua Progenitrix toti Generi*

(o) *Pag. 691. & pag. 701. tom. 12. Bibl. M. PP.*
(p) *Orat. in Conceptionem S. Annæ, quando concepit S. DEI Genitricem, quam in calce hujus Operis exhibebimus, erutam & latine redditam ex ms. Codice Monasterii S. Salvatoris prope Messanam.*
(q) *Homil. 59. in Salutar. Transfigur. D. N. Jesu Christi pag. 398. ejus Homiliar. GL. edit.* Paris. an. 1644. *& V. pag. 604. col. 2. pro* Nota.

Generi distribuit, immenso illo dolorum cumulo, quasi hæreditatis vice, dato: & nihil horum in domum tuam intulisti: propterea dilexit te Rex, ob Animæ tuæ pulchritudinem, Sponsamque sibi delegit. (r)

327. HÆc Sententia æternam DEI prædestinationem de præservanda B. Virgine ab Originali Peccato, & hunc ejus effectum in tempore consecutum, tam clare videtur exprimere, ut ad peculiaria, & expressa Testimonia non immerito referri posset. In sorte illa funesta, quam Eva toti Humano Generi distribuit, & in immenso illo dolorum cumulo, quod quasi hæreditatis vice dedit; certe comprehenditur Originale Peccatum, quod origo, & radix est omnium malorum Generis Humani. Dum ergo B. Virgo nil istorum in domum suam, hoc est in pulchram Animam suam intulisse dicitur, & ideo a DEO dilecta, & in Sponsam delecta; perspicue ab eo Originali Peccato Immunis fuisse pronuntiatur.

328. Leoni Imperatori, & Philosopho, mirabiliter concinit simplex Fr. Conversus, sed cœlitus edoctus, Joseph a S. Benedicto, (de quo Act. I. num. 112.) eundem enim Psalmi locum sic exponit: (rr) „ *Populum*, inquit, *tuum obli-* „ *viscere*, quia tenebræ prædictæ (*scilicet*, Ori- „ nalis Peccati, *de quo supra locutus erat*) com- „ prehederunt illum. Deinde: *Et domum Patris* „ *tui*, Adæ; quia in Adam omnes moriuntur. „ Verumtamen *Non pro te*, MARIA, *sed pro omni-* „ *bus hæc lex constituta est.* Nam *Via es, in qua* „ *Lux habitat*, Job 38. 19.) & ideo *concupiscet* „ *Rex decorem tuum.* „

329. Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die VIII. Decembris, & Gerardus Vossius in Notis ad Orationem S. Ephræmi ad B. Virginem MARIAM, *pag.* 710. testantur, græce extare in Mss. Græcis Codicibus Biblioth. Sfortianæ *num.* 65. Orationem Encomiasticam hujus Leonis VI. Imperatoris *de Conceptione B. Mariæ V.* Quamquam Hippolytus Marracius, in Præfatione ad suum *Leonis VI. Mariale*, dolet, Orationem istam se invenire non potuisse.

330. Florebat hoc Sæculo Johannes Geometra; cujus Testimonium pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione tam splendidum est, ut propriam sibi sedem vindicet Actione VI.

SÆCULUM CHRISTI XI.

TESTIMONIUM XLVI.

S. Fulbertus, Episcopus Carnotensis, Anno MVII.

PRIMA SENTENTIA.

Hoc igitur in primis astruere fas est, quod Anima ipsius, (B. Virginis; *& Caro, quam elegit, & habitaculum sibi fecit Sapientia DEI Patris, ab omni macula*, (al. *malitia*) *& immunditia, Purissima fuerunt, affirmante Scriptura* (*Sap. I. 4.*) Quoniam in malevolam Animam non introibit Sapientia, nec habitabit in Corpore subdito peccatis. *Item e contra confidenter asserimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui plenitudinem gratiæ DEI Nuntius asserebat inesse.* (s)

SECUNDA SENTENTIA.

Quanta, putamus, provisio fuerit Sanctorum Angelorum circa tam DEO gratissimos Parentes, (Joachimum, & Annam, *ab initio suæ procreationis; & excubatio super tam insignem Sobolem? Numquid abfuisse credendus est Spiritus Sanctus ab ista eximia Puella, quam sua obumbrare disponebat virtute?* (t)

331. PRior Sententia generalis est, excludens a B. Virgine omnem prorsus Maculam, & Immunditiam, & adstruens omnem Gratiam. Hanc Sententiam refert, & laudat Richardus a S. Laurentio, libro V. de Laudibus B. MARIÆ Virginis, non longe ab initio, citans *Homiliam approbatæ consuetudinis*, quæ sunt verba initialia hujus Sermonis Fulberti.

332. Posterior Sententia propius ad rem accedit; dum & Parentibus B. Virginis ab initio procreationis Angelos adstitisse, & ab ipsa B. Virgine, Spiritum Sanctum non abfuisse, fidenter asserit.

333. Ven. Petrus Canisius (*u*) Fulbertum allegat, quod B. Virginem in hunc modum salutaverit: *Ave Maria electa, & insignis inter Filias, quæ Immaculata semper extitisti, ab exordio tuæ Creationis, quia paritura eras Creatorem* (al. *Auctorem*) *totius Sanctitatis.* Eadem verba ex Fulberto profert antiquus Scholasticus, Franciscus Martini, Ord. Carmelit. (x) addens hæc alia intermedia: *Quæ non fortuitu, solo placito Parentum, ut plerique, sed Divina Dispensatione nomen accipis; quæ Immaculata &c.* Et hi quidem locum non citant, sed Raynaudus (*y*) ci-

(r) *Orat.* 3. *in Annuntiat. B. V. M. pag.* 50. *in ejus Mariali*, *per* Hippolytum Marracium *ex mss* | *Græcis Codd. latine edito* Romæ an. 1651.

(rr) *In Tract. de Laudib. V. M. in sua Concept. n.* 18. *pag.* 196. *edit. cit.*

(s) *Serm.* 1. *de Navit. B. M. V. pag.* 38. *tom.* 18. *Biblioth. M. PP. & fol.* 134. *ejus Operum*, *edit.* Paris. an. 1608.

(t) *Serm.* 3. *in Ortu Almæ V. Mariæ* Immacul. *pag.* 40. *ejusd. tomi Biblioth. & fol.* 141. *Operum.*

(u) *Lib.* 1. *de Maria Deipara cap.* 7. *pag.* 74. *vers. finem.*

(x) *Tract.* 5. *de Concept. B. V. Ratione* 116. *in Cod. ms, qui extat in Biblioth. Colleg. Romani Soc. Jesu. Est autem ratio* 96. *ex Centum hujus Auctoris, quas affert* P. Bonaspes *in libro, cui titulus*: Visio Eliæ Prophetæ &c. *disp.* 3. *dubio* 7. *pag.* 341. *edit.* Antuerp. an. 1665.

(y) *In Pietate Lugdunensi pag.* 280. *tom.* 8.

tat Tractatum, *Super missus est*, *cui conseritur explicatio Salutationis Angelicæ*: quem tamen invenire non potui.

TESTIMONIUM XLVII.

S. Petrus Damianus, S.R.E. Cardinalis, Anno ML.

Cum fecerit DEUS omnia sua opera valde bona, melius fecit, conservans sibi in Ea (B. Virgine) *Reclinatorium aureum, in qua sola, se post tumultus Angelorum, & Hominum reclinaret, & requiem inveniret.* (z)

334. TUmultus Hominum, de quo loquitur Damianus, fuit proculdubio primorum Hominum Peccatum, quod in totum Genus Humanum transfusum est. Si ergo DEUS post hunc tumultum, in sola B. Virgine, quam tanquam Reclinatorium aureum sibi conservavit, requiem invenit; perspicuum est, quod sola B. Virgo a DEO præservata fuit, ne illius tumultus particeps fieret. Hanc Sententiam illustrant, quæ addit inferius: (*a*) *Numquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit pravitatem? Aut in Terra, quæ sub maledicto Adam spinas emittit, & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi in Utero Virginis.* Alteram ejusdem S. Cardinalis Sententiam ponderavimus *Art. I. num.* 104. Tertiam magis expressam, Act. VI. preferemus.

TESTIMONIUM XLVIII.

Michael Psellus Junior, Philosophus dictus, Anno MLX.

Inter tot Animas omnium Hominum, qui salvantur, ut Electa Columba, est una illa sola, quæ CHRISTUM genuit, Virgo Mater, Puella MARIA, quæ Puritate perfectâ (al. *profecto*) *Cherubim, & Seraphim antecellit.* (b)

335. EXponens hoc loco Psellus verba illa Canticorum: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & Adolescentularum non est numerus. Una est Columba mea, Perfecta mea:* Tres Electorum ordines, ac gradus apte distinguit, *Filios*, *Mercenarios*, *Servos*. Tum subjungit, „ Has classes, atque hos ordines Salomonem prospexisse, atque Divino „ afflatum Spiritu, tanto ante vidisse, Verbi, „ Sponsi Purissimi, Incarnationem, &, quæ „ ipsum sine semine genuit, Sanctissimam DEI „ Genitricem, MARIAM, illam Immaculatissimam, quam omnibus, omnes omnium Hominum Generationes, vocibus nunquam cessantibus Beatissimam prædicant, quæ totius „ Mundi peperit Salvatorem. „ Et tandem expressius concludit verbis allegatis: *Inter tot Animas omnium Hominum &c.* quibus DEI Genitricis Puritatem, Seraphicæ etiam Puritati præfert: de cujus Prælationis virtute actum est *nu.* 264. *& seq.*

TESTIMONIUM XLIX.

S. Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, Anno MLXXXI.

Decens erat, ut ea Puritate, qua major sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui DEUS Pater Unicum Filium, quem de Corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus, idemque communis DEI Patris, & Virginis Filius; & quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat; & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur ille, de quo ipse procedebat. (c)

336. HOc loco, D. Anselmus non auctoritate tantum sua, sed multiplici etiam ratione nos permovet. Ad commendandam DEI Genitricis Puritatem, nihil sublimius dici poterat; & ad eam comprobandam, nihil efficacius. Hæc autem talis, ac tanta Puritas, ab Originali etiam Labe abhorrere videtur: cum & ex hac Matris Puritate inferat Anselmus Originalem CHRISTI Justitiam. *Quoniam*, inquit, *de Justo Patre secundùm Divinam, & de Justa Matre secundùm Humanam Naturam, Justus ab ipsa Origine, ut ita dictum sit, natus est: non incongrue pro Originali Injustitia, quam omnes alii Filii Adam habent, a sua Origine Justitiam Originalem habere dicendus est.*

337. Istam D. Anselmi sententiam versans D. Thomas, (*d*) sic eam luculenter exponit: *Puritas intenditur per recessum a Contrario, & ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione Peccati inquinatum sit: & talis fuit Puritas B. Virginis, quæ a Peccato Originali, & Actuali immunis fuit: fuit tamen sub DEO, in quantum erat in Ea potentia ad peccandum.* Nec est sibi contrarius idem S. Doctor, cùm alibi (*e*) ad hunc eundem Anselmi locum respondet: *Hæc Puritas non indigendi Redemptione, soli Homini DEO debebatur.* Neque enim hanc Puritatem non indigendi Redemptione, admittit quisquam in B. Vigine, cùm ejus Puritatem ab Originali etiam Peccato liberam adstruit, ut alibi sæpe declaratum est.

338. Censet nihilominus P. Vasquez, (*f*) laudato S. Anselmi Testimonio non evinci, B. Virginem nunquam in Peccato Originis fuisse; sed

(z) *Sermone de Annuntiat. B.V.M. sub initium, pag.* 28. *tom.* 2.
(a) *Pag.* 30. *ibid.*
(b) *Paraphrasi in Cantica, cap.* 6. *v.* 7. *pag.* 588. *tom.* 18. *Biblioth. M. PP.*
(c) *In lib. de Conceptu Virginali cap.* 18. *pag.* 103. *& V. cap.* 20. *pag. ead.*
(d) *In* 1. *lib. Sententiar. dist.* 44. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 3. *fol.* 137. *col.* 1. *tom.* 6.
(e) *In* 3. *lib. Sentent. dist.* 3. *quæst.* 1. *ar.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 3.
(f) *Tomo* 2. *in* 3. *Partem disp.* 117. *cap.* 11. *ad finem.*

fed tantùm, eo tempore, quo ex illa CHRISTUS conceptus est, ejusmodi eximia Sanctitate præditam fuisse. *Neque enim*, inquit, *peccatum præteritum minorem facit esse Sanctitatem, quàm si non præcessisset, sed ex statu præsente ejus dignitas, & magnitudo expendenda est.*

339. Sed valde miror, doctissimum Virum in hanc alienissimam interpretationem abiisse. Non loquitur Anselmus de *Sanctitate*, quæ secundùm *Positivum*, (ut ajunt) a peccato præterito non minuitur; sed loquitur signanter de *Puritate*, quæ (ut módo audivimus a D. Thoma) *intenditur per recessum a Contrario*; atque adeo crescit, vel decrescit ex majori, vel minori recessu a contrario, idest a peccato. Negari autem non potest, quod magis a peccato recedit, qui illud nunquam habuit, quàm qui semel habuit, sicuti magis recedit a peccato, qui nunquam illud habiturus sit, quam qui olim sit habiturus. Secus de illo, qui usque ad hodiernum diem vixerit in peccatis, & sit etiam deinceps in peccatis victurus; dummodo hodie Purus, & apprime Sanctus sit, dicere possemus, quod *ea Puritate niteat, qua major sub DEO nequit intelligi.* Profecto si Puritatem minuit, solum posse peccare, dicente D. Thoma, Puritatem B. Virginis fuisse sub DEO, *quia in ea erat potentia ad peccandum*; quanto magis Puritatem inficit, aliquando peccasse, vel peccaturum esse?

340. Porro D. Anselmum, hoc etiam ejus Testimonio prætermisso, fuisse unum ex primariis Piæ Sententiæ Assertoribus indubitatis, Actione VI. late demonstrabimus.

TESTIMONIUM L.

Eadmerus, sive Edinerus, D. Anselmi Discipulus, & Sodalis, Anno MLXXXVII.

Pura Sanctitas, & Sanctissima Puritas purissimi pectoris ejus, omnem omnis Creaturæ Puritatem, sive Sanctitatem transcendens, incomparabili sublimitate hoc promeruit, ut Reparatrix perditi Orbis dignissime fieret. Et paulo post: *Nec enim Summi DEI Sapientia ullam in massa creationis humanæ viam constituit*, (al. *invenit*) *per quam, ut disposuerat, in Mundum veniens, tam luctuosæ perditioni subveniret, donec ad istam, de qua loquimur, Virginem ventum esset: Sed hæc mox ubi in Mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni Virtute, atque Constantia*, (al. *Substantia*) *perfecte resplenduit, ut eam ipsa Sapientia DEI, uti a Sæculis prædestinaverat, vere dignam judicaret, per quam in Hominem veniens, non modo Reatum primorum Hominum, sed & totius Mundi peccata deleret &c.* (g)

341. PRioribus verbis illam eandem S. Anselmi, Magistri sui, generalem Sententiam expressit, quam nuper laudavimus, & illustravimus. Posterioribus autem verbis ad rem propius accedit, cum ait: *Nec enim Summi DEI Sapientia ullam in massa Creationis Humanæ viam invenit &c. donec ad istam Virginem ventum esset:* Quibus verbis, B. Virginem a massa damnata Creationis Humanæ segregare videtur. Quare subjungit: *Sed hæc mox ubi in Mundum per Humanæ Generationis lineam venit*, idest statim atque genita est, *omnis boni virtute, atque constantia perfecte resplenduit, ita ut eam ipsa Sapientia DEI vere dignam judicaret &c.* Quod si illud, *mox ubi*, posterioritatem aliquam indicare tibi videtur; memento *Posterioritatis naturæ*, superius explicatæ, cum qua bene cohæret, quod B. Virgo in ipso instanti reali suæ Conceptionis eam copiosam Gratiam habuerit. Librum de *Excellentia B. Virginis*, unde hoc Testimonium decerpsimus, tribuendum non esse S. Anselmo, sed Eadmero, ejus fidissimo comiti, jam diximus *n.* 106.

TESTIMONIUM LI.

S. Bruno, Theologus Parisiensis, & Carthusianorum Institutor, Anno MLXXXVIII.

Dominus de Cœlo in Terram aspexit, dum de regalibus sedibus in Uterum Virginis venit. Hæc enim est Incorrupta Terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni propterea Peccati contagione libera, per quam Vitæ viam agnovimus: Quæ, quia digna fuit, Dominus de Cœlo in Terram aspexit. (h)

342. TErra ista, idcirco ab omni Contagione libera fuisse dicitur; quia ei benedixit Dominus, cum omnis alia terra fuerit Originali Maledicto supposita; & quia per eam, Vitæ viam agnovimus. Quis autem non videat, his argumentis, a B. Virgine Originariam quoque Contagionem excludi?

TESTIMONIUM LII.

Jacobus, Monachus Græcus, circ. Annum MXC.

Quapropter etiam Intemeratam illam generant, (de MARIÆ Parentibus loquitur) *illam nobis Regenerationis Auctricem, illam nobis Reformationis causam, per quam, DEI in nobis oblita Imago, ad pristinum rediit decorem: per quam vetus nostra Conspersio renovata est, per quam exuentes Peccati tunicas, Lucis stolam induimus.* (i)

343. DE hujusmodi elogiorum virtute satis dissertum est in Superioribus. Illud hîc speciale, quod titulus *Intemeratæ*, B. Virgini in

(g) *Lib. de Excellentia V. Mariæ cap. 9. pag.* 140. *col.* 2.
(h) *In Psal.* 101. *pag.* 400. *ejus Operum edit.* Coloniens. an. 1611. & *pag.* 169. *edit.* Parisiens. an. 1524.

(i) *Orat. in Nativit. DEI Genitricis Mariæ pag.* 724. *col.* 1. & *V. pag.* 727. *col.* 2. *tom.* 12. *Biblioth. M. PP.*

in ipsa sui Conceptione attribuitur eis verbis : *Intemeratam illam generans.* Quod & aliis verbis infra declarat Jacobus : *O Germen*, inquit, *cujus beneficio, Arboris illud emarcuit Crimen! Germen, ex quo Lignum Vitæ, cum carne enatum prodiit, per quod Mors per inobedientiam inducta, radicitus extirpata est &c.* Nam Germen proprie dicitur, quod primum e semine pullulat, atque assurgit.

344. Noster Possevinus in Apparatu Sacro *Tomo II. pag.* 81. hujus Jacobi Monachi, præter hanc orationem de *Nativitate B. Virginis*, a nobis allegatam, aliam memorat manuscriptam de *Conceptione B. Virginis.* Temere autem suspicatur Combefisius, Possevinum ex illa una oratione de *Nativitate*, plures fecisse. Nam Leo Allatius, (a quo ipse Combefisius Orationem de Nativitate accepit,) in hisce rebus oculatior, in Diatriba *de Simeonibus, & eorum scriptis pag.* 104. inter plures alias nostri Jacobi Orationes Mss. præter illam *de Nativitate*, recenset Orationem *in Conceptionem Sanctissimæ Deiparæ Mariæ*, cujus & initium recitat. Assignavimus autem huic Auctori annum, quem ipsi assignat Casimirus Oudinus Tomo II. ad annum 1090. a quo non multum distat Guillelmus Cave, qui eum reponit anno 1101.

Testimonium LIII.

S. Bruno Astensis, Episcopus Signiensis, Anno MXCV.

Hæc linea (generationis) *incipit ab Eva, & desinit in MARIAM. In principio Mors, & in fine Vita consistit. Mors per Evam facta est, Vita per Mariam reddita est. Illa a Diabolo victa est; hæc Diabolum ligavit, & vicit. Cum enim ab Eva usque ad ipsam* (MARIAM) *linea extendatur, in ipsa tandem ille hamus ligatus, & incarnatus est, per quem captus est ille Leviathan* (V. Job. XL. 20. & 24.) *Serpens antiquus, qui est Diabolus, & Satanas; ut qui per Fœminam in Regnum intravit, per Fœminam de Regno extraheretur: & qui Fœminam illusit, & suis sibi vinculis ligavit, ab hac una Fœmina illuderetur, & ligaretur.* (k)

345. TAm illustria antitheta inter Evam, & MARIAM, satis indicant, quòd hìc Sanctus Bruno minime credidit, B. Virginem in prima sui Creatione Peccati Mortem subiisse, & a Diabolo illusam, victam, atque ligatam fuisse.

346. Nomine S. Brunonis Carthusiani hoc Testimonium allegat noster Ferdinandus de Salazar in suo opere *de Conceptione* B. V. Sed Maurus Marchesius, Decanus Cassinensis, istud Opus Sententiarum, unde allatum Testimonium desumptum est, & alia quædam Opuscula illi S. Brunoni olim adscripta, huic Brunoni Astensi egregie vindicat; quem sequuntur Curatores Bibliothecæ Maximæ Patrum.

SÆCULUM CHRISTI XII.

Testimonium LIV.

Ven. Hildebertus, ex Cenomanensi Episcopo, Archiepiscopus Turonensis, Anno MCIV.

Caro CHRISTI in divina Scriptura diversis exprimitur similitudinibus &c. Hic autem (Cant. 3. 11.) *per Diadema, quo Mater sua MARIA eum coronavit. Et bene dicitur coronasse, quia non de ardore libidinis concepit, nec Peccato Originali, sicut aliæ solent, deturpavit eum, aut dehonestavit; sed Immaculata, & Intacta, & Immunis ab omni Peccato, Sanctum Sanctorum edidit, Munditiæ Florem, omnium Redemptorem.* (l)

347. QUod MARIA Mater CHRISTI, *nec Peccato Originali Christum deturpavit, aut dehonestavit*, dupliciter intelligi potest : primò, quod in eum non transfudit Originale Peccatum, quo ipsum deturpasset. Secundò, quod Ipsa non contraxit Originale Peccatum, quo tanquam infami nota, eum dehonestasset : quandoquidem, ut ajebat D. Thomas, *Ignominia Matris ad Filium redundat.* Et utrumque sensum Hildebertus exprimere voluisse videtur : primum, quia prædixerat, quod non *de ardore libidinis concepit*; alterum quia subjungit, sed *Immaculata, & Intacta, & Immunis ab omni Peccato, Sanctum Sanctorum edidit, munditiæ Florem.* Quare merito ab Editore apposita est ad hunc locum in margine hæc notula : *B. Virgo Immunis ab omni Peccato etiam Originali.*

Testimonium LV.

B. Ivo, Episcopus Carnotensis, Anno MCV.

Quomodo autem Matrem Carnis suæ sanctificavit, deinceps audiamus, ut inde lætetur Catholicus, immundus confutetur Hæreticus. Omnem quippe nævum tam Originalis, quam Actualis Culpæ in ea delevit: sicque Carnem de Carne ejus sumens, eandem in divinam Munditiam transformavit. (m)

348. CUm omnem Originalis perinde, ac Actualis Culpæ Nævum, in DEI Matre deletum dicat B. Ivo; unius, ac alterius Nævi deletio eodem modo intelligenda est. Sicut ergo in B. Virgine deletio Nævi Actualis Culpæ, debet accipi pro deletione, impediente Culpam Actualem;

(k) *Lib. 5. Sententiar. de Laudibus B. V. M. cap. 1. de Nativit. ejusd. pag.* 211. *& seq. tom.* 2. *ejus Operum edit.* Venet. an. 1651. *& pag.* 1790. *col.* 2. *tom.* 20. *Bibliothecæ Max. PP.*

(l) *Serm.* 3. *in Festo Assumpt. B. Mariæ, & de Laudibus ejus, col.* 537. *ejus Operum edit.* Parisiens. an. 1708. curante, & illustrante Antonio Beaugendre Ord. S. Benedicti ex Congr. S. Mauri.

(m) *Serm. de Nativ. Domini pag.* 550. *col.* 2. *Collect.* Melchioris Hittorpii *edit.* Colon. Agripp. an. 1597.

Actualem; ita deletio Nævi Originalis Culpæ accipi debet pro deletione, impediente Culpam Originalem. Et hac ratione Caro de Carne illius assumpta, idonea fuit, ut *in divinam munditiam transformaretur.*

TESTIMONIUM LVI.

Rupertus, Abbas Tuitiensis, Anno MCX.

De Calceamentis hic agitur, non Corporis, sed Spiritus, in quo discalceatum esse, vel discalceatam, summa est ignobilitas, & plusquam servilis egestas. Idcirco Ancillæ calcaneum Serpens momordit. Tu autem o Filia Principis, bene calceata, Caput Serpentis contrivisti &c. (n)

349. EXplanat hoc loco Rupertus verba illa Canticor. VII. 1. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis:* & hanc Filiam Principis MARIAM intelligit, sicut Ancillam intelligit Evam. Sensus ergo est, quod antiquus ille Serpens, qui Evæ calcaneum momordit, quo morsu in totum Genus Humanum virus immisit; MARIAM bene calceatam, hoc est singulari Gratia præventam, attingere non potuit, cum ipsa potius ejusdem Serpentis Caput contriverit. Unde & in consequentibus ait: *Tu, o Dilecta singularis, libera es ab omni jugo Peccati.* V. Act. I. nu. 79. luculentam ejusdem Ruperti expositionem in illud Genesis cap. 3. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & Ipsa conteret Caput tuum.* Clariorem alium Ruperti locum Act. VI. proferemus.

TESTIMONIUM LVII.

Honorius, Augustodunensis Ecclesiæ Presbyter, Anno MCXX.

Pulchra bis prædicatur, quia sine interiori, & exteriori macula declaratur. Rursus: *Et quia in te non est Peccati macula, veni de Libano &c.* Et iterum: *Columba mea, Spiritu Sancto plena, Immaculata mea, ab omni sorde Peccati segregata.* (o).

350. UBique excludit Honorius a B. Virgine omnem Maculam, sordemque Peccati. Hunc Auctorem transfert Bellarminus ad annum 1220. Tritemius tamen, Sixtus Senensis, & alii rectius collocant anno designato, ut ex ejusdem scriptis colligitur.

351. Omitto Nicetam Bizantinum, Philosophum, & Doctorem dictum, qui hoc eodem anno claruit, & Sanctam DEI Genitricem, *Immaculatissimam*, non semel appellat *pag.* 704. Tomi primi *Græciæ Orthodoxæ* Leonis Allatii, editæ Romæ anno 1652. Quia hujusmodi B. Virginis titulus, frequentissimus est apud Græcos.

TESTIMONIUM LVIII.

D. Bernardus, Abbas Clarævallensis, Anno MCXXX.

Vehementer quidem nobis, dilectissimi, Vir unus, & Mulier una nocuerunt: Sed gratias DEO: per unum nihilominus Virum, & Mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. (p) Præterea: *Factor Hominum, ut Homo fieret, nasciturus de Homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, immo condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram; voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus.* (q)

352. D. Bernardum non adversari Piæ Sententiæ, Actione VI. ostendemus: Ei verò potiùs favere, etsi non palam, ex allegatis Sententiis colligimus. De prioris Sententiæ efficacitate satis constat ex dictis. Efficacior est posterior Sententia. Dum enim, ait, *Quod Factor Hominum talem sibi debuit*, non tantum, *deligere*, sed, *immo condere Matrem, qualem se decere sciebat, & de qua Immaculata Immaculatus procederet*; non obscure indicat, B. Virginem conditam esse a DEO *Immaculatam*, atque adeo absque ulla Labe Originalis Peccati.

353. Duo alia produci solent, tanquam D. Bernardi, Testimonia, unum ex Sermone IV. super *Salve Regina*; alterum ex Sermone XIII. in *Cœna Domini.* Quæ quidem Testimonia, etsi congrua sint, nòn sunt tamen legitima. Opera enim illa, Bernardi non esse, jam constat apud Criticos, ut alibi videbimus.

TESTIMONIUM LIX.

Hugo de S. Victore, Anno MCXXX.

Totum, quod in te est, pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum. In toto grata, in nullo ingrata; in toto places, in nullo displices. Tota Pulchra es, Pulchra per Naturam, Pulchra per Gratiam, Pulchrior fies per Gloriam. (r) Et alibi (s) *Tantum a dolore Mortis facta est extranea, quantum a corruptione fuerat aliena.*

354. In

(n) *Lib. 6. in cap. 7. Canticor. de Incarnat. Domini pag.* 53. *edit.* Colon. an. 1540.

(o) *In Sigillo B. Mariæ, ubi exponitur Canticum Cantic. cap.* 1. *pag.* 1219. *col.* 2. *& cap.* 4. *pag.* 1221. *col.* 2. *& cap.* 5. *pag.* 1222. *to.* 20. *Bibl. M. PP.*

(p) *Serm. in Domin. infra oct. Assumpt. B. V. in ea verba Apocal.* Signum magnum &c. *pag.* 1006. *similia habet Homilia citanda.*

(q) *Homil.* 2. *super* Missus est, *col.* 736. *& seq. primi voluminis.*

(r) *Serm.* 9. *ex lib.* 100. *Sermonum, qui sermo inscribitur, in Festivit. Concept. B.V. fol.* 220. *col.* 1. *tom.* 2. *edit.* Venet. an. 1588.

(s) *Eruditionis Theologicæ lib.* 3. *tit.* 125. *de Assumpt. & decem Præconiis B.M.V. fol.* 121. *col.* 4. *tom.* 3.

354. IN primo loco, de B. Virgine explanans Hugo verba illa Canticorum: *Tota Pulchra es Amica mea, & Macula non est in te:* omnem ab ea sordem penitus arcet, eamque in toto gratam, & DEO placentem enuntiat. Locupletiorem ejusdem Hugonis explanationem obtulimus Actione I. *n.* 122.

355. In altero loco rem ipsam tangere videtur. Cum enim mortis dolor, Originalis Peccati pœna sit; dum B. Virginem *tantum a dolore mortis extraneam fuisse* dicit, *quantum fuerat a Corruptione alienam*; Corruptionis nomine, Originale Peccatum intelligit, & ab hoc Virginem alienam fuisse significat.

356. Casimirus Oudinus in dissertatione de Hugonis Operibus Tom. II. ad annum 1160. quædam opera ipsi attributa, tanquam spuria rejicit; sed quæ a nobis sunt allegata, non attingit. Extat S. Bernardi Epistola ad hunc Hugonem, qui dictus est lingua S. Augustini.

Testimonium LX.

Richardus a S. Victore, S. Bernardi Amicissimus, Anno MCXXX.

MARIA itaque supra Homines est in eo, quod nunquam Peccatum commisit, sicut Homines, inter quos nullus invenitus est, qui faciat bonum, & non peccet. *Supra Angelos quoque est, quia eos puritate supergreditur, dum Divinitatem clarius illis contemplatur. Nec tantum Peccatum non commisit, sed etiam aliorum Peccata delevit, nec solum in se lucida fuit; sed etiam lucis radios ex se emisit, quia per eam Mundus Lumen Gratiæ accepit. Inter Divina itaque, & Humana, Media, & Mediatrix est Maria, ut Humana supergrediatur, dum tam sublimia per Filium operatur.* (t)

357. ETsi prioribus verbis sola MARIÆ Puritas ab Actualibus Peccatis exprimatur; posterioribus tamen, etiam Puritas ab Originali Peccato indicatur. Siquidem ejus Puritas Angelicæ Puritati anteponitur; & talis, ac tanta fuisse dicitur, ut per eam aliorum etiam peccata, (in quibus includitur Originale) deleta sint, & Lumen Gratiæ Mundus acceperit. Hæc Sententia lucem accipit ab alia, quam ex eodem Richardo recitavimus in Apparatu *n.* 89.

358. Quod si fidem (ut par est) habeamus gravibus, & antiquis Sæculi XIV. Scholasticis, Petro Aureolo, (*u*) Johanni Bachoni, (*x*) & Francisco Martini; (*y*) Richardus noster non tantum Piæ Sententiæ allegatis verbis velificatus est, verum etiam fuit ejusdem Assertor egregius. Quem ajunt de hoc argumento peculiarem Sermonem scripsisse, unde hæc verba refert Bacho: *Non decuit, ut Caro illa B. Mariæ, Peccato aliquando obnoxiam se cognoverit, sed electa est ab initio: nam DEI Sapientiâ indignum esse credimus, ut quam ad lumen Gentium prædestinavit, tenebris pravitatis sineret involvi.* Sed & plura alia fragmenta exhibet Franciscus Martini.

Testimonium LXI.

Arnoldus Carnotensis, Abbas Bonævallis, D. Bernardi Discipulus, & Familiaris, Anno MCXXX.

Nihil in hac re (scilicet in Partu B. Virginis) *petiit ultio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum usuram. Spiritu Sancto obumbrante, incendium originale* (Concupiscentiæ fomitem intelligit) *extinctum est. Ideoque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat Justitia, ut illud Vas electionis communibus lassaretur* (al. *lacesseretur*) *injuriis; quoniam plurimum a cæteris differens, natura communicabat, non Culpa &c.* (z)

359. HAnc Sententiam non melius, quàm ipsissimet P. Gabrielis Vasquez verbis (*a*) enucleaverim: „ Quamvis, *inquit*, ideo solum videatur asserere, (*Arnoldus*) MARIAM „ sine dolore peperisse, quia sine delectatione „ carnali concepit: tamen, si recte expendatur, „ ideo potius sentit, MARIAM sine dolore peperisse, quia nullam Culpam Originalem contraxit, quando dicit: *Naturâ communicabat, non Culpâ.* Nec enim Mulieres, ideo in dolore pariunt Filios, quia cum delectatione „ concipiunt; siquidem Mulier, quæ in somnis „ &c. conciperet sine delectatione, in dolore nihilominus pareret: sed quia Originali Peccato „ conceptæ, maledictionis Evæ participes fiunt. „ Ad Evam enim propter Peccatum dictum est „ (Gen. III.) *In dolore paries Filios.* Quæ quidem maledictio ad Posteros simul cum Peccato Originali transivit &c. Et quamvis in „ B. Virginem transierint aliæ pœnæ Peccati „ Originalis sine ipsa Culpa, qualis fuit Mors, „ & aliæ corporis molestiæ; tamen maxime decens fuit, ut hæc pœna pariendi in dolore ad „ ipsam non transiret, eo ipso, quod ad eam Peccatum Originale derivatum non fuit. „

360. Hoc eodem anno claruit Hervæus Gallus, Monachus Ord. S. Benedicti; & non multo post B. Ogerius, seu Oglerius Abbas Cisterciensis; qui clarissimum Immaculatæ B. MARIÆ Virginis Conceptioni Testimonium dedere: Et ideo ad propriam, & peculiarem sedem, remittendi sunt.

TESTI-

(t) *Parte 2. Exposit. in Cantica, cap. 39. pag. 153. col. 2. edit.* Venetæ an. 1592.

(u) *In 3. Sent. dist. 3. quæst. 1. art. 1. pag. 379. edit.* Rom. an. 1605.

(x) *In 4. Sent. dist. 2. quæst. 4. art. 1. pag. 314. edit.* Cremon. an. 1618.

(y) *Tractatu 5. de Immacul. Concept. B. V. M. ratione 79,* (quæ in mss. est 94.) *& pluribus seqq. a pag. 361. apud Bonaspem lib. cit. de Magni Filiæ Visione.*

(z) *Lib. de Operibus Christi Cardinalib. Tit. seu Sermone de Nativit. Christi, pag. 446. Operum S. Cypriani* (cui falso iste liber est adscriptus) *ex recens.* Jacobi Pamelii.

(a) *Tomo 2. in 3. par. disp. 117. cap. 2. n. 33.*

TESTIMONIUM LXII.

Ven. Gerhohus, Præpositus Richerspergensis, Canonicor. Regular. S. Augustini, Anno MCLIX.

Terram hanc benedictam a terra maledicta, spinas, & tribulos germinante, segregatam visitasti, proprio adventu tuo, factus Caro in Utero Virginis, Flos benedictus de Terra benedicta, germinans Fructus benedicti Ventris: quod recognoscens Angelus, Benedicta, *inquit*, Tu in Mulieribus &c. Et iterum: *Quæ, de Terra maledicta, spinas, & tribulos germinante, ad hoc fuit segregata, ut germinaret Salvatorem.* (b)

361. PEr segregationem istam Terræ Benedictæ a Terra Maledicta, pronum est intelligere segregationem B. Virginis a reliqua massa corrupta Humani Generis; ejusque Præservationem ab Adæ Peccato, quod maledictionem induxit in Terram. Explicationem hanc V. Act. I. *n.* 111.

TESTIMONIUM LXIII.

Petrus Blesensis, Archidiaconus Bathoniensis, Anno MCLXVIII.

Natus est itaque Filius DEI de Virgine Incorrupta, sicut plasmatus est primus Homo Adam de Terra Virgine, & Inviolata. (c) Et infra: (d) *Magna, & omni laude dignissima fuit Mater, & Virgo MARIA Beatissima.....concepit nempe sine pudore, peperit sine dolore, & hinc migravit sine corruptione, juxta verbum Angeli, immo DEI per Angelum, ut plena, non semiplena Gratiæ esse probaretur; & DEUS, Filius ejus, antiquum, quod quidem docuit, mandatum fideliter adimpleret, videlicet Patrem, & Matrem honore prævenire; & ne Caro Christi Virginea, quæ de Carne Matris Virginis assumpta fuerat, a tota discreparet.*

362. PRior Sententia desumpta est ex illa S. Andreæ Apostoli, quam in I. Testimonio allegavimus; & eodem modo intelligenda. In posteriori Sententia tres subduntur rationes ad probandum, quod B. Virgo, & Mater MARIA *hinc migravit sine corporis corruptione:* quæ eò efficacius probant, quod eadem B. Virgo huc venerit sine Animæ corruptione, hoc est, fuerit absque Originali Labe concepta; quò fœdior est Animæ, quàm Corporis corruptio. Has Sententias eruimus ex Fidei Instructione, quæ missa est ab Alexandro III. ad Soldanum Iconii, ut narrat Matthæus Paris; (e) conscripta tamen fuit a Petro Blesensi.

363. Testimonia Ecberti Abbatis Schonugiensis, Nicolai Monachi S. Albani in Anglia, & Petri Abbatis Cellensis, quæ ad hoc Sæculum spectarent; cum splendida sint, ad Act. VI. reservamus.

APPENDIX.

Axiomata duo Theologica, ex Patrum Traditione collecta, quibus Sensus, & Cultus Illibatæ Conceptionis Marianæ comprobatur.

PRIMUM AXIOMA.

Privilegium, sive Donum, ad Gratiam gratum facientem pertinens, & ad majorem Animæ Sanctitatem, perfectioremque cum DEO unionem conducens, quod in aliquem DEI Servum novimus esse collatum; DEI Genitrici negare non debemus.

364. HOc Axioma expresse traditur a D. Bernardo: (f) *Quod*, inquit, *vel paucis Mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est, suspicari, tantæ Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam.* Et magis universe stabilitur a D. Thoma: (g) *Rationabiliter creditur, quod illa, quæ genuit Unigenitum a Patre, plenum Gratiæ, & Veritatis, præ omnibus aliis majora Privilegia Gratiæ acceperit.* Colligitur autem ex communi Patrum Doctrina, DEI Matris Sanctitatem, & Gratiam, Reliquorum omnium Sanctitati, & Gratiæ præferentium. Plures hujuscemodi Patrum Sententias supra retulimus, alias hoc loco superaddimus.

365. Divus Chrysostomus in quodam Sermone, apud Metaphrasten: (h) *Quidnam illâ sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res, visibiles, & invisibiles, una hac majus, aut excellentius inveniri potest.* S. Petrus Chrysologus Sermone 2. de Annuntiat. B. M. V. (i) *Singulis Gratia se est elargita per partes: Mariæ vero simul se dedit Gratiæ plenitudo.*

366. S. Gregorius Magnus in primum librum Regum: (k) *Annon Mons sublimis Maria, quæ, ut ad Conceptionem Æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, usque ad Solium Deitatis evexit &c. Mons in vertice montium fuit, quia Altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit.* S. Johannes Dama-

(b) *Commentario in Psal. 64. super ea verba*, Visitasti terram &c. *Extat col.* 1211. *tomi* 5. *Thesauri Anecdotor.* Bernardi Pez, & Felicis M. Wirtenberger *edit.* Augustæ Vindelic. & Græcii an. 1728.

(c) *In Instruct. Fidei ad* Soldanum Iconii, *pag.* 515. *edit. suor. Oper.* Moguntinæ an. 1600. *ex recensione* P. Joannis Busæi.

(d) *Ibid. pag.* 517.

(e) *In Historia Majori ad* an. 1169. *pag.* 80. & 81. *edition.* Parisiensis an. 1644.

(f) *In sæpe cit. Epistola* 174. *ad* Canonicos Lugdunenses.

(g) 3. *Parte quæst.* 27. *art.* 1.

(h) *Legitur hic Sermo in Officio quintæ diei infra octavam Nativitatis B. M. V.*

(i) *Serm.* 143. *pag.* 365.

(k) *Cap.* 1. *lib.* 1. *col.* 9. *tomi* 3.

Damascenus oratione prima in Dormitionem DEI Genitricis: (*l*) *Infinitum DEI Servorum, ac Matris discrimen est.* S. Petrus Damianus Sermone primo de Nativitate B. M. V. *Attende Seraphim, & in illius superioris Naturæ supervola Dignitatem; & videbis quidquid majus est, minus Virgine, solumque Opificem opus istud supergredi.* Et Sermone tertio: *Non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum huic Beatissimæ Virgini poterit comparari. Quid enim Sanctitatis, quid Justitiæ, quid Religionis, quid Perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius Divinæ Gratiæ charismate plena fuit.* (*m*)

367. Eandem de DEI Genitricis Eminentia supra omnes Sanctos, & Angelos, altissimam existimationem, quæ fuit in Patribus, in Populo quoque Christiano, ab eis erudito, fuisse, perspicuum est. Huc pertinet, quod Andronicus Comnenus Protosebastus, in Dialogo contra Judæos (quem scripsit circa annum 1180. ut probant Cave ad an. 1183. & Oudinus ad an. 1180.) refert: [*n*] videlicet, in quodam libro Judaico antiquo se legisse: *Quid tantopere Mariam extollunt Christiani, Cherubinis augustiorem, Seraphinis sine comparatione digniorem, Cælis sublimiorem, Solaribus Radiis PURIOREM appellantes.*

368. Hujus autem Marianæ Eminentiæ rationem affert D. Bernardus, [*o*] similem illi, quam Apostolus adduxit ad Hebræos *cap.* 1. *v.* 4. & 5. ut CHRISTUM Angelis longe superiorem ostenderet: *Cui enim* (ait Bernardus) *Angelorum aliquando dictum est*: Spiritus Sanctus superveniet in te &c. *Tantoque excellentior Angelis facta, munere singulari, quanto differentius præ Ministris nomen Matris accepit.*

369. Jam vero ex probato Axiomate palam conficitur, Originalis Gratiæ, & Sanctitatis Donum B. Virgini a DEO non fuisse negatum. Quia hoc Donum non tantùm collatum est Angelis in prima ipsorum Creatione; verum etiam primis Parentibus Adamo, & Evæ, juxta communem Patrum, & Theologorum Sententiam, ut diximus in Apparatu *n.*30. Quamobrem S. Anselmus, ut Illibatam Matris DEI Conceptionem evinceret, id ipsum Axioma usurpavit: [*p*] *Quidquid dignum unquam de aliquo, extra suam Personam voluit,* (Dominus) *perperam est,* (dicere) *de Te, o Beatissima Fœminarum, noluisse.*

SECUNDUM AXIOMA.

Omnibus, infra DEUM, & CHRISTUM, officiis, atque obsequiis, quæ ab Ecclesiæ institutis, & moribus non devient, Sanctissima DEI Genitrix colenda nobis, & devincienda est.

370. HOc Axioma expressum videtur illis verbis Sanctissimi Martyris, & Pontificis, Martini Primi: [*q*] *Quisquis, Beatam super omnem Creaturam, & Naturam Humanam, absque eo,* (hoc est illo excepto) *qui genitus est ex ea, venerabilem, semperque Virginem, Matrem scilicet Domini nostri, non honorat, atque adorat; anathema sit, & in præsenti Sæculo, & in futuro.*

371. Colligitur etiam ex aliis Patribus communiter, qui, ut singularem DEI Genitricis cultum, & venerationem, Fidelium Animis efficacius insinuent, ejus potentissimam apud Deum deprecationem, & præsentissimam opem, miris modis exaltant.

372. S. Germanus Patriarcha CP. [*r*] „ Nemo „ DEI cognitione repletus, nisi per te, o Sanctissima; nemo salvus, nisi per te, o Deipara; nemo periculorum expers, nisi per te, Virgo Parens; (*al.* Dilecta DEO) nemo redemptus, nisi per te, DEI Mater; nemo donum per misericordiam consequutus, nisi per Te, o Digna, quæ DEUM caperes &c. Non enim potes non exaudiri, cum DEUS, ut veræ, ac intemeratæ Matri suæ, quo ad omnia, & per omnia, & in omnibus morem gerat. „ „ *Obediat*, vertit Petavius.

373. B. Petrus Cardinalis Damianus: [*s*] „ Nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem Beatitudinis relevare. Quomodo enim illa Potestas tuæ Potentiæ poterit obviare, quæ de Carne tua, Carnis suscepit originem? Accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis Altare non solum rogans, sed imperans; Domina, non Ancilla. „

374. Observat Petavius, infra citandus, istas Patrum locutiones, quibus dicitur *DEUS obedire Virgini, tanquam Matri, & hæc illi imperare*; similes esse illi, qua Josue X. 14. dicitur *DEUS obedisse voci Hominis*, cum orante Josue, *stetit Sol in medio Cæli*; monetque, „ Esse imperium illic non proprie sumptum, quale Domini est jubentis, sed orationem, & postulationem efficacem, & certam ex ingenti, & singulari fiducia, quæ omnino, quæcumque vult, obtinet „ Ab isto etiam loquendi modo non abhorruit Gravissimus Theologus Johannes Gersonius in Sermone de Annuntiatione B. Virginis, [*t*] ubi ait: *Per hoc, quod B. Virgo est Mater DEI, habet veluti auctoritatem, & naturale dominium ad totius Mundi Dominum, & a fortiori ad omne id, quod huic subjectum est Domino.*

375. S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, Orat. XLV. ad B. Virginem: [*u*] „ Habet „ Orbis Apostolos, Patriarchas, Prophetas, „ Martyres &c. Tu verò Domina iis omnibus „ Adjuto-

(l) *Versus finem fol.* 351. *pag.* 1.
(m) *Pag.* 121. & *pag.* 128. *tomi* 2.
(n) *Pag.* 61. *tomi* 26. *Bibl. Max. PP.*
(o) *Serm. de Nativit. B. V. M. de Aquaductu col.* 1016. *primi volum.*
(p) *Cap.* 4. *Libri de Concept. passiva B.V.* (quem ipsi Act. VI. vindicabimus) *pag.* 147. *edit.* Lugd. an. 1630.
(q) *In ejus Actis apud* Surium *tom.* 7. *pag.* 830. & *in ipsius Epistola ad* Theodorum, *quæ extat in Collectaneis* Anastasii Bibliothecarii, *col.* 507. *tom.* 3. *Operum* Jacobi Sirmondi, *edit.* Parisiens. an. 1696.
(r) *Serm.* 2. *in Dormit. Ss. Deiparæ pag.* 68. *col.* 2. *tom.* 13. *Bibl. M. PP.*
(s) *Serm.* 45. *primo de Nativit. B. V. pag.* 122. *tom.* 2.
(t) *Considerat.* 4. *col.* 1366. *tom.* 3.
(u) *Pag.* 277. *col.* 2. *edit.* Gerberon.

„ Adjutoribus melior, & excelsior es &c. Et „ quod possunt omnes isti tecum, Tu sola potes „ sine illis omnibus. Quare hoc potes? Quia „ Mater es Salvatoris nostri, Sponsa DEI, „ Regina Cœli, & Terræ. „ Et Oratione LI. [x] „ Sicut enim, o Beatissima, omnis a Te „ aversus, & a Te despectus, necesse est, ut „ intereat; ita omnis ad Te conversus, & a Te „ respectus, impossibile est, ut pereat. Sicut „ enim Dominus DEUS genuit illum, in quo „ omnia vivunt, sic, o Tu Flos Virginitatis, „ genuisti eum, per quem Mortui reviviscunt. „

376. Hanc Orationem ex Antiquioribus referunt, & laudant Richardus a S. Laurentio, [y] & S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus. [z] Ejusdem partem alteram expressit Eadmerus, Anselmi Discipulus, in libro de quatuor Virtutibus B. MARIÆ: [a] quem librum perperam Lampridius tribuit ipsi Anselmo.

377. S. Bernardus Abbas Claraevallensis: [b] „ Altius intueamini, quanto devotionis affectu „ a nobis Eam voluerit honorari, qui totius „ Boni plenitudinem posuit in MARIA: ut pro„ inde, siquid Spei in nobis est, siquid Gratiæ, „ siquid Salutis; ab Ea noverimus redundare. „ Totis ergo medullis cordium, totis præcor„ diorum affectibus, & votis omnibus MARIAM „ hanc veneremur: quia sic est Voluntas ejus, „ qui totum nos habere voluit per MARIAM. „ Idem argumentum prosequitur S. Bernardinus Senensis. [c]

378. Laudatis Patrum Documentis instructa Ecclesia, quibuscunque potest Officiis, suam erga Sanctissimam DEI Genitricem, Religionem, ac Pietatem ubique testatur. Præter frequentes in Sacrosancto Missæ Sacrificio, in Ecclesiastico Officio, ac cæteris Precibus, B. Virginis Commemorationes, & Invocationes; ad Eam quotidie, ut ad *Matrem Misericordiæ*, *Vitam*, *Dulcedinem*, *& Spem nostram*, per Antiphonam, *Salve Regina*, *clamare*, *& suspirare* nos docet: atque in ejusdem honorem, tredecim Festa, Divinis Officiis, quotannis celebranda instituit: quorum quinque, scilicet Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Assumptionis, ex præcepto ab omnibus Christifidelibus observari mandavit.

379. Antiphonam porro illam, *Salve Regina*, ab Angelis Ecclesiam didicisse, colligitur ex iis, quæ Johannes, nomine Heremita, Sæculi XII. Scriptor, in vita S. Bernardi [d] refert; nempe S. Abbatem quadam nocte vidisse in Ecclesia Sanctam DEI Genitricem, in medio duorum Angelorum; & voce Angelica audivisse decantari Antiphonam, *Salve Regina*, ab initio usque ad finem: eamque animo retentam, postea scripsisse, atque Domino Papæ Eugenio transmisisse, ut ex præcepto Auctoritatis Apostolicæ, per Ecclesias solemnis haberetur, in honorem Beatæ, & Gloriosæ DEI Genitricis MARIAE. *Quod*, (subdit Historicus) *& factum est*, *& adhuc plerique testantur*. Sed lege notas fusiores Cl. V. Joh. Mabillonis in opera S. Bernardi [e].

380. Ex hoc autem Axiomate, Patrum, & Ecclesiæ auctoritate firmato, aperte deducitur, commendatum olim a Patribus tacite fuisse Cultum singularem, quem hodie Fideles Immaculatæ DEI Genitricis Conceptioni deferunt; quippe qui ab Ecclesiæ moribus, & institutis, non modo non deviat; sed potius iisdem maxime consonat, immo & debetur.

LAMPRIDIANI SCRUPULI EX FERVENTIUM MARIAE CULTORUM ANIMIS EVELLUNTUR.

381. AB Instituto divertens Lampridius, [f] ad moderandam nimiam, ut ipse putat, erga DEI Genitricem Fidelium pietatem, quosdam injicit scrupulos, qui etsi cordatis frigidam suffundunt, quò vehementius ardeant; ne tamen pusillis offendiculo sint, eos hoc loco evellere, opus est.

382. Scrupulus I. *Potest & hæc ipsa devotio erga illam* (B. Virginem) *excedere fines*, *ab Ecclesia statutos*, *& in superstitionem etiam dilabi*.

383. Evellitur. Nihil est in Ecclesiastica Disciplina tam Sanctum, & tam ratum, in quo quis exorbitare, & errare non possit. Num ergo, ob vanum imaginariæ superstitionis timorem, Marianæ Pietatis Officia, tantopere a Patribus commendata, impensius colere desistamus? Inter tot Hæreses, ab Ecclesia proscriptas, una dumtaxat legitur Collyridianorum, eaque muliebris, & brevi extincta, quæ indebitum cultum MARIAE tribuebat [g]. Plurimæ autem, quin & fere omnes hujus temporis Hæreses, Antidicomarianitarum sunt, quæ debitum cultum, & honorem DEI Genitrici exhibere recusant.

384. Scrup. II. *Celebratum illud Antiquorum*, Nequid nimis, *locum in ejus quoque cultu habere debet*.

385. Evell. Hæc *nova inanitas est querentium de Nimio Deiparæ cultu*: quam Raynaudus ipse, (quem pro se laudat Lampridius) late insectatur; [h] ubi inter alia refert pulcherrimam illam S. Germani Sententiam: [i] *Et in quavis quidem alia re datur plane satietas*; *in laudanda vero*, *& celebranda Virgine*, *non est*, *præ jucunditate voluptatis epulantium*, *modus*. Poterat autem & illud, brevius quidem, sed expressius S. Bonaventuræ dictum [k] laudare: *Cui*, (scilicet B. Virgini) *nullus potest esse nimis devotus*. Unde Seraphicus Doctor monet: *Quacumque ergo hora*, *quacumque die*, *aliquis Fidelium eum*

[x] *Pag.* 281. *col.* 2. *ejusd. edit.*
[y] *Lib.* 2. *de Laudib. B. Mariæ*, *part.* 5. *col.* 136.
[z] *Tomo* 4. *Summæ Theolog. tit.* 15. *cap.* 14. §. 7. *fol.* 177. *col.* 2. *edit.* Lugdunens. an. 1529.
[a] *Cap.* 4. *pag.* 145. *col.* 2. *Operum* Eadmeri, *post Oper. S. Anselmi*, *edit. cit.*
[b] *Serm. in Nat. B. V. M. de Aquæductu num.* 6. *&* 7. *col.* 1014. *primi volum.*
[c] *In Tract. de B. Virgine serm.* 3. *art.* 3. *cap.* 2. *pag.* 91. *tom.* 3. *edit.* Venet. an. 1591.
[d] *Lib.* 2. *de Vita S. Bernardi num.* 7. *col.* 1287. *volum.* 2. *Oper. S. Bernardi*, *edit.* Mabillon.
[e] *Notâ* 303. *ad Serm.* 1. *super* Salve Regina, *in calce voluminis* 1. *Operum S. Bernardi col. CXVII. & seq.*
[f] *Cap.* 2. *a pag.* 14. *ad* 18.
[g] *V.* D. Epiphanium *Hæresi* 79. *a pag.* 334. *edit.* Paris. an. 1566.
[h] *In Dypichis Marianis puncto* 10. *num.* 38. *pag.* 238. *tom.* 7.
[i] *Orat.* 1. *in Præsentat. Beatiss. DEI Matris*, *pag.* 42. *sub Marialis*, *editi per* Marracium Romæ an. 1650.
[k] *In Lib.* 3. *Sent. dist.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. *pag.* 34. *col.* 2. *tom.* 5.

cum totis præcordiis, & visceribus honoret Virginem, increpandus non est pertinaciter, ne ipsius Virginis animadversio incurratur.

386. Scrup. III. *Errabit, qui nulla posse, nisi per Virginem SS. impetrari a DEO beneficia, doceat, aut credat.*

387. Evell. Errarunt ergo Patres illi, ab ipso etiam Dionysio Petavio laudati, qui conceptis verbis id docuerunt? Absit. Si, (ut ajebat D. Bernardus) *Sic est voluntas ejus, - totum nos habere voluit per Mariam:* Quæso te, *Num Dei possumus resistere voluntati?* [l] Sic autem esse voluntatem DEI, non modo a citatis Patribus didicimus, sed etiam ab iis omnibus cum Græcis, tum Latinis, numerosissime adductis a Petavio, [m] qui omnes uno ore clamant, B. Virginem constitutam a DEO fuisse Humani Generis, post CHRISTUM, Mediatricem. Quid enim aliud est, DEUM constituisse B. Virginem Humani Generis, post CHRISTUM, Mediatricem; nisi voluisse, ut a CHRISTO tanquam a Capite, per MARIAM, tanquam per Collum, vitales Divinæ Gratiæ Spiritus per totum Ecclesiæ Corpus diffunderentur?

388. Scrup. IV. *Sancti Anselmi verba sano illo sensu accipienda, & explicanda sunt, quem Theophilus Raynaudus sapienter, & secundum Ecclesiæ mentem iis tribuit &c.* (pag. 238. tomi 7.)

389. Evell. Non indigent verba Anselmi, si bene perpendantur, expositione, ut ad sanum sensum reducantur. Non dixit Anselmus: *Omnis ad te conversus*, dumtaxat, *impossibile est, ut pereat:* quasi certam salutem quibuscumque Deiparæ Cultoribus spondeat. Sed *Omnis ad te conversus, &*, simul, *a te respectus; impossibile est, ut pereat.* Quæ vero difficultas in hoc, quod is, quem DEI Mater ob sui clientelam, benigno vultu respicere dignetur, hoc est pro cujus æterna Salute suas efficacissimas preces DEO offerat; certò illam sit consecuturus? Huc advoca, quæ de potentissima DEI Genitricis Intercessione, idem S. Anselmus, S. Germanus, & B. Petrus Damiani, supra relati scripserunt.

390. Scrup. V. Est *Doctrina Catholicæ Ecclesiæ in Conc. Trid. sess. XIV. cap. 8. Quod omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur &c.*

391. Evell. Quid hæc in rem præsentem? Vetat ibi Concilium vanam Gloriationem in nostris viribus. *Non habet*, inquit, *Homo, unde glorietur: sed omnis Gloriatio nostra in Christo est, &c.* Numquid etiam vetat, in Matre CHRISTI gloriari; cujus Gloria in ipsum CHRISTUM redundat? „ Non est dubium, (*ait S. Bernardus* [n]) „ quidquid in laudibus Matris proferimus; ad „ Filium pertinere: & rursum, cùm Filium „ honoramus, a gloria Matris non recedimus. „ „ *Quia, ut arguit Arnoldus Carnotensis* [o] „ Cum debitæ venerationis summa ad CHRISTUM respiciat, ex cujus plenitudine roratum „ est desuper, quod MARIA prædicatur Gratia „ Plena; manifestum est individuam esse Ma„ tris, & Filii Gloriam, & communem esse u„ triusque præconium. „

392. Scrup. VI. *Natalis Alexander Ord. Præd. &c. Operæ pretium duxit exponere, quid significent in* Salve Regina, *verba illa*, Spes nostra salve; *ne in errorem Fideles inducantur, & ne vera devotio in superstitionem degeneret.*

393. Evell. Utilius, & laudabilius Natalis Alexander operam suam navasset in refellendis Hæreticis, qui Catholicos, Antiphonam, seu Precationem illam recitantes, erroris, & superstitionis calumniose insimulant. „ Ex omnibus „ Officii partibus (*inquit Cardinalis Bellarminus* [p]) nihil est, quod magis Hæreticis no„ stri temporis displiceat, quam Antiphona illa, „ quæ incipit: *Salve Regina.* „ Et Ven. Petrus Canisius: [q] „ Nihil vero, *ait*, magis invi„ sum est Adversariis, nihil ab illis tam fœde, „ & blaspheme in hoc Cantico sugillatum, præ„ ter quam, quod ex MARIA Virgine Spem „ quoque nostram facere videamur. „ Quamobrem Andreas Scurius Jansenianus, & devotus Arnaldi Discipulus, precationem istam belgice reddidit immutatam, & pro, *Spes nostra*, supposuit: *Quæ paris eum, in quo speramus:* ut refert P. Jacobus Fontana, [r] subjungens: *Spem nostram vocare purum Hominem, videtur istiusmodi Augustini Discipulis periculosum.* Si ergo præfatam Antiphonam necessario exponendam ducamus, mirum quantum Heterodoxis placebimus!

394. Concludo hoc argumentum adversus istos Criticos Marianæ Pietatis, mellifluis verbis doctissimi, ac Devotissimi Petri Abbatis Cellensis: [s] „ Cataractas Cœli, & Fontes Abyssi li„ bentius in obsequium Virginis solverem, quàm „ clauderem. Et si Filius ejus JESUS aliquid „ omisisset in prærogativa exaltationis suæ Ma„ tris; ego Servus, ego Mancipium, non qui„ dem de effectu, sed saltem affectu supplere „ gestirem. Mallem certe non habere linguam, „ quàm aliquid dicere contra Dominam no„ stram; ante eligerem non habere Animam, „ quàm vellem ejus extenuare Gloriam. „ Utinam hoc omnes saperemus!

ANACEPHALAEOSIS.

395. Conferat jam nunc, studiosus Lector, Traditionis seriem, ab Adversa Parte contextam, cum ea, quam nos pro Pia Parte adornavimus; & ea, qua pollet sinceritate, ac perspicacia, utra alteri præponderet, dijudicet. Id ut citius præstet, quatuor inter unam, &

[l] *Genesis cap. 50. v. 19.*
[m] *Lib. 14. de Incarnat. cap. 9. a pag. 237. tom. 6. Theologic. dogmatum.*
[n] *Homil. 4. super* Missus est, *num. 1. col. 749. primi volum.*
[o] *De Laudib. B. Mariæ pag. 1281. col. 1. tomi 22. Bibl. Max. PP.*
[p] *Lib. 1. de Bonis Oper. in partic. qui est de Orat. cap. 15. pag. 611. tom. 4.*
[q] *Lib. 5. de Maria Deipara cap. 13. col. 931. & seq.*
[r] *In Constit.* Unigenitus, *Theologice propugnata, in prop. 4.* Quesnell. *cap. 12. col. 536. tom. 4.*
[s] *Lib. 6. Epistolar. epist. 23. ad* Nicolaum S. Albani *pag. 879. col. 2. tomi 23. Bibl. M. PP.*

& alteram feriem, quæ mihi vifa funt, difcrimina in afpectum profero.

396. I. Noftra Traditio ab ipfis Apoftolicis temporibus deducta eft; & ita deinceps continuata, ut procedentibus Sæculis in apertam totius Ecclefiæ profeffionem eruperit. Traditio Contraria non prius, quàm a tertio CHRISTI Sæculo, utcunque inchoari potuit, & quidem per Teftimonia extra propofitum vagantia: progreffu autem temporis, qualifcunque illa fuerit, paulatim defecit, & tandem penitus evanuit.

397. II. Traditionem Noftram tria fupra fexaginta Patrum Teftimonia commendant, eaque non folùm legitima, verum etiam rei conficiendæ idonea, ut in fingulis oftendimus. Pro, Contraria Traditione, exclufis fpuriis, confictis, & adulteratis, non plufquam feptem fupra viginti Patrum Teftimonia colligi potuerunt; quorum pleraque inepta, vel exorbitantia; cætera, parum, vel nihil concludentia, ut etiam oftenfum eft.

398. III. Generalia Teftimonia, quæ in Noftra Traditione allegavimus, de B. Virginis Immunitate ab omni Macula, & Peccato, ejufque fingulari, & eximia Sanctitate, ac Puritate fupra omnes Homines, & Angelos Sanctos; aliquam exceptionem, aut expofitionem pati, feu recipere nulla neceffitas cogit, nulla ratio fuadet. Illa vero Teftimonia itidem Generalia, quæ in Contraria Traditione producta funt, de lapfu totius Humani Generis, de folius DEI, vel folius CHRISTI immunitate ab omni Peccato; Exceptione, aut Expofitione aliqua indigere, certis argumentis evincitur, ut Art. II. late perfecuti fumus.

399. IV. Implicita Teftimonia, quæ in Noftra Traditione fonant, de B. Virginis Oppofitione cum Eva, Cooperatione ad Redemptionem noftram &c. ejufdem Immunitatem ab Originali Peccato, rationabiliter concludere, vidimus. Quæ verò in Contraria Traditione audiuntur, de Carne Peccati, de B. Virginis Sanctificatione, vel Emundatione a Peccato &c. Modi loquendi funt; quos alium, atque alium fenfum habere poffe, imo & debere, dicto Art. II. monftratum eft.

400. Perpenfa igitur Traditione Patrum Generali, & Implicita, (quæ potiffima eft in præfenti Caufa) hanc totam, quantacunque eft, nihil Contrariæ Sententiæ, plurimum Piæ Sententiæ favere, imo & affipulari deprehendimus. Quid eft ergo, quod Adverfarii de Veterum Patrum Traditione tantopere gloriantur? Sed vetus hoc vitium eft, quod in quibufdam graviter reprehendit Magnus Pontifex, S. Gregorius. [1] „ Ut ea, *inquit*, quæ afferunt, commendent „ ftultis mentibus Hominum, quafi de antiqui- „ tate poffint, antiquos Patres fe habere te- „ ftantur, atque ipfos Doctores Ecclefiæ, fuæ „ profeffionis Magiftros dicunt; cumque præ- „ fentes Prædicatores defpiciunt, de Antiquo- „ rum Patrum Magifterio falfa præfumptione „ gloriantur; ut ea, quæ ipfi dicunt, etiam „ antiquos Patres tenuiffe fateantur, quatenus „ hoc, quod rectitudine aftruere non valent, „ quafi ex illorum auctoritate confirment. „

[1] *Lib.* 12. *Moralium in cap.* 15. *Job. cap.* 28. *num.* 33. *col.* 405. *tom.* 1.

ACTIO TERTIA.

CATHOLICÆ ECCLESIÆ TESTIMONIA.

PROLUSIO.

1. POST Divinam Scripturam, & Apostolicam Traditionem, tertius locus Theologicus, seu potius tertia Fidei Regula, eaque Viva, est Ecclesia Catholica: cujus nomine intelligimus Congregationem Fidelium, sub uno Capite CHRISTO Domino, & ejus in terris Vicario, Romano Pontifice, per Baptismi Sacramentum, & veram Fidem consociatorum. Jam, quanta sit ejus Auctoritas, & quotuplex Testimonium, dicamus.

CATHOLICÆ ECCLESIÆ AUCTORITAS, SUMMA.

2. QUam magna sit Ecclesiæ Auctoritas, tribus verbis expressit Apostolus, [*a*] eam appellans, *Columnam, & Firmamentum Veritatis.* Et nemo est inter Sanctos Doctores, qui summam in Ecclesia auctoritatem non veneretur. Unum proferam Augustinum, cui duos Scholasticæ Theologiæ Principes adjungam.

3. S. Augustinus, *lib. contra Epistol. Manichæi*, quam vocant, *Fundamenti*, [*b*] hæc habet: „ Ego verò Evangelio non crederem, nisi „ me Catholicæ Ecclesiæ commoveret Auctori- „ tas. „ *Et paulo post:* „ Catholicorum auctori- „ tate infirmata, jam nec Evangelio credere po- „ tero, quia per eos illi credideram. „ Nec solum totius omnino Ecclesiæ, verum etiam totius fere Ecclesiæ Testimonium, omnino recipiendum esse vult Augustinus, *in Epistola ad Evodium*, [*c*] ubi agens de iis, quos CHRISTUS ad Inferos descendens, a doloribus Inferni solvit: „ Et „ de illo quidem, *inquit*, primo Homine, Pa- „ tre Generis Humani, quod eum inde solve- „ rit, Ecclesia fere tota consentit. Quod eam „ non inaniter credidisse, credendum est; un- „ decumque hoc traditum sit; etsi Canonicarum „ Scripturarum hinc expressa non proferatur au- „ ctoritas.

4. Doctor Angelicus, D. Thomas, [*d*] probaturus, quod Judæorum Filii, invitis Parentibus, non sint baptizandi, ab hoc capite exorditur: „ Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ „ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmu- „ landa: quia & ipsa Doctrina Catholicorum „ Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. „ Unde magis standum est Auctoritati Ecclesiæ, „ quam auctoritati vel Augustini, vel Hierony- „ mi, vel cujuscumque Doctoris. „ Quo textu citato, Natalis Alexander [*e*] opportune monet: „ Quamobrem & S. Thomæ Doctrinæ, „ atque opinioni præponendam opinionem, „ *(Piam scilicet Sententiam)* in quam propen- „ det, & cui favet Ecclesia; præponendam pu- „ blicam Fidelium devotionem, quæ ex Spiritu „ Pietatis Sancto est; ex ejusdem Angelici Do- „ ctoris principio colligitur. „

5. Doctor Seraphicus, S. Bonaventura, in defensionem Mendicantium Ordinum S. Dominici, & S. Francisci, contra Magistrum Guillelmum sic arguit: [*f*] „ Constat, quod Universalis „ Ecclesia per totum Mundum hujusmodi Ordi- „ nes, & Status acceptat. Concludendum est „ ergo secundùm dictum hujus Hominis unius, „ quod Universalis Ecclesia tota erravit, & de- „ cepta fuit.... Quod est horribilissimum, & „ incredibilissimum, quod DEUS permitteret er- „ rare universaliter Populum Sanctum suum, & „ tantam multitudinem Sapientium, qui hæc „ tempora præcesserunt. „

6. Observat hoc loco Melchior Canus, [*g*] ea, quæ de Ecclesiæ auctoritate dicuntur, de cujuscumque temporis Ecclesia intelligenda esse: „ Non solum, *inquit*, Ecclesia antiqua in Fi- „ de errare non potuit, sed ne Ecclesia quidem, „ quæ nunc est, quæve futura est usque ad con- „ summationem Sæculi, errare in Fide, aut po- „ test, aut poterit. *Quia nimirum* Pollicitationes „ CHRISTI de Præsentia sua, de Spiritu Verita- „ tis, de Regno ipsius sempiterno, de Corpo- „ re, cujus ipse erat futurus Caput, non ad Ec- „ clesiam modo, quæ fuit tempore Apostolo- „ rum, verum etiam ad Ecclesiam Catholicam, „ quæ futura erat in Sæculi finem, pertinere ne- „ cessum est. „ Aliam alibi [*h*] rationem insinuat: quia *Definitio dubiorum, quæ circa Fidem modò exoriuntur, ad præsentem Ecclesiam pertinet.*

7. Huc

[*a*] *Primâ ad* Timoth. *cap.* 3. *ver.* 15.
[*b*] *Cap.* 5. *n.* 6. *col.* 154. *tom.* 8.
[c] *Epist.* 164. (aliàs 93.) *cap.* 3. *n.* 6. *col.* 575. *tom.* 2.
[d] 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 12.
[e] *Tom.* 7. *Hist. Ecclesiast. Sæculi XIII. & XIV. cap.* 3. *art.* 23. *Scholio* 4. *pag.* 134.
[f] *Part.* 4. *Opusculor. Opusc. de Paupertate Christi, art.* 2. *pag.* 402. *tom.* 7. *ejus Operum.*
[g] *Lib.* 4. *de Loc. Theol. cap.* 4. *in* 3. *conclus. fol.* 126. *pag.* 2.
[h] *Lib.* 2. *de Loc. cap.* 8. *fol.* 26. *pag.* 2.

7. Huc respexisse videtur Tertullianus, cùm scripsit: [i] „ Propterea Paracletum misit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur disciplina ab illo Vicario Domini, Spiritu Sancto. „ *Et adducto grani paulatim fructificantis, exemplo*: „ Sic, *inquit*, & Justitia primò fuit in Rudimentis, Natura DEUM metuens: deinde per Legem, & Prophetas promovit in infantiam: dehinc per Evangelium efferbuit in Juventutem: nunc per Paracletum componitur per Maturitatem. „

8. Addit vero Alphonsus Tostatus, Abulensis Episcopus: [k] „ Cum nullus sit articulus magis necessarius, quàm quod Ecclesia Universalis non possit errare in Fide, & moribus, (quippe ex isto dependent omnes alii) Universalis Ecclesiæ Auctoritas tantopere veneranda est, ut non solum in iis, quæ sunt Fidei directè, sed etiam in illis, quæ aliquo modo sunt accessoria ad Fidem, dicamus, illam non posse errare determinando. *Cujus rei hanc præmiserat rationem*: „ Quia multum cederet in dedecus Ecclesiæ, & diminutionem Auctoritatis ejus, & debilitaret aliqualiter Fidem, si circa hujusmodi res Ecclesia determinans errare posset. „ *Unde infert, quod*, „ Si Ecclesia Universalis determinaverit, qua die, & cujus mensis, CHRISTUS natus fuerit; adhærendum sit illi necessariò, tanquam non potenti circa hoc errare. „

CATHOLICÆ ECCLESIÆ TESTIMONIA, DUPLICIS GENERIS.

9. DUpliciter Ecclesia Catholica rem aliquam, interposita sua auctoritate, testificari potest, & solet; primò *virtualiter*, & *implicite*, per gesta, ritus, & mores in tota Ecclesia usurpatos, seu receptos: secundò *formaliter*, & *expresse*, per communem omnium Fidelium vocem, & sensum. Quem sensum ut deprehendamus, „ Non opus est, (*inquit laudatus Canus* [l] ut seorsim rogentur singuli, quod & permolestum esset, & oppido quàm ridiculum; sed singulorum Fides, in iis, quæ ad omnes æque pertinent, statim sese prodit, satisque mediocri adhibita diligentia, cognita nobis, & perspecta esse potest, præsertim, si res in contentionem veniat, & vulgus suo modo incalescat. „

10. Prioris generis Testimonium, quod in aliquo Ecclesiæ facto, vel more positum est, quanti ponderis sit; pluribus in locis declarat idem S. Augustinus. In libro *de cura gerenda pro Mortuis*, [m] „ In Machabæorum, *inquit*, libris legimus oblatum pro Mortuis sacrificium: [n] sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino DEO ad ejus Altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio Mortuorum. „ Similiter *libro* 1. *contra Crescontum Donatistam*: [o] „ Quamvis, *ait*, hujus rei certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum, etiam in hac re, a nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas: ut quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, hujus obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat. „

11. Præterea *lib. I.* seu *Epist. ad Januarium*, interrogatus Augustinus de quibusdam disciplinæ quæstionibus, [p] „ Ad hæc, *inquit*, itaque ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si Divinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus, &c. Similiter etiam, si quid horum tota per Orbem frequentat Ecclesia. Nam & hinc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. „ Demum sermone VII. *in Natali S. Johannis Baptistæ*, [q] ipsis Ecclesiæ gestis, tanquam indubitabili Testimonio probat, Infantem indigere Liberatore. „ Testis est, *inquit*, ipsa Mater Ecclesia, suscipiens Parvulum abluendum, & aut liberatum dimittendum, aut pietate nutriendum. Quis audeat dicere Testimonium contra tantam Matrem? „

12. Alterius generis Testimonium, quod per Communem omnium Fidelium Sensum exhibet Ecclesia; æqualem habet cum ipsamet Catholica Ecclesia Auctoritatem: & *Ex eo*, (inquit Canus loc. cit. pag. 2.) *in communi omnium controversia, certum argumentum depromitur*. Quam magnifice de hoc Fidelium Consensu locuti sint Patres, audiamus.

13. D. Augustinus in libro *contra Epistolam Manichæi* seu *Fundamenti*, inter alia argumenta, quibus se in Ecclesiæ gremio teneri, ait; primo loco recenset Consensum Fidelium: [r] *Multa sunt*, inquit, *illa, quæ in ejus gremio me justissime tenent. Tenet Consensio Populorum, atque Gentium, tenet Auctoritas, miraculis inchoata, &c.* Itidem in libro *de Utilitate credendi ad Honoratum*: [s] „ Sine, *inquit*, paululum mecum ipse considerem..... Quibus de illo (*scilicet Christo Domino*) crediderim, ut ad te, jam tali fide præstructus, accedam. Nullis me video credidisse, nisi Populorum, atque Gentium confirmatæ Opinioni, ac Famæ admodum celeberrimæ. &c. „

14. De eodem Fidelium Consensu enucleatius scripsisse videtur Joh. Cassianus: [t] „ Suffi-

[i] *In lib. de velandis Virginib. cap.* 1. *pag.* 309. *edit.* Paris. an. 1616.
[k] *In* 2. *Parte sui Defensor. c.* 80. *fol.* 41. *col.* 1. *&* 2. *edit.* Venetæ, an. 1596.
[l] *Lib.* 4. *de Loc. Theol. cap. postremo fol.* 146. *pag.* 1.
[m] *Cap.* 1. *num.* 3. *col.* 516. *tom.* 6.
[n] *Lib.* 2. Machab. *cap.* 12. *ver.* 43.
[o] *Cap.* 33. *num.* 39. *col.* 407. *tom.* 9.
[p] *Epist.* 54. (aliàs 118.) *n.* 6. *col.* 126. *tom.* 2.
[q] *Qui est in ord. sermo* 293. *num.* 10. *col.* 1181. *tom.* 5.
[r] *Cap.* 4. *col.* 153. *tom.* 8.
[s] *Cap.* 14. *n.* 31. *col.* 65. *ejusdem tomi* 8.
[t] *Lib.* 1. *de Incarnatione Christi ad S. Leonem, contra Nestorium c.* 6. *pag.* 696. *edit.* Rom. an. 1611.

„ cere ergo, *inquit*, solus nunc ad confutandam hæresim deberet Consensus omnium: quia indubitatæ veritatis manifestatio est, auctoritas universorum; & perfecta ratio facta est, ubi nemo dissentit: ita ut, qui contra hoc sentire nitatur, hujus prima statim fronte non tam sit audienda assertio, quam damnanda perversitas. Quia præjudicium secum damnationis exhibuit, qui judicium universitatis impugnat, & audientiæ locum non habet, qui a cunctis statuta convellit. Confirmata enim ab omnibus veritate semel, quidquid contra id venit, hoc ipso statim falsitas esse, noscendum est, quod a veritate dissentit. „

15. Ipsa etiam Ecclesia ratum semper habuit suorum Fidelium Consensum, ut bene observat Cl. V. Honoratus a S. Maria: [u] „ Illud, *inquit*, accidit aliquando, Sententias minus auctoritate firmatas, quàm contrariæ, ubi tamen ab iis sit Traditio, quique Ecclesiæ Consensus nuncupatur; multò probabiliores haberi iis, quæ magno Testimoniorum numero stipantur. „

16 Rem hanc confirmat Exemplo. „ Antiquorum Patrum plurimi, Origenes, Eusebius, Episanius, Hilarius, Gregorius Nissenus, Amphilochius, Ambrosius, Chrysostomus, aliique crediderunt, aliam, ante MARIAM Virginem, ab Josepho ductam Uxorem, quæ ipsi pepererit S. Jacobum Minorem, aliosque, ab Evangelista Fratres Domini appellatos. Unus ferme est ex primorum Sæculorum Patribus, Hieronymus, qui pro Sancti Josephi Virginitate pugnaverit. [x] Nihilo secius, quamquam Auctoritas Hieronymi obrui numero, & antiquitate omnium aliorum Patrum videatur; tamen, cum isti adhæreat Ecclesiæ Consensus, perpetuo sentientis, Sanctæ Virginis Sponsum cœlibatum coluisse; fit longe probabilior, & tutior antiquorum omnium Patrum Sententiis &c. Ecclesiæ hanc item esse Fidem, asserit Card. Petrus Damiani, quod certè de communi opinione intelligendum: imo ex Bailleto 19. Martii pag. 494. opinio Adversariorum sustineri nullo modo potest. „

Verba Damiani [y] sunt: *Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo Virgo sit Mater: Ecclesiæ Fides est, ut Virgo fuerit, & is, qui simulatus est Pater.*

17. Poterat etiam Vir eruditus certius afferre exemplum in Immunitate B. Virginis ab omni, vel levissima macula Personalis Peccati. Quam immunitatem, totius Ecclesiæ ratam Consensu, Tridentina Synodus [z] Decreti sui auctoritate firmavit: etsi non pauci fuerunt Patres, qui aliquam ejusmodi maculam B. Virgini aspergere visi sunt, ut alibi observavimus.

18. Hæc cum ita sint, qua fronte Lampridius scripsit: [a] *Ad Populum quod attinet, non est hic numerandum illius suffragium: is enim credit, quod audit?* Mira res! Populus credit, quod a Piæ Sententiæ Assertoribus semel accepit, B. Virginem absque Originali Peccato conceptam fuisse. Non credit, nec unquam credidit oppositum, quod usque ad Pauli V. & Gregorii XV. Decreta, toties declamatum audivit ab oppositæ Sententiæ Magistris, doctrina non minus, quam auctoritate pollentibus.

19. Superest animadvertendum, plures a nobis in hac Actione, prout res ferat, Conciliorum Canones, & Summorum Pontificum Constitutiones allegari, & indicari, quin, more nostro, illorum propria, & distincta loca designemus; & quin etiam ea, quæ in ipsis probatione, explanatione, aut observatione opus habeant, excutiamus. Quia hæc omnia Actione IV. & V. tanquam in propriis locis, abunde præstabimus, quos Lector adire, & consulere facillime poterit. Repetitio tam Auctori, quam Lectori tædium generat.

ARTICU-

[u] *Tom. 1. Animadversion. in regulas, & usum Criticæ dissert. 7. art. 8. §. 2. p. 603. edit. Latina*, Venetæ, an 1738.
[x] *In lib. adversus* Helvidium *de perpetua Virginit. B. Mariæ col. 142. par. 2. tom. 4.*
[y] *Lib. 1. Epistolar. epist. 4. ad* Nicolaum II. Papam *pag. 6. tom. 1.*
[z] *Sess. 6. Can. 23.*
[a] *Cap. 10. pag. 68.*

ARTICULUS I.

Catholicæ Ecclesiæ Testimonia, ab Adversa Parte allegata.

20. HUNC titulum præfigimus, ne in præsenti Actione de negata sibi audientia querantur Adversarii: quamquam titulum esse sine re, quisque facile perspiciet, sive ad Formale, sive ad Virtuale Ecclesiæ Testimonium attendat. Populus Christianus, ab ipso statim initio controversiæ, in Immaculatæ DEI Genitricis sensum, & cultum propendere cœpit; atque hæc ejus Pietas magis, magisque in dies confirmata, & dilatata est, ut audiemus ab Alexandro VII. Ante controversiam verò hoc generatim de B. Virgine credebat, ipsam fuisse penitus Sanctam, Immaculatam, Intemeratam; eamque omni cultu, ac veneratione dignissimam, verbis, ac factis profitebatur. Morem nihilominus geramus Adversariis, ut etiam ex hac parte nobis aliquid opponant.

Officia quædam antiqua.

21. JOhannes Turrecremata, [b] etsi promittat in titulo, *Testimonia ex Officiis multarum Ecclesiarum*; tria dumtaxat allegat Officia. Primum est Officium Nativitatis, quod a multis Ecclesiis recitari, ait; unde refert hæc Bernardi verba, quæ sunt in quadam ejus lectione: *Beatam Virginem omnimodis constat, ab Originali Contagio fuisse mundatam.*

22. Alterum est Officium (quod extare ait in Breviario Ecclesiæ Gerundensis in Catalaunia) *In festo Sanctificationis Conceptionis B. Virginis:* Et conflatum dicit ex auctoritatibus Scripturæ, & Sanctorum, ubique sonantibus, ab Originali Peccato, cui subjacuerat, sanctificatam fuisse MARIAM. Ad hoc, probandum adducit orationem, cujus hæc sunt verba: *Sanctificationem Conceptionis B.* MARIÆ, *in alvo suæ Matris a te factam, commemoramus.* Et unam lectionem, in qua hæc alia recitantur: „ Hanc Domum non solum Dominus ædificavit, cùm eam „ in alvo Matris suæ Annæ, octogesimo die „ ab ejus facta carnali conceptione, sibi Animam infundit, immo etiam plenius eam ibidem sanctificavit &c. *Item:* Festum non debet referri ad Conceptionem B. MARIÆ, quæ „ fuit ex carne, cum nemo ex virili semine conceptus, unquam fuerit a Culpa Originali immunis &c. Tamen B. Virgo, speciali DEI „ privilegio, in alvo suæ Matris sanctificata fuit „ &c. *Demum:* In ea, per Gratiam Sanctificationis, Originalis Macula traducta cum Vita „ Mortali, absorpta est. „

23. Tertium est Officium, quod in multis partibus Germaniæ cantari ait, in Festo S. Elisabeth; ex cujus lectionibus hæc verba specialia recitat: „ B. Virgo MARIA, licet plena gratiâ, tamen „ cum fomite nata fuit, quem tamen Virtus Altissimi in ipso tempore Conceptionis CHRISTI „ extinxit. „

24. Ex tribus hisce obscuris, & obsoletis, vel etiam extraneis Ecclesiarùm particularium Officiis, *Patere*, dicit Turrecremata, *quod habemus, etiam in speciali, Testimonia clarissima ipsius nostræ S. Matris Ecclesiæ*, pro Maculata B. Virginis Conceptione. Quid hodie diceret, cum ei non unius Ecclesiæ Breviarium, non duo, vel tria Officia, sed omnia penitus, tam Græcæ, quam Latinæ Ecclesiæ Breviaria, & Officia præsentaremus, in quibus signanter celebratur Festum ipsius Marianæ Conceptionis, & hæc Conceptio, Sancta, & cultu Dignissima prædicatur? At hæc fortasse, & alia plura non Turrecrematæ, sed Spinæ, & Dcimii, Interpolatorum ejus, sensa sunt, ut Catharino, & Raynaudo suboluit.

25. Age vero de singulis censuram feramus. Verba illa sermonis D. Bernardi, (qui est secundus de Assumptione B. Virginis) in nulla hodie ex tot Festivitatibus B. Virginis recitantur ab Ecclesia. Et nec integre sunt relata, nec sensum habent absolutum, sed conditionatum, ut ex præcedentibus liquet, nempe: *Si Originalem a Parentibus Maculam traxit &c. omnibus modis constat, ab Originali Contagio, solâ gratiâ*, (& non per pœnitentiam, quam excludere intendit Bernardus) *mundatam esse Mariam*; ut Act. VI. videbimus.

26. Gerundensis Ecclesiæ Officium, & in Titulo, & in Oratione, *Sanctificationem* præfert, non *B. Virginis* MARIÆ, sed, *Conceptionis B. Virginis Mariæ.* Hanc ipsam ergo Conceptionem Sanctificatam, ac proinde ab Originali Macula Immunem adstruit. Cum enim Conceptio, de qua loquimur, nempe infusio Animæ in Corpus, fiat in instanti; non equidem potuit Conceptio sanctificari, & nihilominus Originali Peccato sordere. Idem sonant priora verba lectionis, si restituatur adverbium, *Statim*, quod, teste P. Alvâ [c], legitur in eo Breviario ante Verbum *Sanctificavit*; videlicet, B. Virginem fuisse sanctificatam, statim, ac infusa est Anima in Corpus. Posteriora verba de Culpa loquuntur Originali, quæ contrahitur in ipsa Conceptione Carnali, ac proinde de Culpa Originali, non in se, sed in radice contracta; & ab hujuscemodi Culpa B. Virginem sanctificatam esse dicunt. Postrema etiam verba, si comatis nota loco suo reponatur, post vocem, *traducta*; hunc pium sensum habent: per Gratiam Sanctificationis, Ori-

M 4

[b] *Par. 6. cap. 14. à fol. 106. pag. 2.*

[c] *In Sole Veritatis, verit. 232. pag. 644. col. 2.*

Originalis Culpa, traducta in radice ex Carnali Conceptione, ut primùm B. Virgo per infusionem Animæ vivere cœpit, impedita est, ne re ipsa Virginem macularet. Adde, lectiones VIII. & IX. (quas in eodem Officio Gerundensis Ecclesiæ reperiri, P. Alva testatur, sed Turrecremata dissimulavit) ex celeberrima Revelatione de Festo Conceptionis B. Virginis celebrando, esse desumptas.

27. Verba Lectionum ex Breviariis Germanicis (quorum fides sit apud ipsum Turrecrematam) in Festo S. Elisabeth; ad rem minime faciunt. Nam aliud est, Fomes, aliud, Originale Peccatum, ut ostendimus in Apparatu a *num.* 18. Et potuit B. Virgo concipi, & nasci non immunis a Fomite, (quamvis non ita concepta, & nata sit,) & tamen concipi, & nasci absque Originali Peccato: quemadmodum potest hoc peccatum plenissime aboleri, quin Fomes extinguatur, ut ibidem etiam demonstravimus *n.* 95. *& seq. n.* 100. *& seq.*

28. Rursus Turrecremata in eundem scopum ait, [*d*] Ordinem Carthusianorum, nonnisi sub nomine Sanctificationis, hoc Festum celebrare, & in prima Collecta recitare: *Ut qui in Sanctificatione DEI Genitricis, & Virginis congregamur &c.*

29. Sed, ne ei Fidem nostram adjungamus, vetat Vir Sanctissimus, & Doctissimus Dionysius a Richel, qui jam a pluribus annis Carthusianus erat, cùm Turrecremata hoc scribebat. Nam Turrecremata scripsit anno 1437. Dionysius verò anno 1423. Carthusianum Ordinem est ingressus. (V. Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 1450.) Hic ergo Carthusianus sic loquitur: [*e*] *Festum de Ea sub nomine Conceptionis, & non Sanctificationis, esse celebrandum determinavit* (Concilium Basileense,) *& hodie celebrat* (subauditur Ecclesia.) *Ita etiam Ordo noster Carthusiensis observare videtur.* Vetant quoque Breviaria antiqua Carthusiana, unum impressum Venetiis anno 1491. (ubi fit mentio de Capitulis anni 1470. & 1418.) alterum impressum Parisiis anno 1511. quæ se vidisse, & in iis ubique nomen Conceptionis, & non Sanctificationis observasse, testatur P. Alva *loco citato pag.* 647.

Festum Sanctificationis apud S. Mariam Majorem.

30. Idem Turrecremata [*f*] opponit, *Consuetudinem antiquam Ecclesiæ Romanæ*: & hanc sub titulo Sanctificationis id Festum celebrasse, probat Testimonio Alvari Pelagii, Ordinis Minorum, (qui fuit Episcopus Sylvensis in Lusitania, & floruit circa annum 1325.) cui Testimonio multùm etiam fidunt Joh. Launoius, [*g*] & Lampridius. [*h*] Verba Pelagii, Piam Sententiam improbantis, [*i*] sunt: „ Romana „ Ecclesia Festum Conceptionis non agit, etsi „ toleret, quod alicubi fiat, maxime in Anglia, „ non tamen approbat... Hac ratione illud Fe„ stum debet referri ad Sanctificationem Virgi„ nis, non ad Conceptionem: & ita dicit Ora„ tio, quæ dicitur in hoc Festo Romæ in S. „ Maria Majori: *DEUS, qui Sanctificationem* „ *Virginis &c.* sicut vidi, & audivi, cum ibi „ de ista Sanctificatione prædicarem in isto Fe„ sto Sanctificationis, quod fit in Decembri an„ te Festum Natalis per quindecim dies. „

31. Hoc Testimonium suppositirium esse, pluribus indiciis comprobatur. I. Verba ista ad Festum, & Festi modum spectantia, non inveniuntur in antiquo Alvari Codice manuscripto anni 1474. qui asservatur in Bibliotheca Sforziana: ut fidem facit Testis oculatus Fr. D. Antonius a Trejo, Episcopus Carthaginiensis, Catholicorum Regum in causa Conceptionis Orator extraordinarius, in Oratione VI. [*k*] ad ipsum Paulum V. Summum Pontificem; additque, Codicem istum Sfortianum concordare cum altero etiam antiquo manuscripto anni 1482. Bibliothecæ Ducis Urbini, & Pisauri. Tertium laudat similis formæ Codicem Ms. Vaticanum Theophilus Raynaudus. [*l*] II. Cùm jussu Pauli V. per Doctissimos Viros, & Gravissimos Præsules diligenter perlustrata fuissent omnia antiqua Missalia, & Rituales Libri Ecclesiæ S. Mariæ Majoris; nec minimum istiusmodi Sanctificationis monumentum, aut vestigium in eis apparuit; ut idem de Trejo ibidem testatur, & refert quoque Raynaudus. III. Nemo illius temporis Scriptor, adhuc ex Adversariis, meminit Festi Conceptionis, sub titulo Sanctificationis, ab Ecclesia S. Mariæ Majoris celebrati; & nullum extat Breviarium, aut Missale Romanum antiquum, quod idem Festum sub titulo Sanctificationis designet. P. Alva [*m*] se vidisse ait Romana Breviaria trigintasex, & Missalia fere vigintiquatuor, diversis temporibus, ac locis impressa, de quibus jurejurando affirmat, ad diem octavum Decembris, non *Sanctificationis*, sed *Conceptionis* Festum habere: idemque testatur de plurimis aliis diversarum Ecclesiarum Breviariis, quæ ibidem longo ordine recenset.

32. Cæterum esto, id revera scripsisse Pelagium, & nec falli, nec fallere potuisse; nullum inde Catholicæ, idest Universalis Ecclesiæ, pro maculata DEI Genitricis Conceptione, Virtuale Testimonium elici potest.

Et primo quidem, celebrare Festum Sanctificationis B. Mariæ, nisi aliud addatur, vel nisi aliunde constet de sinistra celebrantium mente; non est, adhuc virtualiter profiteri, in B. Virgine præcessisse Peccatum, quod deletum fuerit per eam

[d] *Cap.* 35. *ejusd. par.* 6.
[e] *In lib.* 3. *Sententiar. dist.* 3. *pag.* 39. *quæ ibi per errorem notatur* 27.
[f] *Parte* 13. *cap.* 9. *fol.* 269.
[g] *Præscript.* 9. *de Conceptu B.V. pag.* 19. *par.* 1. *tom.* 1. *noviss. edit.*
[h] *Cap.* 24. *pag.* 202.
[i] *Lib.* 2. *de Planctu Ecclesiæ cap.* 51.
[k] §. 3. *num.* 9. *Extat hæc oratio sect.* 2. *a pag.* 149. *in descriptione istius Legationis a* Luca Wadingo, *ejusd. Oratoris Theologo, edita* Lovanii an. 1624.
[l] *In Dissert. de retinendo titulo Immacul. Conception.* §. 3. *num.* 8. *pag.* 312. *tom.* 7. *& in* Pietate Lugdunensi &c. *Cardine I. tractationis, num.* 32. *pag.* 305. *col.* 1. *tom.* 8.
[m] *Pag.* 648. *loco cit.*

eam Sanctificationem. Ut enim ostendimus Actione II. *num.* 156. *& seqq.* Sanctificatio per se non supponit Peccatum, quod removeat; & æque bene dici potest de iis, in quibus nullum unquam præcessit Peccatum. Sane non video, cur Adversariis nomen Conceptionis liceat metaphorice interpretari pro Conceptione Spirituali, seu Sanctificatione, quam contigisse dicunt post incursum Peccatum; nobis vero non liceat, nomen Sanctificationis, propriissime interpretari pro Sanctificatione, non expellente, sed impediente Peccatum.

33. Deinde, Ecclesia S. MARIÆ Majoris, Universalis Ecclesia non est; nec quidquid privato consilio in ea fiebat, recte dicitur, a Romana Ecclesia, (quam cæteræ Ecclesiæ sequi debeant) factum fuisse: eo potissimum tempore, cùm Sedes Apostolica Romæ non residebat, sed Avenione; quò a Clemente V. translata fuerat anno circiter 1305. & nonnisi anno 1375. a Gregorio XI. reddita est Romæ.

34. Demum, illo eodem tempore, Conceptionis Festum Avenione, in Ecclesia Fratrum Ordinis Carmelitarum, cum interventu Dominorum Cardinalium, & Romanæ Curiæ Prælatorum, ipso etiam Pontifice per largitionem Indulgentiarum approbante, solemnissime celebrabatur; ut testantur duo graves Theologi ejusdem Ordinis, qui per id tempus scribebant, Johannes Bacho, & Franciscus Martini, inferius allegandi. Immo, quia ubi Papa, ibi Roma; Johannes Thaulerus Ord. Prædicator. qui anno 1350. floruit, simpliciter dixit, [*n*] quod *S. Romana, eademque Catholica Ecclesia Festum Conceptionis B. V. solemniter celebrandum, colendumque assumpsit.*

35. Postquam vero Sancta Sedes Romam rediit, idem Festum sub titulo Conceptionis cum eadem solemnitate, & Cardinalium, ac Prælatorum frequentia Romæ agebatur; ut tanquam rem notissimam tradunt Patres Concilii Basileensis in Decreto pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione, edito anno 1439. ubi ajunt: *Renovantes institutionem de celebranda Sancta ejus Conceptione, quæ, tam per Romanam, quam per alias Ecclesias, antiqua, & laudabili consuetudine celebratur &c.*

36. Utrumque fatetur Turrecremata, respondet verò: [*o*] *Non quidquid fit in Romana Curia, aut per Dominos Cardinales, aut Episcopos, & Populum &c. dicitur Ecclesia Romana, sive Sedes Apostolica fecisse, aut mandasse aut instituisse &c.* Bene habet. Quanto ergo minus, quod fiebat in Ecclesia S. MARIÆ Majoris, Pontifice, & Romana Curia absentibus, dici potest, factum, mandatum, aut institutum a Romana Ecclesia?

37. Dissimulanda hoc loco non est Launoji audacia, qui ex illa S. MARIÆ Majoris Oratione, & ex nonnullis priorum Pontificum dictis, (de quibus Actione V.) pessime colligens, contrariam, usque ad Sixtum IV. Romanæ Ecclesiæ Traditionem fuisse; istius somniatæ *Traditionis Reliquias* mansisse ait [*p*] tempore Leonis X. idque probat ex Opusculo *De Sacris R. E. Ritibus*, quod Leoni X. anno 1515. dicatum, scripsit Christophorus Marcellus, Corcyrensis Archiepiscopus, ubi *notantur*, inquit, *Dies Mariæ Sacri, nempe Purificatio, Annuntiatio, Assumptio, & Natalis dies: de Conceptu omnino siletur.*

38. Non aliud ex hoc silentio colligere velle potuit Launojus, quàm, quod Conceptionis Festum, ex institutione Sixti IV. *a Sancta Romana Ecclesia publice, ac solemniter celebratum*, (ut idem Sixtus tradit Const. *Grave nimis*;) fuerit ætate Leonis X. intermissum. At quid efficit unius privati Testis silentium, ubi tot publici Testes clamant? Alexander VII. Const. *Sollicitudo*, asseverat, *Conceptionis Festum, in Ecclesia Romana, post ipsius institutionem, nunquam immutatum fuisse.* Missalia Romana, sub idem tempus Leonis edita, die VIII. Decembris, Festum, & Missam Conceptionis exhibent, *juxta ritum Romanæ Ecclesiæ.* Horum duo extant in nostris Bibliothecis, per Lucam Antonium de Juncta impressa Venetiis, unum an. 1509. alterum an. 1526. Tertium ibidem impressum an. 1513. memorat *Regestum Authenticum col.* 204. Sed & ipsemet Leo X. in favorem Festi, & Officii proprii Conceptionis, tres edidit splendidas constitutiones, quas Actione V. proferemus. Corcyrensis vero Conceptionis Festum fortasse siluit, quòd nondum tunc esset de præcepto ab omnibus servandum.

ARTICU-

[n] *In lib. de* 10. *Caecitatibus*; *caecit.* 4. *cap.* 11. *pag.* 873. *edit.* Col. Agrip.

[o] *Parte* 9. *cap.* 10. *fol.* 179.

[p] *Præscript.* 9. *cit. pag.* 20.

ARTICULUS II.

Virtuale Catholicæ Ecclesiæ Testimonium, a Pia Parte allegatum.

39. VIRTUALE Ecclesiæ Testimonium appellamus ipsum Conceptionis B. Virginis Festum. De hujusmodi Testimonio tria discutienda, & enucleanda sunt: I. Quàm antiquum, & solemne sit in Ecclesia? II. Ipsius Conceptionis Sanctitatem, quàm clare testetur? III. Quam maxima polleat Auctoritate?

§. I.

Festi Conceptionis Marianæ Chronologica, & Topographica descriptio, ab sui Origine, usque ad summam Celebritatem.

SÆCULUM CHRISTI VII.

40. CLaruit hoc Sæculo circa annum 636. [q] S. Andreas, Cretensis ab Episcopatu dictus, qui Canones, & Triodia composuit pro Ecclesiasticis Officiis Græcorum. Primus istorum Canonum, novem odis compactus, [r] est sub hoc titulo: *Die nona Decembris. Conceptio Sanctæ, ac DEI Aviæ, Annæ.* Conceptio videlicet activa S. Annæ, qua B. Virgo MARIA concepta est; ut initio exponitur his verbis: ***Tuam hodie, Religiosa Anna, celebramus Conceptionem, quòd absoluta sterilitatis vinculis, eam utero conceperis, quæ eum potuit capere, qui nusquam capi possit.*** Totus itaque Canon est de Conceptione passiva, seu de Conceptu B. Virginis; cujus Festum Græci, Cretensem sequuti, sub nomine Conceptionis B. Annæ celebrant, & ad diem nonam Decembris postponunt. Cur autem non Joachimi, sed Annæ Conceptionem nominent; ratio esse videtur, ut, non Conceptionem Virginis seminalem, & inchoatam, sed vitalem, & consummatam, per Rationalis Animæ introductionem, quæ in utero S. Annæ perfecta est, se celebrare significent.

41. Constat ergo, Festum Conceptionis B. Virginis Sæculo septimo, quo floruit Cretensis, in Ecclesia Græca, proprio Officio Ecclesiastico celebratum fuisse; ut plane fatetur Fr. Franciscus Combefisius Ord. Prædic. in Notis ad eum Canonem S. Andreæ. Hoc est primum Monumentum, unde Epocham Festi Conceptionis apud Græcos desumere possumus. Nam, etsi fortasse tale Festum non tunc primò fuit institutum; at quando, & quomodo inceperit, ignoramus. Quod enim, citato Nicephoro, refert Laurentius Beyerlinck: [s] *Justinianum Imperatorem*, (qui regnavit ab anno 527. ad 566.) *primùm Conceptionem B. Virginis instituisse honorari festo die, toto terrarum Orbe:* error est manifestus. Nicephorus Callixtus [t] non aliud de Justiniano memorat, nisi quod, *tunc primùm Servatoris Exceptionem*, (quæ sane ad Festum pertinet Purificationis) *toto Orbe terrarum, festo die honorare instituit.*

42. Cl. V. Edmundus Martene, Benedictinus Congregationis S. Mauri, indicat, hoc eodem Sæculo institutum esse in Hispania Marianæ Conceptionis Festum, dum ait, [u] *Ejus primam institutionem S. Hildephonso Toletano Episcopo referendam videri*: hic namque Sanctus Vir, Episcopus Toletanus creatus est anno 658. & obiit anno 667. ut tradit Bellarminus. Id Martene colligit, ex quadam Vita S. Hildephonsi, quæ refertur in Actis Sanctorum Sæculi II. Benedictini; [x] & confirmat, quia inter Festa Christianorum, quæ a Judæis observari præcepit Rex Ervigius, lib. XII. *Legis Wisigothorum, Titulo VI.* recensetur: *Festum S. Virginis Mariæ, quo gloriosa Conceptio ejusdem Genitricis Domini celebratur.*

43. Probabiles conjecturæ, sed non omnino firmæ. Narratur quidem in ea Vita, quod S. Hildephonsus, post dono acceptam a B. Virgine Vestem Sacerdotalem, *Etiam Festum Conceptionis S. Mariæ, quo scilicet ipsa concepta est, celebrari constituit: & ejus constitutione per totam Hispaniam solemniter colitur VI. Idus Decembris.* Verumtamen nec *Elogium S. Hildephonsi*, ab Juliano (qui ei successit anno 688.) certe conscriptum; nec genuinus libellus Zixilanis Episcopi (qui Sedem Toletanam rexit ad annum 771.) *de Vita S. Hildephonsi*; ullam ejus Festi mentionem faciunt: ut videre est in eodem Sæculo II. Benedictino. [y]

44. Confirmatio adjuncta ex lege citata Regis Ervigii, primo aspectu concludere videtur. Quia lex illa anno 680. ac proinde non multo post S. Hildephonsi mortem lata est [z]. Sed fortasse

[q] *V.* Aubertum Miræum *in Bibliot. Ecclesiastica, aucta, & Scholiis illustrata, pag. 216. edit.* Antverp. an. 1639. & Guillelmum Cave *in Histor. Litteraria ad annum* 635. *Alii Cretensem Sæculo sexto assignant.*

[r] *Extat a pag. 252. in Operib. S. Andreæ Cretens. G. L. editis a* Fr. Francisco Combefisio, Ordinis Prædic. Parisiis an. 1644. *necnon a pag. 685. tomi 10. Biblioth.* PP.

[s] *Tomo 6. Theatri Vitæ Humanæ, V.* Religio. *pag. 67.*

[t] *Lib. 17. Histor. Eccles. cap. 28. pag. 893. edit.* Basileens.

[u] *In Tractatu de Antiqua Ecclesiæ Disciplina, in divin. celebrand. Officiis, cap. 30. num. 12. pag. 552. edit.* Lugd. an. 1706.

[x] Juliani Episc. Toletani *nomine inscripta, pag. 522.*

[y] *Pag. 516. & pag. 517.*

[z] *Quæ sexta est Tituli III. de Novellis Legibus Judæor. pag.* 1004. *tom.* 3. Hispaniæ Illustratæ &c. *edit.* Francofurt. an. 1606.

fortasse per *Conceptionem Genitricis Domini*, intelligitur ibi Conceptio activa, qua B. Virgo Dominum concepit; ita ut tale Festum idem sit, ac Festum Incarnationis Dominicæ, sive Annuntiationis B. Virginis. Nam etsi hoc Festum in antiquis Martyrologiis, & Kalendariis, nusquam nomine *Conceptionis Genitricis Domini*, sit designatum; (ut videre est apud Bollandum [*a*], & apud laudatum Martene [*b*]). Cum tamen in ea lege, post illud Festum, statim recenseatur Festum *Natalis Domini*, tum *Circumcisionis*, & *Apparitionis*, & nullum aliud B. Virginis Festum nominetur; Ervigius se conformasse videtur ad Decretum Concilii Toletani X. anno 656. celebrati, [*c*] statuentis, ut *Festum Dominicæ Matris* (quo nomine intelligit Festum Incarnationis Verbi Divini) celebretur XV. Kalendas Januarii, quia, inquit, *ita debet esse solemne, sicut est & ejusdem Nativitas Verbi.*

SÆCULUM CHRISTI VIII.

45. SCribebat hoc Sæculo circa annum 731. S. Johannes Damascenus, qui in prima Oratione de *Nativitate B. Virginis*, [*d*] non tam ejus Nativitatem, quam Sanctam, & Immaculatam Conceptionem celebrat: *O Beatos*, inquit, *Joachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit! O Præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis ex eo auctus, & formatus fuit Fœtus Sanctissimus!* & alia his similia. Ad hæc, P. Antonius Possevinus, [*e*] in Catalogo Manuscriptor. Biblioth. Sfortianæ, in classe Theologorum, *num.* LXX. recenset, *Andreæ Archiepiscopi Cretensis Ms. Sermonem in Generationem Deiparæ Virginis Mariæ, & Damasceni Sermonem in idem Festum.*

46. Certum porro esse videtur, hoc Sæculo continuatam esse apud Græcos Marianæ Conceptionis Celebritatem. Nam in proxime sequenti Sæculo plures habiti sunt a Græcis Patribus, (ut mox videbimus) Sermones de *Conceptione B. Virginis*, tanquam de solemnitate jam olim instituta, & frequentata in Ecclesia Græca. *Hodiernam tuam* (ajebat Georgius Nicomediensis) *celebri conventu Festivitatem agamus, non utique novissime adinventam, quin immo uti ordine, ita & ipsa veritate præcipuam.*

47. Ut probent nonnulli, Conceptionis Festum in hoc Sæculo celebrari consuevisse; Ven. Bedæ Martyrologium, eodem Sæculo conscriptum laudant, ubi *Sexto Idus Decembris* signata legitur: *Conceptio Sanctæ Mariæ, perpetuæ Virginis.* Sed oppido falluntur. Martyrologium illud, quod Bedæ Operibus insertum est, [*f*] pluribus Festis, ac Sanctis, post Bedam certo institutis, & cultis, adauctum est. In primævo autem, & sincero Bedæ Martyrologio, quod Bollandistæ nostri ediderunt, [*g*] hoc Festum Conceptionis non apparet.

48. Similes accessiones Martyrologio Usuardi, circa annum 812. concinnato, obvenisse notant laudati Scriptores, qui ejus partem alteram puram, & genuinam alibi [*h*] exhibent. Quamquam ex observationibus, & auctariis, quibus partem istam illustrat, unus ex illis, P. Johan. Baptista Sollerius, [*i*] liquet, in multis antiquis, ex Usuardi fonte manantibus Martyrologiis, *Festum Conceptionis B. Virg. Mariæ*, die octavo Decembris consignatum fuisse.

SÆCULUM CHRISTI IX.

49. COnceptionem B. Virginis hoc Sæculo solemnem fuisse, demonstrant plures Orationes, quæ de illa ab ejusdem Sæculi Patribus, in diversis Regionibus habitæ sunt ad Populum. Laudatus Georgius, ex Ecclesiæ CP. Cartophylace, Archiepiscopus Nicomediensis in Bithinia, (qui saltem circa annum 880. floruit, ut videtur Casimiro Oudino, [*k*] licet Aliis antiquior sit) tres pulcherrimas orationes nobis reliquit. [*l*] Quarum prima inscribitur: *In oraculum Conceptionis Sanctæ Deiparæ.* Secunda: *Laudatio in Conceptionem Sanctæ Annæ, Parentis Sanctissimæ Deiparæ.* Tertia: *In Conceptionem, & Nativitatem Sanctissimæ Dominæ nostræ &c.* In prima, [*m*] hujus Festivitatis antiquitatem indicat, ut vidimus. In secunda, [*n*] celebritatem extollit: *Cum itaque*, inquit, *hodierna Festivitas illustrioribus omnibus solemnitatibus, miraculorum in ipsa consummatorum ratione, præeat; iisque ceu fundamentum, ac crepido supposita, quidquid in illis Sacramentorum dispensatum est, pro fundamenti ratione in se colligat; par omnino est, ut tanquam principio, & causæ universorum bonorum, venerationem ei adhibeamus, impensiorique eam gaudio celebremus &c.*

50. Imperabat hoc Sæculo in Oriente ab anno 886. Leo VI. Philosophus, sive Sapiens nuncupatus, qui inter plures alias orationes, Sermonem conscripsit *de Conceptione B. Mariæ.* Hunc Sermonem extare in Græco Cod. Ms. Bibliothecæ Sfortianæ *num. 65.* testantur Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die VIII. Decembris, & Gerardus Vossius in notis ad orationem S. Ephræmi, *ad B. Virginem Mariam pag.* 110. *ejus Operum suæ editionis.*

51. Eodem Sæculo IX. claruit quidam S. Petrus, Argorum Episcopus in Peloponneso, natione Siculus, (ut jam ostendam) qui florentissimam scripsit *Orationem in Conceptionem Sanctæ Annæ, quando concepit Sanctam DEI Genitricem.* Hanc nos Orationem, ex Bibliotheca Græcorum

[a] *Tomo 3. Martii die 25. pag. 536.*
[b] *Cap 31. num. 26. pag. 562.*
[c] *Col. 474. tomi 7. Concilior.*
[d] *Folio 330. pag. 1. ejus Operum.*
[e] *Pag 21. Appendicis tomi 3. Apparatus Sacri.*
[f] *Tomo 3. edit.* Coloniensis an. 1612.
[g] *Tomo 2. Sanctor. Martii pag.* VIII.
[h] *Tomo 7. Sanctor. Junii a pag. 373.*
[i] *Ad 6. Idus Decembris pag. 729.*
[k] *Tomo 2. ad eum annum* 888.
[l] *Extant tomo 12. Biblioth. PP. a pag. 692. Et Card.* Baronius *in notis ad Martyrol. die* 8. *Decemb. unam ex eis laudat, repertam in Cod. Ms. Biblioth. Sfortianæ num. 65.*
[m] *Pag. 695. col. 1. ibid.*
[n] *Eadem pag. col. 2.*

rum manuscriptorum celebris Monasterii Sancti Salvatoris prope Messanam, adepti, in fine hujus Operis exhibebimus, tanquam certum Monumentum, unde eruatur, quanta fuerit eo tempore hujus Festi celebritas apud Græcos.

52. S. Petri, Argorum Episcopi meminit Græcorum Eruditissimus Leo Allatius, [*o*] & post ipsum, Guillelmus Cave; [*p*] eumque inter Scriptores incertæ ætatis reponunt. Nos vero ex aliis ipsius Scriptis, illum hoc Sæculo claruisse deprehendimus, etsi annum designare non valeamus. Etenim habemus ab eodem Auctore conscriptum *Epitaphium in B. Athanasium*, uti recens defunctum, natione Siculum, patria Catanensem, & *Methones* in Peloponneso *Episcopum.* Quod ex Græco Codice ejusdem Bibliothecæ Monasterii S. Salvatoris, latine redditum, extat in Actis Sanctorum Bollandi *Tomo II. Januarii a pag.* 1125. & *in Vitis Sanctor. Siculorum* P. Octavii Cajetani *Tomo II. a pag.* 52.

53. Jam in hoc Epitaphio noster Petrus describit, ac deflet calamitates, & vastationes, quæ Siciliæ obvenerant ex irruptione, & occupatione Saracenorum; quam quidem hoc Sæculo contigisse constat, sub Michaele Balbo Imperatore, qui ab anno 821. ad 830. imperavit in Oriente. Eas autem calamitates, & vastationes describit, tanquam res ad se ipsum, & ad sua tempora spectantes. Ait præterea, ea de causa Parentes B. Athanasii una cum ipso Patras, Peloponnesi Urbem, profugisse, unde postea Athanasius Methones Episcopus creatus est. Eadem igitur causa fuisse videtur Petro, cur e Sicilia in eandem Peloponnesi Regionem commigraverit, unde similiter in Argorum Episcopum fuerit assumptus. Lege Animadversiones P. Octavii Cajetani *in Epitaphium S. Athanasii Episcopi a pag.* 18. *Tomi II. cit.*

SÆCULUM CHRISTI X.

54. Quod Græca Ecclesia Universa, hoc Sæculo Festum habuerit diem Conceptionis B. Virginis, patet ex Menologio, quod jussu Basilii Junioris, ante annum 984. conscriptum est, & in quo *V. Idus Decembris*, more Græcorum notatur, *Conceptio S. Annæ, Matris Genitricis DEI.* Hujus Menologii sex posteriores menses, ad fidem membranei Codicis Vaticani, a Petro Arcudio Corcyrensi latine redditos, primùm edidit in sua *Italia Sacra* Ferdinandus Ughellus Florentinus, Abbas Cisterciensis. [*q*] Sex autem priores menses, ex Græco Codice Ms. Monasterii Basilianorum Cryptæ Ferratæ, Bollandistæ nostri latinitate donatos ediderunt [*r*].

55. In Hispania quoque, eodem Sæculo, Festum Conceptionis solemne fuisse; colligimus ex *Vita S. Hildephonsi*, quam Godescalcus, Aquitaniæ Episcopus, una cum ejus libro *de Virginitate B. Mariæ*, ex Hispania (quò, ad S. Jacobum oraturus, perrexerat) in Galliam transtulit. Ibi namque narratur, quod Festum Conceptionis S. Mariae institutum sit a S. Hildephonso Archiepiscopo Toletano; quodque ejus constitutione per totam Hispaniam solemniter celebretur VI. Idus Decembris. Et quamvis narratio ista quod ad institutionem attinet S. Hildephonsi, firma non sit, ut supra monuimus; optime tamen observat, qui hæc refert, Cl. V. Johannes Mabillon: [*s*] *Quin Conceptio B. Virginis Sæculo X. quo libellus prædictus de Vita S. Hildephonsi a Godescalco ex Hispania in Urbem Anicium est allatus; apud Hispaniam celebrata sit, in dubium vix revocari potest.* Ut enim idem Mabillon [*t*] ex quodam Ms. Monasterii Carolilocensis prope Silvanectum eruit, Godescalchi reditus ex Hispania in Galliam contigit Æra 989. quæ, si Æra Hispanica sit, respondet anno 951. Ista namque Æra 38. annis præcedit Æram vulgarem. Hinc ergo Epocham Festi Conceptionis in Latina Ecclesia tuto desumere possumus.

SÆCULUM CHRISTI XI.

56. Circa finem hujus Sæculi, S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis, Epistolam scripsit *Coepiscopis suis, & omnibus B. Mariæ Mysteria colentibus, de Conceptione B. Mariæ.* In qua, ut ad hujus Conceptionis Festum recolendum illos induceret, narrat revelationem, quæ hac de re cœlitus facta est Helsino, sive Elphino, Abbati Monasterii Ramesiensis, in Mari cum Sociis periclitanti, dum in Angliam rediret e Dania: quò a Guillelmo *Conquestore*, ex Normandiæ Duce, in Angliæ Regem Sacrato, anno 1066. missus fuerat, explorandi gratiâ, an in Dania adversus Angliam classis pararetur. Revelationem istam, tanquam potissimum in Latina Ecclesia Festi Conceptionis fundamentum, ad verbum hic exhibemus, uti legitur in laudata Epistola S. Anselmi; quam ex antiquo Codice Ms. Monasterii S. Ragueberti Jurensis, ab Erudito Viro P. Francisco Chiffletio Soc. Jesu suppeditatam, noster Theophilus Raynaudus inseruit inter opera S. Anselmi, a se recognita, & illustrata. [*u*]

57. „ Ecce subito conspiciunt quendam ad„ modum reverendæ habitudinis Virum, Ponti„ ficali infula decoratum, (*hunc aliqua exem„ plaria dicunt fuisse S. Nicolaum*) quasi inter „ medias undas mari proximum: qui vocans „ ad se Abbatem, his verbis cœpit eum appel„ lare. Vis, inquit, periculum maris evadere? „ Vis

[o] *In Diatriba de Simeonum scriptis pag.* 83.
[p] *Dissertat.* 1. *de Scriptorib. incertæ ætatis, post Historiam Literariam, pag.* 176. *col.* 1.
[q] *Tomo* 10. *a col.* 243; *secundæ edit.* Venetæ an. 1722. *de illo Codice Vaticano V.* Leonem Allatium *differt.* 1. *de Libris Ecclesiast. Græcor. a pag.* 84. *edit.* Parisiens. an. 1645.
[r] *In Calce partis primæ tom.* 6. *Sanctorum mensis Junii, post pag.* 274. *V. &* Card. de Lambert. *lib.* 4. *de Beatificatione, & Sanctificatione, cap.* 28. *pag.* 289.
[s] *In Observationibus ad scripta S. Hildephonsi, a pag.* 520. *in Actis Sanctor. Sæculi* 2. *Benedictini: & in notis ad Epist.* 174. *D. Bernardi n.* 139. *pag.* LXII. *primi voluminis Oper. S. Bernardi.*
[t] *Parte* 1. *Sæculi* 3. *pag.* 477. *& in Præfatione partis* 2. *ejusd. Sæculi pag.* XIII.
[u] *Parte* 1. *Operum S. Anselmi pag.* 144. *edit.* Lugdun. an. 1630.

„ Vis in Patriam tuam sanus redire? Cumque „ cum fletu id toto corde desiderare, & hoc „ solum expectare, responderet; tum ille, scias, „ inquit, me ad te a Domina nostra, DEI „ Genitrice MARIA, directum esse, ad quam „ dulciter reclamasti: & si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum Comitibus tuis „ evades imminens periculum maris. Ille vero illico spondet, se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc evaderet naufragium. Promitte, inquit ille, Deo, & mihi, quod „ diem Conceptionis, & Creationis (*hoc verbum observa, quo non Conceptio seminalis, sed Creatio, & Infusio Animæ in Corpus denotatur*) Matris Domini JESU CHRISTI solemniter celebrabis, & celebrandum prædicabis. „ Et quis, inquit, dies in hoc Festo celebrandus erit? Sexto, ait, Idus Decembris hoc Festum solemnizandum tenebis. Et quo, inquit, „ Abbas, Officio utemur in Ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, Officium, quod dicitur „ in ejus Nativitate, dicetur in Conceptione, „ excepto quod nomen *Nativitatis* mutabitur „ in nomen *Conceptionis*. His dictis ille disparuit. „

58. Subdit vero Anselmus, dicto citius sedatam fuisse tempestatem, Abbatem incolumem, concito flatu, applicuisse littoribus Anglicanis, & quæ viderat, & audierat, quibus potuit, notificasse. Statuisse autem idem Festum in suo Cœnobio Ramesiensi celebrari; & ipsum, quandiu vixit, devotis obsequiis illud celebrasse. Tum demum illos, ad quos scribit, hortatur Anselmus: *Et nos ergo, Fratres dilectissimi, si portum Salutis volumus apprehendere, DEI Genitricis Conceptionem dignis obsequiis, & officiis celebremus, ut ab ejus Filio digna mercede remuneremur.*

VINDICATIO EPISTOLÆ S. ANSELMI, DE FESTO CONCEPTIONIS B. MARIÆ.

59. HAnc Anselmi Epistolam, ipsamque adeo Revelationis historiam, commentitiam esse, multis argumentis probare nititur Gabriel Gerberon, Benedictinus Congregationis S. Mauri, in censuris præviis ad singula Opera S. Anselmi; quorum novam editionem post Raynaudum adornavit, secundo impressam Parisiis anno 1721. ubi eam Epistolam rejicit inter Opera spuria S. Anselmi *pag.* 505. Gerberoni adhæsit Natalis Alexander, (x) iisdem prorsus argumentis usus. Hæc tamen argumenta tanti ponderis non sunt, ut rem adeo contestatam loco movere queant. Quæ Revelationi, & Epistolæ fidem concilient, prius exponam.

60. Primò, idem Factum summatim refert Gaufridus, ex Cœnobita Monasterii D. Martialis Lemovicensis, Prior Vosiensis Monasterii, in suis Chronicis, non longe ab eo tempore, nempe anno 1183. conscriptis, Capite XII. *de Guillelmo Rege Anglorum.* Ubi sic legimus: *Ea tempestate Triumphator ille Guillelmus Manser, subjugatâ Angliâ, probitate pollebat. Hic misit in Daciam Elphinum Abbatem Remesiensis Monasterii: cui in mare periclitanti, Angelus apparens diem Conceptionis perpetuæ Virginis Mariæ designavit, eumque a mortis periculo eripuit.* Ne mireris, quod pro *Dania*, audias *Daciam.* Ut enim adnotavit Abrahamus Ortelius *in Thesauro Geographiæ, V. Dani*; Dani cum Daciis sæpenumero confunduntur, quamvis non sine errore. Et ipse Polydorus Virgilius *lib. IX. Historiæ Anglicæ*, pro *Dania*, *Daciam* nominat.

61. Extant hæc Chronica, ex quatuor antiquis Mss. Codicibus eruta, in nova Bibliotheca manuscriptorum librorum, operâ, & studio Eruditissimi Viri P. Philippi Labbe, edita Parisiis anno 1657. *Tom. II. sect. I.* Verba autem illa leguntur *pag.* 284. De hoc Gaufrido, seu Gaufredo, ejusque Chronicis, vide etiam Guillelmum Cave in sua Historia litteraria ad eum annum 1183. *pag.* 598.

62. Secundo, Jam inde a temporibus D. Bernardi, & D. Bonaventuræ [quorum alter anno 1130. alter anno 1265. claruit] istius Revelationis rumor increbuerat. *Sed profertur*, [inquit S. Bernardus in Epist. ad Lugdunenses, de Festo Marianæ Conceptionis loquens] *Scriptum supernæ, ut ajunt, Revelationis.* Et D. Bonaventura: (y) *Ut quidam dicunt, hæc Solemnitas celebrari non cœpit humana inventione, sed Divina Revelatione.* Qui quidem rumor processu temporis non evanuit, ut in fabulosis narrationibus contingere solet, sed magis, magisque inolevit. Quia vero tunc non erat satis firmis indiciis comprobatus, idcirco prudentissime duo illi Sancti Doctores ei fidem suam adjungere noluerunt. *Quia hoc* [ajebat S. Bonaventura loc. cit.] *authenticum non est, non compellimur credere; quia etiam contra fidem rectam non est, non compellimur negare.* Ejusdem quoque Revelationis meminit S. Bernardi Discipulus, Petrus Cellensis *lib.* IV. *Epistolar. epist.* XXIII. ad Nicolaum, Monachum S. Albani in Anglia.

63. Istam vero Revelationem subsequentes Scriptores libenter admiserunt: ex quibus Joh. Baptista Mantuanus eam versibus eleganter descripsit: (z) Et Petrus de Natalibus, Episcopus Equilinus, eandem transtulit in Catalogum Sanctorum *lib.* 1. *cap.* 42. *fol.* 7. *edit. Lugd.* an. 1543. etsi per errorem tribuat ipsi S. Anselmo, ut observavit Baronius mox citandus.

64. Tertio, In pluribus vetustis Codicibus Mss. hæc Epistola sub nomine S. Anselmi descripta continetur. Præter illud Ms. unde eam edidit Raynaudus; quatuordecim hujusmodi Mss. antiquissima se vidisse, testatur P. Petrus de Alva, & Astorga. (a) Et Johannes Bacho, antiquus ex Anglia Theologus, fidem facit, (b) eam Episto-

(x) *Tom.* 6. *Hist. Eccl. cap.* 6. *de Script. Sæculi* 12. *art.* 2. *pag.* 512.
(y) *In* 3. *lib. Sentent. dist.* 3. *par.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1.
(z) *Lib.* 12. *Fastorum, seu de Sacris Diebus, ad diem* 8. *Decembr. fol.* 375. *edit.* Antverp. an. 1576.

(a) *In Nodo indissol. de Conceptu Mentis, & Ventris, Nodo secundo* § 2. *pag.* 228. *edit.* Brussell. an. 1661.
(b) *Lib.* 3. *Quodlibet. quæst.* 14. *particula* 2. *pag.* 765. *col.* 2. *edit.* Crem.

lam *haberi in multis locis in Anglia*, *& Francia*; *& Parisiis a se inventam in Abbatia S. Victoris.* Insuper Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die VIII. Decembris loquens de præfata Revelatione, ait: *Habemus rei gestæ historiam in antiquo Codice Ms. &c.* indeque concludit, *satis compertum haberi*, *Conceptionis Celebritatem in Anglia primum celebrari cœptam, eidemque favisse S. Anselmum.*

65. Quarto, In omnibus ferme antiquis Breviariis, seu Manuscriptis, seu Typis impressis, lectiones recitandæ in Officio Festi Conceptionis B. MARIÆ Virginis, desumuntur ex laudata Epistola D. Anselmi. Plusquam septuaginta ejusmodi Breviaria numerat P. Alva *loc. cit. pag.* 222. Auctores *Armamentarii Seraphici*, *in Regesto authentico*, *& universali col.* 19. *& seq. & col.* 199. *& seqq.* plurima singillatim recensent Hispaniarum Breviaria, in quibus eædem lectiones continentur. Et P. Antonius Yepes in suo Chronico Generali Ord. S. Benedicti, Hispanice edito Vallisoleti anno 1621. *Tomo* VII. *Centuria* 7. ad an. CHRISTI 1109. S. Benedicti 629. [ubi late tractat de hac Revelatione] testatur, habere apud se Breviaria septem diversarum Ecclesiarum, duo Mss. antiquissima, & alia typis impressa, in quibus ea Epistola D. Anselmi, sive Revelatio describitur.

66. Idem & ego observavi in pluribus vetustis Breviariis: quorum duo sunt Mss. in charta pergamena, unum anni 1452. vel potius 1440. *Secundum consuetudinem Panormitanæ Ecclesiæ*, quod in hujus Majoris Ecclesiæ thesauro asservatum inveni; alterum anni 1468. quod nactus sum in Bibliotheca nostri Tyrocinii Panormitani. Ipsum denique, Conceptionis Officium, quod in Breviario Romano, per S. Pium V. reformato, juxta ritum Festi Nativitatis recitandum præscribitur; ad normam istius Revelationis conformatum videtur, in qua sic legimus: *Omne Officium*, *quod dicitur in ejus Nativitate*, *dicetur in Conceptione*, *excepto*, *quod nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis.*

67. Quinto, Ex historicis Monumentis deprehendimus, Festum Conceptionis B. M. V. vivente adhuc S. Anselmo, Archiepiscopo Cantuariensi, fuisse in Anglia celebratum. Nam S. Anselmus, ut refert Eadmerus, vixit usque ad annum 1109. Et Matthæus Paris, seu Parisiensis, Monachus S. Albani in Anglia, notæ auctoritatis Historicus, qui scribebat circiter annum 1243. aperte indicat, eodem D. Anselmi tempore, Conceptionis Festum introductum in Anglia fuisse. Nam de Gaufrido, Abbate sui Monasterii XVI. quem electum dicit anno 1119. sub Henrico I. hæc refert: (c) *Statuit quoque, Festivitatem Ascensionis Domini principalem fieri: & Festivitatem B. Matthæi &c. & Conceptionem B. Virginis*, *& Festivitatem B. Catharinæ*, *ob reverentiam DEI*, *& Sanctorum*, *in cappis festive celebrari.* Quibus verbis plane denotatur, Festivitatem Conceptionis B. Virginis, non tunc primum, sed multo antè institutam in Anglia fuisse. At hujus Institutionis non alia apparet verisimilis ratio, quàm illa Helsino Abbati facta Revelatio, & a D. Anselmo, Angliæ Primate, approbata, & promulgata. Ad hæc, Concilium Provinciale Londinense, a Simone Memphano, Archiepiscopo Cantuariensi, in Anglia celebratum anno 1328. [de quo Act. IV. seq.] Festi Conceptionis Institutionem S. Anselmo expresse tribuit.

68. Age nunc expendamus Gerberonis argumenta. Contra sinceritatem Epistolæ objicit. „ I. Nusquam Anselmus in Epistolis se „ Anglorum Pastorem nuncupat. II. S. Anselmus Coëpiscopos non fuisset alloquutus his „ verbis: *Dilectissimi Fratres*, *Dilectio vestra*, „ absque ulla Dignitatis, ac Paternæ reverentiæ nota, quam semper adhibuit. III. Epistolæ non clauduntur his vocibus: *Præstante* „ *Domino nostro*, *Jesu Christo*, *qui cum Patre &c.* IV. Adeo varie conscripta est hæc „ Epistola, ut mendacio propior videatur. Nam „ in ea, quam edidit P. Yenes [*corr.* Yepes, „ *in Appendice loci citati*] edicitur, quod S. „ Nicolaus sit infulatus ille, qui Helsino apparuit; nec nisi una apparitio narratur: in ea „ vero, quæ a Raynaudo edita est, non nominatur S. Nicolaus, & duæ aliæ adjectæ „ sunt narrationes.

69. Primum, & secundum argumentum nihil ingerunt difficultatis consideranti, Epistolam illam esse Encyclicam, & non solis Episcopis, sed *& omnibus* in Anglia Christi fidelibus, *B. Mariæ Mysteria colentibus* inscriptam. Fortasse etiam titulus ille, *Anglorum Pastor*, non ab Anselmo, sed a Librariis, ut moris est, fuit appositus.

70. Duo posteriora argumenta nullum nobis facessunt negotium, qui sustinemus, genuinam S. Anselmi Epistolam claudi verbis illis: *Nos ergo*, *Fratres Dilectissimi &c.* quæ supra retulimus; & nonnisi unam apparitionem habere, Abbati Elsino factam; cæteras vero duas, quæ eidem Epistolæ in editione Raynaudi sunt adjectæ, suppositas esse, ut paulo post videbimus. Varietas autem illa, quod alicubi nominatur, alibi non nominatur S. Nicolaus, parvi momenti est. Potuit contingere, quod nomen S. Nicolai additum fuerit ex quorundam pia interpretatione, vel omissum, librariorum incuriâ. Hoc certe verissimum est, omnia, sive epistolæ, sive solius narrationis exemplaria, etsi in aliquibus accidentibus variant, convenire tamen in Revelatione facta de celebranda tali die, & modo, B. Virginis Conceptione.

71. Contra ipsam Narrationem, & Revelationem hæc alia Gerberon opponit: I. Scriptorum Anglicanæ Historiæ silentium de illa Abbatis Helsini expeditione in Daniam: additque, quod si Helsinus paratam classem Danorum renuntiasset Guillelmo, saltem Dani Angliam improviso non invasissent. II. Helsinum non fuisse in Abbatem Ramesiensem electum, nisi anno 1080. ut habetur in Regesto de Ramsei, folio 218. Guillelmum autem Angliam subegisse anno 1066. III. Illam Helsini scrupulosam de die, & festivitatis

(c) *In Vitis Abbatum Monaster. S. Albani*, *annexis suæ Histor. Anglicanæ Majori pag.* 40. *edition.* Parisiens. anni 1644.

tatis officio inquisitionem, videri arte compositam. IV. Auctoritatem Durandi, Mimatensis Episcopi *loc. cit.* ajentis, Revelationem istam *non esse authenticam, nec approbandam.*

72. Respondeo ad primum, Silentium istud non esse omnium Historicorum, ut evincunt Chronica relata Gaufridi. De aliis vero tacentibus Historicis dici potest, quod de S. Luca, controversiam inter Petrum, & Paulum Antiochiæ ortam, prætermittente, dixit S. Hieronymus: (d) *Nec mirum est, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentiâ prætermiserit: & non statim est contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit.*

73. Observatio adjuncta Gerberonis falsò innititur fundamento. Non enim refertur in Epistola, quod paratam classem Danorum Guillelmo renuntiaverit Helsinus; sed quod, inquisitione facta, in Angliam revertebatur: id utique Guillelmo renuntiaturus, nisi Rex Daniæ prævenisset; qui & Helsinum aliquandiu detinuit, ut dicitur in lectionibus intra Octavam Festi Conceptionis, quæ sunt *f.550.* in Breviario *secundùm usum Gallicanum*, per Lucam Anton. Junctam impresso Venetiis anno 1539. & in *Miraculo*, quod *pag.* 507. exhibet ipse Gerberon *De Conceptione S. Mariæ*, ex Ms. Gemeticensis Monasterii.

74. Ad secundum respondeo, in eo Regesto [cujus Fides sit penes Gerberonem] facilem errorem subrepere potuisse, ut pro anno 1060. scriberetur, vel imprimeretur annus 1080. Ipsum enim Autographum Abbatiæ Ramesiensis [quæ ab Henrico VIII. deleta est, ut habet Dictionarium Moreri V. *Ramsei*] Gerberoni visum non credo. Forte etiam Helsinus in ea Epistola nuncupatur Abbas, non quòd Abbas fuerit, cùm a Guillelmo in Daniam missus est, sed quòd postea fuerit Abbas; ut in hujusmodi narrationibus passim usu venit.

75. P. Franciscus Bivarius, (e) Abbatem illum fuisse contendit Herluinum, Monasterii Beccensis Patrem, sub quo meruit S. Anselmus. Sed repugnant antiqua Ms. immo & omnia exemplaria, in quorum nullo Herluinus Abbas Beccensis nominatur.

76. Tertium argumentum quærit nodum in scirpo. Quod enim magis pronum, & ingenuum, quàm Virum Ecclesiasticum, cœlitus admonitum de nova solemnitate inducenda, inquirere, qua die, & quo officio illam celebrare oporteat?

77. Auctoritas Durandi Mimatensis, quæ in quarto argumento opponitur, nullius est momenti. Sicut enim Durandus, quia DEI Genitricis Nativitatem, Sanctam fuisse credebat, aliam Revelationem de ejus Festo celebrando facile approbavit: (f) ita ex adverso, quia ejusdem Conceptionem, Maculatam censebat, facile hanc Revelationem improbavit.

78. Missa facio reliqua argumenta, quibus Gerberon duas alias Revelationes aggreditur. Nam Revelationes istas, ex aliis etiam Capitibus subdititias esse censemus, & ad genuinam D. Anselmi Epistolam non pertinere. Siquidem 1. Hæc Epistola post narratam Helsini visionem, apte concluditur, verbis supra relatis. 2. In pluribus Mss. exemplaribus istius ejusdem Epistolæ, una tantum Revelatio narratur: quale est illud editum a P. Antonio Yepez; & aliud Ms. antiquissimum, a Bivario (g) repertum in Mss. Codd. qui fuerunt Cardinalis Baronii, *Tomo VII. Vitarum Sanctorum*, & extant in Bibliotheca Congregationis Romani Oratorii. 3. Petrus de Natalibus, & Card. Baronius locis citatis eam solam Revelationem describunt: eandemque solam exhibent, pro lectionibus Festi Conceptionis, Antiqua Breviaria, seu Mss. seu typis impressa. 4. S. Bernardus, S. Bonaventura locis cit. & Henricus Gandavensis, (h) illius Revelationis, tanquam unius meminerunt. Non autem novum nec mirum est, hujuscemodi additiones in legitimis Veterum operibus inveniri: Quemadmodum observat P. Philippus Labbe in Epistola prima Cœlestini V. ad Episcopos Galliæ. (i)

SÆCULUM CHRISTI XII.

79. Sub initium hujus Sæculi, Festum Conceptionis, in toto Navarræ Regno, sanctum, ratumque fuisse; probe notatum invenimus *in Collectaneis de Vita, & Veneratione S. Veremundi, Abbatis Monasterii Hyrachensis, sive Hiraxensis* in eo Regno, fideliter desumptis ex Archivo, & veteribus Monumentis ejusdem Monasterii. (k) In iis enim *cap. I. n.* VI. legimus: „ Non ita post ejus obitum [*id est S. Veremundi, qui obiit circa annum* 1092.] in „ eodem Monasterio Festivitas Conceptionis Immaculatæ celebrata est VIII. die Decembris. „ Nam non multo post mortem ejusdem Sancti, constat ex antiquissima Scriptura, characteribus Gothicis exarata, diem illum solemniter celebrari solitum in toto Navarræ „ Regno; ac Sententiam juridicam in quadam „ lite hujus Monasterii dilatam fuisse usque ad „ diem Decembris nonum, ob reverentiam Festi „ Conceptionis. „

80. Hoc eodem Sæculo labente, Solemnitas Marianæ Conceptionis, in Ecclesia Græca olim Instituta, confirmata est per *Novellam*, seu Constitutionem Imperialem Manuelis Comneni; qui in Oriente imperavit ab anno 1143. usque ad annum 1180. In ea quippe Constitutione, [ubi colendorum Festorum ratio, & numerus præscribuntur] inter dies integre feriatos recensetur nonus dies Decembris: *Quippe quia* [sunt ejus verba] *tunc Genitricis DEI nostri Conceptio celebratur.*

(d) *Comment. in epist. ad Galat. cap. 2. col. 244. tom. 4.*
(e) *In Anselmo vindicato lib. 1. §. 4. a pag. 201. edit.* Lugd. an. 1624.
(f) *Lib. 7. Rationalis Divinor. Officior. cap. 28. de Nativit. B. Mariæ pag. 851. edit.* Lugd. 1592.
(g) *Lib. cit. §. 11. a pag. 249.*
(h) *Tom. 2. quodlibetor. quodlibet. 15. quæst. 13. fol. 380. edit.* Venet. an. 1613.
(i) *V. col. 469. & 472. tomi 3. Concilior.*
(k) *Extant apud* Bollandum *in Actis Ss. Martii tom. 1. pag. 796.*

bratur. Hanc Novellam Thomasinus, (*l*) *Vetustissimum*, esse dicit, *monumentorum omnium de Conceptione Deiparæ.* Sed quam falso id dicat, abunde constat ex relatis præcedentium Sæculorum Monumentis.

81. Laudatam Novellam affert Theodorus Balsamon, Patriarcha Antiochenus, Commentario in Nomocanonem Photii Patriarchæ CP. (*m*): eandemque una cum aliis ejusdem Imperatoris Novellis, inseruit Johannes Leunclavius in *Jure Græco-Romano.* (*n*) Fuit edita anno Domini 1166. mense Martio, Indictione XIV. & ex imperitia Æræ Græcorum processit, quod in Versione latina Commentarii Balsamonis, retrahatur ad annum a CHRISTO passo 674. quando nec Atarus Manuelis natus erat.

82. In commendationem istius Novellæ adnotare lubet, ejus Auctorem Manuelem, sive Emmanuelem Comnenum, plures in gratiam Ecclesiæ Novellas emisisse, quæ videri possunt in cit. *Jure Græco-Romano:* Eundemque ut erat Doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ addictus, jussisse Hugoni Ætheriano Etrusco, ut Commentarium scriberet adversus errorem Recentiorum Græcorum de processione Spiritus Sancti a solo Patre: qui Commentarius, tribus libris compactus, extat a *pag.* 1199. *Tomi* 22. *Bibl. M. PP.* Lege, sed caute, Casimirum Oudinum *Tomo* 2. *ad annum* 1160. *col.* 1461. *& seq.*

83. Ex Græcis transiisse ad Armenos, hoc saltem Sæculo, Marianæ Conceptionis Celebritatem; liquet ex Historia Anglicana majori Matthæi Paris ad annum 1228. (*o*) Ubi narratur, hoc anno venisse in Angliam, Sacræ Peregrinationis gratiâ, Archiepiscopum quendam Majoris Armeniæ; eumque, in Monasterio S. Albani hospitio receptum, & a quodam Monacho interrogatum, *Si in Partibus suis Conceptio B. Mariæ celebraretur*; respondisse: *Celebratur utique.*

84. Ruthenos quoque, a Græcis Festum Conceptionis B. Virginis celebrandum didicisse, verosimillimum est. Nam in eorum Kalendario, quod tam in Moscovia, quàm in reliqua Russia est in usu; more Græcorum, ad diem IX. Decembris signatur *Conceptio S. Annæ.* Hoc Kalendarium descripsit in suo *Apparatu Sacro* (*p*) P. Antonius Possevinus, qui Apostolica Legatione pro Pace, & Religione ad Johannem Basilii, Magnum Moschoviæ Ducem, olim functus est.

85. Demum, ut semel omnia de Solemnitate Festi Conceptionis apud Græcos dicamus; hoc Festum in Græca Ecclesia universa jugiter continuatum esse ad hæc usque tempora; constat cùm ex Menologio Græcorum, (*q*) ubi ad diem nonam Decembris designatur *Conceptio B. Mariæ:* tum etiam ex novo *Florilegio Horarum Canonicarum*, [quod ex viginti quatuor libris Ecclesiasticis Græcorum, ab Antonio Arcudio fideliter concinnatum, Clementis VIII. auctoritate editum est Romæ, ex Typographia Vaticana, anno 1598.] ubi similiter ad diem IX. Decembris *pag.* 179. signatur *Conceptio S. Annæ, quando concepit Deiparentem*; ejusque Officium exhibetur.

A Græca Ecclesia ad Latinam redeuntes, propagatum hoc Sæculo duodecimo, in pluribus Occidentis Ecclesiis, Conceptionis Festum comperimus.

86. Ut a nostro Siciliæ Regno incipiamus, extat Messanæ super ædem *S. Mariæ a Porta*, æs Campanum librarum circiter 180. conflatum anno 1104. ut indicant hæ notæ *M. C. IIII.* ad ejus oram ex metallo prominentes. In istius Campanæ superficie existit, anaglyptico opere, ex ipso ære fusum, B. Virginis MARIÆ Simulacrum, Cœlum suspicientis, & falcatam Lunam pede calcantis: quale nos efformare solemus, ad exprimendum Mysterium Immaculatæ ipsius Conceptionis. Ædes porro illa, cujus est præfata Campana, licet *S. Mariæ a Porta* vulgo nominetur, quòd secus antiquam Messanæ portam sita fuerit; semper tamen Immaculatæ Conceptionis titulo est insignita, & hujus Conceptionis solemne Festum, tanquam sibi proprium, & peculiare vindicavit. (*r*) Quæ, etsi non certam fidem, probabilem conjecturam faciunt, quod jam ab eo anno 1104. Messanæ, & Templum erat Immaculatæ DEI Genitricis Conceptioni Sacrum, & ejus Festiva Solemnitas colebatur. Istam ego Campanam non vidi, sed habeo apud me ejus effigiem, datâ operâ, coram multis Testibus exactissime adumbratam.

87. Celebriorem quàm antea, fuisse in Anglis hoc Sæculo Marianæ Conceptionis solemnitatem, constat ex Vita Gaufridi, anno 1119. electi Abbatis magni Monasterii S. Albani in Anglia, quam describit Matthæus Paris: ibi enim narrat, quod Gaufridus *Conceptionem B. Virginis in Cappis festive celebrari statuit*; ut dictum est *nu.* 67. Constat insuper ex Epistolis Nicolai Monachi ejusdem Monasterii, in defensionem Festi Conceptionis, ad Petrum Abbatem Cellensem, scriptis circa annum 1170. de quibus infra.

88. Ex Anglia, ut par est credere, anno circiter 1140. Festum Conceptionis propagatum est in Gallia. In eo celebrando præ cæteris eminuit Ecclesia Lugdunensis, Galliarum Primas: ut liquet ex famosa illa S. Bernardi Epistola, eodem anno ad Canonicos Lugdunenses scripta. (*s*) Cujus Epistolæ argumentum est: *Festum Conceptionis novum esse, nullo niti legitimo fundamento; cæterum non fuisse instituendum, inconsulta Sede Apostolica, cui sententiam suam subjicit.* Fatetur autem Bernardus, idem

(*l*) *In Comment. de dier. festor. celebr. lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 47. *edit. Latinæ post Heortologiam* Gueyti, *impressionis* Venetæ an. 1729.

(m) *Tit.* 7. *cap.* 1. *pag.* 84. *edit. Græco-Latinæ* Parisiens. an. 1615.

(n) *Tom.* 1. *lib.* 2. *sub hoc tit.* Novella V. de Feriis, *pag.* 160. *edit.* Francofurt. an. 1596.

(o) *Pag.* 242. *edit.* Paris. an. 1644.

(p) *Tom.* 3. *Apparat. Sacri*, *V.* Rutheni, *a pag.* 174. *edit.* Venetæ 1606.

(q) *Extat in nostra Biblioth. quatuor volum. comprehensum, impressum* Venetiis typis de Bergi an. 1602.

(r) *V.* P. Placidum Samperi *in Iconologia Gl. V. Mariæ lib.* 4. *cap.* 31. *pag.* 556. *edit.* Messan. an. 1644.

(s) *Est Epistola num.* 174. *a col.* 169. *tomi* 1. *edit.* Mabillon.

idem Festum in aliis Ecclesiis antè celebrari consuevisse, sed Ipsum dissimulasse, *Parcendo devotioni, quæ de simplici corde, & amore Virginis veniebat.* Indicat quoque, Lugdunenses quodam *Scripto supernæ Revelationis* esse permotos; quod non aliud esse videtur, nisi Epistola illa S. Anselmi.

89. Ista vero D. Bernardi Epistola, quantumvis vehemens, atque incensa, Lugdunenses Canonicos a celebratione Festi Conceptionis non deterruit, [ut ipsemet Turrecremata (t) concedit] nec impedivit, quo minus idem Festum statim *fere per totam Galliam devotissime, ab omni Christiano percelebraretur Populo:* uti scribit Atto, Prior Monasterii S. Petri de Regula, in statuto, quod anno 1154. [hoc est post annum a morte D. Bernardi] de celebranda solemniter eadem Festivitate, edidit. (u)

90. Aliquot insuper annis post obitum S. Bernardi, circa annum 1170. adversus eandem Epistolam insurrexit Nicolaus quidam, Monachus celeberrimi Monasterii S. Albani in Anglia; & hac super re cum Petro Abbate, prius Cellensi, dein S. Remigii in Gallia, addictissimo S. Bernardi Discipulo, longam habuit epistolarem concertationem.

91. Nicolaus quidem Festum Conceptionis B. Virginis, hac ratione propugnabat: (x) *Non erat ab initio Nativitas Virginis in Ecclesia solemnis, sed crescente Fidelium devotione, addita est præclaris Ecclesiæ solemnitatibus. Quare igitur non similiter, & diem Conceptionis obtineat sedulitas Christianæ Devotionis?* Respondebat huic argumento Cellensis: „ Licuit quo„ que, semperque licebit, Sponsam CHRISTI „ Ecclesiam, quæ in terris peregrinatur, secun„ dum mutationes rerum, personarum, & tem„ porum, variare rationes Decretorum.... & sta„ tuere Sanctis, adeptione Gloriæ, frequentiam „ solemnitatum. *Est* tamen *auro locus, in quo* „ *conflatur, & habet argentum venarum suarum* „ *principia:* [Job. XXXVIII. I.] Sedem Petri, „ & Curiam Romanam, quæ claves Cœli prin„ cipaliter tenet &c. „

92. Ex quibus patet, Festum Conceptionis B. Virginis non alia ratione a Petro Cellensi improbatum esse, nisi quia nondum erat a S. Sede Apostolica institutum. Quod & clarius patet ex altera ipsius Epistola ad eundem Nicolaum, (y) ubi, „ Virginem, *inquit*, laudas, & Ego „ laudo; prædicas Sanctam, & Ego; extollis su„ per Choros Angelorum, dicis immunem ab „ omni Peccato, & Ego...... Versa, & reversa, „ in quolibet statu venerationis, & glorificatio„ nis, tecum vado, tecum sentio. Si vero ex„ tra communis monetæ formam, vis fabrica„ re aliam, quam non approbavit Sedes Petri, „ cujus est approbare, vel improbare ordinem „ universalis Ecclesiæ; pedem sisto, & ter„ minos constitutos non transgredior. „ Tanta erat in Petro Cellensi erga Sedem Apostolicam observantia, ut, quamquam de Immunitate B. Virginis ab omni prorsus Peccato non dubitabat, ab ejus tamen Illibata Conceptione celebranda, absque Sanctæ Sedis approbatione, abstinendum putaret.

93. Sed neque Petri Cellensis auctoritas, qui & Episcopus Carnotensis postea fuit, quidquam obtinuit in Gallia. Laurentius Bochellus (z) exhibet Edictum Synodi Gallicanæ, in quo *Conceptio B. Mariæ Virginis, de mandato Sedis Apostolicæ celebrari*, perhibetur, tempore Innocentii Papæ III. cujus Pontificatus initium fuit anno 1198. Et quamvis hoc Edictum Johanni Mabilloni, (a) & Ludovico Thomasino (b) non satis probetur; consonat tamen Statuto illi Attonis, cujus paulo ante meminimus.

94. Certe Rotomagi, [quæ Metropolis est Normandiæ, ampli Galliæ Ducatus] anno 1197. Conceptionem Beatæ Virginis, unum fuisse ex solemnioribus Festis; patet ex *Chronico Rotomagensi*, quod ex antiquo Cod. Ms. edidit P. Philippus Labbe. (c) Ibi namque ad dictum annum refertur, quod cum Walterus Archiepiscopus Rotomagensis, Episcopos quosdam a Pontificalibus suspendisset; illi pro reconciliatione *venerunt ad pedes ejus prostrati, in processione solemni, in Festo Conceptionis B. Mariæ Virginis, &c.* Quod quidem Festum, apud omnes Normannos, sæculo sequenti celeberrimum fuisse, testatur Henricus Gandavensis, ejus Sæculi Scriptor, *loc. cit.* ad *num.* 78.

95. Ex Gallia, Conceptionis Solemnitas, instar ignis in Arundineto discurrentis, eodem Sæculo, celerem gradum fecit ad Belgium, indeque ad Germaniam. De Belgio constat ex quodam Diplomate, (d) quo Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ Comes, & Marchio Namurcensis, novum Altare in Condacensi Ecclesia B. MARIÆ, S. Petro Apostolo sacrum erexit. Hujus enim Diplomatis clausula est: *Actum in Solemnitate Conceptionis Gloriosæ Virginis Mariæ, Anno millesimo, centesimo, nonagesimo quinto.* Erat ergo tunc temporis in Flandria insignis, Marianæ Conceptionis dies.

96. Constat insuper ex quodam Instrumento authentico Engelberti de Bois, Episcopi Namurcensis, (e) quo die 28. Maji, anno 1648. testimonium reddit de duobus antiquis Mss. Chronicis Leodiensibus, inter alia Ecclesiæ Leodiensis memorabilia, ad annum 1142. concorditer referentibus, sub Alberone II. Episcopo, & Principe Leodiensi, ex cœlesti monitu, & revelatione facta Armenfredo, Cantori Ecclesiæ

(t) *Parte 4. cap. 11. fol. 181. pag. 1.*
(u) *Apud* Edmundum Martene *loco cit. numer.* 14. *pag.* 554.
(x) *Apud* Petrum Cellensem *lib. 6. Epistolar. epist.* 23. *ad* Nicolaum Monachum S. Albani; *pag.* 879. *tomi* 23. *Bibl. M. PP.*
(y) *Epist.* 10. *ad eundem lib. 9. Epistolar. pag.* 906. *ejusd. tomi.*
(z) *Lib. 4. Decretor. Eccl. Gallicanæ tit. 9. cap. 13. pag.* 570.

(a) *In notis ad epist. 174. D. Bernardi.*
(b) *Loco a nobis cit. n.* 80.
(c) *Tom. 1. Bibliothecæ Manuscriptor. sect. 2. pag.* 369.
(d) *Extat in Operibus Diplomaticis, & Historicis* Auberti Myrei, *tom. 1. in Notitia Ecclesiarum* Belgii, *cap. 121. pag. 721. secunda edition.* Bruxellens. an. 1723.
(e) *Apud* Mathiam Hauzeur *tom. 2. collationis totius Theolog. &c. quæst. 15. in lib. 3. Sententiar. in resp. ad 10. col. 458. edit.* Leod. & Namur. an. 1652.

Collegiatæ S. Crucis Leodiensis, institutam, & celebratam fuisse per totam Diœcesim Leodiensem *In remedium magnorum malorum*, *Puræ*, *& Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis Festivitatem*, *pro die* VIII. *Decembris*.

97. De Germania colligitur ex ipso Potone Prumiensi, hoc est Prumiæ, in Diœcesi Trevirensi, Cœnobii Monacho, & Presbytero, qui claruit anno 1150. & Festum Conceptionis B. Virginis, in ea Germaniæ Regione inductum queritur, his verbis, (*f*) *Quæ ratio hæc Festa celebranda nobis induxit*; *Festum videlicet S. Trinitatis*, *Festum Transfigurationis Domini? Additur his a quibusdam*, *quod magis absurdum videtur*, *Festum quoque Conceptionis S. Mariæ. Nos in his omnibus*, *Devotioni Fidelium minime derogamus*, *dum rationem quærimus*, *qua rationabile obsequium nostrum offerre Domino debemus*, *ne forte a via Domini deviantes*, *præsumptionis spiritu seducamur.* Quibus verbis indicat, se ob solam novitatem, Conceptionis Festum improbare, sicut & Festum Sanctissimæ Trinitatis, & Transfigurationis improbabat.

Ecce in quot aliis locis, præter Lugdunensem Ecclesiam, in Anglia, in Normandia, in Belgio, in Germania, Marianæ Conceptionis Festum, illo eodem D. Bernardi Sæculo, solemniter colebatur; quantumvis magna tunc Bernardus auctoritate ubique polleret.

SÆCULUM CHRISTI XIII.

98. Festum Conceptionis B Virginis MARIÆ, non uno in loco celebrari, generatim testantur, qui hoc Sæculo scripserunt, & Piæ Sententiæ adversari visi sunt. D. Thomas, (*g*) „ Licet, *inquit*, Romana Ecclesia Conceptionem B. Virginis non celebret: tolerat tamen „ consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, illud „ Festum celebrantium. Unde talis celebritas „ non est totaliter reprobanda. „ *Et D. Bonaventura*, (*h*) „ Sunt, *inquit*, aliqui, qui „ ex speciali devotione celebrant Conceptionem „ Beatæ Virginis, quos, nec omnino laudare, „ nec simpliciter audeo reprehendere. „ Quibus adde Guillelmum Durandum, Mimatensem Episcopum, (*i*) & Johannem Belethum. (*k*)

99. Continuatum esse hoc Sæculo in Anglicana Ecclesia Conceptionis Festum, etsi nondum de præcepto constitutum; fidem facit Concilium Provinciale Oxoniense, a Stephano Archiepiscopo Cantuariensi anno 1222. celebratum: quod *cap. VIII. de Festis*, (*l*) recensens Festa necessario servanda, ex Festis B. MARIÆ, excipit *Festum Conceptionis*, *cujus*, inquit, *celebrationi non imponitur necessitas.* Id etiam indicat Interrogatio illa cujusdam Monachi, in Monasterio S. Albani, ad hospitem Archiepiscopum Majoris Armeniæ: *An ibi B. Virginis Conceptio celebraretur?* Quam, ad annum 1228. refert Matthæus Paris, laudatus *num.* 83.

100. In Italia, circa finem hujus Sæculi, Conceptionis Festum mirabiliter commendavit Cœlestis Visio, oculis, vel menti B. Oringæ, alias Christianæ, divinitus præsentata. Dum esset Assisii, & in Æde S. Francisci preces funderet B. Oringa, vidit Gloriosam DEI Genitricem in uno, cum Filio, splendidissimo Throno considere, eodem splendore conspicuam, & alba veste pretiosissima indutam; quam Angeli, ac Sancti omnes venerabantur, singulari gaudio exultantes: tum Angelos turmatim a Throno abscedere, cœlestique illa Regione peragrata, iterum ad ejus se prosternere pedes; idque sæpius factitantes, suavissime interim psallere, decentissimeque triumphare. Quæ, dum agerentur, prostrata ad DEI solium Oringa, stuporis plena, & cum Beatis illis Cœli Civibus, CHRISTUM, & CHRISTI Matrem adorans, hæc CHRISTUM sibi dicentem audivit: *Miraris Christiana honorem*, *qui ab Angelis hodie Matri meæ Gloriosæ exhibetur*, *& qua induta est*, *vestem? Sed scito*, *hodie agi in Cœlo celebritatem Immaculatæ Conceptionis ejus*, *quæ me deinde concepit*, *ac peperit verum DEUM*, *ac Hominem*, *Illibata semper Virginitate. Vestimenti ejus Candor*, *prærogativa est singularis innocentiæ. Sola enim Mater*, *& Virgo esse meruit.*

101. Tam illustri Visione [quam sequentibus signis confirmavit DEUS] edocta Christiana, voluit Monasterio, quod deinde in Patria sua, Castello S. Crucis, non longe a Florentia, erexit, nomen esse S. MARIÆ Novellæ: *Statuitque*, *ut in eodem Monasterio* (*salva Sacræ Sedis Apostolicæ*, *Summique Pontificis Auctoritate*, *& Reverentiâ*) *quotannis*, *Sacræ Conceptionis Solemnitas celebraretur.* (*m*)

102. Lampridium hujuscemodi Visiones irridentem, (*cap.* 18. *pag.* 140. *& seq.*) nihil moror. Intrepide loquar cum Doctore Maximo S. Hieronymo: (*n*) *Rideas forsitan*, *& Muliercularum deliramenta subsannes: Non erubesco earum fidem*, *quæ prima viderunt Dominum resurgentem*, *quæ mittuntur ad Apostolos*, *quæ in Matre Domini Salvatoris Sanctis Apostolis commendantur.*

103. Pene oblitus fueram, quod erat hoc Sæculo memoratu dignissimum. Idem S. Bonaventura, qui, ut audivimus, Festum Conceptionis *non omnino laudare audebat*; jam Minister Generalis Seraphici Ordinis, in Comitiis generalibus, quæ habita sunt Pisis, die xx. Maji, in Festo Pentecostes, anno 1263. *Statuit*, *ut hæ novæ Festivitates admitterentur in Ordine*, *videlicet Conceptionis B. Virginis Mariæ*, *Visitationis ejusdem*,

(f) *Lib.* 3. *de Statu Domus DEI*, *pag.* 502. *col.* 2. *tom.* 21. *Biblioth. PP.*

(g) 3. *Parte*, *quæst.* 27. *art.* 2. *ad* 3.

(h) *In lib.* 3. *Sentent. dist.* 3. *art.* 1. *qu.* 1.

(i) *In Rationali Divinor. Officior. lib.* 7. *cap.* 7. *pag.* 824. *edit.* Lugdun. an. 1592.

(k) *In suo Brevi Rationali*, *quod post* Durandi *Rationale est impressum*, *cap.* 141. *pag.* 1070.

(l) *Extat tom.* 13. *Concilior. col.* 1070.

(m) *Hæc omnia referuntur in Actis Ss. Bollandi tom.* 1. *Jan. die* 10. *cap.* 2. *Vitæ prioris*, *pag.* 652. *& cap.* 3. *Vitæ posterioris pag.* 656.

(n) *Adversus Vigilantium*, *col.* 593. *tom.* 1. *Operum S. Hieron. edit.* Paris. 1609. *ex Recensione* Mariani Victorii Reatini.

ejusdem, B. Annæ &c. Uti narrant FF. Lucas Wadingus, & Michaël Angelus a Neapoli. (o)

SÆCULUM CHRISTI XIV.

104. JOhannes Andreas, Jurisconsultus celeberrimus, qui claruit circiter annum 1340. (p) *Festum*, inquit, *passivæ Conceptionis ipsius Virginis hoc Sæculo in multis locis celebratur, ex devotione non improbanda.* Luculentius, Thomas de Argentina, Illustris Theologus Ord. S. Augustini, cujus & Prior Generalis fuit circa annum 1350. (q) *Sancta*, inquit, *DEI Ecclesia Festum Conceptionis Virginis Gloriosæ solemniter celebrat.* Et infra: *S. Romana Ecclesia Festum Conceptionis ipsius Virginis Gloriosæ solet solemniter celebrare.* Sed percurramus singillatim Regiones, in quibus Festum Conceptionis hoc Sæculo solemne erat.

105. Anno 1310. editum est statutum Synodale Ecclesiæ Cameracensis, quo *præcipitur, Festum Conceptionis Gloriosiss. V. Mariæ, tanquam Festivum, & solemne, sub pœna Excommunicationis, observari ab omnibus Christianis.* Quod statutum Actione sequenti de Synodis integrum proferemus, ex *Tomo VII. Collectionis* Martene, & Durand.

106. Anno 1314. B. Rogerius Episcopus Aurelianensis, dein Bituricensis, *Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis annualè, insignivit luminari Festorum similium, procurante Jacobo Flottè Cantore Aurelianensi:* ut ex Monumentis mss. Ecclesiæ Bituricensis tradit Carolus Saullejus *lib. XII. Annalium Aurelianensium*, apud Bollandum in Vita B. Rogerii *Tomo I. Sanctorum Martii, pag.* 119.

107. Anno 1323. Conceptionis Festum celebrari cum Octava consuevisse in hac Panormitana Ecclesia, & in aliis pluribus; eruimus ex quodam Diplomate Autographo, in ampla charta pergamena conscripto, quod in ejusdem Ecclesiæ Tabulario repertum est. Ibi Johannes Ursinus, Archiepiscopus Panormitanus, duo alii aliarum Ecclesiarum Archiepiscopi, & novem Episcopi [quorum nomina, præ Scripturæ vetustate legi non possunt] Avenione; [ubi Sedes Apostolica tunc considebat] in unum convenientes, communi consilio hæc statuunt: „ Omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui ad „ Altare B. Katarinæ Virginis, & Martyris, in „ Majori Panormitana Ecclesia fabricatum, in „ Festivitatibus Assumptionis, Annuntiationis, „ Nativitatis, Conceptionis, & Purificationis „ Virginis &c. Et per octavas earundem Festivitatum, causâ devotionis, & orationis, „ aut peregrinationis, accesserint &c. Singuli „ Nostrum quadraginta dies Indulgentiarum de „ injunctis eis pœnitentiis, misericorditer in „ Domino relaxamus; dummodo Diœcesani „ voluntas ad id accesserit, & consensus. In „ cujus rei testimonium præsentes Litteras Sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri. „ *Datum Avenione, XII. Die Mensis Aprilis, Anno Dñi MCCCXXIII. & Pontificatus Domini Joannis Papæ XXII. anno septimo.*

108. Anno 1328. Conceptionis B. MARIÆ Virginis Festum, quod Concilium Oxoniense in Anglia, Sæculo præcedente liberæ devotioni permiserat; Concilium Provinciale Londinense, sub Simone Memphano Archiepiscopo Cantuariensi, *Firmiter præcipiendo mandavit, ut festive, & solemniter de cætero celebraretur.*

109. Apud Anglos Marianæ Conceptionis Cultus tam altas radices egerat; ut adhuc post desertam Catholicam Religionem, aliquandiu saltem viguerit. Ut enim refert P. Theophilus Raynaudus, (r) „ In Rituali eorum libro precum „ publicarum, & in Ministerio publicæ Administrationis Ecclesiæ, Londini cuso, cum privilegio Elisabethæ Reginæ, diserte præcipitur, ut „ pridie Conceptionis, & Nativitatis B. Virginis „ servetur jejunium, eaque Festa juxta antiquum „ morem celebrentur. „

110. Anno 1334. Synodus Svessionensis in Gallia, inter Festa, quæ celebranda præscripsit, Festum reposuit Conceptionis B. MARIÆ Virginis. (s)

111. Circa annum 1344. *Ex diuturna consuetudine* celebrabatur Avenione [ubi tunc Papa residebat] a Romana Curia Festum Conceptionis, cum frequentia Cardinalium, Solemni Missa, & Sermone, in Ecclesia Fratrum Carmelitarum; ut testatum reliquerunt duo insignes Theologi Ord. Carmelit. Johannes Bacho, qui eodem anno, & Franciscus Martini, qui paulo post claruit. (t) Et Thomas Waldensis ejusd. Ord. memorat, (u) Richardum Rodulphum, Archiepiscopum Armacanum anno 1342. in eadem Festivitate, & Ecclesia, de Immaculata DEI Genitricis Conceptione Sermonem habuisse. Unde non immerito Johannes Taulerus, Ord. Prædic. qui vivebat anno 1350. scripsit: (x) *Sancta Romana, eademque Catholica Ecclesia Festum Conceptionis B. Virginis Mariæ solemniter celebrandum, colendumque assumpsit.*

112. Sub idem tempus [teste eodem Bachone ibidem] post longam discussionem, ab Universitatibus, Parisiensi, Oxoniensi, & Canthebrugensi determinatum est, *Sanctum esse, Conceptionem B. Mariæ celebrare*; eademque Conceptio in dictis Universitatibus colebatur per statutum.

(o) *Tomo 2. Annal. Ord. Minor. ad an. 1263. pag. 261. In Chronol. &c. ejusd. Ord. tom. 1. Capitulor. General. pag. 27. edit.* Neap. an. 1650.

(p) *Commentario in lib. 2. Decretal.* C. conquestus, de Feriis *fol. 56. col. 1. edit.* Venetæ an. 1612.

(q) *In 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. versus finem, fol. 9. col. 4. tom. 2. edit.* Venetæ an. 1564.

(r) *In Pietate Lugdun. Card. 1. Tractationis, num. 14. pag. 277. col. 1. tomi 8.*

(s) *Præcepto 22. de Festis, col. 1555. tomi 8. collectionis* Martene, & Durand.

(t) Bacho *tom. 2. in lib. 4. Sentent. dist. 2. qu. 4. art. 3. pag. 316. col. 2. edit.* Cremonens. an. 1618. Martini *apud* Bonamspem *loc. cit. pag. 343. & in Cod. Ms. superius indicato.*

(u) *Tom. 3. de Sacramental. cap. 89. fol. 107. col. 3. edit.* Venet. an. 1571.

(x) *Lib. de 10. Cæcitatibus, Cæcit. 4. cap. 11. pag. 873.*

113. Anno 1364. Argentinæ, quæ Caput est Alsatiæ in Germania, Conceptionis Festum cum Octava celebrabatur; ut Cl.V. Edmundus Martene (*y*) colligit ex Ordinario illius Ecclesiæ, quod eo anno compactum est.

114. Anno 1378. Synodus Cæsaraugustana, in Hispania Tarraconensi, decrevit, & præcepit, ut Festum Conceptionis B. MARIÆ Virginis in tota Cæsaraugustana Diœcesi, tam ab Ecclesiasticis, quàm a Populo quotannis frequentaretur, & servaretur, ab omni servili opere quiescendo. Quod Decretum Actione sequenti referemus.

115. Anno 1388. adeo Sanctum, & solemne erat Parisiis, immo & in tota Gallia, Marianæ Conceptionis Festum, ut gravissima illa commotio, adversus Fratres Prædicatores ibi excitata, ob defensas Johannis de Montesono Propositiones quasdam, Piæ Sententiæ injuriosas; *Sedari non potuerit, donec Illi Regis auctoritate inducti fuerunt, propositiones illas publice revocare, & Festum Conceptionis B. Virginis celebrare:* ut ab illius temporis Scriptoribus traditum, refert Henricus Spondanus. (*z*)

116. Anno 1394. Johannes I. Aragoniæ Rex, Sanctionem promulgavit, XI. in ordine, qua mandat, *Beatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Festivitatem, solemnem per omnia sua Regna, & Terras, annuatim, cum reverentia maxima, celebrari perpetuo ab universis, & singulis fidelibus Orthodoxis, tam Religiosis, & Clericis, quàm Laicis infimis, mediis, & supremis.*

117. Istius Sanctionis meminit Hippolytus Marracius in *Regibus Marianis.* (*a*) Ipsam integram exhibet *col.* 288. Regestum Authenticum, & Universale, descriptam ex libro, cui titulus: *Aureum Opus Regalium Privilegiorum Civitatis, & Regni Valentini:* edito Valentiæ anno 1505. In eandem Sanctionem animadversiones, & vindicias Hispanico Sermone conscripsit, & edidit Hispali anno 1615. P. Johannes Pineda Soc. Jesu, ex suis doctissimis in Sacram Scripturam Commentariis, notissimus.

SÆCULUM CHRISTI XV.

118. PRodiit hoc Sæculo duplex Universalis Institutio Festi Conceptionis pro tota Ecclesia, una Conciliaris, altera Pontificia. Sed ante utramque extiterunt in nostra Sicilia Leges, & Statuta de eodem Festo solemniter celebrando, quæ præterire non debeo.

119. In Capitulis hujus Regni (*b*) insertæ sunt Ferdinandi I. cognomento Pii, ab anno 1412. ad 1416. Aragoniæ, & Siciliæ Regis, Institutiones servandæ ab insignita Sodalitate Nobilium, in honorem B. Virginis, ab ipsomet erecta anno 1403. in quibus inter reliquas B. Virginis solemnitates, speciali pietate colendas, recensetur: *die VIII. Decembris, Festum Conceptionis ipsius Dominæ.* Non esset autem, cur in omnibus Capitulorum hujus Regni editionibus apponerentur præfatæ Institutiones, nisi ad Siculos quoque spectarent.

120. Præterea in statutis, ab hujus Ecclesiæ Panormitanæ Canonicis juramento firmatis anno 1412. die XIV. Martii, vigesimum octavum est; quod, cùm in aliis præcipuis Solemnitatibus, tum *In Conceptione Gloriosissimæ Virginis Mariæ, deberent interesse, & venire omnes ad Divinum Officium, sub pœna privationis suæ Communiæ.* Ut apparet in vetusto quodam Ms. Codice papyraceo in 4. qui in ejusdem Ecclesiæ thesauro asservatur. (*c*) Huc referri possunt, quæ ad Officium Conceptionis leguntur in antiquissimo membraneo Codice Ms. ejusdem Ecclesiæ Panormitanæ, cujus titulus: *Lectionarium omnium Festivitatum totius anni, secundùm usum Majoris Ecclesiæ:* videlicet: „ Quisquis „ parvipendendum putat hujus Virginis celebrare „ Conceptionem, non meretur cum Fidelibus „ postea cognoscere Salvatoris adventum. „

121. Demum in authentico Ms. Codice papyraceo Tabularii Excell. Senatus Panormitani, *n.* 103. *quartæ Indictionis, anno* 1425. *&* 1426. *folio* 4. extat Capitulum, seu Statutum Universitatis Panormitanæ, *De observatione Festivitatum, cum approbatione Reverendissimi Domini Archiepiscopi Panormitani* [Ubertini de Marinis] *a Magnifico Domino Prorege* [Nicolao Speciali] *confirmatum, die quinto mensis Martii quartæ indictionis, anno* 1425. In hoc Capitulo indicitur primo, ut *in diebus præceptis, id est Dominicis, & aliis Festivis, quos Sancta Ecclesia servari vult, a servilibus operibus vacetur.* Tum hæc Festa de præcepto servanda recensentur: *Nativitas Domini nostri Jesu Christi &c. Item antiquæ Festivitates B. Virginis Mariæ, videlicet, ejus Conceptio, ejus Nativitas, Annuntiatio, Purificatio, & Assumptio. Item Festum Corporis Christi &c.* Et subinde contumacibus imponitur multa pecuniaria, *pro qualibet vice ipso facto solvenda, unius Augustalis:* qui erat quidam nummus aureus, a Friderico II. institutus, respondens valori sex Juliorum. (*d*)

122. Post hæc, & alia particularium Ecclesiarum statuta, Generale Concilium Basileense, Sessione XXXVI. anno 1436. Decretum edidit, (*e*) quo Festum Conceptionis B. Virginis ab universa Ecclesia celebrandum, his verbis constituit: *Renovantes præterea institutionem de celebranda SANCTA ejus Conceptione, quæ tam per Ecclesiam Romanam, quàm per alias Ecclesias, sexto Idus Decembris, antiqua, & laudabili consuetudine celebratur; statuimus, & ordinamus, eandem Celebritatem, præfata die, in omni-*

(*y*) *In Tract. de Antiqua Eccles. Disciplina in Divin. Officiis celebrandis, cap.* 30. *de Festivit. Sanct. in Adventu, n.* 17. *pag.* 555.

(z) *Tom.* 1. *Continuation. Annal. Ecclesiast.* Card. Baronii, *ad annum* 1387. *n.* 7. *pag.* 636.

(a) *Cap.* 9. §. 4. *pag.* 133.

(b) *Cap.* 3. Ferdinandi I. *pag.* 198. *tom.* I. *Capitul. Regni Siciliæ, edit. Panormitanæ an.* 1741. *Illustrata a Reverendiss. & Illustr. Domino* Francisco Testa.

(c) *Vide* P. Johannem M. Amatum *de Principe Templo Panormitano, lib.* 13. *cap.* 1.

(d) *Vide Caput* 42. *Appendicis ad* Siciliam Inventricem Vincentii Auriæ *edit.* Panorm. an. 1704.

(e) *Extat col.* 393. *& seq. tomi* 15. *Conciliorum.*

in omnibus Ecclesiis, Monasteriis, & Conventibus, sub nomine Conceptionis, festivis laudibus, colendam esse.

123. Decretum hoc, etsi a Concilio minus legitimo emanarit; magna tamen totius Orbis Christiani alacritate, & consensione receptum est; ut videbimus Act. seq. Sed & idem Concilium, dum adhuc erat legitime congregatum, hoc Festum factis approbaverat: ut enim sibi opponit, & negare non audet Turrecremata, (*f*) *Per Patres, ejusdem Concilii in Ecclesia Majori, annua revolutione hoc Festum celebratum est, & sermo factus per Viros solemnes, multis auctoritatibus astruentes Puritatem Conceptionis.*

124. At Sixtus Papa IV. cavere volens, ne forte, injecto scrupulo de Infirmitate Basileensis Decreti, universale, ac laudabile Populi Christiani studium in colenda DEI Genitricis Conceptione, aliquando tepesceret, aut saltem interturbaretur; anno 1476. hujus Festivitatis Institutioni, Apostolicæ firmitatis robur adjecit, edita Constitutione, *Cum Præcelsa*; quæ inter extravagantes communes relata est, & a Concilio Tridentino, ac Successoribus Pontificibus confirmata.

125. In hac porro Constitutione plus extulit Sixtus Festum Conceptionis, quàm extulerat Basileense Concilium. Nam Missam, & Officium, propria, ac peculiaria, pro eo Festo devotius celebrando, instituit; & hæc recitantibus, vel audientibus easdem prorsus Indulgentias, & Peccatorum Remissiones largitus est, quas Urbanus IV. Missam, & Horas Canonicas in Festo Corporis Christi recitantibus, vel audientibus indulserat.

SÆCULUM CHRISTI XVI.

126. POst illud Concilii Basileensis Decretum, & laudatam Sixti IV. Constitutionem, Festum Conceptionis in Ecclesia amplius dilatari non poterat, sed tantum exornari. Hoc abunde præstiterunt, his postremis Sæculis, Summi Pontifices, Sixti IV. Successores: ut ex late differendis Actione V. hic percurrendo indicabimus.

127. Anno 1511. Julius Papa II. Religiosis Virginibus, titulo Conceptionis B. Virginis MARIÆ insignitis, concessit, ut in earum Ecclesiis, tempore interdicti, Missæ, & alia Divina Officia pro Festo Conceptionis celebrari publice possent.

128. Anno 1517. Leo Papa X. idem privilegium omnibus Hispaniarum Ecclesiis largitus est. Et anno 1518. Parochis Oppidi Molinæ in Hispania indulsit, ut in nocte præcedente Conceptionis Festum, post Laudes, in Ecclesia S. Ægidii, Missam solemnem celebrarent.

129. Anno 1568. S. Pius V. Festum Conceptionis B. MARIÆ Virginis in Kalendario Breviarii Romani, a se reformati, collocandum mandavit; eique Officium instar Officii Nativitatis ejusdem B. Virginis assignavit, atque ab omnibus Ecclesiasticis recitari jussit.

130. Anno 1586. Sixtus Papa V. omnibus Christi fidelibus, Ecclesias Monialium sub titulo Conceptionis B. MARIÆ Virginis, in Festo Conceptionis, devote visitantibus, Plenariam Indulgentiam impertitus est. Et anno 1588. idem Sixtus Fratribus, & Sororibus Ordinis Minorum, Officium Conceptionis proprium per totam Octavam Festi, tam in Choro, quàm extra Chorum, recitandum indixit.

SÆCULUM CHRISTI XVII.

131. ANno 1602. Clemens VIII. in nova Romani Breviarii reformatione, Conceptionis Festum ad ritum duplicis majoris evexit

132. Anno 1622. Gregorius Papa XV. ut Festum Conceptionis, in Sacrosancto Missæ Sacrificio, & Divino Officio, nonnisi sub *Conceptionis* nomine, ab omnibus omnino celebraretur, gravissime præcepit.

133. Anno 1631. Urbanus Papa VIII. Conceptionis Festum, & Officium in Ecclesia S. Jacobi Nationis Hispanicæ de Urbe, sub ritu duplici primæ classis celebrari voluit. Et anno 1639. cuidam Confraternitati, sub titulo Conceptionis erectæ, Indulgentiam Plenariam, in Festo ejusdem Conceptionis B. MARIÆ, singulis annis consequendam, elargitus est.

134. Circa annum 1644. Innocentius Papa X. Catholico Regi Philippo IV. Conceptionis Festum, in Hispaniarum Regnis de præcepto observandum postulanti, annuit.

135. Anno 1661. Alexander Papa VII. Immaculatæ Conceptionis Festum, aurea sua constitutione, *sollicitudo*, mirifice commendavit, declaravit, & vindicavit.

136. Anno 1667. Clemens Papa IX. Patribus Societatis JESU, & Patribus Ordinis Eremitarum S. Augustini, nec non omnibus Regularibus, & Sæcularibus, sub ditione temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ degentibus, trina Constitutione, Festum Conceptionis, sub ritu duplicis secundæ classis cum Octava, recitandum præscripsit.

137. Anno 1693. Innocentius Papa XII. eundem ritum duplicis secundæ classis cum Octava, in Officio, & Missa Conceptionis, ab Universa Ecclesia servari mandavit.

SÆCULUM CHRISTI XVIII.

138. ANno 1708. Clemens Papa XI. Marianæ Conceptionis Festo summam manum imposuisse visus est, cùm illud ab omnibus CHRISTI Fidelibus sancte observari jussit, & in Catalogo Festorum de præcepto servandorum reposuit.

139. Anno nihilo minus 1742. SS. D. N. Benedictus Papa XIV. idem Festum ad supremum Cultus Ecclesiastici verticem evexit; dum recurrente ejus solemni die, Capellam Pontificiam [ut vocant] in Liberiana Basilica, quotannis in perpetuum celebrari constituit.

140. Tam

(f) Part. 10. cap. 11. fol. 180.

140. Tam celeres, ac mirabiles in Ecclesia DEI, Græca, & Latina, Festi Conceptionis progressus satis declarant, Festum hoc non humano, sed divino consilio fuisse institutum; ut pulchre observat Judocus Clichtoveus. (*g*) „ Primùm, *inquit*, apud nonnullos, aut paucos „ agebatur Solemnitas, multis tunc dissuadentibus, aut improbantibus ejus celebrationem. „ Attamen, non obstante hac reclamatione, latius se paulatim extendit hæc commendabilis Hominum in Benedictam semper Virginem affectio; & adeo invaluit, increbuitque „ apud omnes Mundi plagas, in quibus invocatur veri DEI Nomen, ut nulla fere sit „ Gens, nulla Natio CHRISTI Nomine insignita, quæ hunc Diem Festum digno non celebret honore. Sed unde hic, quæso, totius „ Mundi consensus in hanc celebrandam Solemnitatem est inductus, nisi a Spiritu Sancto, movente, divino, & tacito illapsu, Hominum corda ad eam amplectendam, colendam, & honorandam? „

141. Non absimili argumento usi sunt S. Johannes Chrysostomus, (*h*) & S. Gregorius Nyssenus, (*i*) ut probarent, Nativitatem Domini recolendam non esse die VI. Januarii una cum Epiphania, ut in more erat Orientalis Ecclesiæ; sed die xxv. Decembris, tanquam in proprio die speciatim celebrandam, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ. *Quia nimirum*, inquit Chrysostomus, *tanta celeritate quaqua versus hoc Festum denuntiatum est, & ad tantum fastigium excrevit, adeoque inclaruit. Et quod Gamaliel de Prædicatione dixit:* (*k*) Quoniam, si est ex Hominibus dissolvetur, si verò ex DEO est, non potestis dissolvere illud, ne forte & DEO repugnare inveniamini: *Hoc & ego fidenter de die hoc pronuntiaverim.* Et Nyssenus similiter: *Quia nunc per totum Orbem, una voce Festum celebrantium clamor exauditur.* V. Epistolam Johannis Archiepiscopi Nicæni ad Zachariam, Catholicum Majoris Armeniæ, *pag* 817. *Tomi* XII. *Biblioth. M. PP.*

142. In hoc igitur Marianæ Conceptionis Festo tenemus Catholicæ Ecclesiæ Factum, jam a mille, & amplius annis initiatum, jugibus subinde incrementis continuatum, ac trium Sæculorum universali, & authentico Ritu frequentatum. Ostendendum nunc est, hoc tam solemne Factum, ejusdem Catholicæ Ecclesiæ Virtuale Testimonium esse, non qualecunque, sed Luculentum, & Indubitatum, pro Sancta, & Immaculata DEI Genitricis Conceptione.

§. II.

Festum Conceptionis Marianæ, de ipsius Innocentia, ac Sanctitate, luculentum est Catholicæ Ecclesiæ Testimonium.

PRIMA RATIO.

Sanctorum Patrum indubitata Doctrina.

143. ORigenes (*l*) observat, quod *Nemo ex omnibus Sanctis inveniatur, diem festum, vel Convivium magnum egisse in die Natalis sui; nemo invenitur habuisse lætitiam in die Natalis Filii, vel Filiæ suæ. Soli Peccatores super hujusmodi Nativitate lætantur.* Quorum adducit exempla in Pharaone, *Genes. cap. XL.* & Herode, *Marci cap. VI. Sancti vero*, ait, *non solum non agunt festivitatem in die Natalis sui, sed & Spiritu Sancto repleti execrantur hunc diem.* Quod etiam probat exemplis Jeremiæ, & Jobi, dicentium: (*m*) *Maledicta dies, in qua natus sum &c. Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: Conceptus est Homo &c.* Hujus autem rei causam repetit ex Originali Peccato, in quo Sancti Viri, se conceptos, ac natos, confitentur, ac dolent. *Quod si placet*, inquit, *audire, quid etiam alii Sancti de ista Nativitate senserint, audi David dicentem:* In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me Mater mea: *ostendens, quod quæcumque Anima in Carne nascitur, iniquitatis, & peccati sorde polluitur.*

144. Si ergo, ut ex Scripturis probat Origenes, Sancti Viri, se in peccato genitos, natosque agnoscentes, Festivitatem non agunt in die Natalis sui, quin immo Spiritu Sancto repleti, diem illum execrantur: potiori jure Ecclesia Sancta DEI, quæ ab Spiritu Sancto gubernatur, DEI Genitricis Nativitatem, vel Conceptionem Festivam non haberet, nisi eam crederet a Peccato liberam, & Immaculatam.

145. Expressius alii Patres hac de re locuti sunt. D. Augustinus Serm. II. in Natali S. Cypriani, (*n*) *Quando*, inquit, *natus est, ignoramus; & quia hodie passus est, Natalem ejus hodie celebramus: sed illum diem non celebraremus, etsi nossemus: Illo enim die traxit Originale Peccatum, isto autem die vicit omne Peccatum.* Et infra: *Unde nos celebraremus natalitia ejus, nisi esset pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus?* Mortes Sanctorum, natales ipsorum dies, sive Natalitia, ex antiquo Ecclesiæ more nuncupari, observat Cardinalis Baronius in notis ad Martyrol. Rom. die 3. Januarii.

146. Ita-

(*g*) *Lib.* I. *de Purit. Conception. B. Virginis Mariæ cap.* 17. *fol.* 26. *pag.* 2.

(*h*) *Homil. in diem Natalem Domini pag.* 355. *tom.* 2. *edit. Græco-Latinæ* Parisiens. an. 1718. *ex Recensione* Bernardi de Montfaucon.

(*i*) *Orat. in Diem Natalem Christi, col.* 691. *tom.* 1. *edit.* Paris. an. 1605.

(*k*) *Actor. cap.* 5. *versu* 38. *& seq.*

(*l*) *Homil.* 8. *in Leviticum, cap.* 12. *&* 13. *pag.* 89. *tom.* 1. *edit.* Parisiensis, an. 1604.

(*m*) *Jer. cap.* 20. *ver.* 14. *Job. cap.* 3. *ver.* 3.

(*n*) *Qui est* 310. *in ordine, aliàs* 113. *de Diversis, n.*1. *col.* 1249. *tom.* 5.

146. Itaque juxta Divum Augustinum, dies, quo S. Cyprianus natus est, celebrari non debet; quia illo die traxit Originale Peccatum: nec dies mortis ejus celebrandus foret, nisi mors illa pretiosa fuisset in conspectu Domini. Non ergo celebrari deberet ab Ecclesia dies, quo B. Virgo concepta est, si illo die contraxisset Originale Peccatum, & nisi pretiosa fuisset in conspectu Domini Conceptio ejus. Celebratur autem, immo celebrari præcipitur ab Ecclesia dies ille: Non igitur illo die contraxit B. Virgo Originale Peccatum, sed pretiosa fuit in conspectu Domini Conceptio ejus.

147. Rursus idem Augustinus *Sermone I. in Natali S. Stephani*, (o) „ Natalem, *inquit*, „ Domini, hesterna die celebravimus: Servi „ hodie Natalem celebramus. Sed Natalem Do- „ mini celebravimus, quo nasci dignatus est: „ Natalem Servi celebramus, quo coronatus „ est &c. Sed Domini nostri JESU CHRISTI „ ideo Nativitatis, & Passionis diem, geminæ „ devotionis obsequio, frequentat Ecclesia, quo- „ niam utrumque medicina est: nam, & na- „ tus est, ut renasceremur, mortuus est, ut „ in perpetuum viveremus. Martyres autem „ ad mala certamina nascendo venerunt, tra- „ hentes Originale Peccatum; moriendo au- „ tem ad bona certissima transierunt, finien- „ tes omne Peccatum. „ Et hic iterum inculcat Augustinus Ecclesiasticam disciplinam de nullius celebranda Nativitate, quæ fuerit infecta Peccato.

148. S. Paschasius Radbertus, Abbas Corbejensis, noni Sæculi Auctor, (p) [sive, ut aliis placet, (q) S. Hildephonsus, Archiepiscop. Toletanus] ex Festo Nativitatis B. Virginis indubitanter infert, ipsam nullis, quando nata est, subjacuisse delictis, nec contraxisse, in utero sanctificatam, Originale Peccatum. „ Enim vero, *in-* „ *quit*, si non beata esset, & gloriosa (*B. Virginis* „ *Nativitas*,) nequaquam ejus Festivitas cele- „ braretur ubique ab omnibus. Sed quia tam so- „ lemniter colitur, constat ex authoritate Ec- „ clesiæ, quod nullis, quando nata est, subja- „ cuit delictis, nec contraxit in utero sanctificata „ Originale Peccatum. Unde, etsi Jeremiæ dies, „ atque Jobi maledicta pronuntiatur; dies, in- „ quam, nativitatis eorum; tamen dies, quan- „ do inchoata est Felix MARIÆ Nativitas, Bea- „ ta pronuntiatur, & colitur religiose satis. Quod „ si in Peccato esset, jure maledicta diceretur, „ & gemebunda potius, quàm Benedicta &c. „ Nullius igitur Nativitas celebràtur in Mundo, „ nisi CHRISTI, & ejus, atque B. Johannis. „ Sic & B. Virgo, nisi in utero Matris sancti- „ ficata esset, minime Nativitas ejus colenda es- „ set. Nunc autem, quia ex authoritate totius „ Ecclesiæ veneratur, constat, eam ab omni „ Originali Peccato Immunem fuisse. „

149. Nihil huic tam uberi Doctrinæ addendum est. Alibi vero ostendemus, Radbertum, nedum Nativitatem, verum etiam Conceptionem B. Virginis, Sanctam, & Immaculatam agnovisse. Sed esto secus tunc senserit de Conceptione, ac de Nativitate, idem certe hodie de utraque sentiret, suomet argumento compulsus.

150. B. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis, Episcopus Ostiensis, qui claruit anno 1060. *Sermone I. in Nativitate S. Johannis*, (r) eundem D. Augustini, & Ecclesiæ Canonem tradit de non celebranda Nativitate Sanctorum; a quo Canone præter CHRISTUM, & ipsius Matrem, solum Johannem Baptistam excipit, propter ejus Sanctificationem in utero. „ Nullius, *inquit*, „ Hominis Nativitatem, præter solius DEI, ejus- „ que Matris, in auctoritatis arcem recepit „ Ecclesia, hujus . istius exceptione servata. „ Novit enim, quia melior dies Mortis, die „ Nativitatis, & quod ortus Hominum tristitiâ „ continetur. (*ob Peccatum scilicet Originale*, „ *ut supra exposuerat*) Inde est, quod Marty- „ rum mortes, non Nativitates solemnizat Ec- „ clesia; Mortem eorum Natalitiorum nomine „ nominans, quibus factus est de Morte Natalis: „ tunc enim inceperant nasci ad vitam, cùm „ vitam deposuerant pro vita. Hujus vero Na- „ tivitatem Sponsa CHRISTI tanto securius bene- „ volentissima dignatione suscepit, quanto sin- „ gularius eam Veritatis Evangelicæ irrefragabi- „ lis commendat auctoritas. „

151. Divus Bernardus, in illa eadem Epistola 174. *ad Canonicos Lugdunenses*, de qua gloriantur Adversarii; tam firmum censet, nonnisi de re Sancta Festum celebrari posse, ut hoc eodem argumento, diverse applicato, indubitanter inferat, & Sanctam fuisse B. Virginis Nativitatem, & celebrandam non esse ejus Conceptionem. Sanctitatem Nativitatis sic evincit: *Et Ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter habere Festivum, atque Sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens, in Utero eam accepisse, ut Sancta prodiret.* Et infra: *Non fallitur omnino Sancta Ecclesia, Sanctum reputans, ipsum ejus Nativitatis diem, & omni anno cum exultatione universæ Terræ votiva Celebritate suscipiens.* Contra Festum Conceptionis hæc urget: *Quænam jam erit festivæ ratio Conceptionis? Quo pacto, inquam, aut Sanctus asseretur Conceptus, qui de Spiritu Sancto non est? Aut Festus habebitur, qui minime Sanctus est? Libenter Gloriosa hoc honore carebit, quo, vel peccatum honorari, vel falsa induci videtur Sanctitas?*

152. Ut ut senserit Bernardus de Conceptione B. Virginis, in sensu præsentis controversiæ; [de qua re agemus Actione VI.] certe, juxta utramque ipsius arguendi formam, ex Festo Conceptionis B. Virginis, quod, non minus ac Nativitatis, Catholica frequentat Ecclesia; evidenter colligitur, B. Virginis Conceptionem, non minus ac Nativitatem, Sanctam, & absque Peccato fuisse. Nempe quia secus, *vel Festus haberetur Conceptus, qui minime Sanctus est*, immo *& Peccatum honoraretur*; *vel falleretur Sancta Ecclesia, Sanctum reputans ipsum* ejus

(o) *Qui est sermo 314. in ordine; aliàs 95. de diversis, n. 1. col. 1260. ejusd. tomi.*

(p) *Lib. 1. de Partu B. Virg. pag. 7. tom. 12. Spicilegii Acheriani, & sub tit. de Perpetua Virginit. B. Virginis, & ejus Parturitione, pag. 565. tom. 12. Biblioth. PP.*

(q) *V. Act. II. num. 89. & seq.*

(r) *Pag. 66. & 67. tom. 2.*

ejus Conceptionis diem. Atque id Festum aliquando ab Ecclesia instituendum, ac celebrandum, veluti præsentiens Bernardus, his verbis Epistolam suam claudit: *Romanæ Ecclesiæ auctoritati, atque examini, totum hoc, sicut, & cætera, quæ hujusmodi sunt, universa reservo; ipsius, siquid aliter sapio, paratus judicio emendare.*

153. Auctor Sermonum super Antiphonam, *Salve Regina*, Bernardo suppar, Sanctitatem Nativitatis Marianæ ex ejus Festo similiter infert: (s) *Inde est*, [ait ad B. Virginem] *quod Nativitatem tuam Sanctam, Sancta Ecclesia festivis celebrationibus honorat, quod aliàs non faceret. Denique nullius præter Te, nisi Domini Filii tui, & Johannis Baptistæ colit Nativitatem.*

154. Demum Innocentius Papa III. qui eodem Sæculo XII. claruit, Sermone I. de S.Johanne Baptista, (t) *Johannes*, inquit, *fuit conceptus in Culpa, solus autem Christus fuit sine Culpa conceptus; uterque vero natus in Gratia; & ideo utriusque Nativitas colitur, sed solius Christi Conceptio celebratur.*

SECUNDA RATIO.

Veterum Scholasticorum, communis, & certa Sententia.

155. Alexander de Hales, ex Festo Nativitatis B. Virginis, infert ejus Sanctificationem in Utero. (u) „Non fallitur, *inquit*, „omnino Sancta Ecclesia, celebrans Sanctum ejus „Nativitatis diem: sed statui in Peccato non de„betur gaudium, nec solemnitas, sed luctus: er„go, cum Nativitati B. Virginis debeatur gau„dium, & solemnitas, patet, quod ejus Nativi„tas fuit Sancta: erga B. Virgo fuit prius Sanc„ta, quam nata. Quia, si esset nata in Peccato, „potius esset flendum de sua Nativitate, quam „gaudendum.„ Eandem rationem insinuat Albertus Magnus: (x) *Ecclesia*, inquit, *celebrando festivat ejus Nativitatem; ergo fuit Sancta, quando fuit nata: ergo fuit sanctificata in Utero.*

156. D. Thomas pro Sanctificatione B. Virginis ante Nativitatem ex Utero, hoc primum argumentum adducit: (y) *Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis: non autem celebratur Festum in Ecclesia, nisi de aliquo Sancto: ergo B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit Sancta: fuit ergo in Utero sanctificata.*

157. Nec est sibi contrarius D. Thomas, cùm art. sequenti ad 3. respondet: „Non tamen per „hoc, quod Festum Conceptionis celebratur, „datur intelligi, quod *(B. Virgo)* in sua Con„ceptione fuerit Sancta: sed quia quo tempore „sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur Fes„tum Sanctificationis ejus potius, quàm Con„ceptionis, in die Conceptionis ipsius.„ Ibi namque S. Doctor non reddit rationem celebrationis Festi Conceptionis, eo modo quo nunc facit Ecclesia Romana, sub determinato titulo Conceptionis: sed reddit rationem, quare tunc Romana Ecclesia tolerabat [ut prædixerat] illam celebrationem in aliis Ecclesiis, ipsa tamen non celebrat: & ait, hoc fecisse tunc, quia attendebat magis ad Sanctificationem, quàm ad Conceptionem. Quæ ratio optima erat respectu illius tolerantiæ; ut bene observat Johannes a S. Thoma, M. Ord. Prædic. *pag.* 163. *Tomi* I.

158. D. Bonaventura, B. Virginis Sanctificationem in Utero, in hunc modum adstruit: (z) „Dicendum, quod pro indubitanti habet hoc „Ecclesia, videlicet, quod B. Virgo fuerit in „utero sanctificata: & illud ex hoc patet, quod „ejus Nativitatem tota Ecclesia celebrat, quod „non faceret, nisi sanctificata esset.„ *Festum autem Conceptionis ante Animationem sic improbat:* „Statuta Universalis Ecclesiæ de Sancto„rum Celebritatibus, omnia fundata sunt su„per Sanctitatem, & nullo die pro aliquo San„cto solemnizat, in quo, vel pro quo Persona „Sancta non fuerit, cui honor ille deferatur: si „ergo Sanctitas non fuit in Virgine ante Ani„mæ infusionem, non videtur usquequaque se„curum, Conceptionis ejus etiam Solemnita„tem celebrare.„

159. Eidem fundamento institerunt tres alii ejusdem Sæculi XIII. celebres Scholastici. Petrus de Tarantasia Ordinis Prædicatorum, postea Innocentius Papa V. (a) *Fuit*, inquit, *profecto Sancta* [B. Virgo] *antequam nata: non enim nascens festis laudibus honoraretur, nisi Sancta nasceretur.* Richardus de Media Villa, Ordinis Minorum: (b) *Ecclesia non solemnizat pro alicujus Nativitate, nisi fuerit natus in Sanctitate: sed solemnizat pro B. Virginis Nativitate: ergo &c.* Et Henricus Goethal a Gandavo: (c) *Nativitas ejus ex Utero, ratione talis Nativitatis nequaquam celebrari debuisset, si in Peccato Originali nata fuisset, sicut fuit concepta, & post Nativitatem ejus ex Utero fuisset sanctificata.* Infra vero pro certo sumit, Conceptionem B. Virginis non fore celebrandam, *nisi illud instans esset & Conceptionis, & Sanctificationis simul.*

160. Adjiciamus & aliquot Sæculi XIV. Theologos, etiam Piæ Sententiæ adversantes. Durandus a S. Portiano, (d) *Neque vero*, inquit, *B. Virgo nascens Festis laudibus honoraretur, si non Sancta nasceretur: sed Festum fit de Nativitate B. Virginis; ergo Ipsa fuit Sancta nata.* Et infra: *Quod autem fit Festum de Conceptione ejus, aut non bene fit, aut non bene nominatur.*

161. Gregorius de Arimino (e) Sanctam asserens B. Virginis Nativitatem, *Probatio*, inquit, *hujus*

(s) *Serm. 4. extat col. 731. tom. 5. Operum S. Bernardi*, *edit.* Mabillon.

(t) *Pag. 122. edit.* Coloniensis an. 1575.

(u) *3. Par. Summæ* Theolog. *membro 2. quæst. 9. art. 4. fol. 31. col. 1.*

(x) *Quæst. 127. super* Missus est, *n. 1. pag. 85. tom. 20. edit.* Lugdun. 1651.

(y) *3. Par. quæst. 27. art. 1. in argum.* Sed contra.

(z) *In lib. 3. Sentent. dist. 3. art. 1. qu. 3. in concl. pag. 37. & qu. 1. pag. 34. tom. 5. edit.* Roman. 1596.

(a) *In 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1.*

(b) *Dist. 3. art. 1. quæst. 2. pag. 27. tom. 3. edit.* Brixiens. an. 1655.

(c) Tom. 2. *Quodlibetor. quodlib. 15. quæst. 13. fol. 381. col. 4. & seq.*

(d) *In lib. 3. Sentent. dist. 3. quæst. 2. fol. 188. edit.* Lugdun. an. 1560.

(e) *In 2. lib. Sentent. dist. 30. quæst. 2. art. 2. fol. 104. col. 1. edit.* Venetæ an. 1503.

hujus sufficiens est, quod Ecclesia universalis celebret ejus Nativitatem, quod non faceret, si cum Peccato nata fuisset.

162. Petrus a Palude, B. MARIÆ Virginis Conceptionem, non esse celebrandam, probat: (*f*) quia *illud, quod debet, tanquam immundum expiari, non debet celebrari &c.* Tum eos refellit, qui Festum hoc ad Sanctificationem, vel ad Maternitatem futuram referebant. „ Sicut, *inquit*, „ de Festo Gloriæ dicitur, quod non „ celebratur de mortibus Patrum Veteris Testamenti, quamvis de morte illa essent transituri ad æternam Gloriam; quia pro tunc erant „ subditi Pœnæ, non autem Gloriæ: sic de „ Carne Virginis cum Peccato non solemnizaret, „ (*Ecclesia*) licet de ipsa formandus esset Fons „ Gratiæ; quia tunc erat subdita Culpæ, & „ Peccato obnoxia. „

163. Contra, Johannes Thaulerus ex Festo probat Puritatem Conceptionis B. Virginis: (*g*) *Quamvis*, inquit, *non defuerint, qui hac in parte non satis illuminati divinitus, Conceptionis ejus Puritatem vocarent in dubium; eam tamen S. Romana, eademque Catholica Ecclesia, quæ errare non potest, hoc ipso, quod Festum Conceptionis illius solemniter celebrandum, colendumque assumpsit, haud obscure adstruit, & affirmat. Neque enim id ageret ullo modo, nisi Conceptionem tantæ Virginis, & Matris DEI, omnis fuisse contagionis expertem, immo & Sanctam, pro certo exploratoque haberet. Profana namque merito Festa non novit Ecclesia.*

164. Ab Istorum Sententia non recessit Joh. Bacho. Ubi enim statuere videtur, quod, quamvis *B. Virgo contraxerit Peccatum Originale, sit ejus Conceptio celebranda:* (*h*) loquitur de Peccato Originali, quod B. Virgo solùm contraxerit in Debito, & in Origine, ut patet ex ejus primo argumento. *Non obstante*, inquit, *quod contraxisset Originale, ut Filia Adæ, venerari poterat ejus Conceptio sub ista præcisione, qua erat per Spiritum Sanctum prædestinata, fore Mater Christi: quod autem, ut Mater DEI fuit Sancta, & ab Originali privilegiata, habes probatum exquisite, quæstione præcedente, art. tertio.*

165. Verum est, Bachonem ibidem, & art. seq. modum exponere, quo Seminalis etiam B. Virginis Conceptio celebrari possit. Sed modo isto tanquam minus firmo neglecto, vel etiam rejecto, subjungit: *Ideo pono hic alium modum, quo indubitanter est celebranda in die Conceptionis carnalis, pro illo tempore, quo Caro illa concepta, & prædestinata secundùm Spiritum Sanctum, postea fuit ejus Anima Sancta unita, & copulata.*

166. Et hìc obiter Lector adverte, quam temere Valdesius *Epist.* x. *pag.* 122. ex paucis illis unius Bachonis verbis, à contextu sejunctis, universim intulerit, *Jam tum sensisse Theologos, ex Conceptionis Festo deduci non posse certitudinem Scotisticæ Sententiæ.*

167. Quid plura? Antequam Ecclesia Festum Conceptionis solemniter institueret, & non Sanctificationis, sed ipsius Conceptionis Festum esse declararet; Adversarii nil magis horrebant, quàm ejusmodi Festum, quòd cum contracto Originali Peccato recte cohærere non posset. Quamobrem Festum Conceptionis, quod tunc a multis particularibus Ecclesiis recolebatur, ad Festum Sanctificationis detorquebant, vel certe authenticum non esse causabantur.

168. Turrecrematam audiamus: (*i*) *Ecclesia Romana, sive Sedes Apostolica Festivitatem istam non instituit, aut canonizavit, aut pronuntiavit, aut celebravit, aut in Kalendario annotari jussit.* Et alibi: *Ecclesia non instituit celebrandum Festum Conceptionis, sicut Festum Nativitatis B. V. Mariæ, aut universaliter illud celebrat sub nomine Conceptionis. Solemnitas enim Nativitatis ejus celebris est universalis Ecclesiæ.*

169. Immo, (quod magis mirere) adhuc post præceptum a Gregorio XV. impositum, non utendi in Divinis Officiis alio nomine, quàm Conceptionis; Romani Libellatores, ipsa cogente veritate, fassi sunt, (*k*) *Ecclesiæ Sanctæ fixam esse, & perpetuam consuetudinem non colendi, nisi certam, & indubitatam Sanctitatem.* Et ideo *Conceptionis* nomini, mutatam a Gregorio significationem, commenti sunt; ut videbimus Act. v.

170. Ecce quomodo ipsum Conceptionis B. MARIAE Festum, ex Apostolicæ Sedis Institutione, a Catholica Ecclesia, ubique Terrarum, solemniter celebratum, & celebrandum; tot Sanctorum Patrum, & omnium Veterum Scholasticorum vocibus, ipsaque adeo Adversariorum confessione testatur, Sanctam, & ab Originali Peccato liberam fuisse DEI Genitricis Conceptionem.

CONSECTARIUM PRÆCEDENTIUM RATIONUM.

Laudati Patres, ac Theologi, si hodie viverent, quidquid aliàs olim senserint; Sanctam, & Immaculatam indubitanter crederent DEI Genitricis Conceptionem.

171. Consectarium hoc, sponte sua manat ex dictis. Omnes isti ut rem certissimam habuerunt, nullius Hominis Conceptionem, Nativitatem, aut Mortem sacro Cultu celebrari debere, quæ a Peccato libera, & Sancta non fuerit. Hodie autem viderent, a Catholica Ecclesia, (cujus alioqui auctoritatem plurimi faciebant) DEI Genitricis Conceptionem Divinis Officiis solemniter

(*f*) *In* 3. *Dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. *fol.* 21. *edit.* Parisiens. an. 1517.
(*g*) *In libello de* 10. *Cæcitatibus*, *Cæcitat.* 4. *cap.* 11. *pag.* 873. *ejus Oper. edit.* Coloniæ Agrip. an. 1603.
(*h*) *In* 4. *lib. Sent. dist.* 2. *quæst.* 4. *art.* 1. *pag.* 313. *edit.* Cremonensis.
(*i*) *Par.* 9. *cap.* 10. *fol.* 179. *pag.* 1. *& cap.* 11. *fol.* 180. *pag.* 2.
(*k*) *Libello* 2. *ex duobus Generali Congregationi S. Officii, tempore Innocentii X. oblatis, pro supprimendo Titulo Conceptionis Immaculatæ, n.* 16. *apud* P. Vincentium Fassari, *in Appendice Opusculi* 2. *Trutinæ Theolog. pag.* 197. *edit.* Lugd. an. 1666.

solemniter celebrari; & omnibus etiam CHRISTI Fidelibus, more consueto aliorum Festorum de præcepto, celebrandam edici.

172. Vindicandum nihilominus est, non tam ab oppositionibus, quàm a conviciis Cajetani, & Lampridii. „ Restat, *inquit Cajetanus*, (*l*) „ ut sola illa stultitia pro Glossa Sanctorum, & „ Antiquorum Doctorum admissione digna sit; „ scilicet si Sancti, & Prisci Doctores nunc es„ sent, dicerent oppositum. Hanc ego Glossam „ ita veram putaverim, quemadmodum verum „ puto, quod si CHRISTUS nunc in Terris con„ versaretur, mutaret Doctrinam fidei suæ, ut „ conformaret se Populis. „

173. At hic idem Cajetanus eâdem Glossâ utitur pro S. Thoma, qui docuerat, *Non posse Pontificem dispensare in voto solemni castitatis.* Sic enim eum excusat: (*m*) *Si Auctor vidisset, Summum Pontificem declarasse, quod Decretalis illa intelligitur, stante Monachatu proculdubio non suscepisset onus hujus opinionis, ad defensionem illius Decretalis.* Dicat ergo nobis, cur hæc sua Glossa, sapientia; nostra vero, stultitia sit?

174. Rursus paulo ante monuerat Cajetanus, *Coercendas esse Prædicatorum linguas, Scriptorumque manus, & neutram debere damnare partem, ut erroneam, ut Fidei, ut Sacræ Scripturæ, aut Ecclesiæ determinationi contrariam.* Quo igitur jure Thomisticæ Sententiæ mutationem, *mutationi Doctrinæ Fidei* comparavit? An credidit, Assertores maculatæ Conceptionis tam non potuisse in hoc errare, quàm non potuit errare CHRISTUS in sua Doctrina?

175. Cajetanum imitatus Lampridius (cap. 12. pag. 89.) idem Consectarium nominatim de D. Thoma, in quadam Gabrielis Saavedræ conclusione reperiens; hunc Auctorem quà redarguens, quà contemnens, ait: *Quis tantam huic confidentiam fecit? ... Numquid fulgentissimus ille Sol Eclipsim patiebatur, quum oppositam Sententiam tenuit, & docuit? Sed hac somnia missa faciamus.*

176. Quid sibi velit Lampridius interrogatione ista: *Numquid fulgentissimus ille Sol &c.* non satis capio. Num putavit, D. Thomam falli non potuisse; aut sensui, & consuetudini Ecclesiæ, pro varietate temporum, se accommodare, paratum non fuisse? At idemmet S. Doctor, *num.* 4. laudatus, de ipsa Ecclesiæ Consuetudine loquens, indubitanter docuit, *Magis standum esse auctoritati Ecclesiæ, quàm auctoritati, vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris.* Non dubito, quin D. Thomas, pro sua singulari modestia, Lampridianam istam laudem a se repelleret, dicens forte cum D. August. (*n*) *Cum ergo, non sicut quidam Carissimi mei putant, nulla, vel pauca, sed potius plura fortasse, quam etiam maledici opinantur, verba dixerim, quæ mallem revocare, si possem; non mihi Tulliana illa blanditur Sententia, qua dictum est; nullum unquam verbum, quod revocare vellet, emisit.*

177. Præterea, si de D. Thoma id cogitare, somnium est; sciat Lampridius, somnium istud non solius Saavedræ fuisse. Idem somnium somniarunt ex eodem Prædicatorum Ordine clarissimi Viri, Ambrosius Catharinus, Archiepiscopus Compsanus (*o*), & apud ipsum, Johannes de Fenario, Generalis Magister Ordinis; Johannes a S. Thoma, (*p*) & Seraphinus Capponi a Porrecta: (*q*) quibus addo duos ex nostris insignes Theologos, Ven. Petrum Canisium, & Dionysium Petavium, *libb. citt. cap.* VII. & *cap.* II. Cum his, & aliis pluribus somniare malo, quam cum Lampridio vigilare.

178. Profecto ejusmodi de antiquis Patribus opinionem, nec *stultitiam*, nec *somnium* esse; & Melchior Canus admonuit, & D. Augustinus exemplo suo probavit. „ Admonendi sunt [*inquit Canus* (*r*)] hi, qui præceptis Theologiæ „ nullis acceptis, post bonas, quas vocant, lit„ teras, statim ad Sanctorum Veterum lectio„ nem appellunt animum: non enim quæcum„ que ibi legerint, ea sunt probanda omnia; „ nec quemquam hoc errore duci oportet, ut „ siquid Ambrosius, aut Hieronymus contra „ morem, doctrinamque hujus temporis fece„ rint, loquutive fuerint, id sibi arbitrarentur „ licere. Quoniam res nonnullæ non erant tunc „ adeo in Ecclesia definitæ, ut nunc esse vide„ mus. Atque etiam si nostra hac ætate illi fuis„ sent, quædam profecto aliter & facerent, & „ loquerentur. „

179. D. Augustinus, objicientibus Donatistis contra Doctrinam Catholicam de non iterando Hæreticorum Baptismate, D. Cypriani auctoritatem; respondere solebat: (*s*) *Sanctum Cyprianum, tanto excelsiorem, quanto humiliorem &c. facillime correcturum fuisse Sententiam suam, si quis ei demonstraret, Baptismum Christi sic dari posse ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm foras exierunt.* Et alibi: (*t*) *Non dubito, quod si istam quæstionem, in Ecclesia diu multumque versatam, cum Viris Sanctissimis, Doctissimisque tractaret &c. sine dubitatione demonstraret, non solum, quam doctus esset in his, quæ firmissima veritate perceperat, verum etiam quam docibilis in his, quæ minus adverterat.*

TERTIA

(l) *In Tract. de Concept. B. M. V. cap. 4. sub finem. pag. 140. Et V. cap. 3. sub finem, pag. 139.*

(m) *Commentario in 2. 2. D. Thomæ quæst. 88. art. 11.*

(n) *Epist.143. (al.7.) ad* Marcellinum, *n.4. col.464. tomi 2.*

(o) *In Disput. pro Verit. Immac. Concept. ad Synod. Trident. parte 1. col. 66. & disp. altera pro Immacul. DEI Genitr. Concept. lib. 2. Tit.* Quod revera omnes Sancti &c. *pag. 56. edit.* Lugd. an. 1542.

(p) *Tomo 1. Cursus Theolog. de Approb. Doctr. D. Thomæ disp. 2. art. 2. pag. 162. col. 1. edit.* Colon. Agrip. an. 1711.

(q) *In Elucidat. Litteral. in 3. partem quæst. 27. art. 2. pag. 220. col. 2. tom. 4. edit.* Patavinæ.

(r) *Lib. 7. de Locis Theologicis, cap. 3. fol. 219. pag. 2.*

(s) *Lib. 2. de Baptismo, contra* Donatistas, *cap. 4. num. 5. col. 98. tomi 9.*

(t) *Lib. 4. cap. 5. num. 6. col. 125.*

TERTIA RATIO.

Constans Romanæ, Latinæque omnis Ecclesiæ consuetudo.

180. DE Romana Ecclesia loquimur, quæ Mater, & Magistra est cæterarum Ecclesiarum, & quam Latinæ omnes Ecclesiæ religiosissime sectantur. Scimus enim, in Græca Ecclesia, Conceptionis S. Johannis Baptistæ Festum, die XXIII. Septembris celebrari consuevisse, ut patet ex ejus Officio in Ritualibus Græcorum libris inserto; quantumvis Conceptionem illam ab Originali Peccato immunem nemo credat. Qua vero ratione id faciant Græci, infra videbimus.

181. Romanæ tamen, Latinæque omnis Ecclesiæ constans, & perpetua consuetudo est, nec Sancti Præcursoris Conceptionem, nec ullius alterius Conceptionem, aut Nativitatem, quam Sanctam non crediderit, festiva Solemnitate recolere. Et ex hac inviolabili consuetudine, laudati Patres, & Theologi suam illam regulam generalem statuerunt.

182. Reclamat nihilominus huic veritati Lampridius, (*u*) ut invictum pro Pia Sententia ex Festo Conceptionis argumentum infirmet; fidenterque pronuntiat: *Et a Latinis omnibus idem Præcursoris Festum per plurima Sæcula celebratum fuisse die* XXIV. *Septembris.* Quo argumento id probat? ,, Nam, *inquit*, ut Cl. V. Daniel Papebrochius e Soc. Jesu adnotavit, (*x*) ,, Festum *Conceptionis* Johannis Prodromi, diversum ab ejus Nativitate, *inscriptum est vetustis omnibus Latinis Martyrologiis, Hieronymi, Bedæ, Adonis, Usuardi, Notkeri, Rabani. Nec invenio, qui Festum illud omiserit notare ad diem* XXIV. *Septembris, ante Bellinum de Padua,* hoc est usque ad annum 1498.,, Indicat & ipse nescio quod Kalendarium *Ecclesiæ Mutinensis*, a se editum *Part. I. Tomi II. Rer. Italicarum pag.* 218. ubi idem Festum commemoratur.

183. At cur omisit Lampridius, quod idem Cl. V. Papebrochius insuper adnotavit? *Non invenitur*, inquit, *Officium aliquod apud Latinos, tali Festo ordinatum antiquitus, uti invenitur apud Græcos.* Et nos de Festo loquimur, quod Sacro Cultu, Divinisque Officiis ab Ecclesia Latina celebretur; non quod dumtaxat, tanquam res in Ecclesia memoratu digna, a Martyrologiis simpliciter annuntietur: uti annuntiatur, sub his solis vocibus, *Conceptio Sancti Johannis Baptistæ*, a genuinis Bedæ, & Usuardi Martyrologiis, quæ Bollandistæ ediderunt. (*y*) Idem dico de Kalendario illo Mutinensi, & de alio Germanico, quod memorat Plazza *Causa Immacul. Concept. B. M. V.* Papebrochius; in quibus tantum nominatur *Conceptio S. Johannis.*

184. Profecto temporibus S. Bernardi, Innocentii III. & Durandi Mimatensis, vigebant in Ecclesia Martyrologia ista, in quibus signata erat Conceptio S. Johannis: & tamen omnes isti constanter negant, celebrari in Ecclesia hujus Conceptionis Festum. Durandus in *Rationali Divinorum Officiorum* (*z*) signanter advertit, *S. Johannis Baptistæ Nativitatem ex Utero celebrari, sed Nativitatem in Utero, scilicet quando infusa est ejus Anima in Corpore, non celebrari.* Innocentius, *Serm. I. de Nativitate S. Joh. Baptistæ*, (*a*) aperte monet, ejus quidem Nativitatem coli, sed non Conceptionem. S. Bernardus *in Epist. ad Lugdunenses supra cit.* ad S. Joh. Baptistæ prærogativam solum refert, quod ejus Nativitas celebretur: immo *& præsumptam contra ritum Ecclesiæ novitatem esse* contendit, alius a CHRISTO, Conceptionem celebrari.

185. Verum, ne ex ejusmodi Martyrologiis aliquod, vel minimum, Ecclesiasticæ Disciplinæ, in celebratione Festorum, præjudicium aliquando inferretur; Sancta Sedes Apostolica a Romano Martyrologio, quo omnes Ecclesiæ uti debent, expunctam voluit Conceptionem S. Johannis Baptistæ: ut patet in Martyrologio, quod jussu Gregorii XIII. (*b*) emendatum prodiit anno 1584. idemque observatum est in secunda, & tertia ejusdem Martyrologii emendatione, sub Sixto V. & Urbano VIII. ut advertit Franciscus M. Florentinius. (*c*)

186. Suppetias Lampridio laturus Valdesius, mirabili confidentia scribit: (*d*) *Adhuc idem Festum* (Conceptionis S. Joh. Baptistæ) *celebratur Melitæ, atque in aliis Ecclesiis, a Sacro Ordine Militari S. Johannis pendentibus.* Et non advertit Vir acutus, de re agi, cujus falsitas deprehendi ab omnibus facillime poterat.

187. Sciebam utique istud esse falsum, sed ut hanc falsitatem evidentius arguerem, & tutius propalarem; pluribus datis litteris, primum Messanam, (ubi celebris est Prioratus, & Ecclesia S. Johannis Hierosolymitani,) deinde Melitam; Amicos enixe rogavi, ut a peritioribus Equestris Ordinis S. Johannis Hierosolymitani Ecclesiasticis Viris, (Fratres Cappellanos appellant) diligenter inquirerent, an apud ipsos Conceptionis S. Johannis Festum celebraretur? Responsum accepi, quale animo præconceperam: nempe hujusceemodi Festum, in eo Prioratu, & Urbe Melitæ, totoque Ordine Hierosolymitano, penitus ignotum, & antehac inauditum.

188. His non contentus, iterum, iterumque per litteras postulavi, an saltem ex antiquis laudati Ordinis monumentis erui possit, fuisse aliquando in eo Ordine S. Joh. Baptistæ Conceptionem, Festo die, & sacro cultu celebratam? Quod Melitâ mihi rescriptum est, ipsius Rescribentis italicis verbis exhibeo: *Finalmente dopo d'essersi*

(u) *Cap. 9. pag. 61.*
(x) *Ad diem 24. Junii, in Commentario Historico de S. Johanne Prodromo, & Baptista cap. 2. §. 2. n. 48. & 49. pag. 701. tomi 4. Sanctorum Junii.*
(y) *Initio tomi 2. mensis Martii, & a pag. 373. tomi 7. mensis Junii.*
(z) *Lib. 7. cap. 7. pag. 814.*
(a) *Pag. 122. Junior. Oper. edit. cit.*
(b) *Cujus Bulla præfigitur Martyrologio Romano, cum notis* Card. Baronii *edito* Venetiis an. 1620.
(c) *De Vetustiori Occidentalis Ecclesiæ Martyrol. ad diem 24. Septembris pag. 856. edit.* Lucens. an. 1668.
(d) *Epist. 6. pag. 67.*

d'essersi fatta una esattissima perquisizione, tanto degli Ordinarj, e Breviarj antichissimi della Religione Gerosolimitana, quanto delle Persone più dotte dell' Isola, del Priore della Chiesa, e delli Vecchi; non si è trovato vestigio alcuno d'essersi mai praticato, o celebrato Officio, o Festa della Concezione di S. Giovanni Battista nella sudetta Religione Gerosolimitana; nè vi è tradizione alcuna, che si fosse fatta mai una tal Festa, non solo in Malta, ma nè pure in Rodi, et in Gerosolima.

189. Quamobrem suspectum mihi est illud a Bollando indicatum, (*e*) *Missale Ordinis Equitum Hospitaliorum*, sive Hierosolymitanorum, excusum anno 1505. in quo S. Johannis Baptistæ etiam Conceptio celebratur, die XXIV. Septembris, Officio novem Lectionum. Forte Græculus quispiam, Græcæ Ecclesiæ ritum inducere amans, in eo Missali Festum illud intrusit; quem tamen ritum Ordo ille nunquam suscepisse videtur. Cæterum ex Missali isto solum colligi posset, S. Johannis Conceptionem fuisse aliquando ab his Equitibus celebratam, dum adhuc apud Græcos versarentur. Nam anno 1505. quo excusum dicitur præfatum Missale, Equites Hierosolymitani in Rhodo Insula suum Domicilium, & Principatum habebant; unde a Turcis an. 1523. expulsi sunt, & tandem anno 1530 in Melita Insula consederunt. Vide Historiam Sacræ Militiæ Ord. S. Joh. Hierosolym. descriptam a Jacobo Bosio *lib.* 1. *& lib.* 5. *partis tertiæ.*

190. Exemplum igitur adeo decantatum Græcæ Ecclesiæ, Conceptionem quoque S. Johannis Baptistæ annuo Festo recolentis; non infirmat Virtuale Romanæ, Latinæque Ecclesiæ universæ Testimonium, de Sancta, & Immaculata DEI Genitricis Conceptione; cujus ipsa Festum, ex Apostolicæ Sedis Institutione, immo & Jussione, frequentat. Nam & inviolata persistit ejus consuetudo de non celebranda ullius Nativitate, vel Conceptione, quæ Sancta non fuerit; & sua firmitate non decidit, hæc eadem tot Patrum, ac Theologorum Regula universalis. *An ideo*, [opportune D. Augustinus (*f*)] *istos contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? Puto, tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua Primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare.*

191. Non propterea tamen deperit nobis in hac parte Græcæ Ecclesiæ Testimonium. Nam etsi Græca Ecclesia, sola exhibitione Festi Conceptionis Marianæ, hujus Conceptionis Innocentiæ, & Sanctitati sufficiens Testimonium non reddat, cum etiam Festum celebret Conceptionis maculatæ S. Joh. Baptistæ: tamen ex longe diversa ratione, qua unum, ac alterum Festum celebrat, palam fit, per Festum Marianæ Conceptionis, testari eam velle hujus Conceptionis Sanctitatem, secus vero per Festum Conceptionis S. Johannis. Etenim constat, quod Græca Ecclesia S. Præcursoris Conceptionem dumtaxat celebret, cum respectu mysteriorum ad ipsam spectantium; ut bene observat laudatus Papebrochius, & ex toto ipsius Festi Officio colligitur: neque enim alia ratione poterat hoc Festum instituere. Contra vero Conceptionem DEI Genitricis celebrat, ut Sanctam, & Immaculatam insemet ipsa, ut jam ostendemus.

QUARTA RATIO.

Officia Conceptionis, per Græcam Ecclesiam instituta.

192. PRimum hujusmodi Officium fuit Canon S. Andreæ Cretensis, *num.* 40. laudatus. (*g*) In hoc autem multa relucent, quæ Sanctam, & Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem clarissime insinuant. Ode I. pag. 252. *Puram*, sive, *Immaculatam hodie Anna Gloriosa concepit.* Ode III. pag. 253. *Concepit Puram*, seu *Illibatam DEI Genitricem.* Et in eadem Ode, Tono IV. ibid. *Chorus olim propheticus eam prædicavit quam Anna sterilis, infœcundaque, Intemeratam; Puramque, ac DEI Filiam concepit. Hanc hodie, ceu solam omni ex parte Immaculatam, omnes nos per eam salutem consequuti, cordis exultatione, Beatam dicamus.* Præterea in alio Cantu Toni IV. legimus ibidem: *Ejus*, (scilicet B. Virginis) *nos Sanctam Conceptionem colamus.* Et post Oden sextam, & Versus quosdam, in Prosa pag. 255. *Dominus noster, Deusque animatum sibi Templum, Domumque Sanctam, in qua habitaret, parare volens, misso suo Angelo ad Justos Joachim, & Annam &c. Quamobrem concepta est Sancta Virgo Maria, nataque.* Et ibid. pag. 256. *Annuntiavit* (scilicet Angelus) *Sanctam Conceptionem Puræ DEI Matris.* Et pag. 257. *Gaudium nunc accipe* (Anna,) *quæ concepisti intra Uterum tuum Sanctum Templum: circumfusa lumine Justitiæ, magnifica Creatorem.*

193. Similia habet Menologium Græcorum ad diem IX. Decembris, in qua legimus, B. Virginem, *solam Immaculatam*; ejusque *Conceptionem Sanctam:* & hæc insuper verba: *Chorus propheticus prædixit olim Immaculatam, Sanctam, & DEI Filiam Puellam, quam Anna concepit.*

194. Novum quoque Florilegium Horarum Canonicarum, ex libris Ecclesiasticis Græcorum, a Petro Arcudio, instar nostri Breviarii confectum; ad eandem diem IX. Decembris, in Officio Conceptionis B. Virginis, hæc græce recitanda præscribit, quæ latine exhibemus: (*h*) *Hanc igitur diem celebremus, in memoriam recolentem oraculorum datorum ab Angelo, qui annuntiavit Sanctam Conceptionem Puræ Matris DEI.*

195. Lau-

(*e*) *Tomo 2. Sanctor. Januar. ad diem 23. post Vitam S. Johannis Eleemosynarii, pag.* 533. *col.* 2.

(*f*) *Lib.* 1. *contra Julianum, cap.* 4. *n.*13. *col.*503. *tom.*10.

(*g*) *In edit. Græco-Latin. Operum S. Andreæ Cretensis, Parisiens. an.* 1544.

(*h*) *Pag.* 179. *edit. citatæ.*

195. Laudati Canonis S. Andreæ Cretensis verba retulimus, non ut ea minus fideliter latine reddidit Combefisius, sed ut Textus Græcus ab ipsomet exhibitus, reddenda esse demonstrat. Combefisius in Ode prima, pro voce, *Puram*, significata per vocem græcam, ἁγνὴν, suppofuit, *eam.* Sed & eandem vocem ἁγνὴν, quæ repetitur Ode tertia, aliisque in locis, & Conceptæ Virgini passim tribuitur in isto Canone, ubique *Castam* interpretatur: cum tamen vox ista Græca, ἁγνὴ, non tantum *Castam*, seu *Pudicam* significet, (quæ sane nulla laus esset in prole primò concepta) sed etiam, *nullo scelere contaminatam*, seu *nullo quovis modo pollutam*; ut in suo Lexico Græco-Latino, V. ἁγνὸς, probat Johannes Scapula ex Sophocle in *Antigono*, & Plutarco de *Legibus*. Sæpe etiam Mænea Græcorum per hanc vocem, ἁγνὴν, absque ullo alio, vel substantivo, vel additamento, DEI Genitricem antonomastice intelligunt, ut observat noster Simon Wangnerekius. (*i*)

196. Præterea Combefisius in Tono IV. ejusdem Odæ tertiæ, græcam vocem, θεόπαιδα, quæ *DEI Filiam* planissime significat; vertit, *Divina progenie Puellam.* Et hanc aliam, πανάμωμον, quæ propriissime *omni ex parte Immaculatam* sonat, reddidit *Immaculatissimam.* Demum vocem græcam, ἁγίαν, hoc est *Sanctam*, quæ B. Virginis Conceptioni attribuitur in duobus aliis versiculis; utrobique omnino suppressit, nihil pro ea latine reddens.

197. Atque his detectis strophis, (quas prius notatas legeram a nostro Johanne Eusebio Nierimbergio (*k*), dein ipsemet propria observatione deprehendi) jam cuivis apparet, quantum a vero aberraverit Combefisius, cùm in notis ad eum Canonem scripsit: (*l*) *Nihil sibi aliud in eo Festo celebrandum assumpsisse Ecclesiam Græcam, nisi Mariæ primam editionem, plane mirabilem illam, velut de sterili, ac oraculo; ejusque, quæ Christum esset editura, ceu grande beneficium &c.* Sibi quidem celebrandam assumpsit Ecclesia Græca Mariæ primam editionem, hoc est Conceptionem, sed *Conceptionem Sanctam Puræ Matris*, & ejus, quam *Anna concepit Puram, Illibatam, Intemeratam, Filiam DEI, ceu solam omni ex parte Immaculatam, & Templum Sanctum:* quæ omnia Combefisius fideliter reddere noluit ex Andrea Cretensi, sed ex proprio arbitrio vel suppressit, vel commutavit, ut tam luculentum Græcæ Ecclesiæ pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione Testimonium nobis eriperet. Sed *frustra jacitur rete ante oculos Pennatorum.* (Prov. I. 17.) Alibi etiam hunc Auctorem, Immaculatæ Conceptionis Festum non semel allatrasse, queritur Raynaudus. (*m*)

198. Hæc Græcæ Ecclesiæ mens in celebrando Marianæ Conceptionis Festo, colligi ulterius potest, cum ex Concionibus ad Populum, quas Gregorius Metropolita Nicomediensis, & S. Petrus Argorum Episcopus, in eo Festo habuerunt, & nos ex parte retulimus Act. II. Testim. XLII. & XLIII. tum etiam ex pluribus Græcorum Patrum, pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione, singularibus, & expressis Testimoniis, Actione VI. proferendis.

199. Unum hìc offero Manuelis II. Paleologi, ab anno 1384. ad an. 1423. Imperatoris CP. Testimonium; unde quid Græci senserint de Conceptione B. Virginis, quam primi celebrarunt, colligimus. *Simulac*, inquit, *nata fuit, dixerim quoque, simulatque Concepta B. Virgo, suâ illam Gratiâ implebat, qui sibi futuram præstitueras Matrem: immo vero cum illa erat ipse, antequam esset nata. Factum quippe, & compactum est illi corpus temporibus suis, ut loquitur Paulus, de sanguinibus Immaculatæ: nunquam tamen non fuit illi conjunctus statim atque in sterilis Matris Utero cæpit esse. Cur enim aliter sit sentiendum?* (n)

200. Ex his omnibus constat, quod quantumvis Græca Ecclesia Festum etiam celebret Conceptionis non Sanctæ Sancti Præcursoris; Festum nihilominus Conceptionis DEI Genitricis, est ejusdem Græcæ Ecclesiæ luculentum Testimonium de Sanctitate, & Innocentia Marianæ Conceptionis.

QUINTA RATIO.

Conceptionis Officia, per Latinam, & Romanam Ecclesiam instituta.

201. PRima Officii forma, quam in celebrando Conceptionis Festo Latina Ecclesia servare cœpit, fuit illa, quæ Abbati Helsino cælitus præscripta est, videlicet: *Omne Officium, quod dicitur in ejus Nativitate, dicetur in Conceptione, excepto, quod nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis.* (*o*) Eadem igitur mente, qua Sanctam, & Immaculatam DEI Genitricis Nativitatem tunc universa venerabatur Ecclesia; Sanctam, & Immaculatam ejus Conceptionem, ex divina Revelatione venerari cœpit Ecclesia Anglicana.

202. Ita sane Festum hoc intellexit D. Anselmus, qui Revelationem istam in sua illa Epistola Enciclyca promulgavit; ut luculenter exposuit in libro *de Conceptione passiva B. Virginis*, ubi sub initium: *(p) Tantorum*, inquit, *bonorum consummatio, quæ per ipsam Domini Matrem omni Creatura provenerunt, videtur admonere omnem humanam Creaturam, pietatis affectu, exordium suum considerare, quàm sublime,*

(i) *In Scholio ad eum Canonem S. Andreæ Cretensis, quem ipse è græco sinceriùs vertit in latinum.*
(k) *In Differt. Epistolic. de Immacul. Concept. epist. 2. a pag. 330. Oper. Parthenicorum.*
(l) *In notis ad Canonem S. Andreæ Cretensis, num. 1. pag. 366.*
(m) *In Apopomæo, Diatriba 1. pag. 271.*
(n) *In Orat. de veneranda Dei Genitricis Dormitione. Hujus orationis meminit* Leo Allatius *in Diatriba de Simeonibus, pag. 114. & eam integram exhibet* P. Hippolytus Marracius *in Cæsaribus Marianis, cap. 4. §. 2. ex Vaticana Bibliotheca descriptam, & latine redditam per* Joh. Matthæum Cariophilum, *Iconii Episcopum: pag. 63. V. & pag. 85. & seq.*
(o) *V. §. præced. num. 57.*
(p) *Cap. 1. pag. 142. Operum* S. Anselmi, *edit.* Lugd. an. 1630. *ex recensione* Theophili Raynaudi.

sublime, quàm divinum, quàm ineffabile fuerit. Nec mirum, fundamentum siquidem, & quasi quoddam Sacrarium Civitatis, & Habitaculi Summi Boni in ea ponebatur &c. Et ideo ejusdem Conceptionis dies festivis laudibus a multis Fidelibus merito celebratur. Pergit autem in sequentibus hanc B. Virginis Conceptionem ab Originali Peccato vindicare.

203. Quemadmodum hæc Conceptionis Solemnitas, ita & hujus Solemnitatis Ritus, ac Ratio, ex Anglia in Normandiam, Galliam, Navarram, Belgium, Germaniam, aliasque Mundi plagas propagata sunt. Etenim Officium, quod in his Ecclesiis pro hac Solemnitate recitabatur, erat illud idem, quod Abbati Helsino fuerat superne præscriptum, additis dumtaxat lectionibus de Historia illius Revelationis, a S. Anselmo descripta; ut videre est in pluribus antiquis Breviariis, tam impressis, quàm manuscriptis; de quibus supra *n.* 65. *& seq.*

204. Post hæc, Sixtus IV. qui primus Apostolica Auctoritate Festum Conceptionis instituit; eadem Constitutione *Cum Præcelsa*, huic Festo, ad Pietatis augmentum, proprium, & peculiare Officium, sicut & Missam, assignavit; ad quæ recitanda, vel audienda frequentius, atque devotius, magnis propositis Indulgentiarum præmiis, Fideles omnes invitavit. In hujusmodi autem Officio, & Missa, ubique sonant cultus, & protestatio Immaculatæ Conceptionis Dominæ nostræ; ejusque Præservatio ab Originali Peccato. In cujus rei specimen quosdam Versiculos, & unam Orationem exhibeo: cætera videri possunt in Armamentario Seraphico cum Regesto authentico, & universali a *col.* 55. & in antiquis Breviariis passim.

205. Versiculi ad Magnificat.

℣. *Immaculata Conceptio est hodie B. Mariæ Virginis:*

℟. *Cujus Innocentia inclyta cunctas illustrat devotas Animas.*

Invitatorium ad Matutinum.

Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus:

Christum, ejus Præservatorem, adoremus Dominum.

Oratio ad Missam, & Officium.

D*EUS, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio tuo habitaculum præparasti; concede quæsumus, ut sicut ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti; ita nos quoque mundos, ejus intercessione, ad te pervenire concedas.*

206. Conferant, quæso, Adversarii nostri Orationem istam, tam luculentam, tam authenticam, & tam diuturno tempore in Ecclesia Catholica usurpatam; cum ambigua illa, privata, fluxa, & dubiæ fidei Oratione, quam nobis ex Alvaro Pelagio objectabant *num.* 30. & simul meminerint, quod *n.* 10. accepimus a D. Augustino: *Non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret Authoritas, ubi in precibus Sacerdotis &c.*

207. Porro Missa, & Officium, pro Festo Conceptionis B. Virginis, a Sixto IV. instituta; in usu Ecclesiæ fuerunt usque ad Missalis, & Breviarii Romani reformationem: ut aperte constat ex antiquis Missalibus, & Breviariis, in quibus illa sunt inserta. Plurima hujusmodi Missalia, & Breviaria recensentur *in Regesto authentico, & universali col.* 195. *& seqq.* Quædam dumtaxat, mihi visa, & comperta subjicio.

Breviarium Romanum, impressum Venetiis, per Lucam Antonium Junctam, anno 1547. *fol.* 425. & geminum *Breviarium, secundum usum Gallicanum*, per eundem Junctam, ibidem impressum, unum anno 1527. & alterum anno 1536. *fol.* 501. Præterea *Missale Romanum*, ibidem, & per eundem, excusum anno 1509. *fol.* 425. Alterum, item *Romanum*, ejusdem Impressionis, anno 1526. *f.* 200. *col.* 4. Tertium similiter *Romanum*, Venetiis impressum per Hieronymum Scotum, anno 1560. *pag.* 134. Quartum quoque *Romanum*, apud Hæredes Lucæ Antonii Junctæ, excusum Venetiis anno 1563. quinque scilicet annis ante reformationem. Quintum denique Missale, *Juxta Ritum Galliarum, & Messanensis Ecclesiæ* (deest annus, & locus) *fol.* 251. Aliud insuper Missale, similiter *Gallicanum, juxta ritum Messanensis Ecclesiæ, novissime reformatum* (quod extat in Bibliotheca PP. Capuccinorum hujus Urbis) impressum Venetiis in Officina Lucæ Antonii Junctæ, anno 1534. *folio* 244.

208. Aliquandiu etiam viguit in Ecclesia *Breviarium Romanum*, a Francisco Cardinali Quignonio compositum, & Paulo III. dicatum; *ad cujus brevitatem* (inquit S. Pius in Bulla Reformationis) *plurimi confugerunt*; ut etiam colligitur ex pluribus ejus editionibus, quarum tres habemus in nostra Bibliotheca, duas Venetas apud Junctas anno 1547. & 1563. & tertiam Antverpiensem apud Plantinum, anno 1561. In quo quidem Breviario Invitatorium ad Matutinum, & Oratio ad Laudes, & Horas, pro Conceptionis Officio, *fol.* 506. secundæ impressionis Venetæ, & *fol.* 385. Antverpiensis, sunt illa eadem, quæ ex Officio Sixtino recitavimus. In Thesauro item hujus Majoris Ecclesiæ Panormitanæ extat Codex antiquissimus Membranaceus, prænotatus: *Collectarium secundum consuetudinem Majoris Panormitanæ Ecclesiæ:* ubi ad diem Festum Conceptionis legitur illa eadem Collecta, seu Oratio: *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem &c.*

209. Circumferebantur quoque tunc temporis & alia Conceptionis Officia, quæ in non paucis antiquis Breviariis apparent, insignita Titulo *Immaculatæ*, seu *Sanctissimæ*, seu *Purissimæ Conceptionis.* P. Alva (*q*) se vidisse, & legisse testatur Romana Breviaria sedecim, & unum supra triginta diversarum Ecclesiarum, eum titulum in Festo Conceptionis præferentia. Idem Titulus elucet in multis Breviariis indicatis

(q) *In Sole Veritatis &c. Veritate* 231. *a pag.* 648.

ratis in *Armamentario Seraphico a col.* 115. Habemus præterea in nostra Bibliotheca *Missale secundùm ritum Ambrosianum*, Federici Cardinalis Borromæi, Archiepiscopi Mediolanensis jussu recognitum, & editum Venetiis, apud Jacobum Comum, anno 1609. Cujus introitus ad Missam Conceptionis *fol.* 16. *col.* 3. est: *Lætemur omnes in Domino, diem Festum celebrantes, ob honorem B. Mariæ Virginis; de cujus Immaculata Conceptione gaudent Angeli, & collaudant Filium DEI.* Demum utrumque illud *Breviarium Gallicanum*, ad diem VIII. Decembris, *f.* 498. *post. editionis*, proprium aliud exhibet Conceptionis Officium, sic inscriptum: *In Solemnitate Immaculatæ Conceptionis Gloriosæ Virginis Mariæ.* In quo ad Horas, & Completorium, præscribuntur subjectæ Orationes.

210. *Deus ineffabilis Misericordiæ, qui primæ piacula Mulieris, per Virginem expianda sanxisti: da nobis, quæsumus, Illibatæ Conceptionis ejus digne Solemnia venerari, quæ Unigenitum tuum Virgo concepit, & Virgo peperit, Dominum nostrum Jesum Christum &c.*

Quæsumus, Domine Deus noster, ut nos gloriosæ semper Virginis Mariæ continua foveat protectio, cujus nostræ causa salutis extitit hodierna Immaculata Conceptio.

211. Auctor narrationis *de Cappella Pontificia*, a SS. D. N. Benedicto Papa XIV. pro Festo Conceptionis B. Virginis decreta, infra laudandus, *pag.* 13. refert, in Bibliotheca Barberina Romæ asservari Missale, in cujus Fronte legitur: *Ad usum Concilii Tridentini:* ibique *folio* 156. reperiri Missam de *Conceptione B. Virginis*, cum illa Oratione, quæ est in Officio, & Missa, a Sixto IV. institutis, *DEUS, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem &c.*

212. Manifestum igitur est, Romanam, & Universalem Ecclesiam, (unâ demptâ religiosâ Familiâ) a Sixto IV. usque ad S. Pium V. (hoc est ab anno 1476. usque ad annum 1568. quo Romani Breviarii, & annum 1570. quo Missalis reformatio prodiit) in Sacrosancto Missæ Sacrificio, Divinoque Officio, Festum Conceptionis B. MARIÆ Virg. ex Institutione Apostolica, ea mente celebrasse, ut ipsam B. Virginis Conceptionem coleret, tanquam Immaculatam, & Originariæ Labis expertem. Videamus nunc, an deinceps fuerit hic Cultus in Ecclesia DEI immutatus.

213. SS. Pontifex Pius V. reformaturus Romanum Breviarium, quo omnes Ecclesiæ uterentur; justis de causis, Officium Conceptionis a Sixto IV. introductum, sicut & pleraque alia diversa Conceptionis Officia, suppressit; & pro Festo Conceptionis B. Virginis, antiquissimum illud Officium, Abbati Helsino cælitus præscriptum, resumendum disposuit: nempe idem Marianæ Nativitatis Officium, mutato dumtaxat nomine Nativitatis in Conceptionem. Numquid vero Immaculatæ Conceptionis Cultum immutavit? Divino potius consilio, mirifice confirmavit. Nam cum eâdem prorsus formâ nos colere jusserit B. Virginis Conceptionem, quâ ejusdem colimus Nativitatem; sicut in hujus Officio *Sanctam, & cultu Dignissimam* prædicamus *Nativitatem*; ita & in illius Officio *Sanctam, & cultu Dignissimam* prædicamus *Conceptionem:* ut uberius Act. V. declarabimus.

214. Quid vero de hac mutatione Officii Conceptionis senserit Valdesius, interim observemus. (r) *Pius*, inquit, *Quintus, ut pacem inveheret, deleto Nogarolæ Officio, & Missa, & etiam Titulo, Thomisticum Officium, ac Missam, invexit, quæ tam affirmantibus, quàm negantibus Præservationem, convenire possent.*

215. Ut omittam, perperam Nogarolæ Officium nuncupari illud, quod, etsi per Nogarolam ordinatum, Sixtus IV. a se institutum pronuntiavit: Duo in istis verbis palmares sunt errores.

216. Primus est, quod Officium Conceptionis a S. Pio V. invectum, sit Officium Thomisticum. Officium illud, idem est cum eo, quod Abbati Helsino fuit cælitus designatum, ducentis annis ante exortam Scholam Thomisticam; subindeque in Ecclesia Universali, ante, & post Sixtum IV. frequentatum. Quo igitur jure ejusmodi Officium nuncupatur Thomisticum? Rursus Officium a S. Pio V. præscriptum, titulum habet *Conceptionis B. Mariæ Virginis*, & ubique pro *Nativitate*, reddit *Conceptionem*; ut omnes norunt, qui Romano Breviario utuntur. Officium autem Thomisticum, usque ad Gregorium XV. prætulit titulum, *Sanctificationis B. Mariæ Virg.* & ubique pro *Nativitate*, exhibet *Sanctificationem*; ut omnia illius temporis Ord. Prædic. Breviaria loquuntur, & nos Actione V. observabimus.

217. Alter error est, quod Officium a S. Pio V. restitutum, tam nobis, quàm Adversariis convenire possit. In hoc Officio *Gloriosæ Virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolimus*; ejusdemque *Sanctam Conceptionem celebramus*, ut innuimus. Num Adversarii hæc eadem recitare, fincere, & ex animo possunt, nisi paulisper suam deponant Sententiam de Peccato infecta B. Virginis Conceptione?

218. Animum non despondet Valdesius: & primo ait, (s) *Sanctam rite appellatam Conceptionem B. Virginis; tunc enim, aut sanctificata fuit secundum Thomistas, aut præservata secundùm Pianam Sententiam.* Secundo addit, (t) quod, sicut Suarez in primo Marianæ Conceptionis instanti agnoscit Debitum Peccati unà cum Gratia præveniente: *Ita fortasse non incongruum foret cogitare, in eodem primo Instanti, B. Virginem contraxisse Labem, & Sanctificatam fuisse.*

219. Quam certò incongrua sit hæc posterior Valdesii cogitatio; satis, superque demonstravimus in Apparatu *num.* 147. *& seqq.* ubi etiam *num.* 161. perspeximus quàm longe distet ab hac absurditate illa P. Suarii, & communis Sententia.

220. Prior autem responsio se ipsam destruit. Quid est, *Tunc sanctificata fuit*, nisi, in ipsa Conceptione? Conceptionis autem non sunt duo instantia, ut falso imaginatur Valdesius: (Conceptio namque, de qua loquimur, est Creatio, & Infusio Animæ rationalis in Corpus, quæ unico instanti absolvitur) Cum ergo in uno, eodemque instanti componi non possint Gratia

(r) *Epist.* 6. *pag.* 64.

(s) *Epist.* 3. *pag.* 14.
(t) *Epist.* 10. *pag.* 121.

Sanctificans, & Originale Peccatum; si B. Virgo in ipsa Conceptione sanctificata fuit, perspicuum est, quod fuerit ab Originali Peccato præservata.

221. Age vero Valdesium suismet armis adoriamur. Ex duplici antiquo Sacramentario, uno S. Gregorii, altero Gelasii, (de quibus dictum est in Apparatu *num.* 130. & 131.) ubi Cultus ille dies dicitur, *quo Felix Dominæ Sanctæ Mariæ inchoata Nativitas:* hanc ille infert consequentiam. (*u*) *Si Felix, ergo vel antiquissimis Sæculis Sancta habebatur Nativitas Virginis; & Mariam sanctificatam, antequam nasceretur, credebat Ecclesia.*

222. Jam vero nonne Valdesius sæpe legit in Breviario Romano, per S. Pium V. reformato, hæc verba: *Gloriosæ V. Mariæ Conceptionem dignissimam recolamus:* & hæc alia: *Quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem?* Cur ergo ex his verbis magis expressis non inferat hanc aliam consequentiam: Ergo *Sancta* habetur Conceptio Virginis, & MARIAM *sanctificatam*, non quidem ante Conceptionem, sed, in ipsa Conceptione, credit Ecclesia? An Sacramentarium S. Gregorii, vel Gelasii, majori pollet auctoritate, quam Breviarium S. Pii V. aut Ecclesia illius temporis, magis, quam Ecclesia nostri temporis, obaudienda est?

223. Stat igitur, Officium Conceptionis, quod S. Pius V. ex Ord. Præd. assumptus, recitandum præscripsit; non minus, ac Officium, quod Sixtus IV. ex Ord. Minor. assumptus, instituit; Sanctam, & Immaculatam testari B. Virginis Conceptionem; dùm tamen Officium illud integrum, & illæsum servetur. Quod cum Adversarii non præstarent, pro *Conceptione*, ubique substituentes *Sanctificationem*; a Gregorio XV. emendati sunt, ut mox videbimus.

SEXTA RATIO.

Ipsius Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ Declaratio.

224. NOn alia mente, & consilio, Sanctam DEI Ecclesiam, B. MARIÆ Conceptionem celebrare, quàm, ut hanc ejus Conceptionem, veneretur, & colat, tanquam *Sanctam, & Immaculatam*; ipsamet Ecclesia, sæpe, & variis modis declaravit.

225. Concilium Basileense, postquam declaravit, Immaculatæ Conceptionis Sententiam, *Piam* esse, & *Consonam Cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ &c.* ejus Festum his verbis confirmat: *Renovantes præterea Institutionem de celebranda SANCTA ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias, quarto idus Decembris, antiqua, & laudabili consuetudine celebratur.* Quamvis autem hoc Concilium Ecclesiam legitime congregatam non repræsentet, exhibet tamen tot conspicuos Ecclesiæ Pastores, atque Doctores, qui ejus mentem testari merito potuerunt.

226. Sixtus IV. *Sanctæ, & Immaculatæ Conceptionis* B. Virginis Festum se instituisse, luculenter exposuit tum in ea Constitutione, *Cum præcelsa*, ubi peculiare illud Officium approbavit, & Ecclesiæ recitandum proposuit, in cujus Invitatorio canimus: *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus &c.* Tum etiam in secunda Constitutione *Grave Nimis*, in qua tanquam *Falsam*, *Erroneam*, *& a veritate Alienam*, reprobavit Assertionem eorum, qui ajebant: *Sanctam Romanam Ecclesiam de Spirituali dumtaxat Conceptione, & Sanctificatione Virginis Gloriosæ Festum celebrare.*

227. Ipse etiam S. Pius V. *Sanctam* DEI Genitricis *Conceptionem* ab Ecclesia celebrari, tacite saltem declaravit, dum in hoc Festo recitandum præscripsit Officium, in quo sic B. Virginem adprecamur: *Sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam SANCTAM Conceptionem.* In ipsa quoque Missæ, & Officii Oratione DEUM exoramus: ut *Conceptionis ejus votiva Solemnitas*, (idest Cultus solemnis Marianæ Conceptionis, utpote cultus rei Sanctæ) *pacis nobis tribuat* (hoc est impetret) *incrementum.*

228. Gregorius XV. ut Catholica Ecclesia, nemine discordante, in unum Sanctæ, & Immaculatæ Conceptionis cultum conveniret; omnibus omnino Ecclesiasticis Personis severissime præcepit: *ut in Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio, quam CONCEPTIONIS nomine uterentur.* Quo præcepto declaravit, non coli ab Ecclesia Sanctificationem B. Virginis mox subsecutam, aut DEI Maternitatem postea obtinendam, vel aliud quidpiam ab Adversariis excogitatum objectum, sed ipsissimam DEI Genitricis Conceptionem, & quidem tanquam *Sanctam*, & cultu *dignissimam*, ut ipsius Divini Officii verba sonant.

229. Exeat nunc Valdesius, & dicat: (*x*) *Nunquam interdictam ab Apostolica Sede fuisse celebrationem Festi Conceptionis, sub significatione Sanctificationis.* Et rursus: (*y*) *Neque omnibus Christi-Fidelibus indici, Festum Conceptionis celebrandum esse, secundùm Piam Sententiam.*

230. Si semel interdicta est ab Apostolica Sede celebratio Conceptionis sub nomine Sanctificationis; an non interdicta etiam est eadem celebratio sub significatione Sanctificationis? Nisi forte licitum quis sibi faciat, in re tam gravi, qualis est Cultus Sacer, mentiri, & simulare. Rursus hoc ipso, quod Christifidelibus indicitur, ut in Divinis Officiis solo utantur nomine *Conceptionis*; annon etiam indicitur, ut hanc ipsam Conceptionem, sicut ibi legunt, *Sanctam, & Cultu dignissimam*, non ficte, non simulate, sed sincere, & ex animo prædicent? Et quid aliud est, Festum Conceptionis celebrare secundum Piam

(*u*) *Epist. 5. pag. 52. & 53. verba autem illa Sacramentarii S. Gregorii leguntur in Oratione super Populum, pro Festo Nativit. B. Virginis col. 128. tom. 3. ejus Operum.*

(*x*) *Epist. 17. pag. 225.*
(*y*) *Epist. 3. pag. 14.*

Piam Sententiam? Eo sane tendebat Gregorius: *Ut* (juxta Apostolum ad Rom. xv. 6.) *UNANIMES*, *uno ore*, *honorificemus*, sicut *Deum*, *& Patrem*, ita & Matrem *Domini nostri Jesu Christi.*

231. Commentum porro illud, quod Romani Libellatores confinxerunt, & avidissime amplexus Valdesius, identidem jactat; (z) de mutata a Gregorio XV. vel etiam a Pio V. *Conceptionis* significatione; itaut hæc vox, *Conceptio*, quæ antea determinate, & unice significabat primam Animæ in Corpus infusionem, evaserit indifferens ad denotandam tam Præservationem a Peccato, quàm Sanctificationem post Peccatum: commentum, inquam, istud, (quo solo Gregorianum præceptum eludi potest) Actione V. in Observationibus ad laudatum Gregorii XV. Decretum, tanquam in proprio loco, copiosissime refellemus.

232. Tandem Alexander VII. ut omnes hujuscemodi nebulas, quibus Ecclesiæ mentem occultare satagebant Adversarii, dissiparet; in Aurea illa sua Constitutione, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, declaravit I. *Veterem fuisse Christifidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam Pietatem*, *sentientium*, *ejus Animam in primo instanti creationis*, *atque infusionis in corpus*, *fuisse speciali DEI Gratia &c. a Macula Peccati Originalis præservatam Immunem*; *atque in hoc sensu ejus Conceptionis Festivitatem solemni ritu colentium*, *& celebrantium.* II. Istorum Cultorum numerum, & ipsum Cultum crevisse post Sixti IV. Constitutiones, & Concilii Tridentini Decretum. III. Auctam rursus, & propagatam fuisse hanc eandem pietatem, & hunc eundem Cultum post Bullas, & Decreta subsequentium Romanorum Pontificum; IV. Talem Cultum, *juxta Piam Sententiam*, *B. Virgini exhibitum*; *in Ecclesia Romana*, *post ipsius Cultus Institutionem a Sixto IV. profectam*, *nunquam immutatum fuisse.* V. Denique suorum Decessorum Constitutiones, & Decreta, præsertim Sixti IV. Pauli V. & Gregorii XV. edita esse in favorem Piæ Sententiæ, *nec non & in favorem Festi*, *& Cultus Conceptionis B. Virginis*, *secundùm illam exhibiti.*

233. Magna vis patentis Veritatis! Scripserat Lampridius (a) Alexandrum VII. *de mente Ecclesiæ*, *quod est ad illud Festum*, *nihil statuisse.* Sed postea, a suis Adversariis castigatus, assumpto Valdesii nomine, plane fatetur: (b) *Certum esse*, *& deinceps futurum esse*, *ex mente Romanæ Ecclesiæ institutum fuisse*, *ac celebrari a Pietate Fidelium Scotistarum Conceptionis Festum secundùm Piam Sententiam*, *eximentem ab Originali Labe Mariam.* Nisi quod omnes Christifideles, summos, medios, & infimos, Immaculatæ Conceptionis Festum celebrantes, Scotistas appellat. Mirum, quod non & ipsam Romanam Ecclesiam, idem Festum instituentem, Scoticam nominet.

234. At vero [inquit Valdesius, (c)] *Falsum est*, *unicum Festi objectum declarari ab Alexandro*, *Immunitatem Deiparæ: Falsum*, *juberi universam Ecclesiam sub ea significatione celebrare Festum Conceptionis.*

235. Neutrum Alexandro præstare opus erat; qui Decretum Gregorii XV. sub unico Conceptionis nomine, id Festum celebrari jubentis, in favorem Piæ Sententiæ editum esse declaravit. Cæterum utrumque etiam præstitit Alexander, dum Festum Conceptionis, alioqui præceptum, ex mente Romanæ Ecclesiæ, secundùm Piam Sententiam, & primo institutum, & in ea deinceps celebratum pronuntiavit. Firmum quippe est illud Callixti Papæ I. Rescriptum: (d) *Non decet a Capite membra dissidere*, *sed juxta Sacræ Scripturæ Testimonium*, *omnia membra Caput sequantur. Nulli vero dubium est*, *quod Apostolica Ecclesia Mater est omnium Ecclesiarum*, *a cujus vos Regulis nullatenus convenit deviare.* Quod ergo est objectum Festi Conceptionis in Ecclesia Romana, idem esse debet reliquarum omnium Ecclesiarum.

236. Quid ultra desideratur, ut certissime asseramus, Festum Conceptionis B. Virginis, luculentum Catholicæ Ecclesiæ Testimonium esse de ipsius Conceptionis Innocentia, & Sanctitate? Hoc Sanctorum Patrum, & Veterum omnium Scholasticorum voces clamant: Hoc perpetua Latinæ Ecclesiæ Consuetudo, & tam Græcæ, quàm Latinæ Ecclesiæ Sacri Ritus evincunt: Hoc denique profert ipsius Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ Declaratio.

Cum hæc Typis commissa, jam prælo subjicienda corrigerem, non intempestive incidi *in Typicum S. Sabæ*, a nostro Guilielmo Cupero citatum *in Commentario Historico* ad Vitam S. Annæ, *num. 46. pag. 243. Tomi VI. Julii.* In hoc Typico, [*] idest ordine recitandi Officium per totum annum, die IX. Decembris, *fol.* 31. signatur *Conceptio S. Annæ*, *Matris Deiparæ.* Quo nomine Græci intelligunt Conceptionem activam S. Annæ, & passivam Deiparæ, quam die IX. Decembris colunt; ut observatum est *num.* 40. Cum ergo S. Sabas claruerit an. 484. (V. Caveum *pag.* 296.) dicendum videtur, Festum Conceptionis B. Virginis jam inde a Sæculo V. multo ante S. Andream Cretensem, celebratum a Græcis fuisse. De hoc Typico late disserit Leo Allatius *Dissert. I. de Libris Eccles. Græcor.* statim ab initio, edit. Paris. an. 1645.

§. III.

Festum Conceptionis, *de ipsius Innocentia*, *& Sanctitate*, *indubitatum est Catholicæ Ecclesiæ Testimonium.*

237. Fateri proculdubio hoc deberet de Festo Conceptionis B. Virginis S. Bernardus, qui de Festo Nativitatis in Epist. ad Lugdun.

(z) *Epist. 6. pag. 66. & epist. 10. pag. 119. & seq.*
(a) *Cap. 9. pag. 60.*
(b) *Epist. 3. pag. 14.*
(c) *Epist. 14. pag. 175.*

(d) *Epist. 1. ad* Benedictum Episcopum *col. 627. tomi 1. Concilior. & refertur in Decreto, cap.* Non decet, *distinct. 12.*
[*] *Extat in nostra Biblioth. impressum* Venetiis anno 1545.

Lugdun. ita scripsit: „ Ego vero, quod ab illa „ (*Ecclesia*) accepi, securus teneo, & trado; „ quod non scrupulosius, fateor, admiserim. „ Accepi sane ab Ecclesia, illum diem cum „ summa veneratione colendum, quo assumpta „ de Sæculo nequam, Cœlis quoque intulit ce- „ leberrimorum festa gaudiorum. Sed & Or- „ tum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, „ & ab Ecclesia, indubitanter habere festivum, „ atque Sanctum; firmissimé cum Ecclesia sen- „ tiens, in Utero eam accepisse, ut Sancta pro- „ diret. „ *Et nonnullis interjectis* „ Nec falli- „ tur omnino Sancta Ecclesia, Sanctum repu- „ tans ipsum Nativitatis ejus diem, & omni an- „ no cum exultatione Universæ Terræ votiva „ celebritate suscipiens. „

238. Firmitas quoque hujus Ecclesiæ Testimonii pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione, colligi potest ex iis, quæ attulimus in Prolusione, ad ostendendam summam Ecclesiæ auctoritatem in omnibus suis Testimoniis, etiam iis, quæ in aliquo Facto, vel More posita sunt. Sed ut magnum hoc præsentis Causæ Momentum pro dignitate pertractemus, ab infallibilitate Ecclesiæ, in decernenda Canonizatione Sanctorum, argumentum ducimus: dum prius explicaverimus duo Canonizationum Genera.

239. Eminentissimus olim Prosper Cardinalis de Lambertinis, nunc Sanctissimus Ecclesiæ DEI Summus Pastor, Benedictus XIV. in suo incomparabili opere de *Servorum DEI Beatificatione*, *& Beatorum Canonizatione*, (*e*) duplicem distinguit Canonizationem Sanctorum, unam *Formalem*, *Æquipollentem*, seu *Virtualem* alteram. Canonizatio Formalis est, cùm, tractatu juridico præcedente, servataque forma judicii, per Sententiam definitivam a Summo Pontifice prolatam, aliis etiam ritibus adhibitis, aliquis DEI Servus, qui plenus meritis beato fine requievit, Sanctorum Catalogo adscribitur; seu pronuntiatur, illum esse Sanctum, & Cœlo receptum; ac proinde ab omnibus Christi-Fidelibus publice invocandum, atque colendum esse.

240. Canonizatio *Æquipollens* est, cùm Summus Pontifex, nullo præmisso judiciali tractatu, absque formali Sententia definitiva, & aliis etiam ritibus omissis, de aliquo DEI Servo, jam olim è vivis sublato, (qui in antiqua cultûs possessione sit, & de cujus heroicis Virtutibus, aut Martyrio, & etiam Miraculis, ex Historicis fide dignis, & constanti famâ liqueat,) non tantum permittit, sed etiam mandat, & jubet, ut per Officii recitationem, & Missæ celebrationem, aliquo designato die, in Universa Ecclesia Cultum, & Venerationem accipiat. In hoc Præcepto universali stat tota Essentia hujus Canonizationis Æquipollentis Canonizatio autem Formalis ex se nec præceptum, nec etiam permissionem includit, Officium, Missamque celebrandi pro tali Sancto.

241. Ejusmodi Canonizatione Æquipollente canonizati sunt, (ut idem Auctor magna cum eruditione demonstrat) Romualdus, Norbertus, Bruno Carthusianorum Parens, Petrus Nolascus, Raymundus Nonnatus, Johannes de Matha, Felix de Valois, Margharita Scotorum Regina, Stephanus Hungariæ Rex, Wenceslaus Bohemiæ Dux, & Gregorius Papa VII. Qui omnes nihilominus in Universa Ecclesia pro Sanctis, & Canonizatis habentur. Eodem etiam Canonizationis genere canonizatos dicere oportet, omnes illos Martyres, Pontifices, Confessores, Virgines &c. quibus, ante institutam a Sede Apostolica formalem Sanctorum Canonizationem, universali, & pervetusto Fidelium consensu, inter Sanctos connumeratis, Ecclesia, sive Sedes Apostolica diem Festum designavit, in quo ab omnibus per Divinorum Officiorum celebrationem colerentur.

Ecclesia, sive Sedes Apostolica errare non potest in Formali Canonizatione Sanctorum.

242. Est fere unanimis Catholicorum Doctorum Sententia, paucissimis dumtaxat exceptis. Septuaginta enumerat laudatus Cardinalis, & Pontifex, (*f*) alios Juris Canonici Interpretes, alios Sacræ Theologiæ Magistros, ex omni Schola. Qui quidem illud tam certum habent, ut multi oppositum censeant *hæreticum*; reliqui, etsi non hæreticum, aliqua tamen gravi censura dignum, puta *temerarium*, *scandalosum*, *impium*, aut etiam *valde probabiliter hæreticum*, aut *errori proximum*, aut *hæresim sapiens*.

243. Addendus iis est Johannes Turrecremata, noster olim Adversarius, qui in *Summa de Ecclesia*; (*g*) Canonizationem Sanctorum ad ea, quæ Fidei sunt, censet pertinere. Rejecta namque Sententia *Asserentium*, *Apostolicæ Sedis judicium in his*, *quæ Fidei sunt*, *non esse certum*, *non esse firmum*, *sed defectibile*, *& deviabile*: sic concludit: *Qui error perniciosissimus*, *utpote qui Sedis Apostolicæ Definitiones*, *Fidei Declarationes*, *Hæreticorum Damnationes*, *Canonum Confirmationes*, *Sanctorum Canonizationes*, *dubias*, *& ambiguas*, *& per consequens suspectas de falsitate reddens*, *Fidem enervat*, *& Christianam Religionem maculat. Hic error fuit communis omnibus Hæreticis*, *ut depressa Apostolicæ Sedis auctoritate*, *licentiori præsumptione*, *& audacia in suis grassarentur erroribus.*

244. Sunt, qui putent, Divo Thomæ non ita certum fuisse, quod Ecclesia non possit errare in Canonizatione Sanctorum, quia solùm dixit: (*h*) *Pie credendum est*, *quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit.* Sed oppido falluntur. Ex contextu clarissime patet, quam firmiter

(e) *Lib.* 1. *cap.* 41. *a pag.* 342. *edit.* Bonon. an. 1734.
(f) *Lib.* 1. *cit. cap.* 43. *a pag.* 389. *& cap.* 45. *a pag.* 411.
(g) *Lib.* 2. *cap.* 110. *sub fin. edit.* Lugdun. *absque nota numerorum in foliis.*
(h) *Quodlibeto* 9. *quæst.* 5. *art.* 16. *fol.* 64. *& seq. in Calce tom.* 16. *edit.* Roman.

miter sustinuerit Divus Thomas, Ecclesiam errare non posse in Canonizatione Sanctorum, tanquam in re ad Fidem aliquo modo spectante, si non *formaliter*, saltem *reductive*.

245. Præmonstraverat Doctor Angelicus, *Certum esse, quod judicium Ecclesiæ universalis errare in his, quæ ad Fidem pertinent, impossibile esset &c. In aliis vero Sententiis, quæ ad particularia facta pertinent*, (ut cùm agitur de possessionibus &c.) *Possibile esse, judicium Ecclesiæ errare propter falsos Testes &c.* Tum conclusionem suam sic effert: *Canonizatio vero Sanctorum medium est inter hæc duo: quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam Professio Fidei est, qua Sanctorum Gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare potest.* Non dixit: *pie credibile est*, sed, *pie credendum est*, hoc est, pietate suadente, id credere debemus. Ipsam quoque Fidei Doctrinam, & Veritatem, *Doctrinam, & Veritatem secundum Pietatem*, appellavit Apostolus *I. ad Timoth. II. 3. & ad Titum I. 1.* Et ipsum Fidei initium, Pia affectio a Theologis nuncupatur.

246. Deinde, cum pro Parte negante infallibilitatem Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum, duo sibi opposuisset: „ 1. Nullus potest esse ita „ certus de statu alicujus, sicut ipsemet de se „ ipso: sed Homo non potest esse certus de se „ ipso, utrum sit in statu Salutis; ergo multo „ minus Papa &c. 2. Quicumque in judicando „ innititur medio fallibili, potest errare: sed Ec- „ clesia in canonizando Sanctos, innititur Te- „ stimonio humano, cum inquirat per Testes „ de Vita, & Miraculis: ergo, cum Testimo- „ nium Hominum sit fallibile &c. „ Ad primum respondet: *Quod Pontifex potest certificari de statu alicujus per inquisitionem Vitæ, & attestationem Miraculorum, & præcipue per Instinctum Spiritus Sancti, qui omnia scrutatur, etiam profunda DEI.* Ad secundum respondet: *Quod Divina Providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile Testimonium fallatur.* Si ergo D. Thomas asseverat, illud Ecclesiæ judicium ab Spiritu Sancto dirigi, & a Divina Providentia ab errore præservari; qui potuit de illius firmitate dubitare?

247. Denique, argumentum *Sed contra*, quod pro parte affirmante infallibilitatem, sic proposuerat: *In Ecclesia non potest esse error damnabilis; sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit Peccator; ergo &c.* tanquam bene concludens, insolutum dimittit; ut semper solet, quando argumentum illud bene concludit. Error ergo in Canonizatione Sanctorum, juxta D. Thomam, esset error damnabilis; ac proinde ab Ecclesia omnino removendus. Quis hæc legens, non miretur, a Cajetano, in Opusculo de Indulgentiis (*i*) obiter insinuante, *Posse intervenire errorem humanum in Canonizatione alicujus Sancti*; pro hac Sententia D. Thomam allegari?

248. Jam veritas hæc, tanta Catholicorum Doctorum consensione recepta, gravissimis argumentis demonstratur. Et primum quidem sit illud ipsum ab Angelico Doctore indicatum. Quia nimirum error in hac parte, *esset Error damnabilis in Ecclesia*.

249. Quàm vero damnabilis sit hic error, S. Hieronymus luculenter expressit: (*k*) „ Qui „ credit, *inquit*, DEUM Sanctum esse, utique „ non errat. Quod si quis Hominem, qui San- „ ctus non est, Sanctum esse crediderit, & „ DEI eum junxerit societati, Christum violat, „ cujus Corporis omnes membra sumus. *Qui* „ *dicit*, inquit, *Justum, Injustum; & Inju-* „ *stum, Justum; abominabilis uterque apud* „ *DEUM est.* (Prov. XVII. 15.) Similiter, qui „ Sanctum dicit esse non Sanctum, & rur- „ sum non Sanctum asserit, Sanctum, abomi- „ nabilis apud DEUM est. Omnes credentes, „ secundum Apostolum (I. ad Cor. 6.) CHRISTI „ Corpus efficiuntur. Qui in CHRISTI Corpore „ errat, & labitur, asserens Membrum ejus, „ vel Sanctum esse, cum non sit, vel non San- „ ctum esse, cum Sanctum sit; vide, quali cri- „ mini obnoxius fiat; *Væ*, ait Isaias (V. 20.) „ *qui dicunt dulce, amarum; & amarum, dul-* „ *ce: ponentes tenebras, lucem; & lucem, tene-* „ *bras. Dulce*, puto esse Sanctimoniam; *ama-* „ *rum*, quod Sanctimoniæ contrarium est. Æque „ *Lux*, Sanctimonia intelligi potest, *Tenebræ*, „ contrariæ Sanctitati. „

Si ergo juxta D. Hieronymum, hujusmodi error in singulis Fidelibus abominabilis est, quantò detestabilior foret in ipsa Ecclesia? *Ergo tolerabit DEUS* [ad rem Catharinus (*l*)] *quod invocetur ejus Inimicus, quasi Amicus, ut apud se intercedat, pro nobis; & id fieri Ecclesiæ suæ Testimonio?*

250. Alterum argumentum desumitur ex ipsarum Canonizationum formulis, & adjunctis verbis, omnem indicantibus firmitatem. Johannes XV. in Bulla Canonizationis S. Udalrici Episcopi Augustani, (quæ prima occurrit in Bullario) edita anno 993. (*m*) *Siquis*, inquit, (*quod non credimus*) *temerario ausu contra ea, quæ hac nostra auctoritate, pie, ac firmiter constituta sunt, contraire tentaverit, vel hæc, quæ a nobis in laudem DEI, & pro reverentia dicti Episcopi statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi, sciat, se auctoritate B. Petri, Principis Apostolorum, anathematis vinculo innodatum.*

251. Cælestinus III. in Bulla Canonizationis S. Ubaldi Episcopi Eugubini, edita anno 1192. (*n*) *Nos vero opus istud intuentes, sensum, & intelligentias nostras excedere, quia potius est Divini Judicii, quam Humani, cum ipse solus plene noverit, qui sunt ejus; suspendimus desiderium tuum aliquando, ut Nobis, & Fratribus nostris, quid potius agendum esset, Spiritus Sancti gratia revelaret &c.*

252. Honorius III. in Bulla Canonizationis S. Laurentii

(i) *Tom. 1. Opusculor. tract. 15. de Indulgent. cap. 8. pag. 96. col. 1.*
(k) *Commentar. in epist.* Pauli *ad* Philemon. *col.* 448. *par.* 1. *tom.* 4.
(l) *Lib. 1. de certa St. Gloria, inter ejus Opuscula edita* Lugduni an. 1542. *pag.* 15.
(m) *Incip.* Cum conventus, *extat pag.* 43. *tom.* 1. *Bullar. Rom. ex Collect.* Laertii Cherubini, *adaucta ab* Angelo M. Cherubino, *& edita* Romæ an. 1638.
(n) *Num.* 1. Benedictus Deus, *pag.* 69. *ibidem.*

S. Laurentii Episcopi Dublinensis, edita anno 1225. (o) *De ipsius igitur Sanctitate, tantis certificati Miraculis, Divinumque sequuti Judicium, per quod ejus glorificatio nobis tam evidentibus innotuit argumentis &c.*

253. Nicolaus V. in Bulla Canonizationis S. Bernardini Senensis, edita anno 1450. (p) *Cùm sciamus, hunc Sanctum Virum ministrasse Christo, & ipsum fuisse sequutum usque ad consummationem vitæ, minime dubitare permittitur, quin potius certissimum tenere, quod, ubi est Christus DEI Filius, sit etiam Minister suus S. Bernardinus. Ergo quia cum Christo sunt omnes Sancti ejus, de Omnipotentis DEI Misericordia, qui non deserit Ecclesiam suam, & BB. Petri, & Pauli auctoritate confisi.... Decernimus, declaramus, & ordinamus, S. Bernardinum inter Sanctos DEI ab universa Ecclesia debere deputari, & Sanctum haberi, & tanquam Sanctum honorari, & coli.*

254. Hæ formulæ: *Decernimus, Declaramus*, & etiam *Definimus:* quibus alioquin Pontifices in Fidei decretis uti solent; passim etiam occurrunt in aliis Canonizationum Bullis, quarum plures enumerat P. Rodericus Arriaga. (q).

255. Sixtus IV. in Bulla Canonizationis S. Bonaventuræ ex Ordine Minorum, Cardinalis, & Episcopi Albanensis, edita anno 1482. (r) *Nos ergo, DEI nutum, & voluntatem sequentes &c. Confidentes igitur,* (idest nihil dubitantes) *quod in hac Canonizatione non permittat nos DEUS errare &c. Beatæ memoriæ Bonaventuram &c. Sanctum esse, ac aliorum Sanctorum DEI, Catalogo adscribendum, adjiciendum, ac aggregandum fore; ac fideliter, firmiterque teneri debere, decernimus &c.*

256. Leo X. in Bulla Canonizationis S. Francisci de Paula, edita anno 1519. (s) *Nos iterum Humiles Omnipotenti DEO gratias agentes, quod ad Beatum Servum suum debitis honoribus prosequendum, corda nostra illuminare dignatus esset &c.*

257. Clemens VII. in Bulla Canonizationis S. Antonini Archiepiscopi Florentini, edita anno 1523. (t) testatur, quod Adrianus VI. (qui hunc Sanctum canonizavit, sed morte præoccupatus Bullam edere non valuit) *Dei nutum, & voluntatem sequens &c. & considerans, quod in eadem Canonizatione non permissurus esset DEUS, ipsum errare &c. Beatæ memoriæ Antoninum... Sanctum esse &c. & fideliter, firmiterque teneri debere, decrevit &c.*

258. Clemens VIII. in Bulla Canonizationis S. Hiacynthi Poloni, Ord. Prædic. edita anno 1594. (u) *Omnibus*, inquit, *recte, ac pie peractis &c. Sanctoque Spiritu, cujus Divino Numine Ecclesia afflata, nunquam fallitur, multis cum precibus, invocato &c.*

259. Demum, ut alios præteream, Sixtus V. in Bulla Canonizationis S. Didaci Confessoris, Ord. Minorum, edita anno 1588. (x) primo memorat, se multa dixisse in Consistorio secreto *De Sacrosancta Apostolicæ Sedis Auctoritate, & potestate; deque Spiritus Sancti singulari patrocinio, atque infallibili assistentia, a DEO, in omnibus suis verbis Fideli, promissa, usque ad consummationem Sæculi affutura; quibus gubernatur.* Tum ad actum Canonizationis deveniens, *Invocato*, inquit, *Sancto Creatore Spiritu, cujus Consilio, & Sapientia Sancta Ecclesia, Columna, & Firmamentum veritatis regitur; ejusque Numen, sæpe a nobis ex intimo corde, & multis etiam lacrymis imploratum, præsens adesse non dubitantes; ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis &c. Beatum Fratrem Didacum &c.* Refert autem Galesinus, (y) Sixtum V. in eo Consistorio secreto perorasse: *Summum Pontificem in Sanctorum Canonizatione errare, & falli non posse; non modo pie, sed & necessario, & certissima fide credendum.*

260. Tertium argumentum est. Divinæ illæ CHRISTI promissiones Matth. XVI. 18. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Et cap. ult. v. 20. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem Sæculi.* Et Jo. XVI. 13. *Cùm venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem Veritatem.* Illa quoque Doctoris Gentium asseveratio I. ad Timotheum III. 15. *Quæ est Ecclesia DEI Vivi, Columna, & Firmamentum Veritatis.* Juxta unanimem Catholicorum sensum, certissime concludunt, quod Ecclesia, sive Sedes Apostolica errare non possit, tam in definiendis iis, quæ ad Fidem attinent, quàm in decernendis iis, quæ spectant ad Mores, toti Ecclesiæ communes: ita ut, sicuti nequit Fidelibus universe credendum proponere, quod est re ipsa falsum; ita neque faciendum præcipere, quod est turpe: ut pluribus demonstrat Melchior Canus. (z)

261. At vero, licet Canonizatio Sanctorum aliquo modo ad Factum pertineat; „ Multum „ tamen refert, (inquit ibidem Canus) ad com„ munes Ecclesiæ mores, scire, quos debeas re„ ligione colere: quare, si in illis erraret Eccle„ sia, in moribus quoque falleretur: nec differt, „ Diabolum colas, an Hominem condemnatum. „ Atque si Ecclesia abstinentiæ legem rogaret, „ quæ vel rationi, vel Evangelio adversa esset, „ turpiter ab illa profecto erraretur. Turpiter „ ergo etiam errabit in doctrina morum, si le„ gem ferat de colendo Divo, quem colere, „ si Divus non est, & cum ratione, & cum „ Evangelio pugnat. Ne igitur tantus error in „ Ecclesia sit, DEUS peculiariter providere cre„ dendus est, ne Ecclesia, quamlibet Hominum „ testimonia sequatur, in Sanctorum Canoniza„ tione erret. „

262. Quædam ex his tam severi Theologi dictis,

(o) *Num.* 7. Ineffabilis Providentia, *pag.* 81. *ibid.*
(p) *Num.* 2. Misericordias Domini, *pag.* 281. *ibid.*
(q) *Disp.* 9. de Fide, *sect.* 5. *n.* 27. *pag.* 137. *tom.* 5. *edit.* Lugd. an. 1651.
(r) *Num.* 21. Superna Cœlestis Patria, *pag.* 326. *ibid.*
(s) *Num.* 38. Excelsus Dominus, *pag.* 446. *ibid.*
(t) *Num.* 1. Rationi congruit, *pag.* 466. *ejusd. tomi* 1.
(u) *Num.* 27. Benedictus Pater, *pag.* 26. *tom.* 3.
(x) *Num.* 82. Rex Regum, *pag.* 478. *tom.* 2.
(y) *In Actis Canonizat. par.* 3. *cap.* 12. *apud* Card. Lambertin. *lib.* 1. *cap.* 43. *pag.* 387.
(z) *Lib.* 5. *de Loc. Theol. cap.* 5. *concl.* 1. *fol.* 172. & *seq.* & *post conclus.* 3. *fol.* 175. *pag.* 2. *edit.* Colon. Agrip. an. 1574.

dictis, apud P. Johannem de Luca, tacito Cani nomine, reperiens Valdesius, *Terriculamenta*, *& pura Verba esse dicit.* Sed nos his terriculamentis, ac verbis movemur magis, quàm Valdesii sannis.

263. Contra hanc Veritatem nihil est, quod ex ratione opponas, præter ea, quæ sibi objecit, & optime dissolvit D. Thomas. Ex auctoritate, nonnemo opponit Glossam *in Cap. unic. tit. 22. De Reliquiis, & Venerat. Sanctorum*, in Sexto. *V. Sedis Apostolicæ:* & illam S. Augustini nomine vulgatam Sententiam: *Multorum Corpora honorantur in terris, quorum Animæ torquentur in Gehenna.*

264. De Glossa non sumus solliciti, monente (b) D. Thoma: *Inconsonum, & derisibile videri, quod sacræ Doctrinæ Professores Juristarum Glossulas in auctoritatem inducant.* Non est hic unicus Glossatoris error. Alium notavit Alphonsus de Castro. (c) Et Nicolaus Peguletus (d) plures in Glossis detexit errores. Addit Catharinus, Glossam illam se ipsam jugulare, dum eas rationes adducit, cur Canonizatio Sanctorum Sedi Apostolicæ reservetur, quæ ad præcavendum erroris periculum tendunt. Illa Sententia, D. Augustino adscripta, in ejus Operibus non invenitur. Sed & intelligi potest cum Cardinali Bellarmino, (e) vel de Impiis, qui magnificis honorantur Sepulchris, vel de Martyribus Hæreticorum, præsertim Donatistarum, vel de corporibus, fraude aliqua suppositis pro Lipsanis Sanctorum, vel tandem de iis, qui a quibusdam habentur, ut Sancti, sed ab Ecclesia canonizati non sunt.

265. Difficiliùs in speciem opponitur Factum quoddam Summorum Pontificum, quod refert Christophorus Marcellus, Archiepiscopus Corcyrensis *lib.* I. *Sacrarum Cæremoniarum, seu Rituum Ecclesiasticorum S. R. Ecclesiæ, ad Leonem X. sect.* VI. *cap.* 2. ubi ait, Pontifices, antequam pronuntiarent Canonizationis Sententiam, olim consuevisse protestari in hanc formam: *Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publice apud vos omnes hic præsentes, quod per hunc actum Canonizationis non intendimus aliquid facere, quod sit contra Fidem aut Ecclesiam Catholicam, sive Honorem DEI.*

266. Ex hac protestatione, Albertus Fabritius, Vir Heterodoxus, & Johannes Launoius, Scriptor Audacissimus, (f) inferre se putant, Romanos Pontifices, ex propria ipsorum confessione, falli posse in Canonizatione Sanctorum. Hoc etiam argumento id ipsum confirmat Lamindus Pritanius, (g) falsò credens, eam protestationem extare *in antiquo Cæremoniali Romano.*

267. Sunt, qui putent, hoc Factum, (cujus alioqui nulla fit mentio in Ritualibus S. R. Ecclesiæ, seu Mss. seu impressis Codicibus) commentitium esse. Non renuerem assentiri, nisi Petrus Amelius Junior *in Ordine Romano*, seu *Rituum S. R. Ecclesiæ*, a se conscripto circa annum 1400. (h) testaretur, Bonifacium IX. in Canonizatione S. Birgittæ Viduæ, (cui ipse Amelius, ut Patriarcha interfuit) *Protestationem etiam fecisse, quod ipse non intendebat facere contra Sacrosanctam Romanam Ecclesiam.*

268. Damus ergo, protestationem istam interdum usurpatam a quibusdam Romanis Pontificibus in Canonizatione Sanctorum; negamus tamen, inde inferri, Pontifices illos, dubios, & ancipites de sua infallibili auctoritate fuisse; ut permittere videtur Gonzalez. Etenim nihilosecius Sententiam ferebant usquequaque firmam, & indubitatam: ut patet in ea ipsa Bulla Canonizationis S. Birgittæ, edita anno 1391. (i) ubi Bonifacius sic loquitur: *Auctoritate ipsius DEI Omnipotentis &c. decernimus, declaramus, definimus, pronuntiamus, bonæ memoriæ B. Birgittam, aliàs Brigidam, Sanctam esse, & tanquam Sanctam ab Universali Ecclesia venerari, ac Sanctorum Catalogo adscribi debere.*

269. Ipsemet Corcyrensis Archiepiscopus, apud Emmanuelem Gonzalez Tellez, (k) refert, quod post illam protestationem, *Pontifex alta voce, sedens cum Mitra, pronuntiat in hunc modum: Ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis decernimus, & definimus, B. Memoriæ N. in Cœlesti Jerusalem, inter Beatorum Choros receptum.* Ego quoque perlegi omnes Canonizationum Bullas, quæ a Johanne XV. usque ad Leonem X. editæ sunt; & nullum in eis deprehendi hæsitationis istius vestigium in disponenda, vel ferenda Canonizationis Sententia, sed potius omnimodæ firmitatis argumenta; ut videre est in Bullis indicatis a *num.* 250. usque ad *num.* 256.

270. Ut quid ergo illa protestatio? Repono: Ut quid illæ preces, quæ nedum ante Canonizationem a Pontifice hodieque DEO funduntur, & fundi jubentur; verum etiam in Œcumenicis Conciliis præmitti consueverunt? Sicut ergo hujusmodi precibus, congrua paratur via ad divinitus promissum Spiritus Sancti afflatum recipiendum; quo præsente, & Pontifex, & Concilia in suis pro tota Ecclesia Decretis, & Canonibus, ab omni erroris periculo immunes redduntur: ita Pontifices illi per eam humilem confessionem propriæ imbecillitatis, qua, ut Homines, & citra Spiritus Sancti auxilium, falli se posse, publice profitebantur; congruentem sibi viam parare arbitrabantur ad eundem Spiritus Sancti affla-

(a) *Epist. 4. pag. 29. & seq.*
(b) *Opusc. 17. contra Retrahentes a Relig. ingressu cap. 15. fol. 112. col.3. tom. 17.*
(c) *Lib.1. adversf. Hæreses, cap.7. fol.17. pag.1. edit.* Antuerp. an. 1565.
(d) *Idest* Gabriel Gualdus Cler. Regular. *in tract. Probabilit. cap.10. a pag.110. edit.* Lovan. an. 1708.
(e) *Lib. 1. de Beatitud. & Canonizat. Sanctor. cap. 9. nu. 7. pag. 399. tom. 2.*
(f) *Apud* Card. Lambertinum, *lib.1. cap.44. pag.405.*
(g) *Lib.1. de Ingenior. Moderat. in negotio Religion. cap. 17. pag.152. edit.* Francofurt. an. 1716.
(h) *Extat hic Ordo, editus a* Johanne Mabillonio, *tom. 2. Musæi Italici a pag. 448. Multa de* Amelio *refert* Casimirus Oudinus *tom. 3. ad annum 1390. col. 1274. & seq.*
(i) *Num.5.* Ab origine Mundi, *pag. 226. tom. 1. Bullarii tit.*
(k) *Tom. 3. Commentar. in quinque lib. Decretal. in lib.3. tit. 45. de Reliq. & Vener. Sanctor. cap. 1. pag. 861. edit.* Lugdun. an. 1693.

afflatum recipiendum, quo præsente indubitatam ederent Canonizationis Sententiam.

271. Precamur & nos quotidie in Sacrosancto Missæ Sacrificio, ante Consecrationem Panis, & Vini, *Ut nobis Corpus, & Sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi.* Nunquid de hac conversione ambigimus, cùm utrunque rite consecramus? Hunc Missæ ritum defendens S.Thomas, *(l) Non est inconveniens*, inquit, *quod a DEO petamus id, quod certissime scimus, ipsum esse facturum*: Sicut CHRISTUS Johannis XVII. 1. *petiit a Patre suam Clarificationem.* Quam scilicet certissime sciebat, esse futuram.

Discrimen inter Cultum Sanctorum, et Cultum Sacræ Hostiæ, ac Reliquiarum.

272. Trinominis Valdesius plane fatetur, *(m) Sine numero abundare, qui Pontificis Maximi judicium, in canonizandis Sanctis, minime fallax, immo ad Fidei Dogmata spectans arbitrantur.* At ipse, insuetis opinionibus delectatus, Pritanio, & Lampridio, hoc est, sibimet ipsi concors, ad illud commune argumentum ab absurdo petitum, facili negotio se respondere confidit. *(n)*

273. „ Exploratum, *inquit*, ajo, si fieri etiam posset, ut aliquis ex Sanctis, aut canonizatis, aut non canonizatis, quos Ecclesia veneratur, cœlesti Beatitudine nequaquam frueretur; *(quod, etsi nunquam eventurum, evenire tamen posse credit)* adhuc nullum errorem formalem in cultum ipsum cadere. „ Nam vel in eo casu Populus Catholicus profitetur, se credere gloriam Sanctorum, & ad „ DEUM honor, & preces perveniunt, quanquam ad eam gloriam non pervenisset ille „ Sanctus. Ita profitemur articulum Fidei in „ adorandis Hostiis, rite consecratis, quamvis „ ineluctabili certitudine careamus, singulas „ Hostias rite fuisse consecratas. „ *Et infra*: „ Non Ecclesia, non Populus coleret ut Sanctum, Diabolum, neque Damnatum; cum ejus pia intentio recte feratur in Beatum DEI „ Servum, atque in DEUM ipsum, suorum Glorificatorem Servorum: in DEUM, inquam, „ cujus causâ Sanctos veneramur; in DEUM „ tandem, a quo, non vero a Sanctis, Beneficia „ expectamus. „

274. Id ipsum confirmat altero exemplo Reliquiarum: „ Ita, *inquit*, Reliquias interdum „ veneramur, quæ fortassis ad Hominem minime „ Beatum pertinent. Num erramus? Aut error „ hic, cujus tamen nemo conscius est, tanto strepitu est excipiendus? „

275. Sumptio falsa est: Exempla longe disparia. Falsum videlicet est, quod si coleretur aliquis, qui Sanctus, & Beatus non esset, sed potius impius, & damnatus, nullus error formalis in cultum ipsum caderet; quia falsum est, quod tunc re ipsa non coleretur Damnatus. Cùm Sanctum aliquem colimus, & invocamus, illum certe singulatim colimus, & invocamus, non autem Sanctos generatim. Neque enim Ecclesia tantum præcipit, colere Sanctos universe, vel conditionaliter, sed etiam singulariter, & absolute hunc, & illum determinatum, ex iis, quos ipsa canonizavit, e. g. D. Benedictum, D. Franciscum, ut patet in omnibus Canonizationum Bullis. Si ergo hic singularis Homo revera Sanctus non esset, sed Damnatus; qui eum coleret, utique Damnatum re ipsa coleret, ac proinde error formalis in cultum ipsum caderet.

276. Nec obstat, quod Pia intentio recta Colentis ultimo feratur in Deum, cujus causâ Sanctum illum veneratur. Quia nisi Cultum Duliæ, Sanctis debitum, exterminare velimus, negari non potest, quod cultus noster exterior, & interior directe, & proxime feratur in illum ipsum Sanctum singularem, quem colimus, & invocamus, tanquam DEI Amicum, & Intercessorem nostrum apud DEUM. Dicitur autem *DEUS adorari in Justis*, ut adnotavit Cardinalis Bellarminus, *(o) Non quòd adoratio non terminetur ad Hominem Justum; sed quia ratio, cur Justus adoretur, est Deus: quemadmodum qui recipit Justum hospitio, eique eleemosinam facit, Christum recipere, & Christo eleemosinam facere dicitur; quia fit propter Christum, & Christus ita accipit, ac si fieret sibi.* Et P. Gabriel Vasquez *(p)*, ex communi Patrum Doctrina observat: *Cultum Sanctis exhibitum, ad ipsos integre, & secundum notam, & secundum affectum servitutis terminari; ad Deum vero remote, & communi quadam ratione solum, quatenus secundum voluntatem illius, & præceptum, hæc Sanctorum veneratio est, sicut de dilectione* (Proximi) *diximus num.* 25. Quid est ergo, quod Valdesius *(epist.3. pag.21.)* indistincte dixit: *Ex Sententia Ecclesiæ honor, & cultus Servorum DEI in DEUM ipsum terminatur?*

277. Ad exemplum Reliquiarum jam responderat celeberrimus Juris Canonici Doctor, Didacus Covarrubias, Episcopus Segoviensis. *(q)* „ Censet sane Ecclesia, *inquit*, venerandum, & colendum, ut Sanctum D. Hieronymum; at non ita decrevit proprio judi„ cio, Corpus hoc, quod nos D. Hieronymi „ esse existimamus, vere Corpus illius esse. Sic „ etiam definivit, maxima veneratione, Johannem Baptistam colendum esse: non ex hoc „ sequitur, judicio Ecclesiæ certum esse, Caput hoc, quod putamus esse D. Johannis, „ procul dubio ipsius esse; forsan enim alterius „ est. Quod si & hoc Ecclesia, prævia cognitione, & diligenti examinatione, censeret, „ dicendum quidem esset, non permissurum „ DEUM Optimum Maximum, Summum „ Pontificem in hoc falli, nosque ejus judicio „ decipi. „ Hoc ultimum valde notandum est: quod

(l) 3. *Par. quæst.* 83. *art.* 4. *ad* 7.
(m) *Epist.* 3. *pag.* 17.
(n) *Epist.* 4. *pag.* 29. *& seq.*
(o) *Lib.* 1. *de Beatit. Ss. cap.*13. *n.*17. *pag.*404. *tom.*2.
(p) *Tom.* 2. *in* 3. *par. disp.* 110. *cap.* 4. *n.*27.

(q) *Tom.* 2. *lib.* 1. *Variar. Resolut. cap.* 10. *nu.* 13. *pag.* 59. *col.* 2. *& seq. edit.* Venetæ an. 1604. *Hujus Auctoris laudes V. in par. poster. Biblioth. Hispanicæ* Nicolai Antonii *tom.* 1. *pag.* 212.

quod etiam approbat Dominicus a SS. Trinitate, Carmel. Discalc. (r) Sed nescio, qua ratione Cajetanum citet in *Opusc. de Indulg. cap.* 8. de quo *n.* 247.

278. Similiter responderat ad exemplum Hostiæ consecratæ Ill. Ambrosius Catharinus, aliam quoque indicans diversitatem: (s) „ Error, *inquit*, qui in Hostiæ consecratione committitur, non lædit fidem interiorem. Quia „ Fides Ecclesiæ adorantis Hostiam, non fertur in illas, aut illas species panis: non enim „ adoratur species panis, sed Corpus CHRISTI; „ nec ut est sub illis speciebus certis, vel sub „ illis. Quia Ecclesia non determinat de particularibus Hostiis, quod ibi sit CHRISTUS; „ sed universaliter, sub Hostia qualibet consecrata. Et ob istam causam non est error in „ protestatione Fidei nostræ circa illud, in quod „ Fides ipsa fertur: solum est defectus in opinatione mea de certa Hostia particulari, quam „ puto consecratam; & propterea cultus ipse „ exterior reddetur tantum falsus, non Fides „ &c. At longe aliud in Sancto est, qui proponitur nobis ab Ecclesia colendus &c. Fides „ enim mea fertur in illum Sanctum, quem mihi Sanctum proponit Ecclesia: hoc enim ab „ Ecclesia fit, non a Sacerdote privato &c. Nam „ Ecclesia de ipsis Sanctis particulariter inquirit, „ & particulariter judicat, atque pronuntiat, esse, puta illum Sanctum, & proponit illum colendum. Non autem proponit Ecclesia quamlibet particularem Hostiam, dicens, & constituens, ibi esse CHRISTUM &c.

Tum causas affert, cur non sic intersit Ecclesiæ, & Fidei, canonizare particulares Hostias, sicut particulares Sanctos. Idem porro diceret Catharinus de hac Hostia particulari, si ab Ecclesia canonizaretur, quod dicebat Covarrubias de his Sanctorum Reliquiis, si ab Ecclesia declararentur.

279. Iis nos tantorum Virorum responsionibus inhærentes, duplicem ad utrumque exemplum disparitatem offerimus. Prima est: Docet quidem Ecclesia, (t) in qualibet Hostia rite consecrata, vere, & reipsa contineri totum CHRISTUM. Mandat quoque, SS. Eucharistiæ Sacramentum, cùm publice circumfertur, in Sacrificio Missæ, & ubique, cultu Latriæ, etiam externo, adorandum esse. At nusquam, & nunquam docuit, in hac, aut illa determinata, & singulari Hostia vere, & reipsa contineri CHRISTUM Dominum; cum fieri possit, quod hæc, aut illa Hostia, ob aliquem defectum, non sit rite consecrata. Contingere autem nequit, ut nulla ex iis Hostiis, quæ coluntur in Ecclesia, sit consecrata: quia nequit deficere illa CHRISTI promissio Matth. ult. *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi*: quæ de CHRISTI Præsentia etiam Corporali in Eucharistia, intelligitur.

280. Et neque Ecclesia absolute mandat, hanc, vel illam determinatam Hostiam, quæ tanquam consecrata exponitur, aut circumfertur, Latriæ cultu adorandam esse. Sed hæc obligatio adorandi singulas hujusmodi Hostias, partim oritur ex Fide, qua indubitanter credimus, in quavis Hostia rite consecrata contineri CHRISTUM Dominum; partim vero ex dictamine rectæ rationis, præscribentis, habendam esse, ut rite consecratam, Hostiam illam, de cujus rata consecratione nullum prudens dubium occurrat. Quare siquis error interveniat, non is tribuetur Ecclesiæ, quæ nihil hìc de singularibus judicat, sed imbecillitati mentis nostræ, cujus prudentia non semper est cum veritate conjuncta.

281. Pari ratione Ecclesia generatim docet, (u) *Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem deberi*; non tamen decernit, has, vel illas Reliquias singulares, & determinatas esse re ipsa illorum Sanctorum, quorum nomine exponuntur. Nec etiam absolute mandat, ut omnes Christi fideles his, aut illis Reliquiis singularibus, & determinatis venerationem, atque honorem exhibeant. Sed hæc obligatio absoluta, ut dicebamus, partim oritur ex illa generali Ecclesiæ Doctrina, & partim ex dictamine rectæ rationis.

282. Contra vero Ecclesia in Canonizatione Sanctorum declarat, atque definit, hunc, & illum singularem, & determinatum DEI Servum, e. g. Benedictum, Franciscum, esse Sanctum, & Regnantem in Cœlis, mandat quoque atque decernit, eundem singularem, & determinatum Hominem, tanquam Sanctum, & Cœlesti Beatitudine fruentem, ab omnibus Christifidelibus colendum, & invocandum esse. Ipsa etiam Ecclesia in Divinis Officiis ad hunc, & illum Sanctum nominatim dirigit orationem suam: *DEUS, qui Ecclesiam tuam, B. Dominici, Confessoris tui illuminare dignatus es Meritis, & Doctrinis, &c. DEUS, qui Indiarum Gentes, B. Francisci prædicatione, & miraculis &c.* Si quis ergo hac in re contingeret error, non privatæ nostræ Prudentiæ, sed Catholicæ Ecclesiæ, quam in omnibus sequi debemus, judicio, & moribus tribueretur.

283. Altera Disparitas, & multo notabilior, est: Siquando accideret, ut Hostia, quam, tanquam continentem CHRISTI Corpus, adoramus, non sit rite consecrata, ac proinde sit merus panis; vel Reliquiæ, quas tanquam Sanctorum veneramur, non sint illorum, nec etiam aliorum Sanctorum, sed potius impiorum; nullus error formalis in cultum ipsum interiorem caderet, sed error dumtaxat materialis immisceretur in exteriori cultu. At vero, si unquam contingeret, quod Homo ille nobis ab Ecclesia propositus, tanquam Sanctus, & Beatus, talis revera non esset, sed potius impius, & damnatus; formalis error in cultum ipsum interiorem caderet, ut supra dicebamus. Qui sane error valde damnabilis foret in Catholica Ecclesia ejusque Sanctitati repugnans.

Plazza Causa Immacul. Concept. B. M. V.

(r) *Tom.* 3. *de Eccles. Militante sect.* 4. *de Summo Pontif. cap.* 18. *pag.* 494. *col.* 2. *tom.* 10. *Biblioth. Max. Pontif.* edit. Roman. an. 1698.

(s) *Lib.* 1. *de certa St. Gloria, pag.* 13. *ejus Opusculorum edit.* Lugd. an. 1542. & *V. pag.* 11.

(t) *Conc. Trid. sess.* 13. *cap.* 4. & 5. & *Can.* 1. & 6.

(u) *Conc. Trid. sess.* 25. *in Decreto de Invocat. & Vener. & Reliq. SS.*

284. Disparitatis hujus ratio petenda est ex Doctrina, quam magno Rationis, & Auctoritatis pondere, firmat P. Gabriel Vasquez. (x) Species Sacramentales, & Reliquiæ Sanctorum sunt res inanimæ; nullaque proinde in eis secundum se inest Divinitas, Sanctitas, aut Excellentia, qua dignæ adoratione reddantur. Non igitur Species illæ per se, & secundum se sunt capaces adorationis, sed tantum ut conjunctæ cum CHRISTO, quem continent; neque Reliquiæ per se, & secundum se adorantur, aut adorari possunt, sed solum, ut conjunctæ cum eo, cujus sunt, eum scilicet in iis apprehendendo. Sicuti ob eandem rationem Imagines Sanctorum per se, & secundum se, sine Prototypo, vel ab eo sejunctas, venerari non licet.

285. Quoties ergo Species Sacramentales, aut Reliquias Sanctorum adoramus; in eis, & per eas CHRISTUM, aut Sanctos, ut materiam proximam, & terminum adorationis venerari debemus; (sicuti, cùm Imaginem adoramus, in ea, & per eam Prototypum, ut terminum proximum adorationis veneramur) nosterque cultus interior, hoc est animus servitutis, & submissionis, dirigens omne opus exterioris adorationis, in solum CHRISTUM, vel Sanctos illos tendit; & notam tantum exteriorem honoris, & submissionis, cum simplici affectu, sicut Imagini pictæ, Speciebus illis, aut Reliquiis servamus. Qui enim submissionis notam exhiberet ex affectu servitutis circa ejusmodi res inanimes secundum se, perverse ageret, immo vero quoddam Superstitionis, & Idolatriæ crimen incurreret.

286. Longe diversa est ratio in Cultu Sanctorum. Quia cum Sanctis insit Dignitas, Virtus, & Excellentia; debetur eis secundum se honor, seu cultus Duliæ, tanquam Superioribus, etiamsi expresse non recordemur, DEI in quem honor eorum resultare quodammodo dicitur, quatenus honor Sanctorum DEO quoque acceptus, & gratus est, non quòd ipse simul, ut terminus adorationis colatur.

287. Quamobrem frustra distinxit Lampridius (y) inter *Pietatem intrinsecam*, & *Pietatem opinativam*, errori obnoxiam; qualem dicit esse illam, quam habemus erga Sanctorum Reliquias, & erga ipsos Sanctos ab Ecclesia canonizatos. Nam & ipsa Pietas erga Reliquias, quoad suum proprium actum adorationis, & cultus, errori obnoxia non est; multo ergo minus, Pietas erga ipsos Sanctos. Est quidem opinio, quod illæ sint eorum Sanctorum Reliquiæ, sed non est opinio, quod isti sint Sancti; secus cultus ipse formalis Sanctorum posset esse falsus: ut jam declaratum est.

NEQUIT ECCLESIA ERRARE IN VIRTUALI CANONIZATIONE SANCTORUM: ET HUJUSMODI EST FESTI CONCEPTIONIS INSTITUTIO.

288. Ecclesiam Catholicam, sive Sedem Apostolicam errare non posse in Canonizatione Virtuali Sanctorum, iisdem ferme argumentis evincitur, quibus ostensum est, illam errare non posse in Formali Canonizatione Sanctorum. Neque invenio apud Theologos, qui, secundum certitudinem, discrimen constituat inter unam, & alteram Canonizationem.

289. Et primo quidem in Antiquioribus Canonizationum Bullis, tota Canonizationis ratio sita erat in decernendo Cultu, & Invocatione illius Servi DEI, de quo agebatur. In Bulla Canonizationis S. Udalrici, superius indicata, hoc tantum decernitur: *Quatenus memoria Udalrici jam præfati, Venerabilis Episcopi, divino Cultui dicata existat, & in laudibus DEI devotissime persolvendis semper valeat proficere.* Similiter in Bulla cit. Canonizationis S. Ubaldi, formula a Cœlestino III. usurpata, hæc est: *Et canonizantes prædictum Sanctum, auctoritate BB. Apostolorum Petri, & Pauli, qua fungimur .... decrevimus, ut Festum transitûs ipsius, sicut Beatissimi Confessoris, apud vos perpetuo habeatur.* Eodem pacto idem Cœlestinus canonizavit S. Johannem Gualbertum per Bullam, *Gloriosus DEUS*, editam anno 1193. (z) *Vestræ*, inquit, *devotioni per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ejus memoriam, tertio die, inter alios Confessores, veneratione celebri recolatis, ipsius festivitatem colere studeatis, in eo divinam Potentiam exaltantes.*

290. Præterea, antequam Ecclesia, sive Sedes Apostolica solemne judicium institueret de Canonizatione Sanctorum, non alio modo canonizabantur Sancti, nisi per Cultum ipsis exhibitum ab Ecclesia Catholica, ut innuebam. Quis autem dixerit, certiores nos esse de Sanctitate, & Gloria S. Dominici, S. Francisci &c. quam S. Hieronymi, S. Augustini &c.

291. Demum ea potissimum ratione ducti sunt Ecclesiastici Scriptores ad asserendam infallibilitatem Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum; ut Ecclesiam Catholicam servarent immunem ab omni errore in doctrina morum, ad universam Ecclesiam spectante; utque ab ea removerent turpe illud periculum colendi, & invocandi aliquando tanquam Sanctum, & Beatum, qui Impius, & Damnatus fuerit. Quis autem non videat, utramque rationem militare pro infallibilitate Ecclesiæ in Canonizatione æquipollente Sanctorum? Immo Cardinalis Bellarminus in iis, qui ab Ecclesia formaliter canonizantur, ex Cultûs certitudine arguit certitudinem Sanctitatis. (a) „ Quia, *inquit*, si liceret dubi-„ tare,

(x) *Tom. 1. in 3. par. tota disp. 108. & speciatim cap. 4. n. 31. & cap. 12. & disp. 113. cap. 2. & 4.*
(y) *Cap. 13. pag. 95. & 96.*

(z) *Est secunda in Ord. pag. 69. tom. 1. Bullar. cit.*
(a) *Loco cit. n. 2. Probat. 1. pag. 398.*

„ tare, an Canonizatus sit Sanctus, liceret etiam „ dubitare, an sit colendus. At hoc est falsum: „ siquidem S. Augustinus *epist.* 18. (alias 54.) „ dicit, *insolentissimæ insaniæ esse, disputare, an* „ *sit faciendum, quod tota Ecclesia facit.* „

292. Jam quod Apostolica Institutio, & Ecclesiastica Celebritas Festi Conceptionis B. MARIÆ Virginis, sit Canonizatio quædam Virtualis, & Æquipollens; (ut multo ante observavit Vincentius Justinianus Antistius Ordin. Prædic. in suo aureo libro pro Immaculata Conceptione, *Consideratione* IV.) facillimum nobis est demonstrare, ex illa Æquipollentis Canonizationis descriptione, quam ex Sapientissimo Cardinali Lambertino, hodie SS. D. N. Benedicto Papa XIV. retulimus *n.* 240.

293. Æquipollens, seu Virtualis Canonizatio censeri debet, cùm Sedes Apostolica, absque judiciali strepitu, de Sanctitate alicujus DEI Servi, notissimis, & indubitatis argumentis instructa, citra formalem Sententiam definitivam ipsius Sanctitatis; decernit, & mandat, Cultum illi exhibendum ab Universa Ecclesia, tali designato die, per Officii recitationem, & Missæ cecebrationem.

294. Totum hoc mirifice resplendet in Institutione Festi Marianæ Conceptionis. De Sanctitate hujus Conceptionis tot argumentis certior facta Sedes Apostolica, quot in præsenti causa hactenus adduximus, & deinceps adducemus; arcanas ob causas ab istius Sanctitatis formali definitione abstinens, Cultum Marianæ Conceptioni, ab Universa Ecclesia, die octava Decembris, per Officii recitationem, & Missæ celebrationem, exhiberi decrevit, atque mandavit: immo & omnibus Christifidelibus injunxit, ut eundem diem, ritu aliorum Festorum de præcepto, auditione Sacri, & a servilibus operibus cessatione, colerent, atque servarent. En quàm solido fundamento innititur *Confidentia* (temere a Lampridio (*b*) sugillata tanquam *Mirabilis*) *Asseverantium, Piam Sententiam canonizatam ab Apostolica Sede jam fuisse.*

295. Itaque quemadmodum Catholica Ecclesia, sive Sedes Apostolica, errare non potest in Canonizatione Sanctorum, adhuc æquipollente: sic etiam errare non potuit in Institutione, & Celebratione Festi Marianæ Conceptionis. Atque adeo tam certa esse videtur Sanctitas Marianæ Conceptionis, quàm certa est Sanctitas illorum DEI Servorum, quos Ecclesia *æquipollenter* canonizavit. Et hinc vires habet argumentum, quo Theologi ex Festo Nativitatis probant, quod nemini liceat dubitare de Sanctitate Marianæ Nativitatis; quia nimirum hæc Nativitas est ab Ecclesia *æquipollenter* canonizata.

296. Eodem modo canonizata videtur Assumptio Corporea B. Virginis in Cælum; pro cujus certitudine sic arguit Card. Lambertinus: (*c*) „ Si Ecclesia, non modo assumptam in Cæ„ lum Virginem celebrat die XV. Augusti, & „ aliis sequentibus, sed etiam Homilias Sanctorum Johannis Damasceni, & Bernardi legen„ das Fidelibus tradit, quæ eam Corpore simul, „ & Anima assumptam disertissimis verbis affir„ mant; de ejus authoritate, & suffragio neuti„ quam dubitandum esse videtur. „

297. Non dissimili argumento probat Card. Gotti, certam esse B. Virginis Præsentationem in Templo: „ Quia Ecclesia, *inquit*, etiam La„ tina, celebrando hoc Festum, approbavit ejus „ objectum, quod est, MARIA in Templo præ„ sentata; nescio quomodo possit in dubium ho„ diernis temporibus revocari. „ (*d*)

298. Cum autem hæc ratio Æquipollentis Canonizationis non militet in Festis B. Virginis sub aliis titulis, *Ad Nives*, *De Monte Carmelo*, *De Mercede*, & similibus; mirum non est, quod hi tituli, ex quibus occasionem tantum sumpsit Ecclesia colendi B. Virginem, non evaserint indubitati. Neque enim si forent falsi, coleretur ab Ecclesia Sanctitas falsa, vel etiam Peccatum, ut in re nostra contingeret.

299. Traditam Doctrinam limitat Fr. Dominicus a SS. Trinitate: (*e*) „ Licet, *inquit*, Eccle„ sia, etiam Universalis, celebret; si tamen spe„ cialem habeat declarationem, quod non inten„ dit oppositam damnare oppinionem, sicut fit in „ celebratione Festi Immaculatæ Conceptionis; „ ex tali adhuc celebratione cum hujusmodi „ declaratione, non arguitur cum omnimoda „ certitudine Sanctitas illius, cujus Festum agi„ tur. „

300. At hæc limitatio nullo modo cohæret cum iis, quæ ipse paulo ante adduxerat pro certa Canonizatione Sanctorum. „ Si rationabiliter, *ajebat*, liceret dubitare de Sancto Canoni„ zato; liceret quoque dubitare, num veneratio„ ne dignus esset? Hoc autem non licet, quia „ Ecclesia tota eum publice colit. Cum enim „ ipsa sit *Columna*, *&* *Firmamentum Veritatis:* „ (1. Timoth. 3.) quam *docet* etiam *Spiritus* „ *Sanctus omnem Veritatem:* (Jo. 16.) recte „ ait Augustinus epist. 118. *Siquid horum* (quæ „ nimirum ad Religionem pertinent) *Tota per* „ *Orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita fa*„ *ciendum sit, dubitare, insolentissimæ insaniæ* „ *esse.* „ Jam nonne B. Virginis Conceptionem Ecclesia Tota publice colit, vel saltem colere debet? An vero Columna, & Firmamentum Veritatis, subtrahente se Spiritu Sancto, in Cultu isto vacillat, & nutat; ut propterea corrigenda hìc sit regula illa generalis Augustini? Non hoc præstat ejusmodi specialis declaratio, sed id tantum, ut Beatæ Virginis Conceptio nondum sit per definitivam Sententiam formaliter canonizata.

301. Monet nos Valdesius, (*f*) ut attente perpendamus hæc, quæ noster Theophilus Raynaudus animadvertit: (*g*) „ Neque si Gregorius „ XV. dixit, velle se, ut omnes VIII. Decembris

(b) *Cap. 12. pag. 83.*
(c) *Lib. 1. cap. 42. n. 15. pag. 383.*
(d) *Tom. 4. de Verit. Relig. Christ. par. 1. cap. 3. §. 4.*
(e) *Loco cit. pag. 496. col. 2. & V. pag. 493.*
(f) *Epist. 4. pag. 32.*
(g) *De Retinendo Titulo Immac. Concept. §. 8. n. 32. pag. 321. col. 1. tomi 7.*

„ bris Festum, & Officium peragerent sub nomine Conceptionis, sumptæ prout ea vox tunc „ sonabat, hoc est pro prima Virginis Animatione; eamque Conceptionem proposuit pro „ objecto Cultus Religiosi, & laudabilis erga „ Deiparam Pietatis: consequutus est, ut definierit tanquam ex Fide certum, quod prima „ Virginis Animatio fuerit Labis Originariæ „ expers, & Immaculata. Nam ad statuendam „ Conceptionem sic acceptam pro objecto cultus, sufficit, ut Pontifici visum sit pium, ac „ probabile, quod B Virgo semper Labe caruerit, ejusque prima Animatio fuerit Immaculata &c. „

302. Ultro assentimur Raynaudo in eo, quod ait, per Institutionem, & Celebrationem Festi Conceptionis, non esse Piam Sententiam definitam, tanquam ex Fide certo credendam. Sed pernegamus, quod ad statuendam B. Virginis Conceptionem pro objecto Cultus universalis totius Ecclesiæ, satis fuerit, ut Pontifici visum sit pium dumtaxat, & probabile, quod ea Conceptio fuerit Sancta, & Immaculata. Neque hoc secundum sequitur ex illo primo. Plurimi namque sunt, qui firmissime asserunt, Pontificem errare non posse in Canonizatione Sanctorum, seu formali, seu æquipollente: & tamen de ipsa etiam Canonizatione formali negant, quod sit definitio Fidei de Sanctitate, & Gloria Hominis canonizati.

303. Mirum autem non est, quod id scripserit Raynaudus de Institutione Festi Conceptionis; qui ipsammet formalem Canonizationem Sanctorum, intra meræ probabilitatis fines alibi conclusisse videtur: (*h*) „ Ut Ecclesia, *inquit*, non „ erret practice, & vere Religiosum Cultum ex „ prudentiali dictamine deferat Sancto vindicato, satis est, ut pium sit, ac probabile, eum, „ qui colitur, talem esse. Nam tametsi reipsa „ non esset Beatus, tamen abesset a cultûs delatione error practicus, eo ipso, quod intellectus colentis prudenter judicaret, eum, quem „ ex Pontificis Oraculo veneratur, Beatum esse, quamvis ei Judicio subesset error speculativus, qui cum practica veritate judicii prudentialis non pugnat. Habemus illustre in hanc „ rem exemplum in Cultu publico, quem Universa Ecclesia ex Decreto Gregorii XV. defert „ Conceptioni Immaculatæ B. Virginis &c. „

304. Quibus verbis indicat primo Raynaudus, Summum Pontificem errare posse in Canonizatione Sanctorum, ejusque sententiam definitivam de Sanctitate, & Beatitudine eorum, quos ex ipsius præscripto universa colit Ecclesia, non parere in nobis judicium plusquam probabile de illorum Sanctitate, ac Beatitudine. Indicat secundo, Institutionem Festi Conceptionis Immaculatæ perinde se habere, ac Canonizationem Sanctorum. Ex hac parte nobis adstipulatur: ex altera vero, non tantum nobis, sed & innumeris Theologis, superius allegatis adversatur.

305. Quinimmo & sibi ipsi repugnare videtur. Nam paulo ante dixerat, quod quamvis non sit ex Fide certum, Sanctum canonizatum potiri Beatitudine; tamen *Nemo sanus refragabitur, quin vere pronuntiatum sit a S. Bonaventura, referente Catharino lib. 1. de certa Sanctorum Gloria, fore incredibilissimum, & horribilissimum, ambigere de vera Beatitate Sancti, Canonismo donati, & vindicati.* At vero si judicium nostrum de Beatitate Sancti canonizati probabile tantum est; unde, quæso, dubitatio ista de vera Beatitate Sancti canonizati, *incredibilissima, & horribilissima erit?* Hæc *Incredibilitas, & Horribilitas* non aliunde oriri potest, nisi quia error esset in Catholica Ecclesia valde damnabilis, colendum proponere, ut Sanctum, & Beatum, qui impius, & damnatus sit: quemadmodum error esset valde damnabilis in eadem Catholica Ecclesia, præcipere, & approbare turpia pro honestis. Et ideo ad specialem Spiritus Sancti providentiam spectat, utrumque errorem ab Ecclesia removere.

306. In eandem contradictionem lapsus videtur Valdesius *epist. III. pag.* 17. ubi absolute pronuntiat, *Intoleranda temeritatis arguendum fore, suspicionemque incurrere animi, haretica aliqua opinione vitiati, qui Sanctum negaret Hominem, rite ab Apostolica Sede in Sanctorum fastos illatum.* Nam si Sedes Apostolica in Canonizatione Sanctorum non Spiritu Sancto regitur, sed humanis dumtaxat Testimoniis nititur; atque adeo, quantumcunque circumspectionem, & diligentiam adhibeat, falli re ipsa potest: Quo jure tam acres, & graves censuras mereretur, qui ob aliquas sibi apparentes rationes, unum, vel alterum ex Canonizatis ab Ecclesia, negaret esse reipsa Sanctum? Nil enim aliud diceret, nisi quod aliquando contigerit, quod vere contingere re ipsa potest. Præterea cur etiam intoleranda temeritas non erit, Sanctam negare DEI Genitricis Conceptionem, quam, Apostolicæ Sedis institutione, & præcepto, tanquam Sanctam Universa frequentat, & colit Ecclesia; quæque proinde *virtualiter* canonizata est?

307. Tres alios e nostra Societate graviores, & antiquiores Theologos, (*i*) adversus hujus, de quo agimus, Testimonii firmitatem, opponit Valdesius. (*k*) Primo P. Suarium, asserentem: *Addo, neque ex Festi celebritate colligi posse tantam certitudinem, quanta in alicujus Sancti Canonizatione esse solet: quia ipsemet Pontifex, qui hoc Festum approbat, declarat, se solum probare Sententiam illam ut Piam, magisque probabilem. Quod satis est, ut pie, & sine ullo periculo possit hoc Festum celebrari.* Secundo P. Vasquium, cujus hæc sunt verba: *Summi Pontifices, ita instituerunt Celebritatem Conceptionis, & Officium illius approbarunt, ut nihil de Fide certum de illa definitum voluerint. Ut autem hoc Festum Fidelibus concederetur, sat illis fuit, existimare, hanc opinionem*

(h) *In Corona Aurea Summi Pontificis, veritate* 8. *pag.* 153. *tomi* 10.

(i) Suarez *tom.* 2. *in* 3. *par. disp.* 3. *sect.* 6. §. Dico 2. Vasquez *ibid. disp.* 117. *cap. non* 15. (*ut apud* Valdesium) *sed* 5. *n.* 72. Valentia *disp.* 2. *quæst.* 1. *punto* 2.

(k) *Epist.* 5. *pag.* 48. & 49.

nem probabiliorem, *& magis Piam esse*, *nihil enim damni &c.* Tertio P. Valentiam, qui *Neque obstat*, inquit, *Sixti Decretum. Nam quamvis approbat*, *& proponit Christi Fidelibus Festum*, *& Officium illud Immaculatæ*, *ut inquit*, *Conceptionis B. Virginis : tamen non imperat etiam Fidelibus*, *atque adeo toti Ecclesiæ*, *ut Conceptionis istius Festum*, *& Officium eo nomine*, *quod Immaculata*, *& expers omnis Peccati fuerit*, *concelebrent*, *ac proinde minime definit*, *illam fuisse prorsus Immaculatam.*

308. Sed *distingue tempora*, (ut vulgo ajunt) *& concordabunt Scripturæ.* Tres isti magni nominis Theologi, ut ex ipsorum editis operibus liquet, eo tempore scripserunt, quo nondum prodierat Decretum Gregorii XV. præcipientis, ut omnes Festum celebrent Conceptionis B. Virginis sub unico, & expresso titulo, ac nomine *Conceptionis*; ipsamque adeo B. Virginis Conceptionem in Divinis Officiis colant, & tanquam Sanctam prædicent. Et multo minus apparuerat Constitutio Alexandri VII. idem Decretum in favorem Piæ Sententiæ interpretantis; nec non declarantis, Præservationem B. Virginis ab Originali Peccato esse unicum objectum Festi Conceptionis, a S. Romana Ecclesia instituti, & constanter celebrati.

309. Quia ergo P. Suarez illud Gregorii XV. præceptum non viderat, quo B. Virginis Conceptio virtualiter canonizata est, ut ostendimus; idcirco dixit, *Ex Festi Conceptionis celebritate colligi non posse tantam certitudinem*, *quanta in alicujus Sancti Canonizatione esse solet.* Et similiter, quia istam Alexandri VII. declarationem de objecto Festi non noverat; hac de causa majorem Piæ Sententiæ probabilitatem *satis esse* putavit, *ut pie*, *& sine ullo periculo possit hoc Festum celebrari.* Hanc enim hujus rei rationem subjicit: *Quia* (hoc Festum) *primario fundatur in Sanctitate Virginis*; *consequenter vero respicit circumstantiam temporis*, *ut pie creditam.* Quæ ratio hodie non subsistit.

310. P. Vasquez non dixit, satis fuisse Pontificibus Piam Sententiam existimare probabiliorem &c. *Ut hoc Festum Universæ Ecclesiæ præciperetur*; sed: *ut hoc Festum Fidelibus concederetur*: (quod est longe diversum) & ex hac concessione existimavit, *nihil damni Fidelibus provenire posse*, *etsi in sola opinione Sanctitas Conceptionis posita esset.* Ex Præcepto namque Pontificio, Universæ Ecclesiæ imposito, de celebranda B. Virginis Conceptione, cujus Sanctitas esset incerta; maximum damnum Catholicæ Ecclesiæ provenire posset, quale esset, a suo Capite in errorem universalem, ad mores spectantem, induci. Qua ratione Theologi certam adstruunt, & indubitatam Canonizationem Sanctorum.

311. Demum P. Valentia hoc ait, Sixtum IV. non imperasse, sed tantum approbasse, & proposuisse Fidelibus Festum Conceptionis Immaculatæ: (quod & nos fatemur, qui præceptum istud non a Sixto IV. petimus, sed a Gregorio XV.) & ex defectu istius præcepti colligit, minime definitam a Sixto Immaculatam Virginis Conceptionem. Ast quid diceret, si hujusmodi præceptum editum jam videret?

312. Eodem tempore Societatem, & Ecclesiam illustrabat Venerab. Cardinalis Bellarminus, qui Gregorii XV. præceptum animo versans, priusquam ederetur, illud instar cujusdam definitionis fore putavit; ut dixit in Voto, quod de B. Virginis Conceptione protulit in Generali Congregatione S. Inquisitionis, habita coram Paulo V. die ultima Augusti anno 1617. (*l*) Ibi enim postquam statuit, non solum posse, verum etiam expedire definiri, *Conceptionem esse recipiendam ab omnibus Fidelibus*, *ut Piam*, *& Sanctam*; *itaut nulli deinceps liceat contrarium sentire*, *vel dicere*, *sine temeritate & scandalo*, *& suspicione hæresis*; subjungit: *Sed si non placet nunc ulla formalis Definitio*, *saltem deberet fieri præceptum omnibus Ecclesiasticis Sæcularibus*, *& Regularibus*, *ut recitarent Officium de Conceptione*, *quomodo recitat Ecclesia*; *sic enim sine Definitione haberetur intentum.*

313. Ex hactenus disputatis in toto hoc Articulo, diligens Lector observabit, (una excepta paucissimorum dissensione) pluribus argumentis comprobari, quod Festum Marianæ Conceptionis luculentum, & indubitatum sit Catholicæ Ecclesiæ Testimonium de ejus Sanctitate; quam, quod Festum Marianæ Nativitatis, hujusmodi Testimonium sit de ipsius Sanctitate.

Hæc duo Festa quoad antiquitatem fere conveniunt: nam Gelasius, a quo institutum creditur in Ecclesia Festum Nativitatis, fuit Pontifex ab an. 492. ad 497. S. Sabas, a quo Hierosolymis introductum est Conceptionis Festum, claruit an. 484. ut dictum est ad *n.* 236. Ambo quoad solemnitatem, Ritum, & Ecclesiasticas preces sunt prorsus æqualia: utrumque enim celebratur sub ritu duplici secundæ classis cum octava: utrumque est omnibus Christi Fidelibus de præcepto observandum: utriusque Officium, & Missa, sunt ejusdem omnino rationis, ac formæ. Ambo denique iisdem patent effugiis, quibus a Cavillosis eludi possit utriusvis efficacia ad inferendam Sanctitatem, seu Conceptionis, seu Nativitatis. At vero nulla Constitutio, nullum Decretum a S. Sede Apostolica emanavit, quo vel damnarentur ii, qui Nativitatis Festum acciperent pro Festo Nativitatis Spiritualis; vel graviter præciperetur omnibus, ne alio in Divinis Officiis uterentur nomine, quam Nativitatis; vel declararetur, objectum Festi Nativitatis, a Romana Ecclesia instituti, esse, & fuisse hujus Nativitatis immunitatem ab Originali Peccato. Nec etiam tot Favores, tot Indulgentiæ, tot Privilegia Festo Nativitatis a Sancta Sede sunt attributa, quot Festo Conceptionis attributa videbimus Actione V.

Nihil ad præsentis Testimonii plenissimam auctoritatem demonstrandam amplius desiderari posse videtur. Sed juvat adhuc aliquantulum eidem

(*l*) *Hujus voti Autographum extat in Romana Domo Professorum Soc. Jesu. Exemplar ex eo Autographo fideliter exscriptum*, *Romã ad nos missum*, *extat in hoc Collegio Panormit. ejusd. Soc.*

eidem illustrando immorari: quam, spero, moram æquiboni consulent Eruditi.

APPENDIX.

Dies octava Decembris est dies propria Sanctæ, & Immaculatæ DEI Genitricis Conceptionis, secundum Animam.

314. IN contrariam Sententiam plerique abierunt, hac ducti ratione. Quia die octava Decembris contigit prima B. Virginis Conceptio secundum Carnem. Ut enim constat ex traditione, omnibus Ecclesiasticis tabulis consignata, nata est B. Virgo die octava Septembris; a qua die, usque ad diem octavam Decembris retrogradiendo, novem menses numerantur, quot regulariter intercedunt inter primam Fœtus Conceptionem in Utero, & ejus Nativitatem ex Utero. At vero a prima Fœtus Conceptione usque ad ejus Animationem, dies plurimos expectandos esse, communiter tradunt Medici, & naturales Philosophi, etsi in iis præfiniendis non parum discrepant inter se. (*m*) Vulgaris opinio est, Masculinum Fœtum post quadraginta a prima conceptione dies, Fœmininum vero post octoginta dies, rationalem Animam suscipere. Pro qua opinione adducitur Aristoteles, (*n*) & advocatur lex vetus Purificationis Puerperarum. (*o*) Quamquam Aristoteles de motu dumtaxat loquitur, quo Fœtus in utero manifeste se prodit; & legis illius alii sunt fines, ut ibi exponit noster Cornelius Alapide.

315. De Festo autem Marianæ Conceptionis, quod Latina Ecclesia constantissime die VIII. Decembris celebrare consuevit; (a quo more parum distat Græca Ecclesia) censuit Judocus Clichtoveus, (*p*) quod sit Festum Conceptionis Sacratissimæ Virginis secundum Carnem, quæ Conceptio ea ipsa die peracta creditur. Quia, inquit, *Hæc etiam Conceptio facta fuit sine Macula, & Sorde Peccati, inusta Corpori, unde postea Anima inficeretur in ipsa sui ad Carnem conjunctione.* Et quia, *Inchoatio quædam suscipiendæ in Anima Gratiæ videtur præparata in ipso Corpore.* V. in Apparatu *n.* 153. modum, quo Clichtoveus exponit præservationem B. Virginis ab Originali Peccato.

316. Commendat hanc Sententiam Ambrosius Catharinus, (*q*) quod scilicet Ecclesia illum diem collat, quo primum B. Virgo concepta fuit. Quia, inquit, *Præservationis illius est Festum, quæ Præservatio manifestata est in ipsa Fœtus Sanctificatione, ab initio suæ Conceptionis. Tunc enim inchoata est Sanctificatio in Carne, ut tunc demum in Spiritu terminaretur, & tempore suo consummaretur.* Subdit vero: *At ego quidem existimo, multa divinarum gratiarum arcana, nobis adhuc incognita, quæ collata fuerunt in Arcam DEI semper Benedictam &c.* Quippe superius dixerat: *Et fortassis, ut quædam revelatio habet, meo judicio non contemnenda, valde accelerata fuit Animæ B. Virginis Creatio, & Infusio.*

317. Verum hæc Sententia sustineri nulla ratione potest. Nam qua parte dicit, B. Virginem sanctificatam, & præservatam fuisse in Semine, seu in Carne; satis rejecta est a nobis in Apparatu *nu.* 141. ubi etiam num. seq. vidimus, ejusmodi potissimum, in Sanctificationem ante Animationem improbatam fuisse ab Alexandro de Hales, Alberto Magno, & D. Thoma. Qua vero parte ait, celebrari ab Ecclesia Conceptionem B. Virginis secundum Carnem; aperte refellitur cùm ex demonstratis in hoc Articulo II. de objecto proximo, & per se cultus religiosi, quod nequit esse aliquod inanime, aut non vere Sanctum, ut est Conceptus nondum animatus: tum maxime ex Constitut. *Sollicitudo*, Alexandri VII. superius indicata, in qua declaratur, per id Festum celebrari ab Ecclesia Sanctam, & Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem secundum Animam.

318. Multorum igitur Sententia est, quod etsi die octava Decembris non contigit, nisi Conceptio B. Virginis secundum Carnem; Ecclesia tamen per anticipationem, eo die celebrat Festum Conceptionis ipsius secundum Animam, in qua Conceptione B. Virgo vere fuit sanctificata, & ab Originali Labe præservata.

319. Monuit hoc olim post Franciscum de Mayronis Scoti Auditorem, (de quo alibi) Ven. Engelbertus Abbas Admontensis, qui circiter annum 1340. claruit. (*r*) *Ecclesia*, inquit, *non festivat Conceptionem seminalem materiæ: quia tunc Fœtus nondum est in Utero vivificatus, & per consequens nec sanctificatus. Sed illa Conceptio, quam festivat Ecclesia, est potius Conceptio Animæ, & Gratiæ &c.* Quam Gratiam, ait, simul tempore infusam esse cum Anima.

320. Similiter Johannes Herlot, sive Heroldus, Ord. Prædic. Discipulus nuncupatus, sequentis Sæculi xv. Concionator eximius (*s*) „ Sciendum „ *inquit*, secundùm Jordanum, celebrantem hoc Festum devotissimum, omnem „ intentionem ordinate dirigere, ut non referatur intentio ad Conceptionem Carnis: quia „ illa massa non est susceptibilis Gratiæ, sed „ sola Anima. Unde intentio referenda est „ ad illam Conceptionem, quando Anima infusa est, & unita Corpusculo, & in eodem „ instanti sanctificata.... Et hæc Sanctificatio non

(m) *Quorum variæ opiniones videri possunt apud* P. Cornelium Alapide *in cap.* 12. *Levitici ver.* 5. *& alios infra citandos.*
(n) *Lib.* 7. *Histor. Animalium cap.* 3.
(o) *Levitici cap.* 12. *ver.* 4. *&* 5.
(p) *Lib.* 1. *de Puritate Concept. B. M. V. cap.* 5. *fol.* 21. *&* 22. *edit.* Parisiens. an. 1517.
(q) *In Disput. pro veritate Immacul. Concept. B. V. &c. ad Sanctam Synodum Tridentinam, parte* 1. *col.* 81. *edit.* Rom. an. 1551.
(r) *In Tract. de Gratia, ac Virtutib. B. M. V. par.* 4. *cap.* 3. *col.* 703. *Tomi* 1. *Thesauri Anecdotorum* Bernardi Pezii.
(s) *Sermone* 1. *de Concept. S. M. V. inter ejus Sermones de Tempore, & de Sanctis, impressos* Lugduni *an.* 1499. *post medium voluminis, cujus folia carent numer.*

„ non est facta ista die, qua solum fuit Conceptio Seminis, sed postea &c. „ Porro Jordanus citatus, vel fuit Jordanus ille, primus a B. Dominico, Ord. Prædic. Generalis Magister, vel certe Jordanus a Saxonia Ordinis S. Augustini, qui vixit circa annum 1389. Hos enim duos Jordanos laudatos invenio a P. Possevino *pag.*276. *Tomi secundi Apparatus sacri.*

321. Id ipsum postea observavit Guillelmus Pepinus, ejusdem Ordin. Sæculi XVI. ineuntis Theologus; & simul anticipationis hujus rationem dedit in sermone, quem habuit die octava Decembris de *Intemerata Conceptione V. Mariæ* (t) „ Ipsa, *inquit*, Virgo Sacratissima „ non fuit hodie concepta illa Conceptione, „ quam veneratur Ecclesia. Nam Ecclesia non „ intendit facere Festum de MARIA, nisi postquam fuit capax Sanctificationis. Hodie autem, quando primum ipsam genuerunt Joachim, & Anna, non fuit capax Sactificationis, cum nondum haberet Animam Rationalem. Sed hodiernum Festum referendum „ est ad diem Animationis, quandò scilicet primum Anima ejus infusa est suo Corpori organizato, quod forte fuit post dies octoginta ab „ hac die &c. Sed quia Ecclesia non est omnino certa de die præcisa illius Conceptionis „ secundæ, seu Animationis, (*propter variantes nimirum opiniones*) ideo statuit ipsa Ecclesia dictam Conceptionem secundam hodie debere celebrari per Mundum Universum. „

322. Quod Ecclesia die VIII. Decembris Festum Conceptionis B. Virginis secundum Animam celebret, verissimum est, & ex allatis Testimoniis etiam liquet. Sed non expedit dicere, hujus Conceptionis Festum eo die celebrari ab Ecclesia per anticipationem, sumendo diem certum Conceptionis secundum Carnem, pro die incerto Conceptionis secundum Animam: ne demus ansam Adversariis abutendi verbis illis D.Thomæ: (3. Par. quæst. 27. art. 2. ad 3.) *Nec tamen per hoc, quod Festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua Conceptione fuerit Sancta; sed quia, quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur, celebratur Festum Sanctificationis ejus potius, quàm Conceptionis, in die Conceptionis ipsius.* Quorum sensum dedimus *n.*157. & alium dabimus Act. VII.

323. Hinc quoque Bandellus, sic arguebat: (u) „ Si Festivitas Conceptionis habuisset ortum a Revelatione Angelica; cum Angelus „ Bonus optime cognoscat, quando Anima B. „ Virginis fuit Corpori infusa, mandasset utique, quod Festivitas illa fieri debuisset vigesima quinta die Februarii, quando Anima sibi „ infusa, & statim post infusionem sanctificata, „ & non octava Decembris, quando B. Anna „ semen a Joachim ad concipiendum suscepit: „ nulla enim Sanctitas fuit in B. Virgine, nisi „ postquam Corpus ejus fuit Anima rationali informatum. „

324. Defendimus ergo, Catholicam Ecclesiam die octava Decembris celebrare Festum Sanctæ, & Immaculatæ B. Virginis Conceptionis secundum Animam, tanquam in propria die. Quia nimirum hac ipsa die Fœtus Marianus in Matris utero Animam a DEO infusam suscepit, & unà cum Anima Sanctificantem Gratiam, qua ab Originali Macula præservatus est.

325. Hoc ante nos sustinuerunt, etsi aliud agentes, Paulus Zacchias, totius Status Ecclesiastici Protomedicus Generalis, (x) & P. Hieronymus Florentinius, Clericus Regularis Congregationis Matris DEI. (y) Hoc etiam ex instituto tradiderunt e nostra Societate P. Jacobus Granado, (z) & P. Joh. Baptista Poza, (a) qui & laudat Philippum Malla, Doctorem Parisiensem anni 1488. Item Franciscus Guerra ex Ord. Minor. Episcopus Gadicensis, (b) & Johannes Baptista Novatus Ord. Clericor. ministrantium Infirmis; (c) quos alii sunt sequuti.

326. Allegari solet pro hac Sententia Revelatio quædam B. Amadei Ord. Minor. in quinto Raptu suæ novæ Apocalypsis. (d) Ibi enim legitur, B. Virginis Corpus, etsi non *in ictu oculi*, ut Corpus CHRISTI, brevi tamen tempore, sex scilicet horarum spatio, volente DEO, & ministrantibus Angelis, intra eandem octavam Decembris diem, Conceptum, Formatum, Perfectumque esse, subindeque Anima rationali dotatum.

327. Fuit quidem B. Amadeus, Vir sanctitate, & miraculis conspicuus, ut demonstrant P. Lucas Waddingus in Annalibus Minorum, (e) & noster Guillelmus Cuperus *in Actis Sanctorum.* (f) At iidem observant, Apocalypsim istam, ejus nomine vulgatam, non paucis scatentem ineptiis, & novitatibus, aut ipsi Amadeo perperam suppositam, aut certe in plurimis vitiatam fuisse. Hanc quoque B. Amadei Revelationem, de accelerata per miraculum B. Virginis animatione, aliunde suspectam habet laudatus Florentinius, (g) qui eam credit ex humana persuasione, non a Divino Spiritu profectam.

328. Proferre etiam quis posset aliam Revelationem, quæ legitur *in Historia, & Vita Virginis Matris DEI*, a Ven. Sor. Maria de Jesu Agredensis Monasterii conscripta: (h) ubi similiter traditur, die octava Decembris B. Virginis Ani-

(t) *Sermone* 1. *de Intemer. Concept. V. M. inter ejus Sermones de Festis, adnexos Sermonibus de Adventu, qui dicuntur*, de Secretis Secretorum, *fol.* 237. *col.* 3. *edit.* Parisiens. an. 1537.

(u) *Parte* 2. *suæ disput. ad* 10. *rationem fol.* 62. *pag.* 1.

(x) *Tom.* 2. *quæstionum Medico-Legalium, lib.* 9. *tit.* 1. *quæst. ult. n.* 135. *pag.* 704. *edit.* Lugd. an. 1701.

(y) *Lib. de Hominibus dubiis Baptizandis, seu de Baptismo Abortivorum, disput.* 3. *sect.* 2. *& seqq. a pag.* 156. *edit.* Lugd. an. 1675.

(z) *Tom.* 1. *in* 3. *partem, controv.* 2. *tract.* 1. *disput.* 3. *sect.* 1. §. 2. *a pag.* 358.

(a) *In Elucidario Deiparæ lib.* 3. *Tract.* 2. *cap.* 4. *a pag.* 857. *edit.* Lugdun. an. 1627.

(b) *In Opere inscripto*, Majestas Gratiarum &c. *tom.* 1. *lib.* 1. *discursu* 2. *fragmen.* 5: *pun.* 2. *a pag.* 104. *& fragm.* 6. *pun.* 1. *pag.* 109. *edit.* Hispalen. an. 1659.

(c) *De Eminentia Deiparæ tom.* 1. *c.* 3. *quæst.* 7. *a pag.* 58. *edit.* Bononien. an. 1639.

(d) *Extat tom.* 1. *Biblioth. Virginalis pag.* 676.

(e) *Tom.* 7. *ad an.* 1482. *n.* 41. *& seqq.*

(f) *Tom.* 2. *Mensis Augusti, ad diem* 12. *in Commentar. prævio ad ejus vitam, pag.* 564.

(g) *Disput.* 4. *sect.* 2. *a pag.* 218.

(h) *Parte* 3. *lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 218. *pag.* 69. *Versionis Italicæ, editæ* Antuerp. an. 1714.

Animationem contigisse; ejus tamen Conceptionem septem ante diebus inchoatam esse, quo intermedio tempore ejusdem Corpus divinitus conformatum sit. Sed Prudentis est, de tam multis hujus Ven. Famulæ DEI Revelationibus judicium suspendere, quarum examen adhuc pendet sub Sacra Rituum Congregatione.

329. Tutius, & efficacius allegatur pro eadem Sententia Revelatio illa, Abbati Helsino facta, quæ plusquam septem Sæculorum est recepta consensu. Ibi enim legimus, quod cum cælestis Nuntius Abbati Helsino dixisset: *Promitte DEO, & mihi, quod diem Conceptionis, & Creationis Matris Domini solemniter celebrabis:* Et hic sciscitaretur: *Et quis dies in hoc Festo celebrandus erit?* Idem Nuntius actu tum respondit: *Sexto idus Decembris hoc Festum solemnizandum tenebis.* Dies ergo sextus ante idus Decembris, qui est dies octavus ejusdem mensis, pro novo Festo cælitus designatus, est dies Conceptionis, & Creationis Beatissimæ Virginis. Hunc enim *diem Conceptionis, & Creationis Matris Domini* solemniter celebrandum indixerat cælestis Nuntius. At quandonam Beata Virgo vere creata est? Nonne cùm ejus Anima, a DEO creata, in suum est infusa corpusculum? De hujus Creationis die occulto instrui volebat Helsinus, qui alioqui ex traditione Ecclesiæ, vel etiam ex alia Revelatione (*i*) sciebat, B. Virginem die Octavo Septembris natam esse.

330. Sed & *habemus firmiorem Sermonem*, pervetustum scilicet, & constantem Ecclesiæ Catholicæ Morem. Certum est, ex declaratione nuper indicata Alexandri VII. die octava Decembris celebrari ab Ecclesia Festum Sanctæ, & Immaculatæ Conceptionis B. Virginis secundum Animam. Certum insuper est, eandem diem octavam Decembris huic Festo celebrando, a prima ipsius institutione, absque variatione ulla, continenter ab Ecclesia dedicatam fuisse. Cum ergo nec Ecclesiæ declaratio, nec evidens ratio aliud evincat; credendum est, ex mente Ecclesiæ ea ipsa die octava Decembris contigisse Sanctam, & Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem secundum Animam.

331. Hoc eodem Argumento utitur Ven. Petrus Canisius, (*k*) ut Incarnationem Domini in diem vigesimamquintam Martii, & Nativitatem in diem vigesimamquintam Decembris incidisse concludat. „ His, *inquit*, demum accedit vetus, constans, & probata Ecclesiæ „ Catholicæ consuetudo, quæ tot Sæculis venerandum hoc Concepti simul, & Nati CHRISTI „ Mysterium, præscriptis anni temporibus, certisque diebus mensium Martii, & Decembris publice celebrat, & solemni ritu, ubique gentium jubet ab omnibus concorditer „ celebrari. „ Similiter P. Franciscus Suarez (*l*) ex hoc, quod Ecclesia colit Incarnationis Dominicæ Festum eadem die, qua Annuntiatio Angelica facta est; exploratum habet, quod Ecclesia sentiat, illa eadem die DEUM factum esse Hominem.

332. Nec tantum factis, sed etiam verbis, id ipsum nobis Ecclesia Sancta expresse testatur. In officio illius diei quinquies recitat: *Conceptio est hodie*, (idest die octava Decembris, in qua hæc dixit) *Sanctæ Mariæ Virginis.* Rursus bis canit: *Hodie concepta est B. Virgo Maria.* Hortatur quoque, ut *Conceptionem hodiernam perpetuæ Virginis Genitricis DEI Mariæ solemniter celebremus.* Nec dubium, quin Ecclesia de Conceptione illa loquatur, quam ea die solemniter celebrat, nempe de Conceptione B. Virginis secundum Animam.

333. Temere autem diceremus, eas voces, *Hodie*, & *Hodiernam*, improprie usurpari ab Ecclesia ad significandam diem, qua repræsentatur, non qua re ipsa fuit, Sancta, & Immaculata B. Virginis Conceptio. Quia non est in usu Ecclesiæ, ejusmodi voces usurpare, nisi ubi fuerit dies propria alicujus solemnitatis; ut patet in Natali Domini, in Nativitate, Purificatione, & Assumptione B. Virginis; in Nativitate S. Joh. Baptistæ, in Martyrio S. Stephani, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli. Immo in Officio, quamtumvis communi, Confessorum, signanter monemur, ut, si non sit dies obitus, non canamus: *Hac die lætus meruit beatas scandere sedes:* sed: *Hac die lætus meruit supremos laudis honores.* Et in Officio ipsius Immaculatæ Conceptionis, quod Sacra Rituum Congregatio Ecclesiæ Panormitanæ recitandum indulsit die prima Septembris, in gratiarum actionem pro liberatione a Terræmotu; suppressæ, vel mutatæ sunt voces illæ, *Hodie*, & *Hodiernam.*

334. Quod autem in Officiis Paschæ, Ascensionis, & Pentecostes, easdem voces, *Hodie*, & *Hodierna die*, usurpet Ecclesia; quamvis dies, in quibus hæc mysteria celebrantur, secundum Solaris anni supputationem, sæpe non sint iidem dies, in quibus gesta sunt: Ideo est, quia Solemnitates istas pendere voluit Ecclesia, a decimaquarta Luna Mensis primi, nempe Martii; quæ non eodem Solaris anni tempore recurrit. Hinc vero supputatione facta, & habito respectu ad diem Dominicam, in qua CHRISTUS resurrexit, eædem Solemnitates semper diebus propriis, per debita intervalla, aliquo pacto respondent.

335. Hujus disparis Ecclesiæ ritus causam a D. Augustino (*m*) quæsierat Januarius: *Cur Anniversarius dies celebrandæ Dominicæ Passionis, non ad eundem redeat anni diem, sicut dies, qua traditur Natus? Et si hoc fuit propter Sabbatum, & Lunam, quid sibi velit in hac re observatio Sabbati, & Lunæ?* Ad quam inquisitionem hoc modo respondet Augustinus. „ Hic primum oportet noveris, diem Natalis „ Domini, non in Sacramento celebrari; sed „ tantum in memoriam revocari, quod natus sit; ac per hoc nihil opus erat, nisi revolutum Anni diem, quo ipsa res acta est, festa

(i) Cujus meminit Durandus *in Rationali Divinor. Officiorum lib. 7. cap. 28. pag. 851.*

(k) *Lib. 3. de Maria Deipara, cap. 12. non longe a fine, col. 504.*

(l) *Tom. 2. in 3. partem disput. 11. sect. 2.*

(m) *Epist. 55. (aliàs 119.) ad* Januarium, *sive lib. 2. ad Inquisit.* Januarii. *n. 2. col. 128. tom. 2.*

„ festa devotione signari. Sacramentum est autem in aliqua celebratione, cum rei gestæ ita „ commemoratio fit, ut aliquid etiam significari „ intelligatur, quod sancte accipiendum est. Eo „ itaque modo agimus Pascha, ut non solum in „ memoriam, quod gestum est, revocemus, id- „ est quod mortuus sit CHRISTUS, & resurrexit, „ sed etiam cætera, quæ circa ea adtestantur, ad „ Sacramenti significationem non omittamus. „ Quodnam autem sit istud Sacramentum, in sequentibus exponit.

336. Solvenda nunc est ratio contraria initio proposita: quòd scilicet Fœtus Marianus die VIII. Decembris primo conceptus sit; & a prima Fœtus Conceptione usque ad Animationem, dies plurimi, juxta Legem Naturæ, intercedant.

337. P. Granadus, & qui eum sequuntur, respondent; legem istam Naturæ servatam non esse in Fœtu Mariano; qui divinitus intra eundem diem conceptus, formatus, & organizatus est, subindeque Animâ Rationali donatus. Cujus miraculi eandem fere rationem adducunt, quam in re simili reddidit S. Johannes Damascenus: *(n) Quid est*, inquit, *cur Virgo Mater ex sterili orta sit? Quoniam scilicet oportebat, ut ad id, quod solum sub Sole novum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fieret.* Quod idem paulo post repetit.

338. Non sum, ut plerique Critici, miraculorum fastidiosus, præsertim ubi agitur de B. Virginis Gloria: tum ob insinuatam S. Damasceni rationem; tum quia, & ipsa *Beata semper Virgo Maria, magnum revera Miraculum fuit*; ut ex D. Chrysostomo recitamus v. die infra octavam ejus Nativitatis. Verumtamen in re præsenti miraculis non indigemus; quippe qui vulgarem illam, de adeo retardata Rationalis Animæ infusione, Sententiam, falsam esse deprehendimus.

FOETUS HUMANUS, VEL IPSO PRIMÆ CONCEPTIONIS DIE, VEL PROXIMIS SALTEM DIEBUS, ANIMA RATIONALI DONATUR.

339. UTrumvis asseratur, salva consistit opinio defendens, Mariani Fœtus Animationem die octava Decembris peractam secundum naturam fuisse. Etenim a prima Conceptione usque ad partum, novem mensium spatium non ita est naturâ definitum, ut identidem hoc spatium ad aliquot dies non protendatur. Immo Hippocrates statuit, (o) tempus, quo perfectissimi Fœtus in utero morantur, esse dierum 280. qui sex, vel quinque diebus novem menses excedunt. *Qui septimo*, inquit, *quadragenario in lucem eduntur, decimestres appellati, hanc ob causam præcipue educantur, quòd validissimi sunt.* Et alibi, ob aliquam violentiam evenire ait, siqui ante hoc tempus nascuntur Fœtus. Veteres quoque Scriptores tam Sacri, quam Profani, intra decimum mensem partum naturaliter evenire indicarunt. Unde est illud Sapientis: (p) *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine &c.* & illud Virgilii: (q) *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.* Vide P. Martinum Delrium, (r) P. Cornelium Alapide, (s) & P. Johannem Lacerda. (t) Si ergo Fœtus Animatio non contingat ipso primæ Conceptionis die, sed post tres, quinque, vel sex dies; nihil vetat dicere, Mariani Fœtus Animationem contigisse die octava Decembris; quamvis prima ejus Conceptio tribus, quinque, vel sex ante diebus contigerit.

340. Præfixa Thesis, (cui apud Florentinium *Censura* 2. quadraginta Doctores Facultatis Medicæ Universitatis Viennensis in Austria subscripserunt) suadetur primo auctoritate.

Paulus Zacchias supra laudatus, etsi alibi (*lib.* 1. *tit.* 2. *quæst.* 9. *nu.* 24.) tempus 30. dierum in Masculis, & 42. in Fœminis, Fœtus Animationi assignavit; loco tamen citato (u) contendit, Rationalem Animam in ipso primo Conceptionis Momento Embryoni adesse, omnesque ac singulas vitæ operationes ab ipsa originem habere. Quod quidem inde etiam probat, quia Ecclesia Festum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis secundum Animam die VIII. Decembris celebrat, quo primum B. Virgo Concepta est. Sed, quod prima B. Virginis Conceptio fuerit die VIII. Decembris, non satis liquet, quin potius oppositum colligi videtur ex dictis *n.* 339. quidquid renitatur Florentinius, qui ejusmodi argumentum valde promovet *Disput. III.*

341. Itidem Michael Alberti, Medicinæ, ac Philosophiæ Naturalis in Borussia (vulgo Prussia) Professor publicus, triginta etiam allegatis Auctoribus, firmiter asserit, (x) mox a Conceptionis termino, Anima Rationali donari Fœtum, ab eaque deinde formationis actus pendere. Idem sustinet apud laudatum Florentinium, (y) Vopiscus Fortunatus Pemplius, in Academia Lovaniensi Primarius Professor. Et Petrus Gassendus, Naturalis Philosophiæ Scientissimus, (z) planius videri, ait, ut putemus, infusionem Animæ Rationalis fieri ab ipsa usque Conceptione, seu a quo usque tempore, semina eo pacto excepta, commixtaque in utero sunt, ut conformationis actio inchoetur.

342. Præterea Thomas Fienus, apud Lovanienses primarius Medicinæ Professor, pluribus

(n) *Orat.* 1. *in Nativit. DEI Genitricis Mariæ, paulo post initium, fol.* 329. *pag.* 2.
(o) *Sect.* 3. *in lib.* de Octimestri Partu, *pag.* 38. *tom.* 1. *ejus Operum, edit. Græco-Latina* Francofurt. anno 1595. *Et V. lib.* de Natura Pueri, *vers.* 470.
(p) *Sapientiæ cap.* 7. *vers.* 2.
(q) *Ecloga* 4. *vers.* 61.
(r) *In Syntagmate Tragediæ Latinæ par.* 2. *in vers.* 535. Thebaidis, *pag.* 76. *edit.* Antuerp. an. 1593.
(s) *Comm. in locum cit. Sapientiæ.*
(t) *In notis ad eum versum* Virgilii *pag.* 85.
(u) *Quæst. ult. cit. a pag.* 699. *tom.* 2. *citati.*
(x) *In Systemate Juris Prudentiæ Medicæ, Par. Dogmatica, cap.* 6. §. 3. *pag.* 123. *edit.* Halæ an. 1721.
(y) *Disput.* 1. *sect.* 8. *pag.* 58. *edit. cit.*
(z) *Tom.* 2. *suorum Operum, Physicæ Sectionis* 3. *membro* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *pag.* 281. *edit.* Lugd. an. 1658.

bus in libris (*a*) contendit, Animam Rationalem infundi in Embryonem, tertia summùm die a prima Conceptione. Cui consentiunt Antonius Mirindolus apud Florentinium, (*b*) & Harveus apud Maximilianum Dezam, citatum a P. Johanne de Cardenas. (*c*)

343. Demum Hieronymus Mercurialis, Ferdinandus Mena, & Petrus Garsia Carrerus, locis citatis per Gasparem a Reias Francum; (*d*) Humanum Fœtum intra septimum primæ conceptionis diem, Anima Rationali præditum esse defendunt.

344. Hujus postremæ opinionis Auctor fuit Medicorum Princeps Hippocrates in libro *de Carnibus*, (*e*) ubi ait: *Hominis vita septem dierum numero circumscribitur; ac primum quidem ubi genitura ad uteros pervenit, habet intra septem dies quæcumque ex Corpore ei accidere necesse est.* Id autem se novisse testatur per accuratam, & sæpe repetitam observationem Abortus septem dierum, *in aquam conjecti*: *Quem*, ait, *si accurratius inspexeris, membra omnia habere deprehendes, & oculorum regiones, & aures, & brachia; quin & manuum digiti, & crura, & pedes, & pedum digiti, & reliquum totum corpus in conspicuo est.* Ex quo Hipprocratis textu colligit Gassendus, quòd, *supposita etiam delineationis necessitate ad infusionem Animæ, videtur Animæ infusio reduci saltem posse ad septimum diem.*

345. Cl. V. Prosper Martianus, Medicus Romanus, qui Hippocratis Opera egregiis notationibus illustravit, (*f*) ad citatum Textum, notat 1. Hippocratem, cum in libro *de Natura Pueri*, formationem Fœtus in Masculis triginta dierum, in Fœmellis vero quadraginta duorum spatio absolvi putaverit; postea re melius explorata, in præsenti libro formationi Fœtus longe priorem terminum, nempe diem septimum constituisse. 2. Hac de re, cum sensatum Testimonium adducat, tanto Auctori, Viroque Ingenuo non esse denegandam Fidem, etiamsi eam membrorum articulationem alii non observaverint. 3. Ex omnium membrorum distincta formatione, septem dierum spatio absoluta, recte Hippocratem collegisse, *Hominis vitam septem dierum esse.* Nam cum Homo dicatur, quod Corpore, & Anima Rationali constat; animum in corpus infundi, eo tempore asserendum est: quandoquidem, nemine dissentiente, tunc Anima in Corpus infunditur, cùm Corporis formatio absoluta est. Adnotandum vero insuper censeo, quod quæ Hippocrates membra in Abortu septem dierum observavit, prioribus fortasse diebus delineata jam erant, in mensura sufficiente ad Animæ Rationalis introitum.

346. Galenum etiam aliqui laudant, quod Fœtum statim a Conceptione animari docuerit in Libro, cujus titulus: *An animal sit, quod in utero est?* At primo hic liber perperam Galeno attribuitur; ut prænotavit Curator editionis Basileensis anni 1549. *col.* 1302. *tomi* 1. ejus Operum. Deinde Auctor iste in eo errore versatur, quod semen humanum Anima Rationali præditum sit; ut apparet *num.* 3. 5. & 6. ubi ait, *perspicuum esse, quod Anima semini una cum natura inest.*

347. Fuerunt autem in ea Sententia alii Veteres. Nam Aurelius Cassiodorus, qui claruit anno 530. testatur: (*g*) *Hoc non nulli secuti dixerunt, mox ut semen humanum coagulatum fuerit in vitalem substantiam, illico creatas Animas corporibus dari discretas, atque perfectas.* Nicetas etiam Choniates, Sæculi XIII. Auctor, inter alias Veterum hac de re opiniones refert, quod *Græcorum Sapientium nonnullis, Embryones, seu imperfectos in utero Fœtus statim ab illa informi sua forma, animari placuit.* (*h*)

348. Inter istos Veteres recensentur a Florent. *pag.* 193. S. Cyril. Alex. *L.* 1. in Joh. *c.* 9. & Beda *T.* 1. *lib. de Const. Mundi* §. *de Animæ Orig.* Sed in his locis nihil ad rem. Merito tamen laudatur S. Gregorius Nyssenus, *in Dialogo de Anima, & Resurrect.* (*i*) ubi ait: „ Enim vero posteriorem esse originem Animarum, ipsasque recentiores esse corporum compositione, nemo sana mente præditus in animum induxerit: cum manifestum, & perspicuum sit, quod nihil ex inanimis habeat in sese vim movendi pariter, atque crescendi; at eorum, qui in utero nutriuntur, neque augmentum, & incrementum, neque de loco ad locum motus controversus, & ambiguus est. Relinquitur igitur, ut putemus, unum, & idem Animæ & Corporis constitutionis principium esse. „ Principium scilicet Temporis. Nam alioqui S. Gregorius cum cæteris omnibus Græcis Patribus, Animas Rationales a solo DEO creari, sentiebat, ut vidimus in Apparatu 1 *num.* 63.

349. Pergit deinde Nyssenus id ipsum apto exemplo declarare: „ Quemadmodum, *ait*, in nascentibus seminibus incrementum paulatim ad perfectionem progreditur: eodem modo in Hominum quoque formatione, atque constitutione pro ratione, ac proportione corporea magnitudinis, Animæ quoque potentia apparet, & elucet. Primum quidem per vim alendi simul, atque augendi, iis, quæ in utero effinguntur, sese insinuans, atque innascens; post hæc vero donum sentiendi in lucem productis inducens; atque ita deinceps quasi fructum quemdam, aucta jam planta mediocriter, exerens, ac prodens ratione præditam vim, &c. „

350. Su-

(a) *Lib. de Vi Formatrice Fœtus, edit.* Antuerp. an. 1620. & *lib. de Formatione Fœtus, edito* Lovanii an. 1624. *Et in Apologia advers.* Antonium Ponce Sancta-Crux, *edita* Lovanii an. 1629.

(b) *Disput.* 1. *citat. sect.* 7. *pag.* 55.

(c) 1. *Parte Crisis Theologicæ, disp.* 15. *cap.* 3. *n.* 29.

(d) *In Elysio Jucundarum Quæstionum Campo, quæst.* 51. *n.* 33. *pag.* 388. *edit.* Bruxellen. an. 1661.

(e) *Sect.* 3. *cit. lib. de Carnibus pag.* 34. *edit. cit.*

(f) *In Notat. ad lib.* Hippocratis *de Carnibus vers.* 216. *pag.* 50. & *seq. edit.* Romanæ an. 1626.

(g) *Lib. de Anima cap.* 14. *pag.* 1264. *tom.* 11. *Biblioth. M. PP.*

(h) *In Thesauro Orthodoxæ Fidei, lib.* 2. *cap.* 74. *pag.* 91. *tom.* 25. *Biblioth. M. PP.*

(i) *Versus finem, pag.* 873. *tom.* 2. *edit. Græco-Latinæ* Parisiens. an. 1615.

350. Suadetur secundo eadem Thesis hac ipsa S. Gregorii ratione, uberius, & efficacius exposita. Foetus humanus vel eodem suæ primæ conceptionis die, vel proximis saltem diebus incipit nutriri, & per omnes simul partes, dispari quadam uniformitate, augeri sanguine, quem ei Mater per venam umbilicarem, ad id muneris destinatam, transmittit, ut in confesso esse videtur.

351. Etenim postquam semina utriusque Parentis in utero recepta, & retenta, permiscentur, fermentantur, & in unam massam concrescunt, ac membrana quadam involvuntur, ne diffluant; ex eorum particulis convenienter ordinatis, existunt in Fœtu prima lineamenta, & veluti rudimenta humani corporis: quæ, cum natura non sit otiosa, nutriuntur, & paulatim crescunt, ut ad debitum statum perveniant. Ea partium ordinatio brevi temporis intervallo perficitur, ut tradit Franciscus Bayle: [k] præsertim juxta Sententiam, hodie cum plausu receptam, Antonii Vallisnerii, [l] statuentis, in Fœminarum etiam Viviparaum testibus genuina ova reperiri, quæ futurorum Animalium primordia, & minutissimas figuras comprehendant, Quam quidem sententiam, etsi rejiciat Hyacinthus Vogli, Medicus Bononiensis, [m] agnoscit tamen plasticam imaginem generantis in semine, quippe quod ab omnibus deciduum, exquisitam retinet imaginem earum, a quibus decidit, partium; & consequenter perfectum totius Animalis simulacrum.

352. Ejusmodi partium nutritio, & incrementum, cum certo vitales operationes sint, fieri nequeunt, nisi ab aliquo principio interno, intrinsecus se movente, quod proinde sit Anima, ut indubitanter asseruit Aristoteles. [n] *Ab aliquo*, inquit, *extrinsecus agente effici quæque, aut viscera, aut alia membra, remotum a ratione videtur.* Et infra: *Conceptum inanimatum esse, nemo statuerit, vita omnibus modis privatum: quippe cum nihilo minus semina, & conceptus Animalium vivant, quàm stirpes.* Aristoteli consonat D. Thomas, [o] qui referens, *aliquos dixisse, quod operationes vitæ, quæ apparent in embryone, non sunt ab ejus Anima, sed ab Anima Matris, vel a Virtute formativa, quæ est in semine*; subdit: *utrumque falsum est: quia opera vitæ non possunt esse a principio extrinseco, sicut sentire, nutriri, augeri.* Et ideo ait, *quod Anima præexistit in embryone.*

353. Exploratum igitur est, vel ipso primo conceptionis die, vel proximis saltem diebus, adesse Animam in humano Fœtu. Hanc autem non esse Animam Rationalem, sed quandam Vegetantem Animam, quæ primo in Fœtum introducatur, postquam succedat alia quædam Sentiens Anima, & demum Anima Rationalis adveniat; non videtur esse rationi consentaneum; etsi id obiter dixerit D. Thomas, secutus Aristotelem locis proxime citatis. Ut quid enim ista successio Animarum, & Rationalis Animæ tam serus adventus? An, ut interim fabricentur organa, primo ad sentiendum, & post a ad ratiocinandum idonea? At, si ad Rationalis Animæ introductionem expectanda foret horum organorum constructio; nec postquam Infans, nono mense exacto, in lucem prodit, Rationalem Animam haberet, cum nullum tunc prodat ratiocinationis indicium, utique ex defectu organorum ratiocinationi servientium.

354. An vero, ut interea temporis ab Anima nunc Vegetante, nunc Sentiente, humani Corporis conformatio, quam postulat Rationalis Anima, perficiatur, & absolvatur? „ Sed nullum prorsus videtur esse tempus, *(ut bene observat Gassendus)* quo dicere liceat, ecce jam „ Fœtus humanus perfectus est, cum mox ante imperfectus foret; nisi forte quo tempore, quasi jam maturus, editur in lucem. „ Quippe, ex quo usque conceptio est facta, „ staminaque prima formari incipiunt, videtur „ unus esse tenor, progressusque continuus, quo „ materia melius meliusque digeritur, quo partes exquisitius, exquisitiusque figurantur, quo „ distinctiores, distinctioresque fiunt, quo magis magisque elaborantur, ac perficiuntur. „

355. Nullum ergo designari potest commodius momentum, quo Rationalis Anima in Fœtum infundi dicatur, nisi illud, quo primùm Fœtus vivere incipit, etsi nondum vitæ sentientis, aut intelligentis functiones obire tunc possit. Nisi forte declinare velis in sententiam Johannis Marci, in Universitate Pragensi, Medicinæ, ac Philosophiæ Professoris, [p] non agnoscentis in humano Fœtu propriam Rationalem Animam, nisi cùm primum paritur. Quam quidem Sententiam merito proscripsit Innocentius XI. [q] utpote repugnantem tam iis, quæ referuntur in Scripturis [r] de duobus Parvulis Esau, & Jacob, in Rebeccæ utero invicem se collidentibus; & de Johanne Baptista, in ventre Matris exultante cum gaudio ad præsentiam Salvatoris: quam iis, quæ decernit Ecclesia de Baptismo Abortivorum, & de pœnis procurantium abortum.

356. Prætereo, istas Animarum successiones, videri metamorphoses quasdam Ovidianis mirabiliores. Ibi enim nonnullos Homines legimus, casu aliquo, mutatos in Plantas, vel in Bruta, ut Daphnen in Laurum, Actæonem in Cervum. Hic vero audimus, Hominem, stata lege naturæ, prius Plantam quamdam exoticam esse, deinde non minus peregrinum Brutum, & tandem Hominem.

357. Quod si nec Vegetantem Animam ad

[k] *Tom. 3. Institut. Physicæ tract. 2. lib. 3. de Generat. Viviparorum, quam fieri putat ex ovis, vel quasi ovis.*

[l] *In Histor. Generat. Hominis, & Animalium, edit.* Venetiis 1711.

[m] *Tom. 1. de Anthropogonia, dissert. Anatomico-Physica, parte 1. edit.* Bononiens. an. 1718.

[n] *Lib. 2. de Generat. Animalium, cap. 1. post medium, & cap. 3. sub initium.*

[o] 1. *Parte quæst.* 118. *art.* 2. *ad* 2.

[p] *In lib. cujus titulus* Idearum Operatricium Idea.

[q] *Per Decretum editum die 2. Martii an. 1679. quo damnavit ut* scandalosas *65. propositiones, inter quas illa est* num. 35.

[r] *Genesis cap. 25. versu 22. & seq. &* Lucæ *cap. 1. versu 44.*

adventum Sentientis, neque Sentientem ad introitum Rationalis, interire dixeris, sed duas illas Animas unà cum Rationali simul in eodem Corpore permanere; opinionem adstrues a Theologis cum Angelico Doctore [s] improbatam, & ab Antiquis etiam ut certo falsam rejectam.

358. Auctor libri *de Ecclesiasticis Dogmatibus*, [t] creditus olim Augustinus, sed revera Gennadius, qui non multo post floruit; „ Neque duas, *inquit*, Animas esse dicimus in uno „ Homine, sicut Jacobus, & alii Syrorum scribunt, unam Animalem, qua animatur Corpus, & immixta sit sanguini, & alteram Rationalem, quæ rationem ministret: sed dicimus unam esse, eandemque Animam in Homine, quæ & Corpus sua societate vivificet, „ & semetipsam sua ratione disponat. „ Idem habet Auctor libri *de Spiritu, & Anima cap.* IX. apud eundem Augustinum *col.* 37. *Appendicis Tomi* VI. Quod etiam tam firmum putavit Hugo de S. Victore, qui claruit anno 1130. ut relata sententia de illis duabus Animabus, pronuntiaverit: [u] *Fides Catholica ejusmodi assertionem non recipit, sed unam, eandemque Animam esse verissime testatur, quæ in Homine & corpori vitam præbet per sensum, & in semetipsa vivit per intellectum.*

359. Multos audivi, pro hac veritate allegantes VIII. Synodi Generalis, anno 869. celebratæ, hunc Canonem: [x] *Veteri, & Novo Testamento, unam Animam Rationalem, & Intellectualem habere Hominem, docente, & omnibus Deiloquis Patribus, & Magistris Ecclesiæ eandem opinionem asseverantibus; in tantum impietatis quidam.... devenerunt, ut duas eum habere Animas impudenter dogmatizare..... pertentent. Illos Sancta Synodus talis impietatis inventores, & patratores, & his similia sentientes, magna voce anathematizat &c.*

360. Sed, ut verum fatear, tam acris reprehensio, & tam severa censura, cadere posse non videtur in illam de duabus Animabus, una Sentiente, & altera Intelligente, sententiam, quam etiamnum quidam ex Catholicis Philosophis tuentur; sed potius in errorem Manichæorum, duas in uno quoque Homine, Intelligentes, & Volentes Animas, sibi invicem adversantes, somniantium; unam de DEI Substantia bonam, alteram malam de tenebrarum Gente, nec a DEO conditam: contra quem errorem librum conscripsit D. Augustinus *de Duabus Animabus*: [y]

DILUUNTUR CONTRARIÆ DIFFICULTATES.

361. Prima Difficultas: S. Johannes Damascenus, de Conceptu CHRISTI tanquam quid singulare tradit, [z] quod *semel ut Caro extitit, simul quoque DEI Verbi Caro extitit; simul Caro animata, Rationis, & Intelligentiæ particeps.* Contra de Conceptu B. Virginis, ait, [a] quod in Matris utero *tacitis incrementis auctus, atque formatus fuit Fœtus Sanctissimus.*

362. Diluitur: Privilegium singulare Conceptionis CHRISTI fuit, quod simulatque Sacratissima Virgo Gabrieli assensum præbuit, & Sanguis ejus purissimus in loco Conceptioni destinato congregatus est; ex hoc purissimo Sanguine, in instanti, & absque successione ulla, formatum est CHRISTI Corpus, non utcunque, sed integrum, atque perfectum, idemque suis membris, & organis instructum & absolutum; cui eodem temporis momento Rationalis Anima est infusa, & utrique Divinitas Verbi copulata: ut optime declarant Ven. Petrus Canisius, [b] & Eximius Doctor Suarez. [c] Quod quidem paulo ante significaverat S. Jo. Damascenus, his verbis: *DEI Filius per Spiritum Sanctum, pro creationis modo, sibi ipsi Corpus condidit, non ita, ut paulatim, tacitisque incrementis figura corporis absolveretur, sed uno, eodemque momento perficeretur.* Et sumpserat a S. Basilio, [d] ubi, *Non pro communi*, inquit, *natura, Caro Domini condita est. Statim enim Carne absolutus erat Fœtus ille, non paulatim fingendo formatus.*

363. Nos vero non dicimus, quod simulatque semen humanum in vulvam conjicitur, statim existat Fœtus humanus integer, atque perfectus, idemque omnibus suis membris, & organis instructus, & absolutus. Nam sponte fatemur, ad hanc perfectam & exactam formationem humani Corporis, plurimos, non solùm dies, sed & menses requiri; itaut nec post partum sit illa omnino absoluta. Ac proinde de Conceptu B. Virginis, nobis assentientibus, verum est, quod ajebat S. Damascenus, *Tacitis incrementis auctum, atque formatum fuisse.* Neque enim Pozæ opinionem sustinemus, quam impugnat Theophilus Raynaudus, [e] nempe *Corpus Mariæ, unico momento absolutum fuisse.*

364. Dicimus vero, ejusmodi absolutam membrorum perfectionem non esse necessariam, ut infundatur in Fœtum Anima Rationalis; sed

[s] 1. *Parte quæst.* 76. *art.* 3. *in Corpore V.* P. Franciscum Suarez *tom.* 1. *Metaphys. Disputationum, disput.* 15. *sect.* 10. *num.* 24.

[t] *Cap.* 15. *col.* 77. *Appendicis tom.* 8. *Operum S. Augustini.*

[u] *Lib.* 4. *Allegoriar. in* Lucam, *in explanat. Cantici B. V. M. ad ea verba*, Exultavit Spiritus meus &c. *pag.* 161. *tom.* 1. *ejus Operum edit.* Venetæ, an. 1588.

[x] *Est Canon* 11. *in Actis latine descriptis ab* Anastasio Bibliothecario, *qui ei Concilio interfuit, col.* 638. *& seq. tom.* 10. *Concilior. Est tamen Canon* 10. *cum aliqua variatione verborum in Actis græce descriptis, & a* Jacobo Radero *latine redditis, col.* 878. *& seq. ejusdem tomi* 10.

[y] *Extat tom.* 8. *Operum S. Augustini a col.* 75.

[z] *Lib.* 3. *de Fide Orthodoxa, cap.* 2. *fol.* 218. *pag.* 2.

[a] *Orat.* 1. *de Nativit. Ss. DEI Genitricis, fol.* 330. *pag.* 1.

[b] *Lib.* 3. *de Maria Deipara, cap.* 22. *a pag.* 362. *edit.* Ingolstad. an. 1583.

[c] *Tomo secundo in* 3. *par. disp.* 11. *sect.* 2.

[d] *Homilia de Humana Christi Generat. pag.* 165. *col.* 1. *edit.* Antverp. an. 1616. *ex recens.* Andreæ Scotti Soc. Jesu.

[e] *In Diptychis Marianis, par.* 1. *pun.* 5. *num.* 17. *pag.* 23. *tom.* 7.

ſed eam partium diſpoſitionem ſufficere, qua Fœtus poſſit, ſe nutriendo, & augendo, actus vitales exercere. Et hanc ipſam diſpoſitionem non dicimus habere ſemen eo ipſo momento, quo in vulvam injicitur, ſed poſt aliquot horas, vel etiam poſt paucos dies. Unde & in hac Sententia datur locus diſtinguendi Conceptionem Seminalem, a Conceptione Vitali, ſeu Animali, quarum una alteri præcedat tempore: juxta ea quæ diximus in Apparatu a *num.* 136.

365. Secunda Difficultas: Leges Civiles, & Canonicæ, illarumque Interpretes in ſtatuendis, & exigendis pœnis adverſus Procurantes abortum, longius tempus, quam unius, trium, aut ſex dierum, animationi Fœtus ſtatuiſſe videntur.

366. Diluitur. Cum ad Legiſlatores humanos, Legiſque Peritos non ſpectet de re phyſica, vel medica quidquam definire; illi prudentiſſime in ſtatuendis, & exigendis pœnis vulgarem opinionem, utpote Reis magis favorabilem, ſequi maluerunt. Martianus cenſet, Legum Interpretes, Philoſophorum Principem Ariſtotelem hac in re determinanda conſuluiſſe, qui articulationem in Maſculis, diebus 40. in Fœmellis, 60. fieri teſtatus eſt *lib.* VII. *de Hiſtoria Animalium.* Quia eorum Sæculo Hippocratis Opera penitus latuerunt, quo uſque Clemens VII. Fabio Calvo, ea ex Græco in Latinum Idioma, ex membranis Vaticanis, ubi adſervabantur, convertendi onere impoſito, Hippocratem quaſi e mortuis reſurgere curavit.

367. Attamen S. Baſilius in ſua Epiſtola I. Canonica ad Amphilochium Iconii Epiſcopum, abſque ullo diſcrimine ſanxit: [*f*] *Quæ de induſtria Fœtum corrupit, cædis* (ideſt Homicidii) *pœnas luit. Formati autem, vel informis ſubtilitas a nobis non attenditur.* Quibus verbis indicat, omnem Fœtum reputandum eſſe animatum. Et in hujus Canonis Commentario Theodorus Balſamon Patriarchá Antiochenus, Sæculi XII. exeuntis Auctor, notat, *Hoc dictum eſſe propter eos, qui dicunt, quod, quoniam ſemen in matricem dejectum eſt, non ſtatim formatur in Hominem, ſed prius quidem fit ſanguis, deinde in Carnem humanam concreſcit, deinde effingitur &c.* Unde colligitur, opinionem iſtam de retardata Animæ infuſione, tunc temporis minus receptam fuiſſe.

368. Tertia Difficultas: In Lege veteri [*g*] ſtatutum eſt: *Si litigaverint duo Viri, & percuſſerit quis Mulierem, in utero habentem, & exierit Infans ejus nondum formatus, detrimentum patietur, quantum indixerit Vir Mulieris, & dabit cum poſtulatione. Si autem formatus fuerit, dabit Animam pro Anima.* Quia nimirum tunc ſolum cenſetur homicida.

369. Diluitur: Lex hæc juxta Verſionem LXX. citata eſt; de qua Verſione S. Hieronymus ait, [*h*] quod *Pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, non permanet:* & alibi obſervat, [*i*] *Quanta ſeptuaginta de ſuo addiderint, quanta dimiſerint.* Certe juxta vulgatam Editionem, quam præ ceteris omnibus ſequi debemus, lex iſta nihil habet de Infante formato, vel nondum formato; ſed tantum Matris vitâ, vel morte pœnam metitur. En ejus verba: *Si rixati fuerint Viri, & percuſſerit quis Mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit; ſubjacebit damno, quantum Maritus Mulieris expetierit, & Arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus* (ſcilicet Mulieris) *fuerit ſubſecuta, reddet Animam pro Anima.*

370. Cæterum Divus Auguſtinus, hunc locum, juxta ipſam Verſionem LXX. receptum, ſic intelligit, ut nihil ibi de Anima definitum credat: „ Hic, *inquit*, de Anima quæſtio ſolet agitari, „ utrum quod formatum non eſt, ne animatum „ quidem poſſit intelligi, & ideo non ſit homi- „ cidium, quia nec exanimatum dici poteſt, ſi „ adhuc Animam non habebat. Si ergo illud „ informe puerperium jam quidem fuerit, ſed „ adhuc quodammodo informiter animatum; „ (quoniam magna de Anima quæſtio non eſt „ præcipitanda indiſcuſſæ temeritate Sententiæ) „ ideo Lex noluit ad homicidium pertinere; „ quia nondum dici poteſt Anima viva in eo „ Corpore, quod ſenſu caret, ſi talis eſt in carne nondum formata, & ideo nondum ſenſibus „ prædita. „ [*k*]

371. Quarta Difficultas: Non eſt in more poſitum, Abortivos Fœtus baptizare, niſi ſaltem vitalem motum edant: quod videtur eſſe conforme Rituali Romano, præſcribenti: *Si Infans in utero Matris clauſus, aliud a capite membrum emiſerit, quod vitalem indicat motum, in illo, ſi periculum impendeat, baptizetur.* Id autem non contingit poſt tam paucos a prima Conceptione dies, multo minus poſt horas.

372. Diluitur: Ex hac ipſa Regula magis firmatur noſtra Sententia. Nam ſi vera eſſet illa ſucceſſio Animarum, vitalis motus non foret certum Animæ Rationalis indicium. Sicut enim nutritio ex Anima tantum Vegetante, ita & vitalis motus ex Anima dumtaxat ſentiente provenire poſſet.

373. Itaque cum nihil aliunde de Abortivorum Fœtuum Baptiſmo, in Rituali Romano, (quod juſſu Pauli V. editum eſt anno 1614.) præſcriptum habeamus; ſatis probabile eſt, quod Hieronymus Florentinius pluribus argumentis ſuadere conatur: [*l*] Fœtum Abortivum, quocunque tempore ejectum, ſi in eo appareant lineamenta Fœtus Humani propria, propter quæ a *Mola* diſtinguatur; baptizari poſſe, & conſequenter debere ſub conditione. Cui opinioni ſex Univerſitates, & ſex ſuprema triginta Theologi diverſorum ordinum apud ipſum ſubcripſerunt. Sed advertendum cenſeo, id fieri debere ſtatim ab ejectione: quia, ut notat Zacchias, in ejuſmodi Abortibus, ob ipſorum debilitatem facillimum eſt, Animam a Corpore ſeparari.

[f] *Canone* 2. *pag.* 493. *ejus Operum edit.* Antverp. *cit.*
[g] *Exodi cap.* 21. *verſ.* 22. *& ſeq.*
[h] *Initio Præfationis in lib. Peralipom. ad* Chromatium Epiſcopum, *in fine Sacror. Biblior.*
[i] *Epiſt.* 33. (al. 101.) *ad* Pammachium, *col.* 255. *par.* 2. *tomi* 4.
[k] *Lib.* 2. *Quæſtion. in Exodum, qu.* 88. *col.* 448. *par.* 1. *tomi* 3.
[l] *Diſputat.* 1. *ſect.* 9. *& ſeq. a pag.* 80.

ARTICULUS III.

Formale Catholicæ Ecclesiæ Testimonium, a Pia Parte allegatum.

374. COMMUNIS Fidelium Sensus, ipse est Catholicæ Ecclesiæ Formale Testimonium. Ut igitur hoc Testimonio Piæ Sententiæ Veritatem fortiter adseramus, duo nobis ostendenda sunt. I. Esse, & fuisse in Ecclesia Catholica Communem Fidelium Sensum de Immaculata DEI Genitricis Conceptione. II. Communem hunc Fidelium Sensum, firmissimum esse ejusdem Catholicæ Ecclesiæ Testimonium; quin huic firmitati officiat contrarius paucorum dissensus.

§. I.

Est, & fuit in Ecclesia, olim tacitus, postea expressus, Communis Fidelium Sensus de Immaculata DEI Genitricis Conceptione.

375. QUod prioribus Ecclesiæ Sæculis communis fuerit apud Fideles tacita quædam persuasio de Immunitate B. Virginis ab omni prorsus Peccato, etiam Originali; colligi posse videtur ex illa Generali Traditione Patrum, quam inde a temporibus Apostolicis per duodecim Sæcula perduximus Act. II. Art. III. In illa namque Traditione, implicite contineri ejusmodi Immunitatem, satis, ut arbitror, ibidem declaravimus. Quod autem tradebant communiter Patres, hoc Fideles Populi sibi facile persuadebant.

376. Speciatim vero tacitus iste Fidelium sensus eruitur ex celebri quodam D. Augustini loco, libro IV. *Operis imperfecti contra Julianum.* Inter alia, quæ Augustino, catholice adstruenti Originale Peccatum, Julianus calumniose improperabat, erat, Ipsum cum Joviniano sic comparare: [m] *Ille*, ajebat, *Virginitatem Mariæ, partus conditione dissoluit. Tu ipsam Mariam Diabolo, nascendi conditione transcribis.* Hoc est per Originis Peccatum in potestatem transfers Diaboli: quare non tam de Nativitate loquitur, quam de Conceptione, cùm primum incurritur Originale Peccatum. Istud sane Julianus, Vir alioqui sagax, & acutus Augustino non improperasset, nisi exploratum tunc esset, Communi Fidelium Sensui dissonare: *Mariam transcriptam esse Diabolo conditione nascendi*; non minus ac, *Mariæ Virginitatem Partus conditione dissolutam.* Quid autem respondet Augustinus? Num factum excusat? Num disparem rationem reddit? Nequaquam, sed potius & ipse id quoque dissonum agnoscens rotunde negat: *Non transcribimus*, inquit, *Diabolo Mariam conditione nascendi.*

377. Subdit vero Augustinus: *Sed ideo, quia ipsa conditio solvitur Gratiâ renascendi:* ut significaret, quod debuerat etiam MARIA transcribi Diabolo conditione nascendi, sicut & reliqui Adæ Posteri: sed in MARIA hæc nascendi conditio, seu nativa obligatio soluta est Gratiâ renascendi, non qualicunque, sed speciali, quæ ipsam ejus Nativitatem, & Conceptionem præservaverit a Captivitate Diaboli. Hanc porro Gratiam præservantem, Renascendi Gratiam appellat Augustinus; quemadmodum aliis in locis, Actione I. *num.* 63. & 64. adductis, Redemptionem etiam vocat, eam, qua præservamur a malis incurrendis; & Gratiam dimissionis Peccatorum, eam, qua præservamur a Peccatis committendis.

378. Ex laudato D. Augustini loco nil aliud colligi posse, ait Valdesius, [n] quàm, *sanctificatam in utero Matris fuisse Mariam.* Hoc ut evincat, ea verba: *Non transcribimus Mariam &c.* exponit in hunc modum: „ Idest, statuimus „ profecto, ne MARIAM quidem Immunem „ fuisse a reliquorum Hominum conditione, „ sed non diu fuit Diabolo obnoxia, quia con„ ditio illius, sive servitus per Divinam Gra„ tiam soluta, sublataque fuit. *Tum adjungit:* „ Quum dicit *Gratiam renascendi*, proculdu„ bio præcedentem indicat *Conditionem nascen„ di*: quod idem est ac dicere: Concepta fuit „ in servitute Peccati, sed per supervenientem „ Gratiam renata, hoc est reconcepta fuit, at„ que a Servitute soluta..... eadem ratione in„ fra eod. *Lib.* IV. *cap.* (corr. *num.*) 134. in„ quit, *Jeremias & Johannes, quamvis sanctifi„ cati in utero Matrum, traxerunt tamen Origi„ nale Peccatum.* „

379. Si Valdesii expositio vera est, ex hoc textu infertur potius, MARIAM in Originali Peccato natam fuisse. Nam, qui cum Originali Peccato concipiuntur, juxta D. Augustinum nullo modo renasci dici possunt, per hoc quod reconcipi dicantur; ut late probat in Epistola ad Dardanum, quam citavimus & expendimus in Apparatu *n.* 123. & 124. Alter Augustini locus Valdesii scopo potius nocet; Ibi namque S. Doctor, secundum ea, quæ in citata Epistola scripserat, adstruit Originale Peccatum, quod Johannes, & Jeremias *traxerunt* ex utero, cui delendo eam qualemcunque Sanctificationem in utero, imparem fuisse ait; ut apertissime patet ex verbis proxime sequentibus: *col.* 1218. *par.* 2. *tomi* 10.) *Nam quo alio*, inquit, *merito interirent*

[m] *Num.* 122. *col.* 1207. *par.* 2. *tom.* 10.

[n] *Epist.* 5. *pag.* 53. & 54.

rent eorum Animæ de Populo suo, nisi die octavo circumciderentur ..... Erant ergo illi & natura Filii Iræ, ab Uteris Matrum, & Gratiâ, Filii Misericordiæ ab Uteris Matrum: quia nec illa eis adhuc inerat Sanctitas, quæ vinculum solveret successionis obnoxiæ, quod suo tempore solvi oportebat, & inerat tamen, quæ Præconem (al. *Præcones) Christi a maternis visceribus designabat.*

380. Sed & ex alio capite Valdesii expositio rejicienda est: quia nimirum verbis D. Augustini sensum nedum alienum, sed plane mendacem appingit. Quantum sapio, quantum capio, quid est, *Mariam non fuisse transcriptam Diabolo conditione nascendi*; Nisi *Mariam non subiisse reliquorum Hominum conditionem, qua Diabolo obnoxii concipiuntur, subindeque nascuntur*? Dum ergo D. Augustinum per ea verba, *non transcribimus Mariam &c.* intellexisse ait: *Statuimus profecto, ne Mariam quidem Immunem fuisse a reliquorum Hominum conditione &c.* S. Doctorem arguis, aliud ore, aliud mente gessisse. Nec quia Augustinus sentiebat, *Mariam non diu fuisse Diabolo obnoxiam* (quod idem est ac, *Diabolo transcriptam*) idcirco cum veritate negare simpliciter poterat, *Mariam non fuisse Diabolo transcriptam.*

381. Est & alius locus apud D. Augustinum, [*o*] unde colligitur communis sensus Fidelium illius ævi de absolutissima DEI Genitricis Puritate. Pelagius quoque, ut probaret, posse Hominem esse absque peccato, B. Virginis exemplum objectabat, dicens, *Ipsum Domini, & Salvatoris nostri Matrem, sine peccato confiteri, necesse esse Pietati.* Hoc tantùm abest, ut negaverit Augustinus, ut potius confirmaverit, & ampliaverit, respondens: *Quod ei plus Gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum.* Recole quæ dicta sunt Actione II. *num.* 284. *& seq.*

382. Demum, quod Sensus de Immaculata DEI Genitricis Conceptione in intimis Fidelium animis jam inde a primis Sæculis latebat impressus; non obscure colligitur ex eo, quod cùm primum hæc Sententia, initio Sæculi XIV. a Johanne Duns Scoto clarius explanari, & luculentius defendi cœpit; atque ab ejus Asseclis palam in Templis prædicari Populo; nequicquam acriter reclamantibus, & omni ope renitentibus non paucis Ordinis Prædicatorum gravissimis, & doctissimis Viris; Populus Christianus, nullâ fere morâ, hæsitatione nulla, consensit: nec tantum Populus, sed & Populi Pastores, atque Doctores in eandem Sententiam subinde concesserunt. Eo successu, ut Piam Partem, cum Adversa Parte comparantes, merito dicere valeamus, quod de domo David, & domo Saul Sacra Scriptura notavit: [*p*] *Facta est ergo longa concertatio inter domum Saul, & inter domum David. David proficiens, & semper se ipso robustior: Domus autem Saul, decrescens quotidie*: ut, subsequentia Sæcula percurrendo, monstrabimus.

COMMUNIS, ET EXPRESSI DE IMMACULATA DEI GENITRICIS CONCEPTIONE, FIDELIUM SENSUS, INITIUM, PROGRESSUS, ET MAXIMUM INCREMENTUM.

SÆCULUM CHRISTI XIV.

383. Claruit circa annum 1314. nempe annum sextum a Scoti morte, insignis ille Ord. Præd. Concionator, Johannes a S Geminiano. In una ex ejus Concionibus, post expositum totius Generis Humani Originale Peccatum, hanc monitionem legimus: [*q*] *Hic attendat pius Lector, & Christianæ Veritatis Cultor, quod ab universali hac sententia, uti Modernorum tenet Ecclesia, excipitur Virgo Maria, in Conceptione Purissima, quæ per Gratiam prævenientem præservata creditur, & colitur.* Quid porro est, *Modernorum Ecclesia*, nisi Communis Fidelium Sensus eo tempore viventium?

384. Cl. Vir Jacobus Echard [*r*] contendit, editionem Sermonum, seu Concionum Funebrium Johannis a S. Geminiano, Parisiensem anni 1611. *apud Michaelem Nivellum*, curatam, & expurgatam *studio M. Joachimi Forgemolvultii D. T. Parisiensis*; ab Editore interpolatam esse, quod patere, ait, ex collatione facta cum antiquiori editione Lugdunensi eorundem Sermonum anni 1510. At cum laudata sententia non solum reperiatur in dicta editione Parisiensi, quam reprobat Echard, verum etiam in editione Antverpiensi anni 1617. apud Viduam, & Hæredem Petri Belleri, curata, & expurgata, *operâ & studio R. P. Richardi Gibboni Soc. Jesu*, quam præ manibus habemus, nec non in alia editione Lugdunensi anni 1526. apud Antonium Vincentium, quam attestantur Scriptores *Armamentarii Seraphici*; [*s*] Non est, cur de sinceritate allegatæ Sententiæ Geminiani dubitemus; cum alioqui, cujus notæ sit editio illa Lugdunensis ab Echardo laudata, & an eam sententiam respuat, nesciamus.

385. Ex aliis insuper, iisque certissimis, & authenticis Monumentis liquet, viguisse hoc Sæculo in Ecclesia Communem de Illibata B. Virginis Conceptione Fidelium Sensum. Anno 1387. Johannes de Montesono quasdam in publica Schola dictavit, ac docuit Theses, Piæ Sententiæ injuriosas. Illas Theologica Facultas Academiæ Parisiensis statim proscripsit, tanquam *falsas, scandalosas, piarum aurium offensivas, & præsumptuose assertas.* [*t*] Cum autem huic censuræ Montesonus non acquiesceret, sed ad Pontificem provocaret; Petrus ab Alliaco, Doctor

[o] *Lib. de Natura, & Gratia, cap.* 36. *num.* 42. *col.* 144. *par.* 1. *tom.* 10.
[p] *Lib.* 2. *Regum cap.* 3. *ver.* 1.
[q] *Sermon. seu Concion. Funebrium distinct.* 2. *Serm. seu Concione* 6. *pag.* 49. *col.* 4. *edit.* Antverp.
[r] *Tomo* 1. *de Scriptorib. Ord. Præd. ad an.* 1314. *pag.* 528.
[s] *In Appendice Regesti Universalis col.* 702.
[t] *V. pag.* VII. *& col.* 693. *& seq. tomi* 1. *Oper. Gersonis ex edit.* Dupini.

Doctor Parisiensis, dein Archiepiscopus Cameracensis, & S. R. E. Cardinalis, in ejusdem censuræ defensionem, totius Academiæ nomine, Tractatum conscripsit: [u] in quo tractatu censuram decimæ Thesis, quæ erat: *Non omnem Hominem, præter Christum, contraxisse ab Adam Peccatum Originale; est expresse contra Fidem*: Hac ratione tuetur. [x]

386. „ Illa propositio est falsa, scandalosa &c. „ quæ asserit, aliquid esse expresse contra Fidem, quod multi Sancti, & Doctores Catholici tenent, & quod multi Summi Pontifices, & S. R. E. Cardinales, & alii majores Prælati, & plures particulares Ecclesiæ, „ immo fere UNIVERSALIS ECCLESIA, „ aut ejus major, & sanior Pars, asserunt, & „ publice dogmatizant; & ad ejus probationem „ tenent, miracula esse facta, & in cujus commemorationem annuale Festum celebrant. Sed „ prædicta Propositio est hujusmodi. Ergo &c. „ Major patet, quia absurdum est, quod tales, „ & tanti Catholici teneant, & asserant expresse, vel expressissime contra Fidem; & quod „ Summus Pontifex, & alii Majores Ecclesiæ „ Prælati faveant sic errantibus contra Fidem.„ Idque confirmat auctoritate D. Augustini, [y] inferius expendenda.

387. Nisi ergo tanto Viro, quantus fuit Petrus de Alliaco, enormis Impostoris notam inurere quis velit, fateri debemus, tunc temporis, id est sæculo XIV. Piam Sententiam ita percrebuisse, ut illam publice profiteretur *fere Universalis Ecclesia, aut ejus major, & sanior Pars; in qua multi Sancti, & Doctores Catholici, multi Summi Pontifices, & S. R. E. Cardinales, & alii majores Prælati* comprehendebantur. Quas vero Turbas concitaverint Parisiis, & Rothomagi Theses illæ Montesoni, vel dictatæ in Cathedris, vel e sacro suggestu defensæ; narrant Spondanus, & Alexander, locis citatis.

388. Clarebat etiam hoc Sæculo, etsi sequenti Sæculo mortem obierit, magnus ille Cancellarius Parisiensis Academiæ, Johannes Gerson, qui laudati Petri de Alliaco Discipulus fuit. *Hic Vir ingentis Doctrinæ, atque Pietatis* (ut eum appellat Possevinus) in suo Sermone *de Immaculata B. Mariæ Conceptione*, ejusdem Communis Ecclesiæ Sensus testimonium perhibet his verbis: [z] *Dicere possumus, hanc veritatem de illis esse Veritatibus, quæ noviter sunt revelatæ, vel declaratæ tam per Miracula, quæ leguntur, quàm per majorem Partem Ecclesiæ, quæ hoc modo tenet:* Et infra: *Considerata multitudine Doctiorum novorum, & Prælatorum Ecclesiæ, qui dicunt, hanc Opinionem veram esse &c. securius est, sic tenere, quàm oppositum.* Et rursus; *Aliud autem est modo, quàm tempore S. Bernardi: nam veritas est magis elucidata, & celebratur hæc Solemnitas quasi per universam Ecclesiam Romanam, & alibi.* Scilicet in Græca Ecclesia.

SÆCULUM CHRISTI XV.

389. Prodierunt hoc Sæculo in approbationem, & tutelam Piæ Sententiæ, Decretum Concilii Basileensis, & tres Sixti IV. Constitutiones; quæ verisimiliter ex communi Fidelium sensu originem duxisse creduntur: ut de Concilio Basileensi anteriore, clare colligitur ex iis, quæ in eo peroraverat Johannes de Segovia: [a] *Doctrinam*, ajebat, *de Sancta Conceptione universi fere Fideles firmiter credunt, profitentur, laudant, & publice venerantur.* Sed & alios Testes speciales producamus.

390. Johannes Trithemius, Abbas Spanheiemensis, Auctor tunc temporis in paucis eruditus, [b] „ MARIAM, *inquit*, ab omni Originali Sorde præservatam, Sancta Romana sentit Ecclesia. Idem Schola firmiter credit, docet, & defendit Parisiana. Consentiunt Lipsienses, Tubingenses, Moguntinenses, Lovanienses, & Erphordiani: (*quibus alibi* [c] „ *adjungit* Doctores Gymnasiorum Heydelbergensis, Viennensis, Ingolstadiensis, Basileensis.) Totus denique Cœtus Claustralium Ordinis, quem profiteor S. Benedicti, Romanæ consentit Ecclesiæ, & puram confitetur „ semper extitisse Conceptionem Sacrosanctæ „ Virginis MARIÆ, Fratres etiam ipsius B. MARIÆ Virginis, hoc ipsum sentiunt, dicti Carmelitæ. Consentiunt & nobis Fratres Minores D. Francisci; simul & Canonici, una cum „ Eremitis S. Augustini. Et quid opus est, reliquarum Religionum nomina singulatim recensere, quarum Professores MARIAM, omni „ laude vere dignissimam, ab Originali Reatu „ præservatam, & credunt, & sentiunt? Quando, exceptis paucissimis, omnes pene totius „ Ecclesiæ Pontifices, Rectores, & Doctores „ cum Clero simul, & universo Credentium „ Populo, a Minore usque ad Maximum, nobiscum in eandem Sententiam concurrunt.„

391. Similia refert in Chronico sui Monasterii Spanheiemensis ad annum 1494. [d] Ubi etiam ad annum 1497. [e] narrat, quod concionante adversus Immaculatam B. Virginis Conceptionem Fratre quodam Johanne Vero, in Oppido Deppe Rothomagensis Diœcesis, *Scandalum grande in Populo fuit exortum: quia omnes ferme hodie, præter paucos Prædicatores, credunt, sentiunt, & prædicant, DEI Genitricem, omni laude dignissimam, Originali nunquam subjacuisse Peccato, sed præservatam semper.*

392. Aca-

[u] *Hunc Tractatum extare manuscriptum in Biblioth. Collegii Navarrici, testatur* Henricus Spondanus *tomo* 1. *Continuat. Annalium* Card. Baronii, *ad* an. 1387. *num.* 7.

[x] *Apud* Natalem Alexandrum, *tom.* 7. *Histor. Ecclesiast. Sæculo* 13. *&* 14. *cap.* 3. *art.* 23. *ubi & alia ex illo tractatu excerpta exhibet.*

[y] *Lib.* 2. *de Doctr. Christiana cap.* 8.

[z] *In prima, secunda, & quarta Considerat. a col.* 1330. *tomi* 3. *edit. cit.*

[a] *Avvisamento* 7. *ad Conc. Basileense pag.* 529. *edit. citandæ.*

[b] *Lib.* 1. *de Miraculis ad invocation. B. V. M. in Urticeto &c. cap.* 2. *pag.* 1135. *& seq. Operum Piorum*, *edit.* Mogunt. an. 1605.

[c] *Epist.* 33. *de Concept. Immaculatæ Virginis pag.* 971.

[d] *Pag.* 406. *tomi* 2. *Operum Historicorum*, *edit.* Francofurt. an. 1601.

[e] *Pag.* 409. *ejusdem tomi.*

392. Academia Parisiensis, in Statuto, quod condidit anno 1497. pro sancte tuenda Illibata B. Virginis Conceptione, communem Fidelium sensum potissimùm inculcat: [f] „ Quod sanctum, *inquit*, Synodi (*Basileensis*) Decretum, cum omnium Ecclesiarum, tum etiam totius Populi Christiani judicio, consensu, ac religione comprobatum, confirmatumque videamus; non possumus quorundam vanam Superbiam, temerariam, insanamque Obstinationem non admirari, non indigne, molesteque ferre, qui hoc nostro adhuc tempore, ejusmodi Piam, & Religiosam Doctrinam &c. aut oppugnare, aut in dubitationem revocare non verentur. „

393. Monachus quidem Carthusiensis Vallis DEI, natione Normannus, Ebroicensis Diœcesis, circiter annum 1485. Dialogum conscripsit de *Diversarum Religionum Origine*, cujus Interlocutores sunt Mater, idest Ecclesia, & Filius. [g] In hoc Dialogo, ajenti Filio de præsenti causa: *Æstimo Mater, quoniam quæstione ipsa satis difficili in Basileensi Concilio ventilata, & cum matura Venerabilium Patrum deliberatione diffinita, & declarata; non ultra persistent in sua Sententia.* Respondet Mater: *Stultum esset valde, & præsumptuosum, cum per Orbem universum, nostrorum Universitas Filiorum inconcusse teneat, ac firmiter credat, eam (* B. Virginem *) semper Mundissimam extitisse, nec unquam ullam, seu Originalem, seu Actualem contraxisse Culpam. Quod si contrarium verum esset, de ipsius Conceptione Festum non fieret &c.*

SÆCULUM CHRISTI XVI.

394. COmmunis Fidelium Sensus de Immaculata DEI Genitricis Conceptione, hoc Sæculo tantopere invaluit, ut in ejus Testimonium duos Adversæ Partis primarios Magistros advocare non dubitem. Thomas Cajetanus Cardinalis de Vio in Opusculo *de Conceptione B. Virginis*, [h] quod anno 1515. Leoni X. obtulit: *Jam*, inquit, *communis facta est hodie ista opinio, ita, ut omnes fere Catholici Latinæ Ecclesiæ arbitrentur, obsequium se præstare DEO, in hujusmodi sequela opinionis.* M. Melchior Canus, qui aliquot post annos, eodem tamen Sæculo scribebat, agens de Propositionibus male sonantibus, [i] *Si Propositionum*, inquit, *absonarum, consonarumque Judicium Ecclesia in Vulgi auribus collocasset, illam certe Propositionem:* B. Virgo Peccatum Originis a primo Parente contraxit: *male sonare, & pias aures offendere judicaremus: Illâ enim auditâ, Vulgus sine dubio perstringitur, percutitur, torquetur.*

395. Quod de solo Vulgo scripsit Canus, alter ejusdem Ordinis Magister, in Concilio Tridentino Theologus, Dominicus Soto, ad bonos etiam Doctores extendit, [k] asseverans, *Exceptionem B. Virginis a communi lege Originalis Peccati esse usque adeo celebrem, non modo inter plebes, sed etiam inter bonos Doctores, quales præcipue sunt Illustrissimi Parisienses; ut si qui hanc sibi Sententiam persuadere non possunt; haud tamen debeant publicitus talem prodere Disputationem: adeo id absque odio, & invidia nequirent facere.*

396. Eundem Communem Ecclesiæ Sensum enucleatius expressit noster Alphonsus Salmeron, qui etiam in Tridentina Synodo Theologi munere functus est. [l] „ Ex quo, *inquit*, ista quæstio discuti cæpit, pene omnes in Theologia Magistri, omnes Verbi DEI Præcones, omnes Reges, & Principes, omnes Respublicæ, cunctique Populi, omnes Pontifices, & Pastores, & Religiosi, una, & illa quidem ex parte, tantum excepta Religione; in hanc Sententiam convenerunt, quam & cultu divino celebrant; ut dicere possimus: „ *Plures nobiscum sunt, quam cum illis.* „ 4. *Regum. 6. 16.*

397. Addamus & alios duos nostræ Societatis gravissimos Theologos, Franciscum Suarez, & Gabrielem Vasquez, qui hoc etiam Sæculo docere, & scribere cæperunt. Quorum Alter, [m] „ Postquam, *inquit*, ante quingentos annos Veritas hæc clarius cæpit doceri, ita insedit Fidelium animis, crevitque paulatim ejus Fides, ut jam fere omnium consensu recepta sit: & præsertim ab hinc ducentis annis, ferme omnes Ecclesiasti Scriptores, Episcopi, universæ fere Religiones, & Academiæ subscripserunt. „ *Alter vero*, [n] „ Hoc, *ait*, „ tempore non solum omnes Theologiæ Professores, & Doctores, exceptis Dominicanis, sed etiam omnes, qui Christiani nominis Fidem profitentur, in hanc Sententiam uno animo, & affectu ita conspirant, ut sine magno Populi scandalo, jam nemo possit oppositam Populo in Concionibus exponere. „

SÆCULUM CHRISTI XVII.

398. TAm universe, tam firme Sapientium, & Insipientium mentibus, & animis inhærebat, hoc Sæculo, Pia de B. Virginis Immaculata Conceptione Persuasio; ut ad vitanda gravissima Scandala, quæ *ex occasione Assertionis contrariæ* oriebantur, Sedi Apostolicæ opus fuerit, Parti Adversæ silentium indicere, primò quidem in quibuscunque publicis Actibus;

[f] *Extat apud* Natalem Alexandrum *tom. 7. Histor. Ecclesiast. Sæculi 13. & 14 cap. 5. art. 1. pag. 151.*

[g] *Extat hic Dialogus tomo 6. Collectionis Veterum Scriptorum &c. ab* Edmundo Martene, *&* Ursinum Durand *edita* Parisiis an. 1729. *Verba relata sunt cap. 31. quod est* de Ordine Fratrum Minorum, *col. 73.*

[h] *Tomo 2. Opusculorum* Cajetani, *Tract. 1. de Concept. B. V. cap. 5. pag. 141.*

[i] *Lib. 12. de Locis Theolog. cap. 11. fol. 394. pag. 2.*

[k] *Comment. in Epist.* Pauli *ad Romanos cap. 5. ver. 12. pag. 156.*

[l] *Disput. 51. in Epistolam ad Romanos, cap. 5. pag. 467. col. 2. tomi 13. suorum Commentar. edit.* Colon. Agripp. an. 1604.

[m] *Tomo 2. in 3. Par. disp. 3. sect. 5.*

[n] *Tomo 2. in 3. Par. disp. 116. cap. 2.*

quod præstitit Paulus V. anno 1617. deinde etiam in privatis, & familiaribus Colloquiis, quod anno 1622. Gregorius XV. adjecit.

399. Hoc eodem Sæculo, anno 1661. Alexander V. aurcam illam Constitutionem, *Sollicitudo*, promulgavit, ubi inter alia, in favorem Piæ Sententiæ disposita, hujus Communis Fidelium Sensus initium, progressus, & maximum incrementum, Universæ Ecclesiæ declaravit. „ Vetus est, *inquit*, Christifidelium erga ejus „ Beatissimam Matrem, V. MARIAM Pietas, „ sentientium ejus Animam in primo instanti „ Creationis, & Infusionis in Corpus, speciali „ DEI Gratia &c. Crevitque horum numerus „ post editas a F. R. Sixto Papa IV. in ejus Commendationem Apostolicas Constitutiones &c. „ Aucta rursus, & propagata fuit hæc Pietas „ post erecta hoc nomine &c. Ita, ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc Sententiam, jam FERE OMNES CATHOLICI eam complectantur. „ Quæ hic indicasse, sufficiat.

SÆCULUM CHRISTI XVIII.

400. RIdendum sane me præberem, si quæsitis argumentis conarer ostendere, hoc Sæculo, in quo versamur, Universos ferme Christi Fideles in Immaculatæ Conceptionis Sensum, & Cultum convenire. *Nonne ista* (Lectores mei dicerent) *Cantant & in Montibus Pastores, & in Theatris Poëtæ, & Indocti in Circulis, & Docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacratis Locis, & in Orbe terrarum Genus Humanum?* [o]

401. Sed, o miram Humanæ Mentis, suo arbitrio relictæ, contradicendi pruriginem! De unanimi fere Doctorum Hominum Sensu adhuc hodie dubitat Lampridius. [p] „ Etenim, *inquit*, postquam prudenti Ecclesiæ Decreto „ sublata est Contrariæ Sententiæ Fautoribus loquendi, & scribendi facultas, campusque liber unis Scotisticæ Patronis est relictus; incertum est, quid Viri Docti revera de hujusmodi quæstione sentiant &c. Et sane referri „ huc possunt Caramuelis verba, [q] latiori significatione ab eo concepta, sed a me restricta ad solam quæstionem de persuasione Certitudinis: *Hodie cujus Opinionis sint Doctores, „ nescimus; nam siqui contrariam tenent, præcipiuntur tacere, aut loqui nobiscum, qui piam „ defendimus. Ego quam Opinionem habeam, „ scio; quam habeas nescio. Nec ex verbis eam „ colligere possem: nam si forte severam teneas, „ nec licite, nec impune illam prodes. Et si prudens sis, malles in materia probabili (damnare enim Hæreseos Piam Sententiam, delirare „ est, & te accommodare Superiorum Dictamini, quàm coram DEO in Conscientia, coram „ Mundo in honore, & commoditate, pati jacturas, & censuras.* „

402. Paradoxa sunt ista, illis D. Augustini verbis [r] revincenda: *Mira sunt, quæ dicitis; Nova sunt, quæ dicitis; Falsa sunt, quæ dicitis. Mira stupemus, Nova cavemus, Falsa convincimus.* Mirum sane est, quod, cum tribus ante indictum silentium Sæculis, priores Doctores in Piam Sententiam mirabili consensione conspiraverint; Decreta illa Pauli V. Gregorii XV. & Alexandri VII. eandem Sententiam mirifice promovendo effecerint, ut de posterioribus Doctoribus dubitandum sit, an quam ore profitentur, ex animo tueantur. Novum & inopinatum insuper est, Sapientes Viros, ob indictum duntaxat Contrariæ Parti silentium, Piam Partem, quidquid interius sentiant, oblata, vel etiam non oblata occasione, & docere in Scholis, & defendere in Circulis, & prædicare in Templis, & editis quoque libris illustrare. Lege P. Johannem de Cardenas. [s] Demum quadraginta circiter annis, priusquam suam Constitutionem ederet Alexander, prodierant Pauli V. & Gregorii XV. Decreta, Parti Contrariæ perpetuum silentium indicentia: & tamen Alexander indubitanter pronuntiavit, quod: *Accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc Sententiam (Piam,) jam fere omnes Catholici eam complectantur.* Numquid hallucinatus est Alexander?

403. Magis autem se implicat Lampridius, restringendo verba Caramuelis ad solam quæstionem de Persuasione Certitudinis. Ipsum interrogo: Est-ne Apostolicis illis Decretis sublata facultas quidquam loquendi, vel scribendi contra Certitudinem ipsam Piæ Sententiæ? Si negas; jam non erit, cur Viri Docti, contrarium interius sentientes, adversus hanc Certitudinem non loquantur, non scribant. Si affirmas; edissere, qua licentia, Piæ Sententiæ Certitudinem, quinque integris Capitibus ab VIII. ad XIII. oppugnare pergas?

404. Aliter restringenda videntur Caramuelis verba, quod de iis tantum loquatur, qui contrariam Sententiam ante illa Decreta palam sustinebant; ut non obscure indicat, cùm ait: *Si qui contrariam tenent, præcipiuntur tacere, aut loqui nobiscum, qui Piam defendimus.* Secus, qua consequentia Caramuel in eodem Tomo [t] tam asseveranter dixit, *Generales Scripturarum Sententias de Originali Peccato, pro B. Virgine, summo totius Ecclesiæ consensu, & consilio hodie restringi?*

405. Et hic scire vellem a Lampridio, an de suo Caramuele nesciat, quid in hac quæstione senserit; quem sic de se ipso scribentem [u] audimus: *Qui non solum quandiu vixerit, sed quandiu fuerit, non jam illam bene natam, quod Hieremiæ, & Baptistæ, aut forte aliis commune fuit; sed etiam bene fuisse conceptam, quod in ipsa singulare fuit, etiam toto profuso, si occasio detur, SANGUINE propugnabit.* Sed totus horret ad hoc verbum Lampridius.

A PIO,

[o] *Sunt verba D. Augustini lib. de duabus Animabus contra Manichæos, cap. 11. col. 86. tomi 8.*
[p] *Cap. 9. pag. 65.*
[q] *In Theologia Morali Fundamentali, Fund. 5. num. 312. pag. 87. edit.* Lugd. an. 1657.
[r] *Lib. 3. contra Julianum cap. 3. n. 9. in fine col. 557. tomi 10.*
[s] *Parte prima Crisis Theolog. disp. 9. cap. 18. art. 1.*
[t] *Theologiæ Moralis fundamentalis, n. 1897. pag. 546.*
[u] *Tomo 2. Theologiæ Regularis, epistola 43.* ad R. P. Carolum Thomasium, ex Duce Palmæ in Sicilia, Clericum Regularem. *pag. 255. edit.* Lugdun. an. 1665.

A Pio, Communique Fidelium Sensu, excludendus non est Sacer Ordo Prædicatorum.

406. **V**Ulgaris error est, Illustrissimum hunc Ordinem ab sui principio Immaculatæ DEI Genitricis Conceptioni constanter, & universe repugnasse, & adhuc hodie in contraria Sententia persistere. In hoc errore versari quoque videtur Lampridius, qui & contrariam Sententiam, quasi proprio nomine, *Thomisticam* appellat; & Magistros Dominicanos signans, fidenter pronuntiat: [x] *Tot millia Doctorum Hominum nunc vivunt, qui Thomæ Aquinatis se Discipulos profitentur, iique nondum Scoticæ* (sic Piam Sententiam per quendam neglectum vocitat) *adhæsere Sententiæ.* Illum nos errorem emendare satagimus, cum in obsequium hujus Sacri Ordinis, tum etiam ne Pius, Communisque Fidelium Sensus aliquid inde detrimenti, vel minimum ferat.

407. Non negamus, satis multos Ord. Prædic. Magistros, prioribus præsertim Sæculis, ab Adversa Parte stetisse; ac editis etiam Libris, Piam Sententiam magno conatu oppugnasse. Quod asserimus, est, quovis Sæculo Dominicano, non defuisse in hoc Ordine magni nominis Scriptores, qui B. Virginem, absque Originalis Peccati Labe Conceptam agnoverint, vel etiam probaverint, atque defenderint, nunc pauciores, nunc plures, pro ut Pius, Communisque Ecclesiæ Sensus invaluerit. Plurimi sunt, qui a Nostris missim referri solent, & inter eos, ipse S. Patriarcha Dominicus, in libro, ut ajunt, de *Corpore Christi.* [y] Nos autem eos dumtaxat, quos perspectos habuimus, ac etiam vindicare potuimus, servato temporis ordine, in medium proferimus.

SÆCULUM DOMINICANUM PRIMUM, CHRISTI XIII.

408. **A**Lbertus, cognomento Magnus, Magistrorum Ordinis primus, etsi Commentario in 3. *lib. Sententiar. dist.* 3. contrariam Sententiam semel & iterum insinuaverit; in aliis tamen Operibus Piam Sententiam non raro insinuat. In Lib. cui Tit. *Biblia Mariana*, [z] *Ipsa est*, inquit, *Tabernaculum Peccatorum, quod sanctificatum est ad aliorum emundationem &c. Sanctificatum in Conceptione, & Nativitate &c. Sanctificatum*, ait, *ad aliorum*, non *ad sui emundationem: Sanctificatum* item *in Conceptione* ipsa; a qua proinde Peccatum removere oporteat. Rursus verba illa Davidis ad Abigail: [a] *& honoravi faciem tuam*: ad B. Virginem sic accommodat: *& honoravi faciem tuam in Conceptione, te sanctificando; in Nativitate tua, Mundum per te illuminando &c.* Quo pacto honorasset DEUS Faciem Virginis in Conceptione, si eam sub jugo Diaboli concipi sivisset? Præterea in quæstionibus *super Missus est*, [b] postquam dixit, ex Peccato Adami obvenisse nobis, inter alia, *triplex Væ Culpæ, Originalis, Actualis, Mortalis, & Venialis*; subjungit: *Sine omni triplici Væ fuit Beatissima Virgo Maria.* Et iterum [c] de Beata Virgine ait, quod *fuit Summa Filia DEI in esse Gratiæ, Gloriæ, & Naturæ.* Cum quo componi posse non videtur, quod fuerit aliquando *Filia Iræ.*

409. De D. Thoma Aquinate, Doctore Angelico, late agendum Actione VII. Satis hoc loco fuerit, cum Joh. a S. Thoma Ord. Præd. Magist. fidissimo ejus Interprete, [d] prænotare: *Magnâ vigilantiâ S. Doctoris calamum in hac re Divinam Providentiam temperasse, ne in particulari aliquid scriberet, quod præsenti Ecclesiæ Statui, & Sensui, quem habet circa Virgineum Conceptum, contradicere posset.*

410. Claruit eodem Sæculo circ. annum 1280. Jacobus de Voragine, Archiepiscopus Januensis, quem pro Pia Sententia laudavimus Actione I. *num.* 125. & hic iterum ex aliis locis laudamus: [e] *Nulla*, inquit, *Peccati macula in ea* (B. Virgine) *fuit, & ideo plene formosa, & pulchra extitit.* Et paulo post: *Major fuit Puritas B. Virginis, quàm Angelorum: fuit enim infra Puritatem divinam Puritas B. Virginis, sed supra Puritatem Angelicam, & Humanam.* Et alibi [f] rursus de B. Virgine ait: *Fuit pulchra per omnimodam mentis, & corporis Puritatem. Ejus enim Puritas fuit Perfecta, Impermixta, & Continua. Fuit Perfecta, quia.... ipsam Puritatem Angelicam transcendit &c. Fuit Impermixta. Non enim habuit admixtionem Originalis, quia fuit in utero a Spiritu Sancto sanctificata.* Sanctificatione nimirum eam maculam impediente. In eodem quippe sensu ait, non habuisse admixtionem Originalis, quo subjungit, *nec* habuisse *admixtionem Mortalis, nec Venialis.* Siquid autem Sermone seq. [g] indicat de maculata B. Virginis Conceptione, exponendum est de Conceptione Carnis, ut ipsemet Jacobus exponit Sermone I. de Purificatione. [h]

411. Anno

[x] *Cap.* 12. *pag.* 89.
[y] *Vide hoc rejectum a nuperis* Nomenclatorib. Scriptor. Ord. Præd. *Tomo* 1. *pag.* 89.
[z] *Ex Lib. Numerorum, cap.* 7. *n.* 2. *pag.* 5. *col.* 1. *tomi* 20. *edit.* Lugdun. an. 1651.
[a] *Ex lib.* 1. *Regum cap.* 25. *num.* 5. *pag.* 8. *col.* 2.
[b] *Quæst.* 31. §. 4. *pag.* 34. *col.* 1. *ejusd. Tomi.*
[c] *Quæst.* 177. *pag.* 127. *col.* 2.
[d] *Tomo* 1. *Cursus Theologici, disp.* 2. *de Approbat. Doctrinæ D. Thomæ art.* 2. *pag.* 159. *col.* 1. *edit.* Colon. Agripp. an. 1711.
[e] *Serm.* 7. *de Annunt. pag.* 383. *& seq. tomi* 1. *Serm. de Sanctis, edit.* Lugdun. an. 1688.
[f] *Serm.* 3. *de Assumpt. pag.* 193. *& seq. tomi* 2. *eorundem Serm. ejusd. editionis.*
[g] *Pag.* 197. *tomi* 2.
[h] *Pag.* 267. *tomi* 1.

411. Anno circiter 1285. scribebat Nicolaus de Gorran, Philippi Vallesii, Galliarum Regis Confessarius; qui *Enarratione in Cap. I. Lucæ* [*i*] de B. Virgine scripsit, quod *Culpâ caruit universaliter, & Gratiâ emicuit abundanter; quodque simpliciter fuit sine Væ, cum prima Mulier genuerit nos cum multiplici Væ.* Primum, & potissimum Væ, cum quo nos Eva genuit, est proculdubio Originale Peccatum.

SÆCULUM DOMINICANUM SECUNDUM, CHRISTI XIV.

412. ANno 1314. florebat Johannes a S. Geminiano, Concionator in tota Italia clarissimus, quem *num.* 383. in primum Testem adduximus Communis Ecclesiæ Sensus de Immaculata DEI Genitricis Conceptione; cui sensui & ipse se conformavit.

413. Anno circiter 1320. claruit Sacri Palatii Apostolici Magister, Armandus de Bello Visu, qui Collatione IV. *de Conceptione B. Virginis*, in ea verba Psalmi III. 6. *Exsurrexi, quia Dominus suscepit me*; hæc habet: [*k*] *Surgere non est, nisi cadentis: & quia Ipsa in Peccatum Originale verissime naturaliter cecidisset, omni privilegio secluso, sicut & cæteri, ideo dicit,* Exsurrexi, *quia hoc fuit necessarium.* Quibus verbis aperte indicat, solum debitum incidendi in Originalem Culpam, fuisse in B. Virgine; cujus debiti ratione B. Virgo vere dicitur surrexisse, sicuti vere dicitur Redempta fuisse. Et ideo hanc Erectionem contigisse ait in ipso Conceptionis puncto, dicens: *Ut DEI Filius nihil contraheret impuritatis, necesse fuit pro tempore, idest statim in puncto Conceptionis, Virginem erigi a Peccato Originali:* non utique contracto, sed contrahendo. Alia loca ponderat P. Alva. [*l*]

414. Non est verisimile, quod ait Jacobus Echard, [*m*] *Has Armandi Collationes, ubi de Conceptione B. Virginis in favorem Piæ Sententiæ, immutasse Editorem.* Ipse namque fatetur, Petrum de Alva Collationes istas ex priori Editione fideliter descripsisse in sua *Bibliotheca Virginali*; & idem ipse refert, Johannem de Vero Ord. Præd. Baccalaureum curasse primam earundem Collationum editionem Parisiensem anni 1519. De quo Curatore potius oppositum suspicari quis posset.

415. Verum est, quod Armandus in iis Collationibus, (quarum quatuor sunt *de Conceptione B. Virginis*) sæpe dicat, B. Virginem fuisse purgatam a Peccato, & interdum etiam, contraxisse Originale Peccatum. Quæ si explicare nolis, aut nequeas, dicito Armandum in præsenti quæstione ancipitem, & varium fuisse; & simul observa, quod generatim observandum monuit Catharinus: [*n*] *Vide rem oppido mirabilem, cum nullus sit omnino clari nominis Doctor, qui tam clare etiam disputaverit contra Mariæ hanc, quam prædicamus, Præservationem, qui non etiam aliquid pro illa locutus sit, ut certe videas, illos a Spiritu* (add. *Sancto*) *in hanc Veritatem coactos.*

416. Anno circiter 1329. Petrus de Palude, Patriarcha Hierosolymitanus, quamvis antea Commentario in 3. Librum Sententiarum, contrariam Sententiam, ut sibi visam probabiliorem defenderit; postea tamen in suis Sermonibus, sive Enarrationibus in Evangelia, [*o*] Piam Sententiam non tantum docuit, sed etiam propugnavit: *Omnis*, inquit, *Creatura humana fuit Peccato subdita, & per consequens Diabolo tributaria, excepta B. Virgine, quæ Privilegio Æterni Patris dotata est, ut esset libera a censu Peccati, & tributo Culpæ.* Addit & argumenta, hoc Privilegium suadentia, & contraria quæque dissolvit, ea præsertim, quæ ex verbis, *Mundari*, *Purgari*, & *Sanctificari* ducuntur. Eandem rem iterum alibi tractans, [*p*] *Impermixta*, inquit, *fuit ejus Puritas, quia non habuit admixtionem Originalis Peccati, nec Actualis, nec Venialis, nec Mortalis: Non Originalis, quia fuit ex speciali Privilegio præservata &c.* Quo loco sententiam illam Jacobi de Voragine *num.* 410. relatam explanasse videtur.

417. Fatetur Echardus, [*q*] Paludanum inter alia scripsisse Sermones *de Tempore, & de Sanctis per totum annum*; subdit vero: *Sed an illi sint, qui sub hoc titulo*, Thesaurus novus &c. *prodierunt, non parva est Controversia.* At hujus controversiæ fundamentum nullum prodit. Nobiles autem Critici, P. Antonius Possevinus, [*r*] Aubertus Miræus, [*s*] & P. Philippus Labbe [*t*] inter opera indubia Paludani recensent Sermones *de Tempore, & per totum annum*, qui titulo, *Thesauri novi*, editæ sunt Antverpiæ anno 1572. Coloniæ anno 1608. & etiam alibi. Vide Fr. Petrum de Alva. [*u*]

418. Anno 1339. claruit Robertus Holkot Anglus, in Universitate Cantabrigensi Sacræ Theologiæ Doctor; qui cum præsentem controversiam nec in libros Sententiarum, nec in *Disquisitione de Imputabilitate Peccati*, (ubi late disserit de Originali Peccato) attigerit; Commentario in librum Sapientiæ, [*x*] Piam Sententiam explanat, atque tuetur: „ Quam cito, „ *inquit*, B. Virgo habuit esse in utero, tam „ cito

[i] *Vers. 28. pag. 13. tomi 2. Enarration. in Evangel. edit.* Lugdun. an. 1692.

[k] *Pag. 168. tomi 3. Biblioth. Virginalis, ubi extant plures ejus Collationes in Psalmos, spectantes ad B. Virginem.*

[l] *In Sole Veritatis num. 30. pag. 298.*

[m] *Tom. 1. de Scriptor. Ord. Prædic. ad* an. 1333. *pag. 584. col. 2.*

[n] *In Disput. pro Veritate Immacul. Concept. B. V. M. ad PP. & FF. Ord. Præd. lib. 3. §. de* Primo Testimonio, *versus finem.*

[o] *Enarrat. 1. De Concept. V. Mariæ fol. 211. & seq. inter Enarrationes de tempore, partis Hyemalis, edit.* Lugdun. an. 1589.

[p] *Enarrat. 2. de eodem argumento, fol. 215. pag. 1.*

[q] *Tomo 1. de Scriptor. Ord. Præd. ad* an. 1342. *quo* Paludanus *obiit, pag. 607.*

[r] *Tomo 3. Appar. Sacri pag. 63.*

[s] *Pag. 686. Biblioth. Ecclesiasticæ, editæ* Antverp. an. *1639.*

[t] *Tomo 2. Dissert. Histor. de Script. Ecclesiast. V.* Paludanus.

[u] *In Sole Veritatis num. 249. pag. 686.*

[x] *In cap. 13. lectione 161. p. 532. edit.* anni 1580. *apud* Henric. Petrum.

,, cito fuit Sancta: non enim potuit esse Sancta, ,, antequam esset. Vera ergo Conceptio B. Virginis attenditur, & sumitur penes instans ,, infusionis Animæ in Corpus, sufficienter, & ,, debito modo organizatum, nec non ab omni ,, qualitate inordinata, quam contraxerat ratione propagationis seminalis, purgatum, & ,, mundatum: & sic patet, quod isto modo capiendo nomen Conceptionis stricte, & proprie, B. Virgo non fuit concepta in Peccato Originali. Alio modo capitur multum ,, improprie, & large, pro infusione seminis in ,, matricem, ex quo semine Corpus debuit formari in utero Matris suæ: & juxta hoc, multum improprie dicunt quidam, ipsam conceptam in Peccato Originali &c.

419. Laudatum Roberti Testimonium, (quod tanquam sincerum, pro Pia Sententia retulerunt Ambrosius Catharinus, [y] Theophilus Raynaudus, [z] & alii) Jacobus Echardus [a] more suo, suppositionis arguit, quod in Codd. Mss. non inveniatur. At cum istorum Codicum fidem ipse non adstruat, malumus credere M. Jacobo Riterio, Curatori nostræ editionis anni 1586. qui plane testatur, *Duorum vetustissimorum exemplarium, quorum unum ante annos ducentos & octo Basileæ scriptum est, alterum ante annos nonaginta septem Reutlingæ est impressum; diligentem, & fidelem collationem se habuisse.* P. Alva [b] pro sinceritate allegati Testimonii plures editiones a se visas memorat, Venetam anni 1500. *fol.* 137. Basileensem 1506. *fol.* 147. Parisiensem 1511. *fol.* 239. & alias sex.

420 Hic quoque, & alibi causatur Echardus Concilii Basileensis Decretum, quasi vero ejus Gratia factum sit, ut sui Ordinis Scriptores, ubi agitur de B. Virginis Conceptione, interpolati ederentur. Sed numquid Concilium Basileense decreto suo mandavit, aut suasit hujusmodi fraudes, & imposturas? Ne unum quidem verbum habet de libris editis, aut posthac edendis de hoc argumento. Tolerabilius fuisset post illud Decretum, in libris edendis supprimere contrariam Sententiam, quam iis falso appingere Piam Sententiam. Et nihilominus tot adhuc extant Veterum libri, sub idem tempus editi, in quibus Contraria Sententia promovetur. Adde, quod laudatus Ritherius Manuscriptum appellat anni 1378 ideoque pluśquam sexaginta annis ante Concilium Basileense formatum.

421. Circa annum 1350. Johannes Thaulerus, Sanæ, ac Piæ Doctrinæ Theologus illuminatus, [c] de Summa B. Virginis Puritate ita scribebat: [d] ,, Vires ejus supremæ, absque medio, in suam se verterant originem, unitæ eidem; infimæ vero supremis, instar Adam in ,, Originali persistentis Justitia, Innocentiaque; ,, perfecte obtemperabant. Qui nimirum hinc ,, illi accessit decor, quod Culpæ Originalis perpetuo expers fuit, a qua præservaverat illam ,, Filius ejus, ita ut ne momento quidem temporis, vel iræ Filia, vel Vas immundum, ,, vel Diabolico, sicut nos omnes alii, subjecta ,, Dominio fuerit. Prævenit hoc enim Sapientia Æterna nolens, Electissimum Templum ,, suum aliqua labe aspergi. ,, Idem argumentum versat in libro *de decem Cæcitatibus:* [e] quem alibi allegamus.

422. Anno circiter 1360. Johannes Bromyardus Anglus, Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, qui Wiclephum verbo, & scriptis acerrime insectatus est; in sua *Summa Prædicantium*, V. *Maria*, [f] hæc scribebat: ,, Filius ,, DEI volens in aliquo loco, & de aliqua Muliere naturam nostram assumere, & nobiscum ,, morari; a principio Mundi nullam invenit hospitio dignam, quia omnes Peccato Originali, ,, vel Actuali, vel utroque infectæ erant; & ,, tandem vero in fine Mundi hanc mundissimam ,, inveniens Virginem, in qua nullum erat Peccatum, vel Originale, vel Actuale, (*hoc est* ,, *nunquam contractum, vel commissum*, tanquam gaudens de fortuna optata inventa, dicere potuit: *Hæc Requies mea &c. Isal.* 81. ,, *ver.* 14. ,,

423. Item, cum superius dixisset, [g] B. Virginem *fuisse cæteris eminentius, & specialius sanctificatam*, postea subjicit, quod D. Thomas 3. *Parte*, *quæst.* 37 (corr. 27.) *art.*2. *Ponit ejus Sanctificationis excellentiam quantum ad temporis prioritatem, in hoc, quod sanctificata fuit in sua Animatione, idest in conjunctione Animæ cum Corpore in utero Matris suæ, & non ante: quia Sanctificatio, & Mundatio fit per Gratiam, cujus subjectum est Anima.* Non id quidem expresse dicit S. Doctor, sed Bromyardus animadvertens, omnia D. Thomæ argumenta solùm excludere Sanctificationem B. Virginis, ante Animationem; ne ineptam conclusionem ipsi tribueret, cum dixit: *Unde relinquitur, quod Sanctificatio B. Virginis fuerit post ejus Animationem*; merito intellexit illud *Post*, de *Posterioritate* Naturæ, qua Gratia Sanctificans *præsupponit* Animam sanctificandam: ut cum Seraphino a Porrecta, ejusdem Ordinis Magistro, Act. VII. explanabimus.

424. Itaque cùm Bromyardus *num.* 33. ait, *Conceptionis Solemnitatem ad punctum Sanctificationis, & non Conceptionis, quia concepta fuit in Originali Peccato, referri debere:* intelligendus est de Conceptione Seminali ante Animationem, & de Peccato Originali, tunc contracto, non in re, sed in debito. Et solum monere voluit Bromyardus, Festum Conceptionis referendum esse ad punctum Animationis, in quo puncto B. Virginem sanctificatam fuisse prædixerat.

425. Huic

[y] *Disput. pro Verit. Immac. Concept. lib.* 3. *post decem folia*, *edit.* Senens. an. 1532.
[z] *In Pietate* Lugdun. *pag.* 295. *tom.* 8.
[a] *Tomo* 1. *ad an.* 1349. *quo* Holkot *obiit*, *pag.* 630.
[b] *In Sole Veritat. num.* 275. *pag.* 731.
[c] *Lege* Possevinum *tom.* 2. *Apparatus p.* 253. *ubi defenditur* Thaulerus.
[d] *In Sermone de Festo Purificationis* Gl. *V. M. pag.* 547. *inter ejus Sermones de Tempore, & de Sanctis, latine redditos a* Fr. Laurentio Surio, *& editos* Colon. Agrip. an. 1603.
[e] *Cæcitate* 4. *cap.* 11. *pag.* 872. *ejusd. editionis.*
[f] *Art.* 4. *num.* 28. *fol.* 321. *tom.* 2. *par.* 2. *edit.* Lugdun. an. 1522.
[g] *Art.* 2. *num.* 10. *fol.* 318. *ibid.*

425. Huic quoque citationi intercedit Echardus, [h] cumque negare non possit, allegata verba constanter, & fideliter contineri in omnibus, etiam antiquissimis, editionibus *Summæ Prædicantium* Bromyardi; caussatus Concilii Basileensis Decretum, illam in suis editionibus interpolatam fuisse, ait; & tandem concludit, *Ad antiquos Mss. Codd. recurrendum esse, ut quid scripserit Auctor, certo habeatur.* Quàm futile sit indicium illud ex Basileensi Decreto sumptum, jam diximus. Hic vero prætextus appellandi ad antiqua Manuscripta, si valeret, de innumeris Veterum libris dubitandum foret, quorum quidem antiqua Mss. vel non extant, vel non apparent.

SÆCULUM DOMINICANUM TERTIUM, CHRISTI XV.

426. Circa annum 1409. Sanctitate, Miraculis, & Prædicatione claruit S. Vincentius Ferrerius; cujus dicta quædam, Piæ Sententiæ astipulantia, retulimus Actione I. *num.* 15. 72. & 106. Aliud vero luculentius Testimonium, tanquam in Sede magis propria, Actione VI. proferemus.

427. Anno circiter 1418. Johannes Herolt, Concionator insignis, qui singulari animi modestia, Discipuli nomen assumsit, Sermone V. *de Conceptione S. Mariæ*, [i] „Hodiernum, *inquit*, „Festum solemniter est celebrandum: primo „propter Gloriosam, ac Beatam Virginem MARIAM, quæ hodie initium sumpsit, quando „concepta est in utero Matris suæ, & hodie sanctificata, & præservata præ omnibus Sanctis. „Secundò propter nosmet ipsos, quia hodie initium nostræ Salutis incæpit, quando Virgo „Beata concepta est, & præservata &c.„ Et non multo post: *Quod autem B. V. Maria in Conceptione præservata est ab Originali Peccato, probatur tripliciter*; nempe auctoritate, ratione, & exemplo, ut ibi exequitur.

428. Anno 1435. claruit Leonardus Matthæi de Utino Senior, Concionator in Italia percelebris; cujus duo Testimonia pro Pia Sententia laudavimus Act. I. *num.* 88. & 127. Tertium hìc addimus: [k] *Sciendum*, inquit, *quod B. Virgo fuit quadrupliciter sanctificata, primo in sua Conceptione, scilicet dum esset in utero Matris posita &c.* Non ait, *post Conceptionem*, sed, *in Conceptione*; addit vero, *scilicet dum esset in utero Matris posita*; ut significaret, se loqui de Conceptione B. Virginis secundum Animam, cùm ipsa B. Virgo vere fuit in utero Matris posita.

429. Circa annum 1480. Johannes a Viterbio, suis concionibus in eadem Italia etiam Celebris, cum Piam Sententiam antea oppugnasset, exitiali morbo correptus, voto se adstrinxit eam publice defendendi, & prædicandi, si convalesceret; & voti compos effectus, utrumque abunde præstitit & verbis, & scriptis. Testatur hoc, qui eodem tempore, & loco concionabatur, piissimus Bernardinus de Bustis; [l] & non paucas, ex illius scriptis sententias profert, simulque scite observat, B. Virgini aptari posse verba illa Isaiæ: [m] *Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te; & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.* Raynaudus quoque [n] Historiam istam refert, & Summam exhibet Operis, ab isto Johanne, pro Immaculata B. Virginis Conceptione, conscripti.

SÆCULUM DOMINICANUM QUARTUM, CHRISTI XVI.

430. Anno 1507. claruit Gulielmus Pepin, Doctor Parisiensis, Sixto Senensi, & Jacobo Echard laudatissimus, indubitatus, & insignis Immaculatæ Conceptionis Assertor. Ejus quandam Sententiam adduximus Act. I. *n.* 128. Hoc tamen loco non unam, aut alteram Sententiam, sed tres integros Sermones *de Intemerata Conceptione Virginis Mariæ*, allegare possumus: Unum in libro *de Imitatione Sanctorum*, seu in Sermonibus de Sanctis, in ea verba Psalmi LXXXVI. *fundamenta ejus in Montibus Sanctis*: Duos alios in libro *de Secretis Secretorum*, seu in Sermonibus de Festis occurrentibus in Adventu, super illis verbis Apocalypsis, 1. V. *Vidi librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem.* In quorum primo: [o] *descendendum est*, inquit, *ad librum Conceptionis Virginalis, qui signatus est sigillis septem: per quæ significantur septem Testimonia, probantia, Christiferam Mariam Immunem fuisse ab Originali Culpa, in sua Mirifica Conceptione.* Quæ Testimonia singillatim recenset, & ponderat.

431. Anno 1532. creatus est Magister Generalis Ordinis, R. P. Johannes de Fenario, qui dicere solitus erat: *Dubitandum non est, quin illi ipsi Priores, si nunc in terris nobiscum agerent, re jam per Ecclesiam patefacta, quanto magis Docti, & quanto magis Sancti essent, tanto magis eam Sententiam* (de Immaculata B. Virginis Conceptione) *ultro amplecterentur.* Testem istorum verborum habemus fide dignissimum, Illustriss. Ambrosium Catharinum, [p] qui eidem Fenario suum contra Cajetanum Opus nuncupavit.

432. Circa

[h] *Tomo 1. ad annum cit. pag. 701.*

[i] *Sub initium Sermonis, qui extat inter ejus Sermones de Tempore, & de Sanctis, impressos* Lugduni an. 1499. *paulo ante duas tertias partes Voluminis: non enim habet folia numerata.*

[k] *Sermone de Nativit. B. V. num. 47. pag. 353.* Sanctuarii, *seu Sermonum de Sanctis, edit.* Venetæ an. 1692.

[l] *Parte prima* Marialis, *serm. 7. de Concept. B. V. fol. 27. col. 4. edit.* Lugd. an. 1525.

[m] *Cap. 6. vers. 14.*

[n] *In* Pietate Lugdunensi, *ubi de Theologis Dominicanis, pag. 293. & seq. tomi 8.*

[o] *Fol. 237. col. 3. edit.* Parisiensis an. 1537. *alter Serma extat. fol. 292.*

[p] *In Disputat. pro Veritate Immacul. Concept. B. M. V. ad S. Synodum Tridentinam, parte 1. col. 66.*

432. Circa annum 1535. insignis Theologus, Johannes Viguerius suas composuit, *Institutiones ad Naturalem, & Christianam Philosophiam*; in quibus (q) hæc inseruit: „ Si dicatur, „ quod Diva Virgo non habuit Peccatum Originale, licet processerit ab Adamo secundum rationem Seminalem; dicendum est, quod ipsa „ sola speciali Gratiâ præventa fuit, & præservata, eo quod fuit prævisa esse Mater, & Domus „ DEI. Unde Psalmus: *Domum tuam decet* „ *Sanctitudo:* & de ea Salomon: *Tota pulchra* „ *es, Amica mea, tota pulchra, & macula* „ *non est in te.* Ex quibus Auctoritatibus potest „ haberi Privilegium, maxime autem ex Auctoritate Ecclesiæ, quæ errare non potest. Et „ licet mortua fuerit, mors tamen non fuit illi „ pœna, sed conditio naturæ. „ Et in Commentario Epistolæ ad Romanos (r) absolute, & expresse affirmat, B. Virginem exemptam esse ab ea Regula: *Omnes in Adam peccaverunt:* idque probat ex D. Augustino, Concilii Basileensis decreto, & Tridentini declaratione.

433. Anno 1540. floruit Ambrosius Catharinus, patria Senensis, primùm Episcopus Minorensis, deinde Archiepiscopus Compsanus. Sole clariora sunt quatuor ejus Opera pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione, supra quam dici potest, erudita, & ad persuadendum efficacia, quæ sæpe laudavimus. Primum inscribitur: *Disputatio pro Veritate Immaculatæ Conceptionis B. Virginis ad Patres, & Fratres Ord. Prædicator.* Senis impressa per Michaëlem Angelum Bernardini Castanei, an. 1532. die 11. Maji. Alterum eidem volumini adnexum, est sub hoc titulo: *Explanatio Errorum in Controversia super celebrationem Conceptionis Immaculatæ Virginis inter Fratres nostros, & Senenses Cives oborta.* Tertium est: *Disputatio pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione:* Quæ una cum aliis Catharini Opusculis impressa est Lugduni per Matthiam Bonomme an. 1542. & extat quoque *in Bibliotheca Virginali, Tomo 2. a pag.* 10. Quartum denique est: *Disputatio pro Veritate Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, & ejus celebranda a cunctis Fidelibus Festivitate, ad S. Synodum Tridentinam:* [cui ipse bis interfuit, semel ut Theologus, iterum ut Episcopus] edita Romæ anno 1551. ut ad Patres Concilii quantocius mitteretur.

434. Anno circiter 1545. Dominicus Soto, Sacræ Theologiæ in Academia Salmanticensi Professor publicus, & in Concilio Tridentino Theologus, quàm propenso animo fuerit erga Piam Sententiam, Communi Ecclesiæ Sensu comprobatam, satis aperuit in suo Commentario Epistolæ ad Romanos; cujus verba retulimus Actione I. *num.*43. & in hac etiam Actione laudavimus *num.*395. Eandem propensionem indicat Comment. *in libros Sententiarum*, (s) ubi B. Virginem, baptizatam fuisse defendit. „ Profecto, *inquit*, cum de Deipara Cœlorum Regina, id semper asserendum sit, quod salvis sacris Eloquiis, ad cumulum honoris ejus, conducit, credendum est, fuisse Baptizatam. Neque vero si Sententiam illam teneas, quod fuerit in Gratia genitâ, ab omnique culpa præservata, ejus excellentissimæ Sanctitati derogat; immo ad honorem ejus apponitur, quod „ Charactere Sacramenti, quod CHRISTUS instituerat, fieret Christiana; quandoquidem „ quidquid gratiæ recepit, in virtute Passionis „ CHRISTI obtinuit, cujus Sacramentum, Baptismus est. „

435. Circa annum 1546. Petrus Doré, latine Deauratus, sive Auratus, Aurelianensis, Doctor Parisiensis, Prædicatione, & Scriptis in Gallia celebris, Librum Gallico sermone composuit, cui titulus: *Imago Virtutis, ostendens perfectionem, & sanctam Vitam B. V. Mariæ, Matris DEI, per Scripturas Veteris, & Novi Testamenti.* In hoc libro, (t) Capite I. exposita generali corruptione Generis Humani ob Peccatum primi Parentis; statuit, *solam B. Virginem, immunem, & præservatam fuisse, per Dominum Jesum, ab omni macula, & labe Peccati, Originalis, Venialis, & Mortalis.* Hoc ibi potissimum colligit ex maxima propinquitate, quam B. Virgo, utpote Mater DEI, habuit ad ipsum DEUM, Auctorem omnis Bonitatis, & Gratiæ. Capite autem sequenti hanc Immunitatem probat I. Auctoritate D. Thomæ in expositione *Salutationis Angelicæ*, & in *lib.* 1. *Sententiarum dist.*44. locis infra allegandis. II. Pluribus Scripturarum, ac Patrum Testimoniis. III. Decreto Sessionis XXXVI. Concilii Basileensis, a quo definitam credit B. Virginis præservationem ab Originali Peccato. Quæ ita copiose, & enixe tractat, ut merito de illo dixerit Raynaudus: (u) *Tanto studio hanc Causam prosequitur, ut vix possit a Scoti Partiario studiosius peragi.*

436. Circa annum 1550. Ven. Fr. Ludovicus a Granata, integritate vitæ, & sacris Concionibus, ac piissimis editis libris, commendatus, duas conscripsit, & habuit disertissimas Conciones *pro Festo Conceptionis Sacratissimæ Virginis Mariæ:* (x) in quibus summam Conceptæ Virginis Sanctitatem, & Puritatem magnificat; & aperte insinuat, celebrari ab Ecclesia ipsam DEI Genetricis naturalem Conceptionem, tanquam Sanctam, & Immaculatam. *Porro*, [inquit in secunda Concione (y)] *quemadmodum Virginis Conceptionem, tanquam Salutis nostræ initium Ecclesia summis laudibus celebrat: ita communem Hominum Conceptionem, veluti Perditionis nostræ causam, Sancti Viri incredibili dolore lugent.*

437. Circa annum 1570. Sanctitate, & Apostolico zelo eminebat S. Ludovicus Bertrandus, cujus luculentum Sermonem *de Purissima Conceptione B. Virginis*, ex ipso Autographo descriptum,

(q) *Cap.*18. §.5. *de Peccato Orig. ver.*2. *fol.*251. *pag.*2. *edit.* Parisiensis an. 1550. *cum approbat. Sacræ Facultatis* Parisiensis *data* 31. *Julii*, 1549.

(r) *Tertia Parte*, *cap.*5. *pag.*1022. *edit.* Venetæ *ejus Operum*, an. 1584.

(s) *In lib.* 4. *Sent. dist.* 5. *quæst. unica art.* 2. *pag.* 269. *edit.* Venet. an. 1598.

(t) *Juxta* 3. *editionem* Parisiensem, *ab ipso Auctore recognitam, & emendatam, apud* Johannem Ruellium, Via Jacobea &c. *absque anno editionis.*

(u) *In* Pietate Lugd. *loco cit. pag.* 296. *tomi* 8.

(x) *Extant a pag.* 31. *tomi* 1. *ejus Concionum, latine editarum* Romæ *an.* 1587.

(y) *Initio* 2. *Partis*, *pag.* 50.

fcriptum, habemus apud Joh. Eufebium Nierembergium. (z) Nonnulla inde excerpta retulimus Act. I. *num.* 139. Alia infigniora dabimus Act. VI. Ad hæc, Vincentius Juftinianus Antift. mox laudandus, in Vita hujus Sancti Viri, quam, altero poft ipfius obitum anno, edidit Cæfarauguftæ, & iterum Valentiæ; refert, in Bertrandi ore non femel verfatum, illud idem, quod de Fenario dicebamus *num.* 431.

438. Anno 1578. Bartholomæus a Medina, Primariæ Theologorum Cathedræ apud Salmanticenfes Præfectus, edidit Salmanticæ Comment. in III. Partem Summæ D. Thomæ, ubi ad quæftionem XXVII. Art. II. utramque Sententiam, *Problematice* defendens, paulo poft initium, *pag.* 364. edit. Venet. an. 1602. de Pia Sententia, accommodate ad præfens argumentum, fic loquitur: „ Suffragantur huic Sententiæ omnes Univer- „ fitates Studiorum, in quibus Viri Docti, & „ Magiftri fequuntur hanc Sententiam, & maxi- „ me Schola Parifienfis, reliquarum Parens, „ & Magiftra. His accedit confenfus totius Po- „ puli Chriftiani, qui non eft parvæ auctorita- „ tis, fiquidem *Vox Populi*, *Vox DEI.* Certe „ hac in re videtur impletum effe illud: *Ex ore* „ *Infantium*, *&* *Lactentium perfecifti laudem.* „ Sed & illud animadverfione dignum eft, quod „ hæc Sententia de Immaculata B. Virginis Con- „ ceptione, a parvis initiis profecta, crevit in „ immenfum; quod eft argumentum folidæ veri- „ tatis, ut infinuatur Actor. 5. „

439. Anno 1580. claruit Antonius Navarro, Hifpanus, Infignis fua ætate Theologus, & Ecclefiaftes egregius; cujus tres Sermones extant *de Conceptione B. V. Mariæ.* In iftorum Primo (*a*) *Hodie*, inquit, *B. Virgo ..... non folum primum fui effe Natura fufcepit, fed infuper Sanctificationem quandam, & prærogativam fingularem hanc fortita eft, ut infectionis communis Originalis Peccati expers conciperetur &c.* Quod argumentum & ibi, & in aliis duobus Sermonibus erudite, & eleganter perfequitur.

440. Eodem circiter anno Vincentius Juftinianus Antift, five Antiftius, Sacræ Theologiæ Magifter, & curiofus antiquitatis indagator, occafione Vitæ cit. S. Ludovici Bertrandi, aureum Tractatum *de Immaculata Conceptione Sс. V. Mariæ*, Hifpanico idiomate edidit Ofcæ, & iterum Valentiæ; quem memorant Nicolaus Antonius, (*b*) & Jacobus Echard; (*c*) & cujus Synopfim, occafione verfionis Gallicæ, & editionis Parifienfis anni 1706. exhibent Monumenta Litteraria Trevoltienfia anni 1709. (*d*)

441. Decem & octo confiderationibus, Piæ Sententiæ argumenta pulchre, & erudite perpendit Antiftius: in quarum poftrema obfervat, a Sancto Patriarcha Dominico, ufque ad fua tempora, Sanctos, Magnofque Viros fui Ordinis, Piæ Sententiæ adftipulatos effe. Nominatim vero laudat Albertum Magnum, D. Thomam, Catharinum, Viguerium, Utinum, Thaulerum, quos & nos laudavimus. Teftatur quoque, omnes, quotquot fua ætate Dominicanos Concionatores audivit, Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem coram populo prædicaffe.

442. Circa annum 1589. Ven. Hieronymus Baptifta de Sellan de Lanuza, Epifcopus primùm Balbaftrenfis, dein Albaracinenfis, Magiftrorum fuorum, S. Bertrandi in Afceticis, & Antiftii in Theologicis, Pietatem erga Immaculatam Conceptionem imitatus, vel etiam fupergreffus eft. Tefte Fr. Hieronymo Fufer, ejus Socio, & Confeffario; (*e*) dum effet Lanuza in fuo Valentino Cœnobio, de hoc Myfterio fingulis fere hebdomadis fermonem habuit; ibique, & alibi quinquaginta fupra ducentos Sermones declamavit. Plurima quoque in fuis adverfariis, ad illud confirmandum, argumenta collegit, quorum aliqua idem Fufer fummatim defcribit.

443. Extant in Bibliotheca hujus noftræ Domus Profefforum Tomi quinque in folio *Homiliarum fuper Evangelia*, quæ Hifpanice confcriptæ funt a noftro Lanuza, & editæ poftea Cæfarauguftæ anno 1639. In Tomi quinti tertio Indice *Conceptuum*, ut vocant, *Prædicabilium pro Evangeliis totius anni*; pro Evangelio Fefti *Puriffimæ Conceptionis Virginis Dominæ noftræ*, fub initium hæc adnotantur; *Hodie eft ejus Puriffima Conceptio, quæ cum fit ab omni peccato Immunis, multa funt in ipfa obfervanda.* Tum ex illis verbis evangelicis, *De qua natus eft Jefus*, non pauca indicantur argumenta ad hanc Conceptionis ejus Immunitatem comprobandam.

444. Circa annum 1595. Alphonfus de Cabrera, Sacræ Theologiæ Magifter, & Regum Catholicorum Philippi II. & III. Concionator; tres edidit, Hifpanico idiomate, Sermones elegantiffimos de Immaculata B. Virgin. Conceptione. (*f*) In primo refert factum illud Machabæorum, (*g*) qui poftquam *mundaverunt Sancta, Altare Holocauftorum, quod profanatum erat, demoliti funt, ne forte illis effet in opprobrium: & acceperunt lapides integros, & ædificaverunt Altare novum fecundùm illud, quod fuit prius:* & præfenti inftituto in hunc modum venuftiffime accommodat: „ Multæ funt Animæ fanctæ DEO „ facræ, in quibus ipfe habitat per Gratiam; „ quæ cum contaminatæ fuerint per Peccatum, „ reconciliantur DEO per Baptifmum, vel „ per Pœnitentiam, quin Divinam dedeceat „ Majeftatem, quod DEUS iterum habitet in „ eis. Verumtamen Altare facratiffimum, in „ quo DEI Filius fe obtulit Æterno Patri in ho- „ locauftum immenfæ fuavitatis, acceptans mor- „ tem a primo fuæ Conceptionis inftanti, in „ utero Virginis; non fatis mundari poterat, „ fi un-

(z) *In Exceptionibus Concilii Tridentini*, *cap.* 24. §. 2. *pag.* 203. *ejus Operum Parthenicor.*

(a) *Fol.* 49. *tomi* 1. *Sermonum de Sanctis*, *edit.* Matritenfis an. 1593. *V. Regeftum Authenticum in Appendice*, *col.* 707. *& feq.*

(b) *Tom.* 2. *Biblioth. Hifpana pag.* 262.

(c) *Tomo* 2. *ad* annum 1599. *quo Auctor obiit*, *pag.* 326. *col.* 1.

(d) *Menfis Februarii artic.* 22. *a pag.* 304.

(e) *In Vita ejufdem*, *edita* Cæfarauguftæ, an. 1648. *lib.* 3. *cap.* 22. *quod eft* De Ipfius Devotione erga Myfterium Puriffimæ Conceptionis Dominæ noftræ: *& exfcribitur a* P. Eufebio Niernmberg. *loco citato*, *cap.* 24. §. 4. *pag.* 207. *& feq.*

(f) *Tomo* 1. *Confiderationum fuper Evangelia Dominica*, *& Feftorum in Adventu*, *a pag.* 274. *edit.* Cæfarauguftæ an. 1610.

(g) *Lib.* 1. *Machab. cap.* 4. *a ver.* 43.

„ si unquam contaminatum fuisset: foret enim „ in opprobrium Summo illi Sacerdoti, si in eo „ Altari sacrificaret, ubi prius fuerat Dæmonis „ simulacrum. Oportuit ergo, ut fuerit Altare novum, ex integris lapidibus constructum, nunquam contaminatum, semper Sanctum. „

SÆCULUM DOMINICANUM QUINTUM, CHRISTI XVII.

445. HOc Sæculo ineunte, Stephanus Mendez, Prædicator, ut vocant, Generalis, suos libros edidit *de Dignitate Matris DEI:* in quorum Tertio, (*h*) cum dixisset ex D. Augustino, non celebrari ab Ecclesia Conceptiones, & Nativitates aliorum Sanctorum, quia cum Originali Peccato concepti sunt, subtexit: *In hoc autem maxime Beatissimæ Infantis gloria eminet, quod ipsum ejus Conceptionis momentum celebrandum sit, quia in eo ipso Sancta, Libera, & Præservata a Culpa fuit.* V. Armamentarium Seraphicum cum Regesto authentico. (*i*)

446. Anno 1618. Laurentius Guttierrez, in Complutensi Academia Cathedræ S. Thomæ vespertinus Moderator, Matriti coram Catholico Rege Philippo III. in die Annuntiationis B. Virginis Sermonem habuit, in cujus ultima parte de Immaculata ejusdem Virginis Conceptione, late & erudite disseruit. Hanc sermonem eodem anno Compluti edidit cum Epistola Regi Catholico inscripta, ubi sex enumerat rationes, quæ ipsum ad Piam Sententiam, priori relicta, amplectendam impulerunt. Quartam, huc maxime spectantem, ipsius verbis refero.

447. *La Piedad, y devocion de los Fieles. Porque esta Conspiracion, y unanime consentimiento, no solo de vulgo de Ignorantes, sino de todos las Gerarquias de Hombres Santos, y Sabios de la Iglesia, exceptos algunos de mi sagrada Religion (che aunque Santissimos, y Sapientissimos, son en comparacion de los demas muy pocos) es verdaderamente un grandissimo indicio de inspiracion divina, porque no era conforme a tan prudente, y alta providencia, permitir, que casi toda la Iglesia errasse, no por un dia, ni dos, sino por muchos años, en cosa tan grave &c.* (*k*)

448. Anno 1621. Nicolaus Coeffeteau, celebris in Gallia Theologus, librum edidit Parisiis, cujus titulus: *Tabella Innocentiæ, & Gratiarum, B. V. Mariæ, Hominum, Angelorumque Reginæ collatarum.* Ubi, referente, & observante Raynaudo, ejusdem nationis, & temporis Scriptore, (*l*) „ Nitentem Deiparæ in ipsa creatione Animam, tanta rationum ubertate, &, „ qua maxime valuit, dictionis venustate, ac „ Florentia, confirmavit, ut non putes, te „ Hominem e Thomistarum cætu legere, sed „ Scotistam aliquem, Conceptioni Immaculatæ „ addictissimum. „

449. Hoc eodem Sæculo claruerunt Seraphinus Capponi a Porrecta, Italus; & Johannes a S. Thoma Lusitanus, insignes, & Fidelissimi D. Thomæ Interpretes, a Jacobo Echardo permultum commendati. (*m*) Quorum alter circiter annum 1604. (*n*) alter circiter annum 1630. (*o*) in hoc operam suam egregie navarunt, ut Angelici Doctoris mentem, ac doctrinam, præsenti Ecclesiæ statui, & sensui, quem habet circa Virginem Conceptam, minime repugnantem ostenderent: ut Act. VII. videbimus.

450. Anno 1666. Illustriss. Petrus de Godoy, Episcopus Oxomensis, sua doctissima Commentaria edebat in tertiam Partem Summæ D. Thomæ: in quorum Tomo I. (*p*) late declarat, quomodo B. Virginis Immunitas, & Præservatio ab Originali Peccato, bene componatur cum divina Prædefinitione CHRISTI, ut Redemptoris, post prævisum Originale Peccatum.

451. Sub finem hujus Sæculi Natalis Alexander, Doctor Parisiensis, juratus Piæ Sententiæ Defensor, suam Ecclesiasticam Historiam secundò edidit: & Tomo VII. hujus editionis, (*q*) ad Sodales suos conversus, „ Auctor sum, *inquit*, Fratribus meis Prædicatoribus, ut deposisis antiquæ, & jam antiquatæ opinionis „ præjudiciis, cujus tenebras Spiritus Sanctus „ dispulit [etsi nondum ita plene, ac perfecte, „ ut quæstio ista sit in Fidei luce per Divinam „ Revelationem, Ecclesiæ factam, constituta] „ Communem, Piam, & Ecclesiasticam Sententiam, ac Devotionem erga Immaculatam „ Deiparæ Virginis Conceptionem, amplectantur, prædicent, & propagare studeant. „

SÆCULUM DOMINICANUM SEXTUM, CHRISTI XVIII.

452. HOc fluente Sæculo, quo DEI Gratia adhuc vivimus, ut ejus Immaculatæ Genitricis Causam peroremus; e Cœlo Dominicano duo Luminaria magna Catholicæ Ecclesiæ illuxerunt: Luminare majus, Summus Pontifex Benedictus XIII. Luminare minus, Ludovicus Cardinalis Gotti. Primus suum, in amplificando Marianæ Conceptionis cultu, studium testatus est in Proœmio Constitutionis editæ anno 1727. qua *Archiconfraternitatem* erexit, sub Invocatione *Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ;*

(h) *Tomo 1. lib. 3. cap. 41. §. 2. edition.* Barcinonens. ann. 1606.
(i) *In Appendice col. 703. & seq.*
(k) *Pars illa istius Sermonis, & hæc Epistola, exhibentur in Appendice Regesti Authentici, & Universalis, col. 683. & seqq. Meminit etiam hujus Sermonis, coram Rege prædicati,* Jacobus Echard *ad an.* 1617. *pag.* 450. *col.* 2. *tom.* 2.
(l) *In Pietat. Lugd. loco cit. pag. 296. tomi 8.*
(m) *Tomo 2. ad annum 1614. & 1644. pag. 391. & 538.*
(n) *In Elucidationibus Litteralib. in tert. Partem D. Thomæ quæst. 27. art. 2. a pag. 216. edit.* Patavinæ an. 1698.
(o) *Disput. 2. de Approbat. Doctrinæ D. Thomæ, art. 2. a pag. 157. tom. 1. sui cursus Theolog. edit.* Colon. Agripp. an. 1711.
(p) *Tract. 1. disp. 8. §. 12. a n.288. usque ad 300. a pag. 383. edit.* Burgii Oxomens. an. 1666.
(q) *Tomo 7. Sæculi 13. & 14. cap. 3. art. 13. Scholio 4. pag. 134.*

latæ; ut Actione V. videbimus. Alter in suo Opere Polemico adversus Jacobum Piceninum, quod edidit Bononiæ anno 1719. (r) Piam Sententiam, toti Ecclesiæ communem, ab hujus Heterodoxi Hominis calumniis, breviter quidem, sed nervose vindicavit.

453. Sed prætermittendus non est Humillimus, & Piissimus Fr. Fulgentius Cuniliati, Severioris Observantiæ Venetæ; qui, tacito proprio nomine, triplicem Piarum Meditationum *Annum*, *Christi*, *Mariæ*, *& Sanctorum*, nuper edidit Venetiis; & in *Anno Mariæ* (s) tredecim Meditationes proponit, quibus totum Mysterium Immaculatæ Conceptionis ejus exponit.

454. Vidimus quoque hoc nostro Sæculo, anno 1726. in Area Templi maximi S. Dominici, pulcherrimis ædificiis exornata, perenne monumentum Dominicanæ Pietatis erga Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, erectum: nempe ingens Simulacrum Virginis sine Labe Conceptæ, solido ære fusum, & editissimæ insistens marmoreæ columnæ, quam basis item marmorea, affabre elaborata, & sculptis imaginibus coronata, sustentat. Quæ quidem operosa moles sumptibus, & auspiciis Caroli VI. Imperatoris excitata est, sed Patrum Prædicatorum precibus, & votis, Magistro Generali Ordinis annuente, impetrata. Eandem Pietatem R. P. Petrus Papa in laudato S. Dominici Templo, tribus disertissimis Concionibus, majorum Jejuniorum tempore, de Immaculata B. Virginis Conceptione ad Populum habitis, nuper contestatus est.

455. Ecce quot prodierunt ex Sacro Ordine Prædicatorum insignes Magistri, atque Scriptores, qui a Pia Sententia steterunt: inter quos multi non tantum ei adhæserunt, sed & eandem ex instituto propugnarunt, ac fortiter asseruerunt. Plures alios Alii adjiciunt, Theophilus Raynaudus, (t) Joh. Eusebius Nierimbergius, (u) Marcus Antonius Palau &c. (x) Illis certe accensendi sunt innumeri ejusdem Ordinis Doctores, qui a Sæculo XV. in Academiis Parisiensi, & Coloniensi; a Sæculo XVI. in Academia Moguntina; & a Sæculo XVII. in Hispanicis, aliisque Catholici Orbis Universitatibus, usque ad præsentem diem, laureati sunt. In iis quippe Academiis, seu Universitatibus, inviolabili statuto sanctum est, ut nemo ad litterarios Gradus admittatur, nisi Piam Sententiam se defensurum juret, aut voveat: ut videbimus Actione VII. Et erit, qui dicat, Sapientissimum Prædicatorum Ordinem Pio, Communique Fidelium Sensui, de Immaculata DEI Genitricis Conceptione repugnare?

456. Exploratum igitur est, Piam de Immaculata DEI Genitricis Conceptione Sententiam, Communemque Fidelium Sensum, ex quo primùm audiri, & inolescere cæpit in Ecclesia, per tot Sæculorum decursus, non modo nunquam evanuisse, aut elanguisse, verum etiam inter tot, & tam acres opositiones, firmiter stetisse, mirifice invaluisse; atque in ipsis etiam Adversariorum Castris triumphasse: ita ut de Contraria Sententia non minus verè, quàm eleganter cecinerit Johannes Baptista Mantuanus: (y)

> *Jam senio exangui frigens; sua robora sensim*
> *Perdit, & amissa jam majestate, recedit*
> *Sponte sua, ceditque novo Latonia Phœbo.*

§. II.

Communis Fidelium Sensus de Immaculata DEI Genitricis Conceptione, firmissimum est Catholicæ Ecclesiæ Testimonium.

457. NOnnulla in Prolusione ad hanc veritatem confirmandam, Patrum, & Theologorum Testimonia produximus: Alia hoc loco adducemus, eaque ad rem nostram aptabimus.

458. S. Epiphanius, adversus Antidicomarianitas agens, perpetuam B. MARIÆ Virginitatem ex ipsa etiam communi Fidelium voce, hac ratione demonstrat: (z) *Ipsum Nomen nos testimonium præbet, non persuadet te, o Contentiose? Quis unquam, aut quo Sæculo ausus est proferre nomen Sancta Mariæ, & interrogatus, non statim intulit Virginis vocem? Ex ipsis enim nominibus epithetis, etiam virtutis signa elucent. Dignitates enim appellationum acceperunt Justi, unicuique decenter, prout congruum fuit. Et Abrahamo quidem impositum est epitheton, Amicus Dei, & non dissolvetur &c. Et Sanctæ Mariæ vox, Virgo, & non mutabitur. Impolluta enim permansit Sancta.*

459. Idem & nos dicere possumus de titulo, *Immaculata*, a Fidelibus B. Virgini per antonomasiam attributo; quo nomine Illibatam ejus Conceptionem signare volunt. Nam etiam, quis unquam ausus est proferre nomen Mariæ, & interrogatus, non statim intulit Immaculatæ vocem? De hac voce *Immaculata*, ipsius Virginis adjuncta Conceptioni, nos quoque asserere possumus: & *non mutabitur*, quidquid Adversarii renitantur: ut Actione V. videbimus.

460. D. Hieronymus, Vigilantium, Sacrarum Cultum Reliquiarum, sacrilegum, aut stultum esse somniantem, ex Communi Fidelium Sensu, & more sic *ab absurdo* redarguit: (a) » Ergo Sacrilegi sumus, quando Apostolorum » Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Con- » stanti-

(r) *Tomo* 1. *cap.* 9. §. 8. *n.* 78. *pag.* 320. *& seq.*
(s) *Parte* 1. *a die* 3. *Januarii.*
(t) *In Pietate Lugdun. in primo Card. Tractat. a pag.* 291. *tom.* 8.
(u) *In lib. cui Tit.* Exceptiones Conc. Trid. *cap.* 23. *&* 24. *a pag.* 192. *Operum Parthenicorum.*
(x) *In Speciali Libello, cujus titulus,* Defensio Dominicana *&c. edito primùm* Hispanice, Oriolæ an. 1628. *dein etiam* Italice, Panor. an. 1654.
(y) *Lib.* 1. *Parthenices* 1. *fol.* 5. *tom.* 2. *suor. Operum, edit.* Antverp. an. 1576.
(z) *Hæresi* 78. *non longe ab initio, pag.* 499. *edit.* Basileens. an. 1543.
(a) *Libro adversus Vigilantium col.* 590. *tomi* 1. *edit.* Parisiensis ann. 1609. *Ex Recensione* Mariani Victorii Reatini.

„ stantinus Imperator, qui Sanctorum Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim? .... Sacrilegus & nunc dicendus Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis, longo post tempore, de Judæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi, non solùm sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum Populi, qui occurrerunt Sanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem, viventemque Prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palæstina usque ad Chalcedonem jungerentur Populorum examina, & in CHRISTI laudem una voce resonarent? „

461. Quam facile est, hæc D. Hieronymi verba in rem nostram convertere; eademque, & multo etiam plura absurda deducere, si B. Virginis Conceptio, quam omnes Populi, Reges, Episcopi tanquam Sanctam colunt, Originali Peccato maculata fuisset!

462. Similem arguendi formam usurpat Vincentius Lirinensis, medii Sæculi V. Scriptor insignis, ut ostendat, recipienda non esse dogmata, Universalis Ecclesiæ Doctrinæ contraria. (*b*) „ Quæ, *ait*, si recipiantur ..... necesse est, ut omnes omnium ætatum fideles, omnes Sancti, omnes Casti, omnes Continentes, Virgines, omnes Clerici, Levitæ, & Sacerdotes, tanta Confessorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta Urbium, tanta Populorum celebritas, & multitudo, tot Insulæ, Provinciæ, Reges, Gentes, Regna, Nationes, totus postremo jam pene Terrarum Orbis, per Catholicam Fidem CHRISTI Capiti incorporatus, tanto Sæculorum tractu, ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse, quid crederet; pronuntiaretur. „

463. Nos quoque, paucis mutatis, in eundem modum arguere possumus. Si, ut verum dogma recipiatur, B. Virginem in sua Conceptione Originali Peccato infectam fuisse; vel [ut Lampridius *cap.* IX. *pag.*68. sperare videtur] *Si cras a Romanis Pontificibus deprehendatur Veritas in contraria Thomistarum sententia:* Necesse est, ut omnes ferme Fideles, Sancti, Casti, Continentes, Virgines, Clerici, Levitæ, & Sacerdotes, tanta Confessorum millia, tanta Urbium, tanta Populorum celebritas, & multitudo, tot Insulæ, Provinciæ, Reges, Gentes, Regna, Nationes, totus postremo jam pene Terrarum Orbis Catholicus, quatuor ad minus Sæculorum tractu, ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse, quid crederet; pronuntiaretur.

464. D. Augustinus, (*c*) Juliano calumniante, Originalis Peccati dogma, nonnisi popularem esse opinionem; hanc primo calumniam repellit, dicens: *Non tibi solum Populi murmur opponimus.* Tum hunc ipsum Populi sensum plurimi faciendum esse demonstrat. „ Quamquam, *inquit*, & ipse Populus adversus vos propterea murmuret, quia non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites, & Pauperes, Excelsi, atque Infimi, Docti, & Indocti, Mares, & Fœminæ noverunt, quid cuique ætati in Baptismo remittatur. Inde etiam Matres quotidie, toto Orbe Terrarum, non ad CHRISTUM tantum, id est ad Unctum, sed ad CHRISTUM JESUM, id est etiam Salvatorem, cum Parvulis currunt. „

465. Ubi ergo *non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem fugere popularem*; ipsum Christiani Populi murmur, magnus est Testis veritatis. Quod Populus Christianus adversus Immaculatæ Conceptionis Oppugnatores, murmur usque ad Cœlum extollat; ipsimet experti sunt. Hanc vero quæstionem non esse talem, quæ possit cognitionem fugere popularem, ex dictis ejusdem Augustini comprobatur: Si enim omnes *noverunt, quid cuique ætati in Baptismo remittatur*; omnes quoque noverunt id, a quo B. Virgo in sua Conceptione per singularem Gratiam præservata fuit. Unde etiam omnis sexus, & omnis ætas, quotidie toto Orbe Terrarum, ad MARIAM, non tantum ut Deiparam, sed ut in sua Conceptione Immaculatam, cum votis, & supplicationibus currit.

466. Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, exponens illud Exodi cap. 23. v. 2. *Non sequeris turbam ad faciendum malum &c.* Hanc regulam tradit: (*d*) „ Si id, quod Populus sentiat, est manifeste iniquum, aut falsum, non est standum Populo, si nobis cognitum sit clare, quod totus Populus errat: & in isto casu intelligitur illa Lex, *Non sequeris turbam.* Si autem id, quod totus Populus sentiat, est dubium, ita quod magis videtur de bono, quam de malo; discedendum non est a judicio totius Populi. Et licet aliquis habeat opinionem contrariam, quæ sibi magis videtur, non tamen ei clare patet, quod sit absonum, aut malum; debet sequi Populi sententiam. „ Ad quod adducit dictum illud Catonis:

Judicium Populi nunquam contempserit unus.

467. Si hæc Tostatus de judicio solius Populi, & in re dubia; quid dicemus de judicio, non tantum Populi, sed & omnium fere Pastorum, Principum, & Doctorum Ecclesiæ; & in re tot signis, & argumentis contestata?

468. Johannes Fischerius, Episcopus Roffensis in Anglia, eodem fere tempore Cardinalis, & Martyris Purpura insignitus, (*e*) consuetudinem ministrandi Laicis Eucharistiam, sub una tantum specie, *consensu quodam tacito, tam Populi, quàm Cleri, sensim inductam, & per Ecclesias omnium Christianorum, quasi tacitis omnium suffragiis, receptam*; sancte retinendam esse demonstrat, contra Lutherum: *quia Apud eum Populum hæc consuetudo nata est, qui Spiritu S. regitur. Nemini enim dubium est,*

(b) *Commonitorio* 1. *cap.* 33. *pag.* 259. *tom.* 7. *Biblioth. M. PP.*

(c) *Lib.* 1. *contra* Julianum *cap.* 7. *num.* 31. *col.* 516. *tom.* 10.

(d) *In* 1. *part. Exodi, textu cit. quæst.* 2. *fol.* 243. *col.* 4.

(e) *In libro, quem pro* Henrico VIII. Angliæ Rege, *tunc* Fidei Defensore, *scripsit adversus* Lutherum, *cap.* 3. *n.* 7. & 8. *pag.* 134. *edit.* Wircemburg. an. 1597.

Ecclesiam Spiritu Sancto regi, nisi quis forte Christi non crediderit Evangelio. Nam in eo promissus est Spiritus ipse Sanctus, Spiritus, inquam, veritatis, ut in Ecclesia maneat in perpetuum, & ut eam doceat, & ducat in omnem veritatem.

469. Annon, hæc Ratio, & Auctoritas potiorem locum habent, ubi non solum tacitus, sed etiam expressus est tam Populi, quàm Cleri Christiani consensus? Etenim per Ecclesias omnium fere Christianorum, non quasi tacitis, sed luculentis suffragiis, Sensus, & Cultus Immaculatæ Conceptionis Marianæ receptus est. Et ideo ajebat Gerson supra laudatus, *hanc veritatem de illis esse veritatibus, quæ noviter sunt revelatæ per majorem partem Ecclesiæ, quæ hoc modo tenet.*

470. Melchior Canus, (f) ex Communi Fidelium Sensu probat, quod *Corpus Christi in Eucharistia, ratione Sacramentalium Specierum, vere & tractari dicatur, & tangi.* » Fideles sane, *inquit*, cum species sacramentales viderint, CHRISTUM se vidisse testantur; eundemque, cum illas tetigerint, tetigisse: quod magnum profecto argumentum est, cur ita esse credamus. » Tum sibimet objiciens: *A Fidelium vulgo ista sumis? Christiani rudes differunt isto modo.* Respondet: » Bene profecto narras. Nam in quæstione Fidei, Communis Fidelis Populi Sensus haud levem facit Fidem. Quæro enim ex te, quando de rebus Christianæ Fidei inter nos contendimus, non de Philosophiæ decretis; utrum potius quærendum est, quid Philosophi, atque Ethnici, an quid Homines Christiani, & Doctrina, & Fide instituti sentiant? »

471. Cum ergo Canus ultro fateatur, Communem Fidelis Populi Sensum indubitanter stare pro B. Virginis præservatione ab Originali Peccato; ut vidimus *num.* 394. fateri etiam debet, quod hic Communis Fidelis Populi Sensus, *haud levem faciat Fidem*, de Immaculata DEI Genitricis Conceptione. *Nec enim cuique Pio persuaderi potest*, [ut alibi arguit idem Canus] *Deum passurum fuisse, ut Populus Christianus tot Sæculis, in re adeo gravi deluderetur.*

472. Eandem Veritatem illustrant tres nostræ Societatis Primarii, & Insignes Theologi. P. Franciscus Suarez, ex Communi Fidelium Sensu Piam Sententiam confirmans, (g) *Non est*, ait, *verisimile, permissurum fuisse Spiritum Sanctum, universam Ecclesiam in re tanti momenti errare; imo credendum est, ex illius inspiratione hunc universorum Fidelium sensum, affectumque manasse.*

473. P. Gabriel Vasquez idem argumentum tractans, (h) *Et sane*, inquit, *hanc communem vocem totius Populi, non sine DEI nutu, & peculiari providentia percrebuisse, quis dubitet? Certe si hæc nostra opinio probabilior multo non esset*, (diceremus ego, *si vera non esset*) *non permitteret Deus, totum Populum Christianum tam firmo, & constanti animo eam profiteri, & amplecti.*

474. P. Gregorius de Valentia, in suo egregio opere *de Rebus Fidei*, (i) tantum tribuit Communi Fidelium Sensui, ut asserat, *In definitionibus Fidei Catholicæ habendam etiam esse rationem, quoad fieri potest, consensus Fidelium: quoniam*, inquit, *& ii sane, quatenus ex istis constat Ecclesia, sic, Spiritu Sancto assistente, divinas Revelationes integre, ac pure conservant, ut omnes illi quidem aberrare non possint.* Quapropter pronuntiat: » Si quando de re aliqua, in materia Religionis controversa, constaret, Fidelium omnium concordem esse sententiam, [solet autem, id constare, vel ex ipsa praxi alicujus cultus, communiter apud Christianos Populos recepta, vel ex scandalo, & offensione communi, quæ ex opinione aliqua oriatur &c.] merito posset, & deberet Pontifex illa uti, ut quæ esset Ecclesiæ sententia infallibilis. »

475. Jam vides, utrumque modum dignoscendi Fidelium omnium concordem sententiam, præsto nobis esse, ut colligamus Communem Fidelium Sensum de Immaculata DEI Genitricis Conceptione; quippe quam & omnes publico cultu venerantur, & maculatam audire non ferunt.

476. Horum vestigia secutus, Theologiæ Dogmaticæ Magister, P. Dionysius Petavius, (k) laudat primo in hanc rem illud S. Paulini Episcopi Nolani monitum: (l) *Ut de omnium Fidelium ore pendeamus, quia in omnem Fidelem Spiritus DEI spirat.* Tum D. Augustini Scitum esse an: *Singulorum mentibus revelari quædam a DEO, non solùm cum extraordinariis modis, velut visis, & ostentis, & hujusmodi significationibus occultum aliquid innotescit; verum etiam usitatis rationibus, quando quod ignotum erat, vel orantibus, ac pulsantibus, vel aliud agentibus aperitur.* Et demum concludit: » Ad hunc itaque modum revelasse credendus est DEUS Christianis Integrum illum Immaculatæ Virginis Conceptum: hoc est ejus tum notitiam aspirasse; tum, quam Græci Πληροφορίαν, Latini firmam persuasionem nominant: tametsi nondum plena, & quæ in catholicum dogma transierit, facta sit illius fides. »

477. Post Christianos Doctores, unum ex Ethnicis Sapientibus audire non pigeat, Marcum Tullium Ciceronem, qui ex communi, inveterata, & constante omnium Hominum persuasione, DEUM esse, non minus invicte, quàm eleganter demonstrat. (m) » Quod, *inquis*, nisi cognitum, comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum Sæculis, ætatibusque Homi-num

(f) *Lib.5. de Locis Theolog. cap. postremo versus finem, fol.* 186. *pag.*1. & 2. *Et lib.*2. *cap.*6. *fol.*39. *pag.*2.
(g) *Tom.*2. *in* 3. *par. disp.*3. *sect.*5.
(h) *Tom.*2. *in* 3. *par. disp.*117. *cap.*6. *prope finem.*
(i) *Lib.*8. *in quo est* Analysis Fidei, *cap.*9. *edit.* Parisiensis an. 1610.
(k) *Lib.*14. *de Incarnat. cap.*3. *n.*10. & 11. *pag.*216. *tom.*5. *de Theolog. Dogmat. edit.* Antverp. an. 1700.
(l) *Epist.*25. (*olim* 4.) *n.*36. *pag.* 145. *tom.* 1. *ejus Oper. edit.* Paris. an. 1685.
(m) *Lib.* 2. *de Natura Deor. pag.* 214. *edit.* Lugdunens. ann. 1585.

„ num inveterare potuisset. Etenim videmus, „ cæteras opiniones fictas, atque vanas, diu„ turnitate extabuisse. Quis enim Hippocentau„ rum fuisse, aut Chimæram putat? &c. Opi„ nionum enim commenta delet dies; Naturæ „ judicia confirmat. Itaque & in nostro Popu„ lo, & in cæteris, Deorum cultus, Religio„ numque sanctitates existunt in dies majores, „ atque meliores. Idque evenit non temere, „ sed quòd præsentiam sæpe Divi suam decla„ rant &c. „

478. Si maxima Veritas, quod DEUS sit, ad totum humanum pertinens Genus, ex communi, inveterato, & constante Hominum sensu evidenter colligitur; ut & Tullius, & reliqui Gentiles Philosophi sentiebant: quidni hæc Veritas, quod DEI Mater absque Originali Labe concepta sit, ad pios Christi fideles pertinens, ex communi similiter inveterato, & constante eorundem Christi fidelium sensu evidenter etiam colligatur?

479. Quod de vanis opinionibus ajebat Tullius, observavit quoque S. Petrus Mauritius, dictus Venerabilis: *(lib. 2. epist. 33. pag. 888. tom. 22. Biblioth. PP.) Omnium*, inquit, *rerum novarum immoderatus modus ita se habet, ut ipsa sui novitate, sibi, & aliis admirandus, in primis ferveat, eiusque sperato tepescat. Perstringit oculos corusci instar splendoris, qui sicut se repentinus ingerit, sic vix visus recedit &c.* Cum igitur contra accidat in sensu, & cultu Immaculatæ Conceptionis; non hunc vanæ novitatis, sed solidæ Pietatis studium induxisse credendum est.

PERPAUCORUM DISSENSUS, PII, COMMUNISQUE FIDELIUM SENSUS AUCTORITATEM NON INFIRMAT.

480. PErpaucos esse, qui a Pio, Communique de Immaculata DEI Genitricis Conceptione Fidelium Sensu recedant, Articulo superiore demonstratum est. Quamobrem Alexander Papa VII. declarare merito potuit, quod *Jam fere omnes Catholici eam complectuntur.* De Catholicis porro loquitur Pontifex; quia istorum dumtaxat Communis Sensus, in Ecclesia Sancta DEI, habenda est ratio. Age nunc, quod proposuimus, Ratione, & Auctoritate ostendamus.

481. Prima Ratio: Si nutaret, & errori obnoxius esset hujusmodi Communis Catholicæ Ecclesiæ Sensus, cui Perpauci tantum resistant; argumentum deductum ex unanimi Ecclesiæ Sensu, nullam haberet vim ad refellendos novos errores, in Ecclesia subortos. Dicerent enim eorum Auctores, & Sectatores, nondum ab Ecclesiæ communione, aperta defectione, separari; contrarium sibi non esse Unanimem totius Ecclesiæ Sensum; cum & ipsi sint Pars Ecclesiæ, & [quæ solet esse istorum arrogantia] etiam melior. Nam & ità se gerere videntur Janseniani, qui a gravissimis Apostolicæ Sedis decretis, quantumvis communi cæterorum Fidelium Sensu receptis, ad futurum Generale Concilium provocare consueverunt.

482. Altera Ratio: Ubicunque communi consilio, & deliberatione Res agitur; quod omnes fere, paucissimis tantum exceptis, sentiunt, atque decernunt; id omnium simpliciter consilio, ac deliberatione ratum, sanctumque habetur. In iis quippe rebus, quarum Judicium ab aliqua Universitate pendet; Universitas non arithmetice, sed moraliter æstimanda est. Cùm igitur CHRISTUS suam, & Spiritus Sancti Præsentiam Universæ promisit Ecclesiæ, ne in rebus ad Fidem, & Religionem spectantibus a vero aberraret; de Ecclesia locutus est universa, non arithmetice, sed moraliter æstimata; ne sua Promissio cavillationibus pateret, & deludi facile posset.

483. Profecto quis credat, permissurum DEUM aliquando, in exiguo Privatorum Hominum cœtu Veritatem inveniri; reliquam vero Fidelium, & Pastorum Ecclesiæ plenissimam Universitatem in Errore versari? Quo belle cadit illud D. Hieronymi in Dialogo adversus Luciferianos: (n) *Si Ecclesiam per totum Orbem diffusam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet; nimium Pauper factus est.* Si ergo Universa fere Ecclesia, si omnes fere Fideles in unum Immaculatæ Conceptionis sensum conveniunt; hujus Pii, Communisque Sensus auctoritatem infirmare non potest privata paucissimorum dissensio. *Quid enim,* [ajebat Apostolus ad Rom. III. 3.] *si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum Fidem DEI evacuabit? Absit.*

484. Rationi accedit Auctoritas. D. Augustinus, laudatus in Prolusione, (o) indubitatum haberi voluit id, de quo *Ecclesia fere tota consentit.* Præterea *lib. 2. de Doctrina Christiana* (p) hanc regulam tradit: *Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt &c.* Quod ergo aliquas Scripturas Canonicas quædam tantùm Ecclesiæ non accipiant; non obstat, juxta S. Augustinum, quominus illæ ab omnibus accipi dicantur Ecclesiis, ac proinde pro indubitatis habendæ sint. Et *lib. 3.* contra Cresconium, (q) judicium quantumvis centum, & viginti Episcoporum, de rebaptizandis Hæreticis, corrigendum fuisse, ait, contrario judicio reliquorum totius Orbis Episcoporum. *Si omnino*, inquit, *jam credendum sit, quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic Error toto Orbe displicuit; cur non potius, etiam ipsos paucos Orientales suum Judicium correxisse dicamus?*

485. Sed nihil æque rem hanc illustrat, atque confirmat, quam Epistola D. Bernardi (r) ad Epis-

(n) *Col. 619. tomi 1. edit.* Paris. an. 1609. *ex recens.* Mariani Victorii Rheatini.
(o) *In Epist. ad Evodium, ibi citata n. 3.*
(p) *Cap. 8. n. 12. col. 23. primæ Par. tomi 3.*
(q) *Cap. 3. n. 3. col. 437. tomi 9.*
(r) *Epist. 186. a col. 135. incipit col. 131. tomi 1. Operum S. Bernardi edit. Mabillon.*

Episcopos Aquitaniæ, scripta circiter annum 1132. in qua ex Communi Fidelium tunc viventium Sensu, egregie demonstrat, Innocentium II. Gregorium antea dictum, ut legitimum, & indubitatum Papam, esse recipiendum; Anacletum verò, Petrum Leonis antea dictum, ut suppositum Antipapam, abjiciendum esse: cui nihilo minus adhærebant Guillelmus Aquitaniæ Dux, & Rogerius Dux Calabriæ, ac Siciliæ Rex, Gerardus quoque Episcopus Engolismensis, & alii nonnulli, qui eam Causam in aliquo Concilio judicari flagitabant. Hanc Epistolam magna ex parte describimus, quæ tota rei præsenti aptatur commode, pauculis verbis dumtaxat subrogatis, & italico charactere exaratis.

486. *Num. IX.* „ Jam DEUS judicavit, „ quod sero repetit Homo: judicavit autem operis evidentiâ, non decreti sententiâ. Numquid DEI Judicium audeat humana temeritas retractare? Velociter currit Sermo ejus in conveniendo Populos in unum, & Reges, ut Domino Papæ Innocentio serviant, & obediant, (*ut DEI Genitricis Conceptionem Sanctam habeant, & colant.*) Quis revocabit? DEI esse Judicium senserunt, & consenserunt Galterius Ravennas, Hildegerius Tarraconensis, Norbertus Magdeburgensis, Conradus Salisburgensis, Archiepiscopi. DEI esse Judicium cognoverunt, & acquieverunt Episcopi, Equipertus Monasteriensis, Hildebrandus Pistoriensis, Bernardus Papiensis &c. (*loco istorum, quotquot sunt in Orbe Catholico, Sanctitate, ac Doctrina insignes, Episcopos, & Archiepiscopos nominabis.*) Horum Gloria specialis, & præcipua Sanctitas, & Auctoritas, etiam hostibus reverenda, facile nobis, qui minorum & meriti, & officii tenemus locum, aut errare secum, aut sapere persuasit. Taceo multitudinem cæterorum Tusciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, & Aquitaniæ, Galliarum denique, & Hispaniarum omnium, nec non & universæ Orientalis Ecclesiæ, tam Archiepiscoporum, quàm Episcoporum, quorum nomina sunt in Libro Vitæ, sed Epistolæ brevitas non admittit. „

487. *Num. X.* „ Hi omnes unanimes, non conducti pecunia, non seducti fallacia, non illecti privato carnis, vel cognationis amore, non timore compulsi potentiæ sæcularis, sed DEI procul dubio Voluntatem, sicut non ignorantes, Petrum Leonis ingenue refutaverunt, ac secure Gregorium in Papam Innocentium susceperunt. (*Piam de Immaculata B. Virginis Conceptione Sententiam secure susceperunt, & contrariam ingenue refutaverunt.*) Nostratum sane nemo ex nomine in his expressus est litteris: quia & omnes compendium non fert, & aliquorum invidiosa designatio adulationis notam non effugit. Non autem debeo prætermittere Sanctos, qui mundo mortui, DEO melius vivunt &c. Itaque Camaldulenses, Vallumbrosani, Cartusienses, Cluniacenses, & qui de Majori Monasterio sunt, mei quoque Cistercienses, &c. Universitas denique, & unanimitas Fratrum, tam Clericorum, quàm Monachorum regularis vitæ, probatæque Conversationis, (*si paucissimos, & ex una dumtaxat familia excipias*) sequentes Episcopos, tanquam greges Pastores suos, Innocentio (*Sanctæ DEI Genitrici, ab Originali Culpa præservatæ*) firmiter adhærent, sincere favent, humiliter parent; verum Apostolorum Successorem (*veram DEI Filiam ab sui origine*) fideliter recognoscunt. „

488. *Num. XI.* „ Quid Reges, & Principes Terræ? Nonne in eodem spiritu, una cum subjectis sibi plebibus, Innocentium (*Mariam in suo conceptu Immaculatam*) pariter amplectuntur, confitentes & ipsi, Papam, & Episcopum (*Sospitatricem*) Animarum suarum? Quis postremo, in quocunque ordine Vitæ illustris, & boni nominis Homo, id ipsum non sapit? Et tamen adhuc isti, nescio qua contentiosa importunitate, & importuna contentione reclamant. Vocant in Causam Orbem, & cum sua Paucitate Universitatem flagitant judicari &c. „

489. Aliam scripsit de eodem Argumento Epistolam (*s*) D. Bernardus, ex persona Hugonis Ducis Burgundiæ, ad Guillelmum Comitem Pictavorum, Ducem Aquitaniæ, qui Papæ Innocentio adhærere nolebat, & Petri Leonis, sub nomine Anacleti, partibus studebat. In qua Epistola notatu digna sunt hæc verba: *Miror, quanam Versutia, modò vestra illa Prudentia circumventa fuerit, eandem Matrem vestram, & Dominam* [Ecclesiam] *deserere; nisi forte & hoc vobis vestri illi Consiliarii persuadere conentur, ad solam Petri Leonis domum, Universalem Ecclesiam redactam esse.* Unde concludit: *Tutius proinde vobis est, ut ab Universitatis consensu, & Consilio non recedatis. Quem omnis Religio, quem Regum Universitas receperunt, vobis quoque, & honorificum, & salutiferum est, ut recipiatis.* Tuum erit, perspicax Lector, hæc verba rei nostræ accommodare.

Communem Ecclesiæ Sensum, in Arianismum, et Anabaptismum aliquando abiisse, Calumnia est.

490. Istud in mentem alicujus Scriptoris Catholici venire potuisse, non credebam; donec in secundo ex illis duobus supra memoratis Adversariorum libellis, (*t*) hanc responsionem inveni: „ Universitatum, Doctorum, „ aliorumque Opinantium objicitur Multitudo: „ sed vota ponderanda sunt, non numeranda; „ nec Populorum consensus Diffinitiones Fidei „ facit, vel cogere potest, ut fiant. Ariana „ Hæresis fere in omnes invaluit, &, teste S. „ Hieronymo, *Ingemiscens totus Orbis, Arianum*

(*s*) *Est epist.* 127. *col.* 137. *& seq. ejusd. tom.* 1.

(*t*) §. *seu n.* 34. *extat pag.* 200. *col.* 1. *Appendicis secundæ Opusculi Trutinæ Theologicæ &c.* P. Vincentii Fassari. Soc. Jesu.

„ *num se esse miratus est.* Sub Pontifice B. Stephano, tota fere Ecclesia, duobus tantum, vel tribus Episcopis resistentibus, in Anabaptismum abiit: quia tamen non adfuit Summi Pontificis consensus, in quo Infallibilitatis Privilegium residet, Ecclesia non erravit. „

491. Thrasonianas illas voces: *Sed Vota ponderanda sunt, non numeranda:* quibus innuitur, Universitates, Doctoresque, à Pia Sententia stantes, nonnisi numerum esse, apud paucos Adversarios Auctoritatis pondus residere; tacitus prætereo. Bene est: *Ergo vos estis soli Homines, & vobiscum morietur Sapientia.* (u) Quis autem patienter ferat, contra omnem Historiæ fidem, probrum tam indignum Ecclesiæ inferri, ut *Ariana Hæresis fere in omnes invaluisse, & tota fere Ecclesia in Anabaptismum abiisse,* dicatur?

492. Quonam tempore Ariana Hæresis sic invaluit? Tunc fortasse, cùm Episcopi illi, qui ad Ariminense Concilium convenerant, eoque absoluto, adhuc Arimini, jussu Constantii Imperatoris Ariani, tanquam Captivi detinebantur; a Valente, & Ursacio, Arianis Episcopis circumventi, novæ Fidei formulæ subscripserunt, in qua nomen *Substantiæ*, & *Consubstantialitatis* tacebatur: sed tamen anathema pronuntiabatur *Dicenti Creaturam, Filium DEI, ut sunt cæteræ Creaturæ.* Tunc enim, narrante S. Hieronymo, (x) *Cœperunt postea Valens, & Ursacius palmas suas jactitare, dicentes, se Filium, non Creaturam negasse, sed similem cæteris Creaturis.* Quo narrato, S. Hieronymus adjungit: *Tunc Nicenæ Fidei Damnatio conclamata est. Ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est.*

493. Verumtamen num propterea Episcopi illi in Arianam Hæresim prolapsi sunt? Negat idem ipse Hieronymus ibidem, qui & hoc pacto illos excusat: *Sonabant verba Pietatem, & inter tanta illa præconia, nemo venenum insertum putabat. De Usiæ nomine abjiciendo verisimilis ratio præbebatur &c.* Et ipsorum Episcoporum excusationem refert, ac probat: „ Concurrebant, *inquit*, Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia Hæretici ferebantur, contestantes Corpus, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesia DEI, ubi simplicitas, ubi pura Confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. „

494. Præterea, esto, [quod falsissimum est] Arianæ Hæresi Episcopi illi consenserint, an idcirco innumeri alii Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Laici, per totum Orbem Terrarum dispersi, tunc, fato quodam, ex Catholicis derepente Ariani effecti sunt; ita ut dici possit, quod *Ariana Hæresis fere in omnes invaluit?* Stultissima cogitatio. Circa idem tempus aliud Concilium Seleuciæ celebrabatur; in quo, licet ex Arianis, & Semiarianis maxima ex parte coacto, Episcopi ex Ægypto cum D. Hilario Pictaviensi Fidem Nicenam fortiter asseruerunt. (y)

495. Quid ergo significare voluit S. Hieronymus, decantatis illis verbis? Accipe ex Eminentissimo Historico, Cæsare Baronio: (z) „Quod ait S. Hieronymus: *Orbem ingenuisse, seque Arianum esse miratum:* haud sic accipiendum est, ut quam adeo detestati erant, atque hactenus abominarentur, Arianam Hæresim, crederent, se invitos, dolentesque esse complexos; cum tamen nonnisi volens quis effici possit Hæreticus. Sed, quod in nova Fidei Regula, *Consubstantialitatis* nomine prætermisso, atque *Substantiæ* pariter ablegato; patefacto eam ob Causam Arianis aditu ad invadendam Catholicam Fidem, iidem visi essent Nicenæ Fidei Proditores. „ *Et infra:* „ Num, quia Valens in hæreticum sensum verba illa detorsit, fiet, ut quadringenti Episcopi in optimam, potioremque significationem eam sententiam interpretati, evaserint Hæretici ex Catholicis? Absit: &c. „ Vide & Aloysium Maimburgum in accurata Historia *Arianismi, tom.* 1. *lib.* IV. *pag.* 750. *& pag.* 760. *& seq. edit. Italicæ.*

496. Et quandonam tota fere Ecclesia in Anabaptismum abiit? Forte, quando in duabus Synodis Orientalis Ecclesiæ, Iconii, & Synadæ celebratis, (a) & paulo post in Concilio Provinciali Africano, [cui S. Cyprianus præsidebat] factum est decretum de rebaptizandis Hæreticis, ad Ecclesiam reversis.

497. Suntne vero tres isti particulares Conventus, *Universa fere Ecclesia?* Suntne Episcopi illi, in eis congregati, omnes totius Catholici Orbis Episcopi, *duobus tantum, vel tribus,* demptis? Jam audisti ab Augustino *num.* 484. *Tot millia Episcoporum fuisse, quibus hic Error toto Orbe displicuit.* Sed adhuc audi Vincentium Lirinensem, (b) qui, præfati Erroris Auctore, & Sectatoribus indicatis, subjungit: „ Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua versum Sacerdotes, pro suo quisque studio reniterentur, tum Beatæ Memoriæ Papa Stephanus, Apostolicæ Sedis Antistes, cum cæteris quidem Collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit &c. „ Quamobrem ut D. Hieronymus refert (c) *Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos Hæreticos, cum eo* [S. Cypriano] *statuerunt, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere Decretum.*

498. Adversarios nostros laudo in eo, quod addunt: *Quia tamen non adfuit Summi Pontificis consensus, Ecclesia non erravit:* & simul contra ipsos argumentum instauro. Ut vos dicitis, *Tota fere Ecclesia duobus tantum, vel tribus Episcopis resistentibus, in Anabaptismum abiit;* quia

(u) Job. *cap.* 12. *ver.* 2.

(x) *In Dialogo adversus* Luciferianos, *col.* 299. *par.* 2. *tom.* 4. *edit. Benedict. & col.* 622. *tomi* 1. *edit. supra cit.*

(y) *Refertur col.* 924. *tom.* 2. *Concilior. ex D. Hilario, lib. contra* Constantium Augustum.

(z) *Tomo* 3. *Annalium Ecclesiast.* ad annum 356. *num.* 44. *&* 45.

(a) *V.* Nicephorum *lib.* 6. *Histor. Ecclesiastic. cap.* 9. *col.* 268.

(b) *Commonitorio adversus profanas Hæreticorum novitates cap.* 9. *pag.* 251. *tomi* 7. *Biblioth. M. PP.*

(c) *In Dialogo cit. advers.* Lucifer. *col.* 303. *tomi cit.*

quia tamen non adfuit Summi Pontificis consensus, Ecclesia non erravit. Si ergo non tota fere Ecclesia, sed pauci dumtaxat unius Familiæ in contrariam de Maculata B. Virginis Conceptione sententiam abeunt; nec duobus, vel tribus tantum, sed omnibus Catholicæ Ecclesiæ Episcopis, cum subjectis sibi Populis, resistentibus; & neque adest ullius Summi Pontificis consensus, sed potius plurimorum Pontificum, tacitus saltem, & virtualis, dissensus; quid est, cur non dicamus, tam unanimem Catholicæ Ecclesiæ ab ea Sententia dissensum, qui plane consensus est in Piam Sententiam, errori obnoxium non esse?

ANACEPHALÆOSIS.

499. PRolixius hæc Actio præ cæteris tractanda fuit; in qua Pia Pars luculentius, & validius de Adversa Parte triumphat. In prioribus Actionibus non defuerunt Adversæ Parti, quæ saltem in speciem obviantia, ex sacris litteris, Patrumque monumentis, produceret Testimonia. In præsenti Actione nullum penitus, [quod quidem Ecclesiæ Catholicæ jure dixeris,] adhuc in speciem opponi ab illa potuit Testimonium.

500. Rursus in prioribus Actionibus, plurima sane, atque præclara, satisque efficacia, Sacræ Scripturæ, & Apostolicæ Traditionis pro Pia Parte allegavimus Testimonia. Hæc autem duo, quæ in præsenti Actione adduximus, & ponderavimus, Catholicæ Ecclesiæ Testimonia, ea pollent perspicuitate, ac firmitate, ut non alia ratione obscurari, vel infirmari posse videantur, nisi ipsius Catholicæ Ecclesiæ obscurata, vel infirmata in suis factis, & dictis Auctoritate: adeo ut de Immaculata DEI Genitricis Conceptione dicere valeamus cum D. Augustino: (d) *Hoc habet Auctoritas Matris Ecclesiæ: hoc fundatus veritatis obtinet Canon. Contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipse confringitur.*

501. Itaque cum eodem Sancto Doctore, (e) quibusdam additis, vel immutatis, concludimus: *Cum igitur tantum auxilium DEI, tantum profectum, fructumque*, in propagatione Cultus, & Sensus Immaculatæ DEI Genitricis Conceptionis, *videamus; dubitamus nos*, hanc toto corde amplecti Ecclesiæ sententiam; *quæ usque ad confessionem Generis Humani, ab Apostolica Sede, per successiones Episcoporum, frustra* Partis Adversæ Patronis *circumlatrantibus, & partim Plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate*, [de quibus infra] *partim etiam miraculorum Majestate, rejectis; culmen Auctoritatis obtinuit?*

ACTIO

(d) *Serm.* 294. *de Baptismo Parvulorum*, *col.* 1192. *tomi* 5.

(e) *Lib. de utilitate credendi*, *cap.* 17. *num.* 35. *col.* 69. *tomi* 8.

ACTIO QUARTA.

CONCILIORUM, & SYNODORUM TESTIMONIA.

PROLUSIO.

1. CATHOLICÆ Ecclesiæ Testimoniis, Conciliorum, & Synodorum Testimonia congruenter adnectimus, propter rationem a Melchiore Cano (*a*) indicatam. Quia nimirum Concilia Ecclesiam repræsentant, a quo proinde sejungi non debent. Et quamvis prior, ac potior sit Summorum Pontificum, quàm Conciliorum Auctoritas, hæc tamen plerisque est & acceptior, & notior.

2. Concilia sunt triplicis generis. Quædam sunt Œcumenica, seu Generalia, quæ indicente Romano Pontifice, omnium Christianorum Episcoporum convocatione, ex Universa Ecclesia congregantur. Alia dicuntur Provincialia, ad quæ, omnes unius Regni, vel Provinciæ Episcopi, a Primate, vel Metropolitano evocati conveniunt. Alia demum sunt Episcopalia, quæ a singulis Episcopis cum suis Sacerdotibus, in aliquo gradu Ecclesiæ constitutis, celebrari solent; & Synodi passim appellantur.

3. Ex hoc triplici Conciliorum genere, Testimonia in hanc Actionem indiscriminatim inducimus. Quia etsi Provincialia, & Episcopalia Concilia, quæ Sedis Apostolicæ Auctoritate non muniantur, firmam fidem non faciunt; nisi tamen fuerint ab eadem Sancta Sede rejecta, probabilissimum subministrant Veritatis argumentum, ut laudatus Canus observat. (*b*) Hic quoque locum habent Epistolæ Synodicæ, Synodi nomine conscriptæ; nec non Orationes, a quibusdam Patribus in ipsis Conciliis habitæ, reliquorum consensu approbatæ.

4. Duo insuper monemus: I. Decreta illa Synodalia, quibus Festum Conceptionis B. Virginis, vel probatur, vel instituitur, vel etiam præcipitur; a Pia Parte utiliter allegari, tanquam Testimonia Sanctæ, & Immaculatæ Conceptionis, juxta ea, quæ Actione præcedente firmata sunt. II. Non esse in præsenti Actione continuatam aliquam Sæculorum seriem expectandam, quippe quæ a neutra Parte disponi potest. Annum tamen, quo singula Testimonia edita sunt, ordine suo indicabimus.

ARTICULUS I.

Conciliorum, & Synodorum Testimonia, ab Adversa Parte allegata.

TESTIMONIUM I.

Epistola Synodica S. Dionysii Episcopi Alexandrini ad Paulum Samosatenum.
Anno CCLX.

Nullus peccati est expers, nisi solus Christus; sicut & Pater Christi, & Spiritus Sanctus.

5. HOc Testimonium opponit (*c*) Lampridius, sed mutilum, & ex editione mihi penitus ignota. Integra, & sincera Dionysii sententia, ut in quatuor diversis editionibus (*d*) legitur, ita se habet: *Nisi fuisset Christus idem, qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi. Nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut & Pater Christi, & Spiritus Sanctus.* In quibus verbis nihil invenies, quod Piæ Sententiæ vel hilum noceat.

6. Non inficior, verbum græcum originale ἀναμάρτητος, utrobique usurpatum, utrovis modo latine reddi posse, *expers peccati, & impotens peccare.* (*e*) At hoc posteriori modo reddendum ibi esse, ut reddidit noster Franciscus Turrianus, primus ejus epistolæ interpres; contextus ipse cogit. Certum namque est, etiam Sanctos Angelos esse, & fuisse peccati expertes.

7. Perinde ac Dionysius, loquuntur, ac sentiunt S. Gregorius Nyssenus, (*f*) S. Ephræm, (*g*) & S. Jo. Chrysostomus, (*h*) quos, Dionysio præter

(a) *Lib. 6. de Locis Theolog. cap. 2. fol. 189. pag. 2.*
(b) *Lib. 2. cap. 4. concl. 6. & 7. fol. 157. pag. 2. & seq.*
(c) Cap. 24. *pag.* 181.
(d) *Bibl. VV. PP. GL. tomo 1. pag. 277. Bibl. Max. PP. tom. 3. pag. 342. Collect. Concil. col. 875. tom. 1. & in prima edit. Gl. ejus epistolæ ex recens. & vers.* Francisci Turriani Soc. Jes. Rom. an. 1608. *pag. 9. & 10.*

(e) *V. Lexicon Græco-Lat.* Conradi Gesneri, *ab* Hadriano Junio *auctum, & excusum* Basileæ an. 1558.
(f) *In Catena D. Thomæ super* Lucam, *cap. 2. fol. 142. col. 1. tom. 15.*
(g) *In Sermone de Passione Domini, pag. 694. edit.* Colon. an. 1603.
(h) *Tom. 5. edit.* Paris. ao. 1543. *fol. 56. col. 1.*

præter ordinem accensens Lampridius, *Christum solum sine peccato deprædicasse*, ait. Nysseni verba sunt: *In totius Primogenito Creaturæ, quod nascitur, sanctum pronuntiat Angelus, quasi proprie sanctum existens.* Hoc est sanctum, Sanctitate sibi propria, & vi suæ Nativitatis. Nam alioqui Sancta quoque nata est B. V. MARIA. Dixit S. Ephræm: *Propter nos crucifixus est, qui solus sine peccato erat*; sed paulo post quasi explicans, ait: *Deus, in quem cadere nequit peccatum, hodie traditus est.* Idem quoque significare voluit Chrysostomus, [qui & de Peccatis Actualibus loquitur] cùm scripsit: *Sed quoniam Deus erat, & idem sine peccato solus, permisit justos proprium penes arbitrium, humanis erroribus incurvari.* Ratio namque illa, *quoniam Deus erat*, potestatem peccandi excludit.

8. Cæterum, an hæc verba sint Chrysostomi, merito dubitaveris; quia licet in veteri quadam editione Parisiensi Anno 1543. reperiantur, in duabus tamen editionibus Parisiensibus An. 1614. & 1621. [quæ sunt ex recensione, & versione nostri Frontonis Ducæi;] inter homilias *de Pœnitentia*, repositas Tomo v. prioris, & Tomo I. posterioris editionis, Homilia sexta desideratur. In Homilia vero sexta *de Pœnitentia*, quam exhibet editio omnium accuratissima, & locupletissima Cl. V. Bernardi de Montfaucon, (*i*) nec illa verba, nec alia similia leguntur.

TESTIMONIUM II.

Concilium Milevitanum secundum, Anno CCCCXVI.

Item placuit, ut quicumque Parvulos recentes ab uteris Matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam contrahere Originalis Peccati, quod regenerationis lavacro expietur &c. Anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum, quod ait Apostolus (ad Rom. v.) per unum Hominem Peccatum intravit in Mundum &c. *nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam Fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. (k)*

9. IN allegatione hujus Testimonii plura falsa immiscet Bandellus. (*l*) 1. Ait, Concilium Milevitanum celebratum esse auctoritate B. Zosimi, & paulo post, illud tribuit Bonifacio I. Cum tamen constet, sub Innocentio I. fuisse celebratum; ut præfertur in titulo, & liquet ex Epistola Synodica Milevitani Concilii ad Innocentium, & hujus Rescripto ad Patres ejusdem Concilii. (*m*) 2. Concilium Milevitanum discernit a Concilio Numidiæ, quod celebratum dicit sub Innocentio I. At similiter constat, ipsummet Milevitanum fuisse Concilium Numidiæ, a Silvano Numidiæ Primate convocatum; ut patet ex citatis Epistolis. 3. In hoc Milevitano Concilio *determinatum fuisse*, refert, *hanc esse regulam fidei sine omni exceptione, quod omnes Homines, ab Adam seminaliter propagati, in Peccato Originali sint concepti.* Hæc vero determinatio in nullo Canone illius Concilii apparet. Refert quoque *fuisse ibi decretum, quod habetur capite*, firmissime, *de consecratione, dist.* 4. Sed istud caput: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem Hominem, qui per concubitum Viri, & Mulieris concipitur, cum Peccato Originali nasci &c.* non est decretum aliquod Concilii Milevitani, nec etiam est desumptum ex D. Augustino, [ut falsò citatur in decreto Gratiani] sed est sententia D. Fulgentii Episc. Ruspensis, in libro *de Fide ad Petrum Diaconum*, pag. mihi 358. ut Eruditi sciunt.

10. Sunt etiam, qui dubitent, an allegatus Canon, & reliqui adjuncti sint ipsius Concilii Milevitani, an alterius Concilii Africani. (*n*) Profecto Canon iste, jam insertus est in decreto Concilii Tridentini *de Peccato Originali, Can. IV.* Jam ergo declaratum est ab hoc Concilio Œcumenico, Canonem istum, [sicut & alios similes] ita intelligendum esse, ut *non comprehendat Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam.* Quod ex infra dicendis constabit.

TESTIMONIUM III.

Epistola Synodica S. Cyrilli Episcopi Alexandrini, ex Synodo Alexandrina, ad Nestorium Episcopum CP. Anno CCCCXXXI.

Obtulit (scilicet CHRISTUS) *proprium Corpus non pro se, sed pro nobis, in odorem suavitatis. Nam pro se oblatione, vel sacrificiis non indiget ab omni Peccato liber, ut DEUS, existens. Quod si* omnes peccaverunt, & egent gloria DEI *(Rom. 3. 23.) secundum hoc, quod sumus ad mutabilitatis excessum proniores effecti, & peccatis ægrotavit humana natura; ipse vero non ita, ideoque nos gloria ejus egemus; cur erit ultra jam dubium, quod Agnus verus propter nos, & pro nobis sit immolatus? Qui dicit autem, quia semetipsum tam pro se, quàm pro nobis obtulit; nullatenus impietatis crimen effugiet, cum nihil prorsus ipse deliquerit, nec ullum fecerit omnino Peccatum &c. (o)*

11. Alle-

(i) *Tom. 2. edit. Parif. an. 1718. a pag. 316.*
(k) *Can. 2. col. 381. tom. 3. Concilior.*
(l) *Cap. 38. fol. 53.*
(m) *Col. 387. & col. 47. tom. 3. Concil.*
(n) *V notas subjectas Concil. Milevitano, col. 381. & 382.*
(o) *Inter Epistolas quasdam Concilii Ephesini, col. 234. tom. 4. Concilior. & 1. parte Conc. Ephesini cap 26. col. 964. tom. 3. Concilior.*

11. ALlegans hæc verba Bartholomæus Spina, (*p*) jactat, esse *Determinationem quandam Concilii Ephesini, contra Nestorium celebrati; & in epistola præfati Concilii, dicto Nestorio directa, contineri.* Errat vero, quia hæc epistola non ex Concilio Ephesino, sed ex Alexandrina Synodo, a S. Cyrillo ad Nestorium missa est; ut constat ex ipsius titulo, sive initio, in omni Conciliorum collectione.

12. Cujuscunque autem sit hoc Testimonium, tam non officit immunitati B. Virginis ab Originali Peccato, quàm non officit immunitati ejusdem ab Actualibus. Nam de hujusmodi peccatis potissimum ibi agitur, ut præseferunt illa verba: *Omnes peccaverunt, secundum hoc, quod sumus ad mutabilitatis excessum proniores effecti.* Et: *Cum nihil prorsus iste deliquerit, nec ullum fecerit omnino peccatum.* Hanc itaque specialem prærogativam sentit D. Cyrillus, CHRISTO convenire, quod *ut Deus*, & *immutabilis*, ab omni, tum peccato, tum peccati periculo liber extiterit; & ideo nulla pro se oblatione indiguerit. Quod clarius apparet in alia versione magis castigata ejusdem Epistolæ, (*q*) ubi sic legitur: *Qua enim ille oblatione, aut sacrificio pro se ipso indigeret, qui omni peccato, ut Deus superior existebat? Si enim omnes peccaverunt &c. quandoquidem facti sumus omnes ad lapsum propensi, peccandique morbo naturam subjectam circumferimus. Ipse verò nequaquam &c.*

TESTIMONIUM IV.

Concilium Provinciale Forojuliense, a Paulino Archiepiscopo Aquiliensi celebratum Anno DCCXCVI.

Non putativus DEI Filius, sed verus; non adoptivus, sed proprius: quia numquam fuit, propter Hominem, quem assumpsit, a Patre alienus. Solus enim sine peccato natus est Homo, quoniam solus & incarnatus de Spiritu Sancto, & Immaculata Virgine, novus Homo: Consubstantialis DEO Patri in sua, idest Divina; Consubstantialis etiam Matri, sine sorde Peccati, in nostra, idest Humana Natura. (r)

13. OBjicit Lampridius (*s*) hoc Testimonium, (cujus & annum correxi, juxta emendationem Antonii Pagi, (*t*) & posteriora verba ad majorem lucem addidi,) non animadvertens, eodem Testimonio, secundùm verborum corticem intellecto, æque probari posse, B. Virginem nec ex utero natam esse sine Peccato. Sermo namque ibi est de Nativitate CHRISTI ex utero, quippe quæ distinguitur ab ejusdem Incarnatione, idest Conceptione. Intelligendum ergo est præfatum Testimonium de Immunitate a Peccato, & a Peccati debito, quæ CHRISTO competebat, tam ex vi suæ Virginalis Conceptionis, quàm ex vi unionis hypostaticæ cum Verbo Domino; ut rationes adjunctæ declarant: *Quoniam solus, & incarnatus de Spiritu Sancto &c. Consubstantialis DEO Patri &c.*

TESTIMONIUM V.

Concilium Florentinum, in Decreto Eugenii IV. pro Jacobinis, seu Jacobitis, Anno MCCCCXLI.

Firmiter credit, (S. R. Ecclesia) profitetur, & docet, neminem unquam ex Viro, Fœminaque conceptum, a Diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum Mediatoris DEI, & Hominum, Jesu Christi Domini nostri; qui sine Peccato conceptus, natus, & mortuus, Humani Generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit; & Regni Cœlestis introitum, quem primus Homo, peccato proprio, cum omni successione perdiderat, reseravit. (u)

14. DE fide hujus Testimonii, Bandello, (*x*) & Cajetano (*y*) litem movent Petrus de Alva, (*z*) & Claudius Frassen. (*a*) Quia, inquiunt, Decretum istud non extat in Actis Concilii Florentini, nec in Regesto Vaticano, neque in Bullariis Romanis trium priorum editionum; sed tantum in postrema, nempe Rom. Laertii Cherub. edit. An. 1638. *Tom.* 1. *Constit.* 23. Eugenii IV. Præterea, Concilium Florentinum dissolutum fuit An. 1439. Istud vero Decretum consignatum dicitur Anno 1441.

15. Sed oportet dicere, Alvam, & Frassen non habuisse præ manibus magnam Collectionem Regiam Conciliorum, aliquot annis, antequam ipsi scriberent, editam Parisiis an. 1644. In ea quippe Collectione, Tomo XXXIII. (*b*) Tale Decretum & relatum est in Acta Concilii Florentini, (quod dissolutum non fuit An. 1439. nisi quoad dimissionem Græcorum) & pluribus etiam argumentis ostenditur, illud esse legitimum. Idemque servatur in posterioribus Conciliorum collectionibus. (*c*) In hoc utique erravit Bandellus, quod Eugenium IV. qui anno 1431. creatus est Pontifex, floruisse dixit anno 1424.

16. Nullo tamen negotio repellitur istud Testimonium. Quia non exprimit, quod *solus Christus conceptus est sine Peccato*, ut imaginantur Adversarii; sed quod, *solus Humani Generis hostem sua morte prostravit &c.* Quod si dixeris, de solo CHRISTO intelligendum illud, *Qui sine Peccato conceptus*; dicet alius, etiam de

(p) *Parte* 4. *cap.* 1. *Tract.* de Universali Corrupt. Gen. Hum. semin. propagati, *cum aliis ejus opusc. edit.* Venet. an. 1535.
(q) *Parte* 1. *Conc. Ephes. cap.* 26. *n.* 9. *col.* 954. *tom.* 3.
(r) *In Symbolo Fidei col.* 41. *tom.* 9. *Concilior.*
(s) *Cap.* 24. *pag.* 195.
(t) *In Annotat. ad annum Christi* 791. *num.* 6. *relata col.* 51. *ejusdem Tom. Concilior.*
(u) *Parte* 3. *Conc. Florent. col.* 1224. *tom.* 18. *Concilior.*
(x) *Cap.* 18. *fol.* 21. *pag.* 1.
(y) *Tract.* 1. *de Concept. B. Mariæ c.* 5. *pag.* 141. *col.* 2.
(z) Alva *in Sole Veritatis verit.* 74. *pag.* 497.
(a) *Tom.* 8. Scoti Academici *a pag.* 204. *edit.* Rom. an. 1720.
(b) 3. *parte Actor. Concil. Florent. a pag.* 552.
(c) *In Collect. Regia Parisina, curata, & aucta a* Johan. Harduino Soc. Jesu an. 1714. & 1715. *tom.* 9. *col.* 1017. *& in novissima Conciliorum Collectione Labbeana Veneta, tom.* 18. *a col.* 1219.

de solo CHRISTO intelligendum, quod sequitur, *Natus, & mortuus sine Peccato:* & sic habebis, B. Virginem nequidem natam, & mortuam sine Peccato. In eo vero, quod ibi præmittitur: *Neminem unquam a Diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum Mediatoris:* B. Virginem comprehendi fatetur, sed liberatam dicimus non a Diaboli dominatione, cui fuerit aliquando subjecta, sed cui subjicienda erat, nisi præservaretur.

17. Videat modo Cajetanus, (qui ante paucas lineas a nobis postulaverat: *Debent afferri Auctoritates Sanctorum, & Antiquorum, non in genere sed in specie, Peccati Originalis maculam negantes a B. Virgine, tempore Conceptionis propriæ.*) Videat, inquam, an hujusmodi Testimonium, quod luculentissimo Basileensis Concilii Decreto contraponit; sit *Auctoritas, non in genere, sed in specie,* Peccati Originalis maculam nominatim astruens in B. Virgine. At saltem, inquiet Cajetanus, hinc *apparet, quod illo tempore, quo res in quæstione erat, Universalis Ecclesia solum Christum excepit ab Originali Peccato.* Reponimus: Ex Concilii Tridentini Decreto de Originali Peccato, & adjuncta declaratione, verius, & clarius apparet, non ita solum CHRISTUM excipi ab Originali Peccato, ut, diversa ratione, Sanctissimam ejus Matrem excipere merito non valeamus.

ARTICULUS II.

Conciliorum, & Synodorum Testimonia, a Pia Parte allegata.

TESTIMONIUM I.

Epistola Synodica S. Dionysii Episcopi Alexandrini ad Paulum Samosatenum, Anno CCLX.

Una autem, & sola Virgo, Filia Vitæ, genuit Verbum vivens, & per se subsistens, Increatum, & Creatorem, qui venit in Mundum &c. (*d*) Et rursus: *Qui nunc in novissimis diebus propter nos venit &c. Matrem Incorruptam, a pedibus usque ad caput Benedictam servavit, sicut ipse solus novit modum conceptus, & ortus sui. Hæc est, quam Isaac pravidens dicebat Jacobo:* Det tibi Dominus benedictionem Cæli desuper, & benedictionem Terræ habentis omnia. *Qui enim e Cælo descendit Unigenitus DEUS Verbum, gestatum est in utero, & genitum ex Paradiso Virginali habente omnia.* (*e*)

18. QUid sit, Matrem Domini esse *Filiam Vitæ*, exponit optime Theophylus Raynaudus. (*f*) „ Concinne, *inquit*, S. Mariam „ vocat, *Filiam Vitæ*; quia nec concepta est „ in Peccato, nec mortis quidquam in se admisit unquam, sed semper sana, & sancta „ fuit: contra quam nobis contingit, qui *natura filii Iræ* existentes, subinde filii mortis „ sumus. Factum est ex B. MARIA Verbum „ Caro: itaque decebat, ut quæ *Verbum Vivens*, ipsamque Vitam, editura erat, esset *Filia Vitæ*. „ Quid vero sit, DEI Filium, *Matrem incorruptam, a pedibus usque ad caput Benedictam servasse*; planissime intelligitur: his enim verbis exquisita DEI Matris a primo Conceptus sui momento Puritas, & Innocentia, *uncialibus litteris*, [ut loquitur D. Hieronymus (*g*)] luculenter exprimitur. Ille quoque Titulus *Paradisi Virginalis* id ipsum confirmat. In hunc enim novi Adæ Paradisum aditus antiquo Serpenti patere non debuit. V. Act. 1. *num.* 75. *& seq.*

19. Quæ vero sint ea *omnia*, quæ Paradisus iste Virginalis habebat, idem S. Dionysius exposuit, statim subjungens: *Hæc sunt, Spiritus Sanctus, qui supervenit in eam, & virtus Altissimi, qui obumbravit ei, & quod natum est Sanctum, Puer Jesus, qui est Deus Fortis, & Potens.* In tam augusto totius Sanctissimæ TRINITATIS Templo, Peccati Originalis Idolum aliquando sedisse, ne credas. *Qui consensus Templo DEI cum Idolis?* 2. *Cor.* VI. 16.

TESTIMONIUM II.

Homilia S. Procli, Episcopi Cyziceni, dein Patriarchæ CP. ad Concilium Ephesinum spectans, circ. Annum CCCCXXXI.

Clemens DEUS ex Muliere nasci non erubuit: quod enim agebatur, Vita erat. Nullam inde ille contrahit labem, quòd intra viscera, quæ citra omnem dedecoris notam condiderat, inhabitat. (h)

Non

(d) *Pag.* 276. *tom.* 1. *Bibl. Gl. VV. PP. & pag.* 341. *col.* 2. *tom.* 3. *Bibl. M. PP. & col.* 875. *tom.* 1. *Concilior.*

(e) *In Responsionib. ad* 10. *quæstiones a* Paulo Samosateno *propositas, ad quæst. ultimam, pag.* 349. *in fine, & seq. Bibl. M. PP. & pag.* 301. *Bibl. Gl. PP.*

(f) *In Glossario ad* Nomenclatorem Marianum *pag.* 396. *tom.* 7.

(g) *Sub finem Præfat. ad lib.* Job. *col.* 797. *tom.* 1.

(h) 1. *parte Concil. Ephesini cap.* 1. *n.* 2. *col.* 579. *tom.* 3. *Concilior.*

20. NOn aliud esse videtur, Deum citra omnem dedecoris notam B. Virginem condidisse; nisi eam absque ullo probro, & macula, & consequenter absque Originali Peccato condidisse. Scio Vincentium Riccardum ea verba sic reddere: (*i*) *qua ipse* (idest DEUS) *citra sui omnem dedecoris condiderat notam.* Sed vox Græca originalis, ἀνυβρίστως, istud, *sui*, non habet: adverbium enim est, simpliciter significans, *sine contumelia*, *sine probro*, *sine dedecore*.

21. Demus tamen, remotionem *Notæ dedecoris* referri ad ipsum Deum Conditorem; viget adhuc allegatum Testimonium. Nam idcirco DEUS ex materni uteri hospitio nullam labem contraxit; quia ita purum, nitidum, ac splendidum illud condidit, ut nulla inde dedecoris nota in ipsum DEUM redundaret. Ut enim in re simili dixit D. Thomas, (*k*) *Honor Parentum redundat in prole, secundùm illud Proverbiorum:* (17. 6.) Gloria Filiorum, Patres eorum: *unde & per oppositum, ignominia Matris ad Filium redundasset.*

22. Petrus Wasselius in Vindiciis Johannis Hierosolymitani, &c. laudat antiquum quoddam Chronicon Carmelitarum, ubi narratur, definitum esse in Concilio Ephesino, & a S. Cyrillo, Cœlestini Papæ Vicario, justa scriptione firmatum: *temerarium esse dicere, B. Mariam aliqua peccati macula obnoxiam fuisse.* Ideoque Concilium sanxisse, ut Fratres Carmelitani denominarentur titulo speciali, *Fratres Ordinis S. Mariæ.* Verum hæc, & alia ejusdem furfuris, quæ in eo Chronico referuntur, Cardinali Baronio, (*l*) & reliquis eruditis Criticis minime probantur.

23. Verius, & firmius pro Pia Sententia, Conc. Ephesinum allegari posset, duplici ratione. I. Quia definiens Titulum MATRIS DEI, proprie deberi B. Virgini, solidum nobis subministravit argumentum, ex quo colligamus, Ipsam a servitute Diaboli semper Immunem fuisse; ut vidimus Act. I. a *n.* 138. II. Quia etsi Cultus B. Virginis ab Apostolicis temporibus viguerit in Ecclesia, ut observatum est Act. II. a *num.* 190. Eamque summis laudibus Antiquiores Patres prosecuti fuerint, ut ostendimus ibid. a *num.* 242. Tamen post Concil. Ephesinum, B. Virginem, & Fideles impensius colere, & Patres magnificentius exaltare consueverunt. Unde paulatim Sensus, & Cultus Immaculatæ Conceptionis ejus introductus est in Ecclesiam. *V.* Card. Pallavicinum *in Hist. Conc. Trident.* contra Petrum Soavem *lib.* 7. *cap.* 7. *a pag.* 624. *edit.* Ital.

TESTIMONIUM III.

Concilium Lateranense, sub Martino Papa I. celebratum, Anno DCXLIX.

Si quis secundùm Sanctos Patres non confitetur, proprie, & secundùm veritatem, DEI Genitricem, Sanctam, semperque Virginem, & Immaculatam, &c. (m)

24. HUjus Testimonii efficacitas eruitur ex dictis Actione II. *num.* 23. *& seq.* de Voce, *Immaculata*, per quam Immunitas ab omni prorsus macula significatur. Si ergo Sancta DEI Genitrix, semper & Virgo, & Immaculata fuit; sicuti nullo tempore ullum Virginitatis detrimentum sensit, ita & nullo tempore ullâ fuit maculâ, seu labe inquinata.

TESTIMONIUM IV.

Epistola Synodica S. Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani, ad Sergium Patriarcham CP. lecta, & approbata in VI. Synodo Generali, Anno DCLXXX.

Uterum, qui Virginitatis resplendebat Castitate, Mariæ Sanctæ, Honestæ, & Divinæ, & ab omni inquinamento Liberæ, ingressus, tunc & Corpore, & Anima, & Mente incarnatur, qui erat expers Carnis. (n)

25. HOc Testimonium Actione II. *num.* 311. illustravimus; & ex græca voce originali, ἐλευθέρας, ostendimus, legendum esse, *Liberæ*, non *Liberatæ*. Quare nihil hîc addendum superest.

TESTIMONIUM V.

Epistola Synodica Theodori Patriarchæ Hierosolym. In VII. Synodo Generali lecta, & plenissime approbata Anno DCCLXXXVII.

Quæ vere DEI Mater est, & ante partum, & post partum Virgo, atque omnis intelligibilis, ac sensibilis Naturæ, gloria, & claritate, creata sublimior. (o)

26. NIl hoc Testimonio luculentius, ubi agitur de singulari prærogativa Creationis,

(i) *Analectorum S. Procli, orat.* 1. *pag.* 61. *edit. Gl. Rom. an.* 1630.
(k) 3. *Parte quæst.* 27. *art.* 4.
(l) *Tomo* 6. *Annal. ad ann.* 444. *num.* 17. *V. etiam* Theophilum Raynaudum *in Pietate Lugdun. pag.* 301. *tomi* 8.
(m) *Can.* 3. *col.* 358. *tom.* 7. *Concilior.*
(n) *Act.* 10. *sextæ Synodi, seu Conc. Constantinop. tertii, col.* 1250. *to.* 7. *Concilior.*
(o) *Act.* 3. *septimæ Synodi, seu Conc. Niceni* 2. *col.* 830. *tom.* 8. *Concilior.*

tionis, sive Conceptionis B. Virginis; dum hæc dicitur creata sublimior gloriâ, & claritate omnis Angelicæ, & Humanæ Naturæ. Scimus autem Naturam Angelicam, & in primis Parentibus etiam humanam, absque ullo dedecore, & caligine culpæ fuisse creatam.

Testimonium VI.

Concilium Francofordiense, In Epistola Synodica ad Præsules Hispaniæ, Anno DCCXCIV.

Sed & hoc volumus a vobis audire, an Adam primus Humani Generis Pater, qui de terra virgine natus est, liber esset conditus, sive servus? Si servus, quomodo tunc Imago DEI? Si liber, quare & Christus quoque non ingenuus ex Virgine? Meliore quidem terrâ, etiam animatâ, & immaculatâ, Spiritu Sancto operante, factus est Homo, dicente Apostolo: (*p*) Factus est primus Homo de Terra terrenus, secundus de Cælo cælestis. *Si terrenum, liberum conditum confitemur; quare non multo magis cælestem, liberum confitemur? Unde Adam fuit servus factus, nisi ex Peccato? &c.* (*q*)

27. DUo sunt in hoc Testimonio, quæ Primigeniam B. Virginis Innocentiam nobis commendant. I. Caro B. Virginis, quia *animata & immaculata*, præfertur terræ virgini, nulli adhuc maledicto subjectæ, de qua factus est Adam. II. Ingenuitas, & libertas CHRISTI ab omni Peccato inde etiam colligitur, quod ex terra *animata, & immaculata factus est Homo.* Hæc autem collectio deficeret, nisi & ista Terra, ingenua, ac libera fuisset ab omni Peccato.

28. Subderem hoc loco Concilium Moguntinum, a S. Leone IX. Papa, præsente Henrico III. Imperatore, celebratum Anno MXLIX. si mihi liqueret, quod Fr. Christianus Lupus, Ord. Erem. S. August. Doctor Lovaniensis, *Ex magno Belgii Chronico*, refert: (*r*) nimirum *in ea Synodo Generali, inter alia, institutum fuisse Festum Conceptionis B. Mariæ.* Ast, cum totum oculis perlustraverim *Magnum Chronicon Belgicum*, (quod extat Tomo 3. *Scriptorum rerum Germanicarum &c.* ex Bibliotheca Johannis Pistoris) hoc tantum in eo Chronico de Synodo ista, Moguntina memoratum inveni: (*s*) „ Anno Imperii Henrici decimo, Synodus Moguntina celebratur, in præsentia Summi Pontificis Leonis, & Imperatoris. Ibi proposuit Imperator quæstionem de legenda S. Servatii, & de gestis ejus: ubi canonizata fuit vita illius. „ Meminit etiam ejusdem Synodi Moguntinæ ad annum 1049. *Rerum Belgicarum Chronicon*, ab Hauberto Miræo concinnatum, & editum Antverpiæ An. 1636. & de Festi Conceptionis Institutione prorsus silet. An aliud extet Magnum Belgii Chronicon, quod Lupus appellet, nescire me fateor.

Testimonium VII.

Concilium Provinciale Oxoniense in Anglia, sub Honorio III. a Stephano Archiepiscopo Cantuariensi convocatum, Anno MCCXXII.

Statuimus, quod Festa subscripta sub omni veneratione serventur, videlicet omnes dies Dominici &c. omnia Festa B. Mariæ, præter Festum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur necessitas. (t)

29. IN hoc statuto authenticum monumentum habemus Anglicanæ Pietatis antiquæ erga Sanctam B. MARIÆ Conceptionem, cujus Festum jam olim institutum præsumitur: & declaratione opus fuit, ne ex necessitate præcepti celebrandum crederetur.

Testimonium VIII.

Statuta Synodalia Cameracensis Ecclesiæ in Belgio, Anno MCCCX.

Statuimus, & omnibus Subditis nostris Ecclesiasticis, in virtute S. Obedientiæ præcipimus, ut, cum apud Eam exuberare debeat devotio Fidelium, quæ nostra est apud DEUM Mediatrix, & Impetratrix promtissima gratiarum; Festum Conceptionis Gloriosissimæ V. Mariæ, VIII. die mensis Decembris, cum Matutinis, & Missa, cæterisque divinis obsequiis devote celebrent. Et præcipimus, dictum Festum, tanquam festivum, & solemne, sub pœna excommunicationis, observari ab omnibus Christianis. (u)

30. PRæceptum adeo grave celebrandi Festum Conceptionis Gloriosissimæ Virginis MARIÆ, satis indicat, quanta fuerit eo tempore in Belgio erga Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, Pietas, atque Devotio. Sed non tunc primùm incepit. Nam duobus ante Sæculis, anno scilicet 1142. & anno 1195. solemniter celebrabatur in Belgio Marianæ Conceptionis Festum; ut liquet ex relatis Act. III. *num.* 95. *& seq.*

Testi-

(p) *1. Cor.* 15. 47.
(q) *Col.* 85. *tom.* 9. *Concilior.*
(r) *Parte* 3. *Decretor. & Canonum &c.* de Actis Synodalibus, & Cathedraticis S. Leonis IX. *pag.* 495. *edit.* Bruxell. an. 1673.
(s) *Pag.* 108. *edit.* Francofurt. an. 1653.
(t) *Cap.* 8. *de Festis*, *col.* 1070. *tom.* 13. *Concilior.*
(u) *In Additionib.* R. P. Petri Cameracensis Episcopi, *ad Tit. de Festis*, *col.* 1341. *tom.* 7. *Collect. Veterum Scriptor. & Monumentor.* Edmundi Martene, & Ursini Durand. *edit.* Parif. an. 1733.

TESTIMONIUM IX.

Concilium Provinciale Londinense in Anglia, a Simone Memphano, Archiepiscopo Cantuariensi, celebratum, Anno MCCCXXVIII.

Ad hoc, quod inter omnes Sanctos, memoria Beatissimæ Virginis, & Matris Domini eo frequentius agitur, atque festivius, quo majorem gratiam apud DEUM, qui ejus Conceptionem prædestinatam ad Unigeniti sui temporalem originem, & omnium salutem ordinavit, creditur invenisse; ut per hoc salutis nostræ, quamvis remota primordia, in quibus devote cucurrit mentibus spiritualium materia gaudiorum, devotionem in omnibus augeant, & salutem: & Venerabilis Anselmi Prædecessoris nostri, qui post alia quædam ipsius antiquiora solemnia, Conceptionis solemne superaddi dignum duxit; vestigiis inhærentes, statuimus, & firmiter præcipiendo mandamus, quatenus Festum Conceptionis prædictæ in cunctis Ecclesiis Cantuariensis Provinciæ, festive & solemniter de cætero celebretur. (x)

31. AB hoc Concilio, anterioris Concilii Oxoniensis permissio, mutatur in præceptum; dum Festum Conceptionis B. Virginis *Festive*, *& Solemniter celebrari*, *firmiter præcipiendo*, mandatur. Quod ut fidentius, & alacrius fieret, veneranda S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, præfertur Auctoritas. Hujus Concilii, & Statuti cum laude meminit Joh. Bachonius, qui sub idem tempus claruit, lib. tertio quodlibetor. quæst. XIV. pag. 765. Tomi II. edit. Cremonensis Anni 1618.

TESTIMONIUM X.

Synodus Ecclesiæ Svessionensis in Gallia, Anno MCCCXXXIV.

Festa autem Conceptionis B. Mariæ V. & B. Nicasii servantur, sed non a Carrucis. (y)

32. FEstum servari, sed non a Carrucis, ita interpretor, ut servetur a cæteris operibus servilibus, sed non ab operibus agriculturæ. Quia, ut observat, & pluribus exemplis demonstrat Carolus Dufresne, (z) *Carruca a sequioris ætatis Scriptoribus sumitur pro Aratro.* Nisi forte malis dicere, quod non servari a carrucis, sit non servari a vehendis oneribus; quandoquidem *Carruca* in Amalthæa Onomastica Josephi Laurentii, dicitur esse *Carrus parvus onerarius.*

Plazza Causa Immacul. Concept. B. M. V.

TESTIMONIUM XI.

Synodus Cæsaraugustana in Hispania, a Lupo Fernandez de Luna Archiepiscopo celebrata, Anno MCCCLXXVIII.

Dum in Consistorio revolvimus mentis nostræ, quod Divinæ Providentiæ altitudo &c. Ut eidem Virgini (Sanctæ, & Immaculatæ) laudes festivæ venerationis, & gratiæ referantur; Sancta Synodo approbante, statuimus, præcipimus, & ordinamus, volumus, & mandamus, quod de cætero Festum Conceptionis ipsius Virginis, quod est VIII. *die mensis Decembris, tam Ecclesiis, quàm Populis, per Civitatem, & totam Cæsaraugustanam Diœcesim, singulis annis, perpetuis temporibus, celebretur, colatur, & servetur ab omni servitii, & feriali opere quiescendo.* (a)

33. HUc spectare posse videntur, quæ leguntur in Actis prævüs ad Concilium Pisanum, exhibitis a Cll. VV. Martene, & Durand, sub hoc titulo: *Via pro pace Sanctæ Matris Ecclesiæ, inspirata die B. Dionysii, scripta a quodam in Sancto Læto*, (Mons est in Diœcesi Remensi) *Anno Domini MCCCXCV.* Ubi hoc, inter alia, remedium, seu consilium proponitur: (b) „In dubium, & ex causa, non revoco, quin pacem consequamur Ecclesiæ, ad preces miraculosæ, præcelsæ DEI Genitricis MARIÆ. Idcirco Dominus noster unà cum suo sacro Collegio, ut nostri erga Filium suum gloriosum benignius misereatur, vovere dignetur pro pace habenda, quod Ecclesia universaliter Festum deinceps suæ SANCTISSIMÆ, celebrabit CONCEPTIONIS, unà cum Octavis. Et Votum hujusmodi, si placet, in processione in curia compleat solemni, antequam ad Concilium accedat memoratum &c.„ Verba illa, *Festum suæ Sanctissimæ celebrabit Conceptionis*; maxime notanda sunt, quibus innuitur, præcelsam Marianæ Conceptionis Sanctitatem, hujus Festi titulum, & argumentum jam olim fuisse.

34. Non legimus, hoc votum re ipsa nuncupatum. Sed propterea fortassis Concilium Pisanum, An. MCCCCLX. pro extinctione inveterati Schismatis celebratum, id non extinxit, sed potius auxit, creato Alexandro V. Inde enim tres Pontifices simul sedebant, Gregorius XII., Benedictus XIII., & Alexander V. & paulo post Johannes XXIII. Et sane postquam Sixtus IV. Consilium illud executioni mandavit, instituto solemniter Festo Conceptionis B. Virginis pro

(x) *Cap. 2. de Festivit. B. Mariæ Concept. celebranda, col. 345. & 346. tom. 15. Concilior.*

(y) *In Statutis, præcept. 22. de Festis, col. 1555. tom. 8. Collectionis cit.*

(z) *In Glossario ad Scriptores Mediæ, & Infimæ Latinitatis V.* Carruca.

(a) *In Tit. de Reliquiis, & Venerat. Sanctorum Constitut. 3. fol. 53. voluminis Constitut. Synodalium Regni Aragoniæ, impressi* Cæsaraugustæ 1500. *& refertur in Regesto Authentico, & Universali col. 283. & seq.*

(b) *Col. 580. tom. 7. Collect. Veter. Scriptorum &c. citata.*

tota Ecclesia, Anno 1476. nullo hactenus Schismate Sedes Apostolica concussa est. Schisma namque Anglicanum, ab Henrico VIII. arrogata sibi Capitis Ecclesiæ dignitate, Anno 1535. excitatum, non tam Schisma, quàm Hæresis fuit.

Testimonium XII.

Concilium Generale Basileense. Decretum editum Anno MCCCCXXXIX.

35. „ Elucidantibus Divinæ Gratiæ mysteria, „ mercedem gloriosam repromisit æterna „ DEI Patris Sapientia, dum ait: *qui elucidant* „ *me, vitam æternam habebunt.* (Eccli. 24 31.) „ Quod etiam de Gloriosa Virgine, quæ ipsam Patris Sapientiam, DEI Filium Æternum, in utero pertulit, Sacrosancta legit Ecclesia. Nam quidquid de dignitate, & sublimitate Virginis Matris educitur in lucem, hoc, non dubium est, ad laudem, & honorem Filii pertinere. Et qui honorificant Gratiam, & Sanctitatem Matris, honorificant, & elucidant gloriosum Nomen Filii ejus, qui ipsam sanctificavit, & replevit Gratiâ. Unde si in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ a Domino DEO est, præclara merita parturit; in ea re specialiter fructus uberrimos afferre speranda est, quæ Sanctificationem, & Dedicationem Templi illius concernit, in quo ante Secula, antequam terra fieret, & ab æterno sibi mansionem ordinavit prima, & æterna Veritas. Id quoque maxime congruit, ut pax habeatur in quæstionibus concernentibus Sanctitatem illius, per quam pax diffusa est in terris. Hactenus vero perdifficilis quæstio in diversis Partibus, & coram hac S. Synodo, super Conceptione ipsius Gloriosæ Virginis Mariæ, Matris DEI, & exordio Sanctificationis ejus, facta est: quibusdam dicentibus, ipsam Virginem, & ejus Animam per aliquod tempus, aut instans temporis subjacuisse actualiter Originali Culpæ; Aliis autem e converso dicentibus, a principio creationis suæ, DEUM, ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam a Macula Originali illam Beatissimam Personam liberans, & præservans, sublimiori Sanctificationis genere redemit, cum *fundaret eam Altissimus ipse*, & ipsam fabricaret Filius DEI Patris, ut esset Mater ejus in terris.

„ Nos vero, diligenter inspectis auctoritatibus, & rationibus, quæ jam a pluribus annis, in publicis relationibus, ex parte utriusque doctrinæ, coram hac Sancta Synodo allegatæ sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis; doctrinam illam differentem, Gloriosam Virginem, DEI Genitricem Mariam, prævenicnte, & operante Divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse Originali Peccato, sed Immunem semper fuisse ab omni Originali, & Actuali Culpa, Sanctamque, & Immaculatam; tamquam Piam, & Consonam Cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ Rationi, & Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam, definimus, & declaramus, nullique de cætero licitum esse, in contrarium prædicare, seu docere. Renovantes præterea institutionem de celebranda Sancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Ecclesias, sexto Idus Decembris, antiqua, & laudabili consuetudine, celebratur; statuimus & ordinamus, eamdem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesiis, Monasteriis, & Conventibus Christianæ Religionis sub nomine Conceptionis, festivis laudibus colendam esse: cunctisque Fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ea die Missarum solemniis, centum; primis autem, vel secundis vesperis, totidem; sermoni vero Verbi Divini de ea festivitate interessentibus, centumquinquaginta dies, concessione perpetuis temporibus duratura, de injunctis sibi pœnitentiis hæc Sancta Synodus largitur. „ (c)

Observationes.

36. Ut laudato Decreto detraheret Bandellus, (d) plura falsa commentus est. Ait primo, illud conditum fuisse in odium Fratrum Ordinis Prædicatorum. *Quia*, inquit, *Fratres nostri, illi Conciliabulo adhærere noluerunt, hac de causa &c.*

37. Hujus rei falsitatem arguit S. Antoninus, ex eodem Ord. Archiep. Florentinus, (e) ubi narrat, quod Felix Antipapa *aliquos Cardinales instituit, & inter eos M. Johannem, Sacræ Theologiæ Professorem, Ordinis Prædicatorum, qui multum laboraverat in sermonibus, & disputationibus in faciendo Conciliabulo, sed cito morte subtractus est.* Arguit etiam Æneas Sylvius Piccolomineus, (qui postea fuit Pontifex Pius II.) (f) ubi refert, tres illas conclusiones de auctoritate Concilii supra Papam, quibus Basileenses adversus Eugenium IV. se armabant, *visas esse Theologis veras, & per ipsas etiam Reliquas approbatas, studio maxime, & diligentia Fr. Nicolai Gallici, ex Ordine Prædicatorum vi, & ingenio, & solicitudine admodum præstantis; cui nimirum, hujus rei expeditionem attribuo.*

38. Ait secundo Bandellus, quod, præsidente Felice Antipapa, editum sit tale Decretum. *Hac de causa*, inquit, *Conciliabulum illud cum Felice Antipapa suo determinavit &c.*

39. Hoc quàm falsum sit, nemo eruditus ignorat. Sessio illa XXXVI. celebrata est XV. Kal. Octobris

(c) *Sessione 36. col. 393. & seq. tom. 17. Concilior.*
(d) *In tract. de Singul. Purit. & Prærogat. Concep. Christi, cap. 19. fol. 22. pag. 2.*
(e) *3. partis Historiar. Tit. 22. cap. 10. §. 4. fol. 139. col. 4.* edit. Lugdun. an. 1543.
(f) *In Commentario de gestis Basil. Concil. lib. 1. pag. 22. edit. Basil. An. 1571.*

bris anni 1439. cum nondum de electione novi Pontificis quidquam actum esset; & nec Amedeus Dux Sabaudiæ, qui postea fuit electus, tunc aderat Basileæ. At vero in Sessione XL. celebrata quarto Kalendas Martias, anno 1440. præfatus Amedeus sub nomine Felicis V. renuntiatus fuit Pontifex, factaque declaratio de obedientia ab omnibus ipsi præstanda. (*g*)

40. Non ergo Felix Antipapa, sed Ludovicus Alemannus, sive Alemandus, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ, & Episcopus Arelatensis, Concilio præerat in ea Sessione XXXVI. (ut & in aliis pluribus) quando conditum est Decretum de Immaculata Conceptione B. Virginis. Et hujus Clementissimæ Dominæ deprecatione, (ut credere dignum est) Ludovicus Schismatis culpam sic pœnitentia, & sanctis operibus diluit, ut & post obitum miraculis, ad ejus sepulchrum Arelate factis, claruerit, & a Clemente VII. anno 1527. Beati titulum, ac cultum obtinere meruerit. V. Æneam Sylvium in historia Europæ *cap.* 22. *in fine*, *pag.* 440. Novas Additiones Augustini Oldoini ad Vitas Pontificum, Alphonsi Ciacconii *Tomo* 2. *in vita Julii II. col.* 251. & Henricum Spondanum *Tomo* I. *Continuat. Hist. Eccl. ad Annum* 1433. *n.* 11.

41. Ait tertio Bandellus, quod *Abbas Siculus* (scilicet Nicolaus Tudeschius, sive Tedeschius, celeberrimus Juris Pontificii Doctor, Abbas Panormitanus vulgo nuncupatus, tunc Archiepiscopus Panormitanus) *fuit Principalis in hoc schismate*, *& maximus Perturbator pacis*, *& unitatis Ecclesiæ*, *stipendiatus a Rege Aragonum contra Eugenium &c.*

42. Contraria narrat laudatus Historicus, Æneas Sylvius, (*h*) videlicet quod, cum in Concilio ageretur de deponendo Eugenio IV. *Mediolanensis*, *& Panormitanus Archiepiscopus*, *quique cum eis*, *vel Regis Aragonum*, *vel Ducis Mediolani Coratores erant*, *magnopere ad impediendum se armabant*, *omnes que suæ partis Homines hortabantur*, *ut præsenti*, *fortique animo resisterent &c.* Et describit Orationem a Panormitano super hac re habitam in Concilio, in qua doctrinam illam receptissimam tradidit: *Totius potestatem Concilii in Episcopis residere*; *Inferiores vero non decisivam*, *sed consultivam tantum habere vocem.* Et alibi (*i*) notat, *Panormitanum*, *alterius partis*, (Eugenio faventis) *Principem fuisse*, *quod eum obedire Principi suo*, (idest Regi Aragoniæ) *oportebat.* Vide etiam Bibliothecam Siculam Antonini Mongitoris (*k*).

43. Bandello valere jusso, conveniendus mihi est Bartholomæus Medina, cui, respondenti, pro Parte Adversa, ad Concilii Basileensis Decretum, hæc verba exciderunt: (*l*) *Jam illud Concilium erat Sinagoga Satanæ*, *cujus primus partus fuit de Conceptione definitio.* Itane est, Decretum de Immaculata B. Virginis Conceptione, partus Satanicus fuit, & primus partus Satanici Conventiculi? Jam Basileenses, ut prædixeras, in præcedentibus Sessionibus, ausu temerario citaverant, & deposuerant legitimum Pontificem Eugenium IV. Non ergo hæc citatio, & depositio Partus Satanici nomen meretur, præ definitione Conceptionis Immaculatæ? Cæterum Medina valde commendat Piam Sententiam, ut alibi vidimus. (*m*) Sed *quandoque Bonus dormitat Homerus.*

44. Falsum denique est, quod Alii opponunt: Acta omnia, & Decreta Basileensis Concilii rescissa, & reprobata fuisse a Leone X. in Concilio Lateranensi V. per Constitutionem, *Pastor æternus.* (*n*) Nam scopus Pontificis in ea Constitutione dumtaxat est, reprobare, & abolere *Pragmaticam* quandam *Sanctionem* circa Beneficiorum Ecclesiasticorum distributionem; quòd, ut ait, *Dignitati Sedis Apostolicæ detrimento*, *ac vilipendio esset*, *& Schisma manifestum foveret*, *& contineret:* & tantum addit, non obstare, quod Sanctio ipsa, & omnia in ea contenta, in Basileensi Concilio fuerint sancita; quia, inquit, *Post ejus translationem ab Eugenio factam*, *Concilium amplius appellari non merebatur.*

45. Extat vero alia Constitutio Nicolai V. Successoris Eugenii, (*o*) in qua *Omnia*, *& singula per Basileense Concilium qualitercumque facta*, *gesta*, *concessa*, *data*, *indulta*, *disposita*, *& ordinata*, *& si majora*, *& graviora*, *aut alterius cujuscumque naturæ a premissis existant*, *& specialem requirant expressionem*.... *pro bono pacis*, *& unionis Ecclesiæ*, *motu proprio*, *& certâ scientiâ*, *& de Apostolicæ potestatis plenitudine*, *de consilio*, *& consensu VV. FF. S. R. E. Cardinalium*, *approbat*, *ratificat*, *& etiam confirmat*, *rataque*, *& firma haberi vult.* Exceptis videlicet iis, quæ adversus Eugenium, & supremam Summi Pontificis Auctoritatem in Basileensi Synodo constituta sunt; subindeque ab ipso Eugenio IV. in Concilio Florentino, gravissimis formulis, merito damnata, & reprobata. (*p*) Quapropter Concilium Basileense in plerisque Conciliorum editionibus, Severini Binii Tomo VIII. Regia Parisiensi An. 1644. T. XXX. & novissima Veneta Tomo XVII. hoc titulo prænotatur: *Concilium Basileense Oecumenicum*, *sub Eugenio IV. celebratum*, *ex parte reprobatum*, *quoad ea nimirum*, *quæ ibidem de auctoritate Concilii*, *& depositione Eugenii Papæ sancita fuerint.*

46. Illud quidem verum est, Concilium Basileense, eo tempore, quo Decretum edidit pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione, legiti-

(g) *Col.* 411. *& seqq. ejusdem tom.* 17. *Concilior.*
(h) *In eodem Comment. lib.* 1. *pag.* 23.
(i) *Lib.* 1. *pag.* 42.
(k) *Pag.* 100. *tom.* 2. *Bibl. Siculæ, edit.* Panorm. *an.* 1714.
(l) *Exposit. in* 3. *par.* D. Thomæ *quæst.* 27. §. ad tertium, *pag.* 349. *col.* 1. *edit.* Venet. *an.* 1602.
(m) *Actione* 3. *num.* 438.
(n) *Sess.* 11. *celebr.* An. 1516. *col.* 965. *tom.* 19. *Concilior.*
(o) *Bulla*, Ut pacis, *data* Spoleti anno 1449. *a col.* 437. *tom.* 17. *Concilior. & V. aliam* Nicolai V. *Bullam, seu Epist.* Tanto nos pacem, *revocantem omnia casuus acta contra Concil. Basil. quæ extat tom.* 4. *Spicilegii* Lucæ Dacherii *a pag.* 338. *& tom.* 19. *Concilior. a col.* 49. *& in Bullario edit.* Luxemburg. *par.* 3. *pag.* 156.
(p) *Constitut.* Moyses Vir DEI, *apud* Potter *in System. Decretor. cap.* 3. *Sæc.* 15. §. 1. *a pag.* 325. *edit.* Avenion. *an.* 1693.

mum non fuisse, quippe Acephalum, & renitente Summo Pontifice, Basileæ continuatum. Verum itidem est, Decretum illud propriam Fidei definitionem non continere; ut bene observant Gabriel Vasquez, & Natalis Alexander. (q) Non enim Immaculatæ Conceptionis doctrinam, tanquam de Fide credendam definit, sed *tanquam Piam, & Consonam Cultui Ecclesiastico &c.* nec ullam Hæresis notam contrarium sentientibus inurit. Quamquam fuerunt olim non pauci Academiæ Parisiensis Doctores, qui per Basileense Decretum Piam Sententiam in Catholicum Dogma evasisse, ita persuasum habebant, ut nostro Johanni Maldonato, an. 1574. in Collegio Claromontano ex Cathedra docenti, *Nondum esse de Fide, B. Virginem ab Originali Peccato præservatam fuisse*; dicam grandem impegerint: a qua tamen ille per Episcopum Parisiensem, Petrum Gondium egregie vindicatus est; ut late refert Ill. Carolus Du-Plessis. (r)

47. Attamen negari non potest, Basileense Decretum, pluribus aliis titulis commendatum, ad Piam Sententiam confirmandam multum ponderis habere. Primus Titulus est: Insignes Sæculi XV. & XVI. Theologi, magnifice de hoc Decreto loquuti sunt. Ut nihil interim dicam de Universitatibus Parisiensi, & Complutensi, in hujus Decreti verba sancte jurantibus, de quibus infra erit sermo: Venerabilis Dionysius Carthusianus, (s) expositis de prima B. Virginis Sanctificatione, priorum Scholasticorum placitis, subjungit: „ Verumtamen, quid in hac „ re sit sentiendum, non disputationibus contentiosis, sed determinationibus Ecclesiæ Catholicæ, cui obedire tenemur, est inquirendum; „ quæ in novissimo Concilio Generali (*scilicet* „ *Basileensi, viginti circiter annis, priusquam* „ *ipse scriberet, celebrato,*) finem his dissentionibus imposuit, & dignissimam DEI Matrem, in sua Conceptione &c. „

48. Non secus loquitur Gabriel Biel, in Tubincensi Academia publicus Theologiæ Professor: (t) „ De hac, *inquit*, Veritate, olim varie senserunt Doctores. Sed aliter nunc opinari non licet, nec docere, postquam super „ hoc Ecclesiæ determinatio emanavit, facta in „ Concilio Basileensi &c. quam determinationem vidi sub plumbo, more Romanæ Curiæ. „ Licet nonnulli usque hodie tam insipienter, „ quam impudenter non desinant oblatrare. „ Consonat Jacobus Almainus, Doctor Parisiensis: (u) „ Circa hanc, *ait*, quæstionem, an „ Virgo aliquando &c. fuit duplex modus dicendi temporibus antiquis: sed nunc unus „ est, & alter prohibitus per Concilium Basileense. „

49. His proxime accessit Judocus Clichtoveus, Doctor item Parisiensis, & Lutheranæ Hæresis Oppugnator acerrimus, qui allegato pro Pia Sententia Basileensi Decreto, concludit: (x) „ Est igitur huic judicio Ecclesiæ, huic de- „ creto Concilii Generalis, quod augustissima „ gravissimorum Patrum tunc sanxit Auctoritas, sine aliqua hæsitatione standum, atque „ assentiendum. „ Et objicientibus adversariis, *Synodum Basileensem nequaquam approbari ab omnibus Ecclesiis, præsertim a Romana &c.* Respondet: „ Quid de cæteris supradictæ Concionis decretis sentiendum sit, nostra non interesse &c. Illam vero Sanctionem de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione nequaquam improbari ab Ecclesia Romana, „ aut alia quavis, sed alacriter, & prompte „ susceptam; quod nostræ sufficit approbandæ „ intentioni &c. „ Clichtoveo adjungimus duos, Sacri Ordinis Prædicatorum Magistros, ætate vicinos, Johannem Viguerium, & Petrum Dorè *locis citatis* Act. III. *num.* 432. & 435. quorum alter determinationem Concilii Basileensis, *Ecclesiæ determinationem* appellat: alter de Concilio Basileensi, tamquam de Œcumenica Synodo, & Decretoriam de Immaculata B. Virginis Conceptione ferente Sententiam, loquitur.

50. Verum, quia laudati Doctores plus æquo deferre videntur Basileensis Concilii Auctoritati; alios posteriores audiamus, magis sobrie de eo Concilio sentientes, & nihilosecius hoc ejus Decretum plurimùm commendantes. Ambrosius Catharinus Politus, Archiepiscopus Compsanus, (y) „ Et si, *inquit*, non fuerit eo tempore „ ibi auctoritas Synodi, erat tamen auctoritas „ Virorum doctorum, ac sapientium. Nec parvi est momenti, Concilium illud, quod ad „ hanc determinationem attinet, a nonnullis „ Nationibus esse receptum; quodque magnopere est considerandum, non reclamante Summo Pontifice, & Sede Apostolica minime reprobante. „ Alibi vero adversus Cajetanum invehitur, quod Concilium Basileense Sinagogam Satanæ appellaverit; cum *tamen illud*, inquit, *multæ Catholicæ Ecclesiæ, ipsa etiam Romana tacente, & consentiente, hac saltem parte, suscipiant, & venerentur.*

51. Ven. Petrus Canisius, (z) „ Scimus, *inquit*, Auctoritatem huic Concilio „ majorem posse constare, si Romanæ Ecclesiæ calculum meruisset, &c. At vicissim „ intelligimus, Synodum hanc Basileensem „ a multis Provinciis receptam, & a Sede Apostolica non omnino rejectam esse. „ Imo quod ad prædictum Decretum attinet, „ res ipsa testatur, & Fidem, & Celebritatem

(q) V. *Tom. 2. in 3. par. disp. 117. cap. 4.* A. *tom. 8. Histor. differ. 8. ar. 5. n. 11.*
(r) *T. 2. Collectionis cit. a pag. 443.*
(s) *Lib. 3. in 3. Sentent. distinct. 3. quæst. 1. in fine, pag. 39. col. 1. edit.* Colon. an. 1535.
(t) *In Sermon. de Festivis. B. V. M. ser. 1. de Concept. B. Mariæ fol. 30. col. 1. edit.* Hagenoæ, an. 1520.
(u) *Lib. 3. Sent. dist. 3. quæst. 1. § 11.*
(x) *Lib. 1. de Purit. Concept. B. M. V. cap. 14. fol. 19. pag. 2. & seq.*
(y) *In disput. pro verit. Immac. Concept. B. V. ad Sanctam Synodum Trident. col. 70. Et in alia disp. pro Immac. Concept. B. V. lib. 1. pag. 13. col. 1. tomi 2. Bibl. Virginal.*
(z) *Lib. 1. de Maria Deip. cap. 7. col. 69.*

„ tem de hac ipsa Conceptione, non modo nostra, sed etiam majorum nostrorum ætate, cum in aliis Ecclesiis, tum in Romana, ritu publico comprobari. Deinde nullum præclari nominis, vel Episcopum, vel Theologum, hac de re scribentem videas, qui eidem Decreto, & Festi hujus celebrationi se palam opponat.„ Et Ven. Robertus Card. Bellarminus, (a) laudato Concilii Basileensis pro Pia Sententia Decreto, subjicit, quod illud, *tametsi certam fidem non faciat ut Concilium Oecumenicum, tamen ex eo facile potest intelligi, multos Ecclesiæ Doctores, ex variis Provinciis congregatos, ita sensisse.*

52. Secundus Titulus est: Decretum istud, cum a plurimis Episcopis, & Archiepiscopis, (triginta ut minimum numerantur) aliisque Prælatis, & doctissimis Viris, diversarum Regionum; tum etiam diligentissima præeunte inquisitione, gravissimaque deliberatione, conceptum, editumque est. Henricus Spondanus Mauleosolensis Episcopus refert: „(b) In actis Navarricis extare mandatum Concilii, decimo Kalendas Junii præsentis anni (*hoc est anni* 1435. *quo certe Concilium legitime agebat*) datum Ludovico Cardinali Arelatensi, quo, post narratas disputationes, quæ factæ fuissent apud Delegatos Concilii pro rebus Fidei tractandis, de Conceptione Beatissimæ Virginis, *utrum ejus Anima in instanti suæ infusionis in Corpore præservata fuerit a Peccato Originali; an non?* Injunxit, ut diligenter procuraret, per omnes Bibliothecas, ac singula Archivia Universitatum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Regumque, ac Principum, perquiri quoscumque libros, scripta, acta, deliberationes, decisiones, conclusiones publicas, vel privatas quaslibet, in generalibus studiis, & alibi de hac materia factas, aut quæ ad eam quomodolibet spectarent; easque extrahi, & ad Synodum deferri, ut iis adjuta possit illa quæstionem hanc decidere, & definire. Id vero, (*subdit Spondanus*) Ludovicum Cardinalem diligenter præstitisse, intelligitur, ex declaratione facta post quadriennium in Sess. XXXVI. „

53. Ejusmodi disputationum, hinc, illinc pugnantia argumenta, videri possunt in libris, Basileæ ad eum finem id temporis conscriptis, qui nunc exstant: nempe Johannis de Segovia, Academiæ Salmanticensis ad Concilium Oratoris, *Allegationes septem, & totidem Avvisamenta, pro informatione Patrum Concilii Basileensis, circa Sacratissimæ Virginis Mariæ Immaculatam Conceptionem:* quæ postea edita sunt Bruxellis An. 1664. & Johannis de Turrecremata Ordinis Prædicatorum, tunc S. Apost. Palatii Magistri, *Tractatus de veritate Conceptionis Beatissimæ Virginis, pro facienda relatione coram Patribus Concilii Basileensis*, An. D. MCCCCXXXVII. *mandato Sedis Apostolicæ Legatorum, eidem Concilio præsidentium compilatus:* qui postea editus est Romæ A. 1547.

54. Tertius Titulus est: Laudatum Decretum, miraculis, & præcedentibus inductum, & sequentibus confirmatum divinitus esse videtur. Johannes de Segovia, ad sui operis calcem refert, *Quod, cum super hac materia de Sancta Conceptione Beatissimæ Virginis fierent publicæ Disputationes coram Sancta Synodo Basileensi; quamplures e Patribus interessentibus retulerunt singularia beneficia, miraculose a DEO recepisse ob devotionem, quam habebant ad Celebritatem de hac Sancta Conceptione Beatissimæ Virginis.* Duo ex istis beneficiis, sive miraculis, ipsius Segoviæ verbis describere, non gravabor.

55. „ Inter alios, *inquit*, Reverendus in CHRISTO Pater, Dominus Bernardus Episcopus Montis Albani, die Sabbathi, secundâ mensis Aprilis, anno a Nativitate Domini 1436. quando prima Allegatio publice facta fuit de hac materia, retulit, quomodo eo equitante supra pontem fluvii, qui est inter civitatem Ebredunensem, & oppidum S. Crespini; ipseque pons esset ruptus in medio, haberetque in eo loco, ubi supra flumen majus periculum aderat, unum magnum foramen; in quo, eo inadvertente, equus, quem equitabat, transiens ex ea parte, posuit pedes anteriores supra dictum foramen vacuum: cumque rueret in præceps ad aquam, jamque caput equi esset quasi infra pontem, concussus pavore magno, invocavit Beatissimam Virginem in auxilium suum, vovens celebrare annuatim Festum de sua Conceptione; & nesciebat referre, qualiter exivit, sed statim absque læsione aliqua sui, & equi, invenit se positum secure in altera parte foraminis. Unde ex tunc majori semper cum devotione continuavit celebrationem dictæ Festivitatis. „

56. „ Item Magister Johannes Rocheti, Canonicus Aniciensis, in Sermone ab eo facto de hac Celebritate coram Sancta Synodo, anno Domini 1435. inter alia miracula, retulit de Domino N. de Lestranges, Episcopo dictæ Aniciensis Ecclesiæ, proxime defuncto; quod, cum Reverendus Pater in Universitate Tolosana, in die Celebritatis Conceptionis Beatissimæ Virginis, contra hanc Sanctam Conceptionem prædicare decrevisset, & priusquam ascenderet ambonem, solito more funderet orationem ante altare ad Virginem; eo ibidem existente, omnes rationes, & media, quæ contra Conceptionem Virginis conceperat, ex sua memoria evanuerunt, oppositis, & contrariis fixe in eadem permanentibus, coactusque est, ad confusionem vitandam, oppositum sui propositi prædicare. Quem casum, ut sibi contigerat, ad exaltationem Virginis, ille tunc, & postmodum quamdiu vixit, & privatim, & publice, frequentibus omnibus, audire volentibus, enarravit. „

57. Addimus & alia duo miracula, quæ, eodem

(a) *Tom. 4. lib. 4. de Amiss. Gratiæ cap. 15. num. 35.*

(b) *Tom. 1. contin. Annal. Ecclesi. ad an. 1435. num. 11. pag. 835. col. 1.*

dem referente Segovia, Basileense Decretum subsecuta sunt. „ Id, *inquit*, fiducialiter licet asse„ rere, quod, cum anno Dñi 1436. (forte 1439.) „ urgeret gravissima pestis in Civitate Basileensi, „ ubi dicta Sancta Synodus celebrabatur, eo ip„ so, quo facta fuit de hac materia Synodalis „ Definitio per Sacrum Concilium &c. imme„ diate Patres, qui in Concilio erant, ac tota Ci„ vitas, experimento corporali, cælesti quasi mi„ raculo, senserunt auxilium Divinæ Misericor„ diæ super se. Etenim remissa est, ac cessavit „ statim, quæ plurimùm ante vexabat, acerbissi„ ma pestis. „

58. „ Præterea cum de hac Synodali Defini„ tione quamplurimæ Bullæ statim expeditæ fue„ rint, ad diversasque Mundi partes destinatæ; „ per litteras fide dignorum significatum est in „ Generali Congregatione, quod in principali „ Conventu Ordinis Cluniacensis, tempore, „ quo ibi præsentata fuit una ex dictis Bullis, „ tam de Religiosis, quàm de aliis Personis „ dicti Conventus infirmabantur de peste quasi „ triginta Personæ. In quo Conventu, imme„ diate post dictam Bullam receptam, fecerunt „ processionem cum magna devotione, gratias „ agentes DEO de dicta Declaratione jam fa„ cta ad laudem perpetuam Virginis Gloriosæ. „ Qui infirmi tunc erant, convaluerunt, cessa„ vitque amodo in dicto Conventu pro illo an„ no pestilentiæ morbus.„

59. Quatuor hæc miracula, tam gravibus probata Testimoniis, in commendationem dumtaxat Basileensis Decreti, nobis commemorasse liceat, qui miraculis præsentem Causam non inniti, præfati sumus.

60. Quartus Titulus est: Hoc idem Decretum ab Ecclesia, & Rectoribus ejus, qua expresse, qua tacite approbatum est. Perlatis ad plurimas Christiani Orbis Regiones hujus Decreti exemplaribus; *tum omnium Ecclesiarum*, *tum etiam totius Populi Christiani judicio*, *consensu*, *ac religione comprobatum*, *confirmatumque est*; ut conceptis verbis, Parisiensis Academia testatur in statuto A. 1497. de quo alibi. Unum ex istis exemplaribus, ex veteri Originali, jam pene obliterato, rite transcriptum, visitur etiamnum in Regesto hujus magnæ Curiæ Archiepiscopalis Panormitanæ. Subinde Concilium Provinciale Avenionense, duorum S. R. E. Cardinalium, & duodecim Episcoporum, aliorumque insignium Sacerdotum interventu, celebratum anno 1457. idem Decretum, sub pœna excommunicationis, inviolabiliter observari mandavit. Demum ipsimet Summi Pontifices, omnia fere, & singula, quæ in eodem Decreto continentur; per varias Constitutiones, & Decreta, successu temporis, constituerunt, & veluti confirmarunt; ut jam ostendo.

61. In Basileensi Decreto definitum, & declaratum est, Doctrinam de Immunitate B. Virginis ab Originali Peccato, amplectendam esse: primo *tamquam Piam*. Et Alexander VII. non alio nomine eam Doctrinam indigitat, quàm *Piæ Sententiæ*. Secundo tamquam Consonam *Cultui Ecclesiastico*. Et hanc Consonantiam inculcat Sixtus IV. Gregorius XV. & laudatus Alexander VII. his verbis: *Cum Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis gloriosæ Mariæ Conceptione Festum celebret, & speciale, ac proprium super hoc Officium ordinaverit &c.* Tertio, tamquam *Consonam Fidei Catholicæ*, *Rectæ Rationi*, *& Sacræ Scripturæ*. Et hanc etiam Consonantiam, nisi cognovisset Concilium Tridentinum, non excepisset a suo Decreto de Peccato Originali *Beatam*, *& Immaculatam V. Mariam DEI Genitricem:* Nec tot Pontifices in defensionem, favorem, & exaltationem hujus doctrinæ, tot, ac tam graves constitutiones edidissent. Præterea declaravit Concilium Basileense, *Nulli de cætero licitum esse*, *in contrarium prædicare*, *seu docere*. Et hoc quoque severius præstiterunt Paulus V. Gregorius XV. & Alexander VII. Demum Concilium Basileense, Festum Conceptionis B. Virginis, ex consuetudine antea celebratum, renovavit; mandavitque in omnibus Ecclesiis sub *nomine Conceptionis esse colendum*; Fidelibusque illud celebrantibus Indulgentias quasdam distribuit. Hæc autem omnia uberius executi sunt Sixtus IV. Gregorius XV. Alexander VII. & Clemens XI. quorum Pontificum his de rebus Constitutiones observabit Lector Actione sequenti. Ubinam ergo legit Lampridius, (*c*) *Romanam Ecclesiam Decretum Concilii Basileensis de Conceptione Virginis expunxisse*, *& pro nihilo habuisse?*

Testimonium XIII.

Concilium Provinciale Avenoniense, A Petro Albanensi, & Alano Sanctæ Praxedis, Cardinalibus, Apostolicæ Sedis Legatis, sub Callixto Papa III. celebratum Anno MCCCCLVII.

Præterea Decretum, in Concilio Basileensi factum, de Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, statuimus inviolabiliter observari, districte omnibus inhibendo sub excommunicationis pœna, ne quisquam aliquid in contrarium prædicare, vel publice disputare præsumat. Quod si secus aliquis fecerit, dictam Sententiam eum incurrisse volumus ipso facto. Et in prima Synodo per Diœcesim, per quemlibet celebranda, prædicta statuimus prædicari, & Curatis Ecclesiarum injungi, ut hæc Populo manifestent. (d)

62. PArum abest, quin Lampridius Concilium istud, commentitium, & ab Hippolyto Marracio confictum pronuntiet: (*e*) *Avenoniense*, inquit, *Concilium a Labbeo viro diligentissimo*, *cui magnam Conciliorum Collectionem acceptam referimus*, *frustra conquisitum fuit*; *ejusque mentionem tantummodo habe*[illegible] *in Hippo-*

(c) *Cap. 9. pag. 66.*
(d) *Can. 9. col. 381. tom. 4.* Thesauri novi Anecdot. *ab* Edmundo Martene, *&* Ursino Durand, Benedict. S. Mauri, *editi* Lutetiæ Paris. *an.* 1717. *& col.* 186. *tom.* 19. *Concilior.*
(e) *Cap.* 11. *pag.* 77. *&* 78.

Hippolyti Marracii libris pro Immaculata Conceptione editis, quos proscripsit Sacra Congregatio Romana. Tum velut ex abundanti subjungit: *Et quamvis etiam germanus sit fœtus, non pluris in Causa ista faciendus est, quam ipsa Basileensis Synodus, cujus Decretum Ecclesia Romana abjecit, vel correxit.*

63. Mirum est, Virum eruditum ignorasse, quod illius Concilii Avenoniensis, non solùm Natalis Alexander meminerit, qui citatum a nobis Canonem refert, ac laudat; (f) verum etiam CC. VV. Edmundus Martene, & Ursinus Durand Tomo IV. *Thesauri novi* Anecdotorum, ex Mss. authenticis Ecclesiæ Avenionensis, Acta integra ediderint: quæ & in novissima editione Magnæ Collectionis Conciliorum Labbeanæ inserta sunt. Neque vero Labbeus de eo Concilio inveniendo desperavit: sed tantum notat, (g) se interim *exhibere* §. XVI. ex capite 14. Purpuræ Marianæ Hippolyti Marracii pag. 368. *donec integra illa Acta nancisci licuerit.* Cur autem Lampridius, Marracii libros pro Immaculata Conceptione editos, a Sacra Congregatione fuisse proscriptos insinuet; alii viderint. Hoc scio, librum illum prænotatum, *Purpura Mariana*; de Immaculata Conceptione ex instituto non agere, neque reperiri in novissimo Indice librorum prohibitorum, impresso Romæ An. 1734.

64. Quod addit Lampridius de Avenionensi Concilio parvifaciendo, optime refellitur hac Melchioris Cani argumentatione: (h) „ Si Provincialia Concilia rectam ut plurimum fidem tenent, si raro deficiunt, (*quod ipse supra demonstraverat*) probabilissimum sine dubio est, quod ex id genus Conciliis argumentum promitur. Atque certe, nisi sint peculiariter reprobata, communi Ecclesiæ vel silentio, vel etiam implicito consensu commendantur, si ad Ecclesiæ communem notitiam pervenerint &c.„ Et ad hoc comprobandum, citat illud cap. *Error.* dist. 83. *Error, cui non resistitur, approbatur*; additque exempla plurium hujusmodi Conciliorum, quæ licet non expresse, implicite tamen probata sunt ab Ecclesia. Sane Callixtum III. latere non potuit Concilium istud Avenionense, & quidquid in eo actum est; quippe quod a duobus S. R. E. Cardinalibus, Sedisque Apostolicæ Legatis, totque Episcoporum, ac Sacerdotum frequentia, tertio sui Pontificatus anno, & in suæ etiam temporalis ditionis Civitate, (i) fuerat celebratum. Dum ergo Summus Pontifex huic Canoni non intercessit, non restitit; ipsum utique saltem tacite approbavit.

65. Postrema illa Lampridii verba: *Cujus Decretum Ecclesia Romana abjecit:* jam etiam olim refutata invenimus a gravissimo Theologo Judoco Clichtoveo loco cit. *Si enim*, ait, *improbaret Ecclesia Romana eam Sanctionem Basileensem, si non cupide, & libenter eam amplexa fuisset, minime integrum de Festo Sacræ Conceptionis admisisset in suo usu Officium, neque Octavas solemniter celebrandas de eadem Sacrosanctæ Virginis Conceptione instituisset.* Hæc ille, qui unius Sixti IV. Constitutiones viderat.

Testimonium XIV.

Concilium Œcumenicum Tridentinum, Declaratio Decreti de Peccato Originali, Anno MDXLVI.

Declarat tamen hæc Sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de Peccato Originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam, DEI Genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat. (k)

Observationes.

66. Testimonium hoc, non aliter declinare se posse credidit Johannes Launoius, Piæ Sententiæ hostis declaratus, nisi comminiscendo, (l) Declarationem, seu Exceptionem istam fuisse Concilio propositam, sed non acceptam; quia, inquit, nec in antiquioribus sex priorum Sessionum editionibus annorum 1546. 1551. 1555. nec in summa Conciliorum, quam vulgavit *Carranza*, hæc exceptio apparet, sed tantum in Romana totius Concilii Tridentini editione an. 1564. & in seqq. Additque, illam edi curasse Calvinum *in suo Antidoto, vulgato An.* 1547. *ut majorem haberet causam adversandi Concilio.*

67. Illud Launoii commentum rejicit Natalis Alexander; (m) sed multo efficaciùs Clericus, Sansulpitiani Sodalitii Sacerdos, ex cujus observationibus (n) hanc Notam excerpsit, & ad eum Launoii locum subjecit ipsemet Launoianorum Operum Editor, & illustrator, etsi non minus, quam ille, Piæ Sententiæ infensus.

68. „ Hæc Exceptio, *inquit Clericus*, reperitur in Edit. Mediolanensi anni 1548. ut tradit Dupinus parte prima Historiæ Sæculi XVI. p. 82. Præterea Catharinus in Tractatu de Immaculato Conceptu, quem edidit Romæ anno 1551. affirmat pag. 95. (*lege* col. 95.) hanc exceptionem

(f) *To. 8. Histor. Eccles. dissert. 8. art. 5. num. 12. pag. 546. col. 2.*

(g) *Col. 183. tom. 19. Concilior.*

(h) *Lib. 5. de Locis Theologic. cap. 4. §.* Sexta Conclusio, *fol. 158. pag. 1.*

(i) *Avenionem* Clemens VI. *a* Johan. Neapolis Regina, *Romanæ Ecclesiæ, pecuniá comparavit an.* 1350. *V. ejus Vitam tom. 2. Histor. Pontif.* Ciacconii *cum addit. col.* 481. *&* 485.

(k) *Sess. 5. ad finem decreti de Peccato Originali, col. 29. tom. 20. Concilior.*

(l) *In Opusculo, cui titulus,* Præscriptiones de Conceptu B. V. *post præscriptionem* 11. *pag.* 23. *&* 24. *par.* 1. *tom.* 1. *ejus operum.*

(m) *Tom. 3. Hist. Ecclesiast. dissert. 16. §. 21. pag. 536.*

(n) *In quosdam articulos Dictionarii Moreriani, edit. an. 1718. tom. 2. Observat. pag. 90. & seq.*

„ ceptionem receptam fuisse, *unanimi omnium* „ *Patrum consensu.* Catharinus Dominicanus „ huic sessioni adsuerat. (*adde, & ipsis Tridentinis Patribus Tract. illum inscripsit.*) Testis etiam luculentus habendus est Dominicus Soto, ejusdem familiæ alumnus, qui eidem sessioni interfuit. Hic autem in commentario in epistolam Pauli ad Romanos cap. 5. (v. 12.) pag. 150. fatetur, exceptionem susceptam a Concilio, & Decreto de Peccato Originali insertam. *Absit*, inquit Soto, *ut ullum hic verbum de Sacratiss. Virg. Maria faciam: nam etsi Concil. Tridentinum, decretum Sixti innovando, libertatem fecerit sentiendi in utramque partem &c.* Editum est opus illud Antverpiæ An. 1550. post sessionem quintam Concilii, habitam 15. Junii, Anno „ 1546.

69. Launoii Editor subjungit: „ Hæc firmat „ Clericus testimonio Canisii, Salmeronis, Vegæ, qui Concilio adsuerant, & Bartholomæi „ de Spina, qui audito hoc decreto, anno 1547. „ in Tridentinos Patres hac de re stilum exercuit; ut tradit Catharinus libro jam memorato. (*Istud de Spina difficultatem habet, quia Spina dicitur obiisse eodem anno 1546. quo editum est decretum; & aliud est, quod tradit Catharinus in præfatione.*) Denique Exceptio constat ex MS. regio anni 1548., quem Baluzius memoravit Miscellaneorum T. 7. p. 118. „ & ex editione Gallica Concilii Tridentini, ab „ Gentiano Herveto vulgata; cujus editionis „ privilegium exhibet diem trigesimam Octobris anni 1562. „ *Ad illud vero de Calvino idem Editor notat:* „ Hæc est mera Launoii conjectura, quæ fidem nullam meretur. Cum „ Calvinus post allatum decretum cum exceptione, quod in eo vitiosum opinatus est, vituperavit, at omnino silet circa illam exceptionem. Ergo manifeste patet, non ideo propositam a Calvino, ut majorem causam adversandi Concilio haberet. „

70. Unum, & alterum addo. Primum est: fraudulenter citari a Launoio Summam Conciliorum Carranzæ. Nam F. Bartholomæus de Carranza, & Miranda, Ord. Prædicatorum, summam illam, Concilio Lateranensi, sub Leone X. celebrato, clausit: de Concilio autem Tridentino, quod cùm scribebat, celebrari cœperat, hæc tantum habet: (*o*) *Faxit Christus, quod quàm feliciter, & ex voto universorum Fidelium inchoatum est, tam feliciter absolvatur.* Nec ultra hoc suum opus ampliavit Carranza. (V. Tom. II. de Scriptoribus Ord. Præd. ad annum 1576. pag. 241. col. 1.) Alterum est: Johannem Viguerium, Ord. Prædicatorum Scriptorem gravissimum, (qui quinquennio ferme ante absolutum Concilium obierat) in Commentario Epistolæ ad Romanos, (*p*) eam Tridentini declarationem, tamquam firmam, & ratam allegare.

71. Iisdem ferme argumentis revincitur aliud Dupini commentum, ajentis: (*q*) *Exceptionem illam, cui statim intercessum fuit, in ultima tantum sessione An. 1563. receptam, & probatam a Concilio fuisse.* Sed & Cardinalis Sfortia Pallavicinus, diserte narrat, (*r*) eandem Exceptionem sessione V. comprobatam esse, & vel ab ipsis Dominicanis *plausu exceptam, ut accidit graviora periclitantibus.* Nec Pallavicino contrarius est Johan. Curtenbroschus, cujus ms. codice nititur Dupinus.

72. In Actis Concilii Tridentini, a Curtenbroscho descriptis, (quæ edita sunt a CC. VV. Martene, & Durand) (*s*) observare licet, quod perlecto decreto de Originali Peccato, ex Patribus sexaginta quinque, & Doctoribus quadraginta, sessione IV. (alias V.) congregatis, ad clausulam de Conceptione paucos dumtaxat intercessisse: non quidem, (si unum excipias Turritanum) ut ea declaratio expungeretur, sed ut quid illustrius pro Pia Sententia adjiceretur. Quidam enim (inter quos Panormitanus) cum Petro Paceco Cardinali, & Episcopo Giennensi addi desiderabant: *Prout magis pie a majori parte Ecclesiæ, vel a multis creditur, B. Virginem non esse conceptam in Peccato Originali.* Nonnulli requirebant, *imponi silentium, ut deinceps contra illam nullus audeat prædicare.* Alii vero responderunt: *si non adfertur prajudicium B. Virgini:* vel, *dùm non prajudicetur Conceptioni.* Immo Episcopus Claromontanus pronuntiavit: *de Conceptione placeret, quod absolute diceretur, B. Virginem conceptam esse sine Peccato Originali.*

73. Dupino, & Launoio dimissis, alii confutandi sunt, qui ex ea Tridentini declaratione parum, vel etiam nihil emolumenti Piæ Sententiæ accessisse jactant. Quod ut clarius, & solidius præstemus, Decreti de Originali Peccato exordium, totamque de hujus peccati transfusione doctrinam, summatim referimus.

74. In exordio hæc habet: *Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata præsidentibus &c. Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum* (scilicet Diospolitani, Carthaginiensis, Milevitani, Arausicani, Florentini) *Testimonia, & ipsius Ecclesiæ judicium, & consensum secuta; hæc de ipso Peccato Originali statuit, fatetur, ac declarat.* Canone autem II. definit, ex Adami prævaricatione, mortem etiam Animæ, & peccatum in omne genus humanum fuisse transfusa. Canone III. Peccatum Originis, propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inesse, unicuique proprium. Can. IV. Parvulos recentes ab uteris matrum, ex Adamo trahere Originale Peccatum, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari, ad vitam æternam consequendam.

75. Dum

(o) *Sub finem, fol. 386. pag. 1. edit.* Venetæ, an. 1546.
(p) 3. *par. cap. 5. pag. 1022. edit. Venetæ ejus operum*, an. 1584. *& V. tom. 2. de Scriptor. Ord. Præd. ad* an. 1550. *pag.* 137.
(q) *Refertur in notis ad eum locum* Launoii, *& tom. 3. Dictionarii Hist.* Ludovici Morerii *edit.* Basileens. an. 1735. *V. Conceptio B. V.*
(r) *Par. 1. Histor. Concil. Trident. latinæ edit.* Antverp. an. 1670. *lib. 7. cap. 7. num. 4. pag. 661. & rursus cap. 10. ab initio.*
(s) *Tom. 8. Ampliss. Collect. col. 1086. & 1096.*

75. Dum ergo Tridentina Synodus declarat: *Non esse suæ intentionis comprehendere in eo decreto, ubi de Peccato Originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam DEI Genitricem*; utique declarat, suæ intentionis non esse, DEI Genitricem comprehendere in illa sua generali doctrina, ex Scripturis, Patribus, Conciliis, & Ecclesiæ judicio, eruta, de peccato Originis in omne genus humanum transfuso, & omnibus inhærente unicuique proprio, & in Matrum uteris ex Adam contracto, ac per regenerationis lavacrum expiando. Sentit ergo Concilium, ea omnia Sacrarum Scripturarum, Sanctorum Patrum, Probatissimorum Conciliorum Testimonia, & ipsius Ecclesiæ judicium de generali transfusione Originalis Peccati, farta tecta manere; tametsi Beatam, & Immaculatam Virgin. MARIAM DEI Genitricem excipiamus. Secus Tridentinum, declarationem illam adjiciendo, Catholicam Scripturarum, Patrum, Conciliorum, & Ecclesiæ de Originali Peccato doctrinam, quam in eo decreto se tradere profitetur; minus sincere, & integre nobis exposuisset.

76. Unde fit, per hanc Concilii Tridentini declarationem, erepta esse Adversariis arma omnia, quibus Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem impetebant: ut pulchre adnotavit R. P. Vincentius Justinianus Antist. Ord. Prædicat. (t) *Jam*, inquit, *contrariæ sententiæ desunt Cathedræ, Suggesta, Libri, Pontifices, & ipsamet Concilia; quando Tridentinum omnino protestatur, non esse suæ intentionis &c.* Inde etiam alter ejusd. Ord. eruditus Magister, Natalis Alexander loco cit. intulit, Tridentinos Patres, *addita post decretum ea exceptione, sententiam de Immaculata B. Virginis Conceptione, Probabilem, Piam, & Ecclesiasticam opinionem esse, satis superque declarasse.* Quidam observant, non sine cælesti consilio, additum B. Virgini titulum *Immaculatæ*, ubi agitur de illa excipienda a decreto de originali peccato; nempe ut inde intelligamus, hunc titulum *Immaculatæ*, tam frequenter, & tam ample a Patribus B. Virgini attributum, ejus Præservationem ab Originali Peccato indicare.

77. Salmanticenses Theologi, (quibus Piæ Sententiæ argumenta infirmare, mos esse videtur) Declarationem Tridentini (u) „ ad hoc „ additam fuisse *ajunt*, ut sciremus, manere per „ omissionem extra Concilii decretum, adeoque „ indeterminatum, & indecisum, an B. Virgo „ reipsa incurrerit, vel non incurrerit Originalem „ Culpam, seu an fuerit, vel non fuerit de nume„ ro illorum, quos talis culpa, & judicium, quod „ DEUS habet erga illam, ac Testimonia Scrip„ turæ, ubi continetur tale judicium, comprehen„ dunt. Tam enim ab hac comprehensione, quam „ ab opposita exclusione subtraxit se Concilium, „ suspenditque suum decretum, & intentum. „

78. Verum hæc interpretatio, & irrationabilis est, & a Patrum mente aliena. Est irrationabilis, quia nisi censuisset Concilium, illa Scripturæ Testimonia, quæ sunt de Originali Peccato, salva posse consistere, quin B. Virginem in iis comprehendi dicamus; temere illam datâ operâ excepisset a suo de Originali Culpa decreto, quod se juxta Sacrarum Scripturarum Testimonia tradere profitetur.

79. Quod autem eadem interpretatio sit a Patrum mente aliena, clare colligitur ex iis, quæ loco cit. narrat Cardinalis Pallavicinus, (x) videlicet: In declaratione illa fuisse prius inserta hæc verba: *De qua re nihil in præsentia intendit decernere.* At Cardinalem Pacecum, & plurimos alios vehementer reclamasse; & tunc demum omnes in eam declarationem consensisse, cùm proponente Episcopo Asturiensi, verba ista deleta fuere. *Quòd, quantum arbitror*, (subjungit Pallavicinus) *eò respiciebat, ut saltem declararetur, in universali affirmatione contracti a cunctis Hominibus Originalis Peccati, haud necessario B. Virginem comprehendi, adeoque per deductam inde ab adversariis argumentationem nihilominus probabilem reddi ejus Immunitatem.* Verba originalia Pallavicini sunt: „ Il che, per mio avvi„ so, avea questo riguardo, che restasse almen „ dichiarato, come nell' universale affermazione „ del peccato originale contratto da tutti gl'uomi„ ni, non è per necessità compresa la Vergine, „ e che però l'argomento, per la contraria parte „ quindi dedotto, non rende la sua Immunità „ men probabile. „

80. Aliud denique ex laudata Tridentini declaratione Piæ Sententiæ emolumentum accessit; confirmatio scilicet, & Innovatio Constitutionum, Sixti IV. *Cùm præcelsa*, & *Grave nimis*: quæ, quàm Piæ Sententiæ favorabiles sint, Actione seq. demonstrabimus.

81. Et hæc quidem fuit Tridentinæ Synodi, velut *Interlocutoria*, pro Illibata DEI Genitricis Conceptione Sententia. At sacratissimis illis, & gravissimis Patribus, (si admodum paucos) excipias, in votis erat, *Definitivam* ferre Sententiam, ni gliscentes per id tempus Novatorum errores, Patrum curas aliò avocassent. Hujus rei testem locupletissimum habemus unum ex illis, Ambrosium Catharinum Politum, Episcopum Minorensem, dein Archiepiscopum Compsanum, qui in disputatione *pro Veritate Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ &c. ad Sanctam Synodum Tridentinam. In Præfatione ad Sedis Apostolicæ Cardinalem Legatum, & cum illo Præsidentes, & ad reliquam Sanctam Synodum*, hæc scribit:

82. „ Cum ab hinc fere sexennium, (*respon„ det anno conditi decreti de Originali Peccato*) „ istic Tridenti ageret Sancta Synodus... & eò „ jam perventum esset, ut de Originali Pecca„ to tractaretur, Plerique ex Patribus admone„ bant, optimum esse, atque opportunum, spe„ ciali decreto eam sententiam de Immaculata „ B. V. Conceptione, quæ dudum a cunctis „ prorsus Ecclesiis solemni ritu celebratur, & colitur,

(t) *In Tract. de Immac. Concept. B. V. laudato Actione 3. n. 440. & seq.*
(u) *Tom.4. disp.15. dub.6. §.5. n.143. pag.573. edit. Venet.*
(x) *Lib.7. cap.7. par. 1. Histor. Trident. edit. Rom. an. 1656. pag. 624.*

„ colitur, ita probari, & statui, ut jam ulterius non liceret cuiquam, ea de re secus vel asserere, vel opinari. Id quibusdam, licet ADMODUM PAUCIS tunc non placuit, nec (ut verum fatear) mihi quidem ipsi: non quòd rem ipsam non vehementer optarem, utpote Sanctam, & Christianæ Fraternitati congruentem, quæ in primis eundem in dogmatibus sensum, eandemque in cultu DEI observantiam poscit; sed quòd consultius per conditionem temporum videbatur, prius adversus hæreses manifestas intendere, tum illa aggredi, quæ inter Catholicos controversa, digna viderentur decisione. Nec defuerunt, qui hunc tractatum in eum locum servari volebant, quum de celebritate festorum ageretur, qua in re nonnulli vigent abusus; (inter quos hic numerari debet) merito abolendi. Nam cum a quibusdam, sub variis nominibus, & intellectibus, dies ille celebretur, & summopere ab omnibus Piis desideraretur uniformitas; nemo profecto, nisi schismatico agitatus spiritu, contradicere potuisset. „

83. Ab hac Illustriss. Ambrosii Catharini narratione, (de cujus veritate dubitare non licet) non discordat, quod de communi propensione Patrum Concilii in Definitionem Piæ Sententiæ, Vir integerrimus Societ. nostræ, P. Nicolaus Lancitius, se perlegisse refert (y) in Actis originalibus Concilii Tridentini, quæ in Arce S. Angeli custodiuntur. Quare immerito illud pro commento habent Salmanticenses, (z) & Lampridius, (a) hoc imbelli argumento freti, quòd ab aliis non referatur.

ANACEPHALÆOSIS.

84. EX tota hac Actione duo Lectori nostro ponderanda subjicimus. I. Pauca illa Conciliorum, & Synodorum Testimonia, ab Adversa Parte allegata, nonnisi generalia esse, quæ facilem expositionem suscipiant: Pleraque vero a Pia Parte allegata, Sanctam DEI Genitricis Conceptionem singulariter, & expresse sonare; quam etsi nondum de Fide credendam faciant, ejus tamen veritatem mirifice insinuant, & ingenuis mentibus facile persuadent.

85. II. In duobus Generalibus Conciliis, in quibus de re præsenti actum est, Pia Pars, non obstantibus validissimis Adversariorum conatibus, *Definitivam*, vel *Interlocutoriam* Sententiam tulit: *Definitivam*, in Basileensi Concilio; quin Adversæ Parti quidquam profuerit, prolixus Johannis de Turrecremata, doctissimi viri, Tractatus de Veritate Conceptionis B. V. M. *Interlocutoriam*, in Concilio Tridentino; quin obviare potuerit idem Turrecrematæ Tractatus, quem Fr. Bartholomæus Spina cum Fr. Alberto Duimio, e tenebris, in quibus multis scatens erroribus jacebat, in lucem edere festinavit. Cum enim hæc editio non contigerit, nisi anno 1547. Uterque sua spe, & expectatione, priusquam opus illud evulgaretur, fraudatus est. Et duodesexaginta errores in Fide, quos Duimius in ultima Disputatione Piæ Parti affinxit, una illa Tridentini Declaratione præfocatos doluit, antequam natos.

86. Inter Basileense, & Tridentinum, intercessit Lateranense Concilium, sub Leone X. ab anno 1512. ad 1518. celebratum. Hoc tempore, Cardinalis Caietanus Tractatum de Conceptione B. M. V. studiose composuit, & ipsi Leoni X. obtulit: quo contrariam sententiam, non quidem definiri, *sed tanquam probabiliorem, & Sanctorum dictis consonam approbari*, sperabat. (b) Sed nihil obtinuit.

ACTIO

(y) *Tom. 2. Opusc. 11. cap. 13. pag. 42.*
(z) *Loc. cit. num. 247. pag. 575.*

(a) *Cap. 11. pag. 78.*
(b) *V. clausul. huj. Tract. pag. 241. col. 2.*

ACTIO QUINTA.

SUMMORUM PONTIFICUM TESTIMONIA.

PROLUSIO.

ARCENDA ab hac Actione sunt Testimonia illa, seu Adversantia, seu Faventia, quæ Pontifices ante susceptum Pontificatum protulerunt. Hæc enim non Pontificum Testimonia sunt, sed illorum Privatorum Hominum, quibus a superventuro Pontificatu nulla major accessit auctoritas.

1. Pervagata est opinio Johannis XXII. dum adhuc esset Doctor Jacobus de Ossà, de differenda Animabus Sanctorum usque ad extremum Judicii diem, Visione, & Fruitione DEI Beatifica. Quam tamen opinionem ejus successor Benedictus XII. per Bullam, *Benedictus Deus*, datam anno 1336. (*a*) reprobavit. Scimus etiam quanta scripserit Æneas Sylvius Piccolomineus pro Concilio Basileensi contra Eugenium IV. Hæc autem omnia ipsemet jam Pontifex, Pius II. per Constitutionem, *In minoribus agentes*, editam An. 1463. (*b*) singulari animi demissione prolixe revocavit, dicens inter alia: *Seni magis, quàm Juveni credite; nec privatum Hominem pluris facite, quàm Pontificem; Æneam rejicite, Pium recipite.* Forte etiam S. Pius V. sub nomine Fr. Michaelis de Ghisileriis, apud Patres Prædicatores degens, contrariam Sententiam sustinuerat. At certe in Pontificatu de Pia Sententia tam benemeritus fuit, quam qui maxime, ut infra videbimus.

2. Quapropter ab allegando Alexandro V. (quem fuisse legitimum Pontificem Lucas Waddingus (*c*) demonstrat,) nos hìc ultro abstinemus. Quia etsi constet, quod in Sacro Ordine Minorum, Petrus de Candia nuncupatus, B. Virginem ab Originali Peccato servatam egregie defenderit, cum in Commentariis super librum III. Sententiarum, distinct. 3. tum etiam in speciali Tractatu de hoc argumento; (*d*) verumtamen non satis constat, quod in Concilio Pisano Pontifex initiatus, in suo brevi decem mensium Pontificatu, eandem Piam Sententiam, Constitutione aliqua Apostolica communierit. Hanc quidem Constitutionem memorant Theophilus Raynaudus, & Augustinus Oldoinus S. J. (*e*) cum aliis non paucis; sed tota fides refunditur ad Bernardinum de Busto, (*f*) qui & simpliciter rumorem refert, & cujusdam Johannis Varronis, ignoti Auctoris, ambiguum testimonium adducit.

3. Æquiori jure ab allegando Innocentio V. abstinere debuerant Adversarii, Bandellus, & Launojus, iis in locis, (*g*) in quibus Pontificum, seu Rectorum Ecclesiæ testimonia se daturos promittunt. Id perinde est, ac si quis ad astruendam Concilii Generalis potestatem supra Papam, Pium II. Pontificem Maximum allegaret. *Verendum est*, (ajebat hic in laudata Bulla) *ne talia nostris aliquando Successoribus objiciantur; & quæ fuerunt Æneæ, dicantur Pii.* Equidem fatemur, Fr. Petrum de Tarantasia, Ordinis Prædicatorum, in Commentariis super libros Sententiarum, (*h*) maculosum DEI Genitricis Conceptum defendisse. Sed certo certius est, Innocentium V. (quod nomen in Pontificatu assumpsit) nihil penitus hac de re deliberasse. Quid vero scripserit Petrus de Tarantasia, parum refert. Extat opusculum IX. D. Thomæ, Tomo XVII. editionis Romanæ, a fol. 76. in quo Doctor Angelicus octo supra centum articulos, in illius scriptis reprehensos, ex mandato R. P. F. Johannis Vercellensis, Magistri Ordinis, censet, & quosdam quidem tueri, alios exponere studet.

4. Par esset, ut ea quoque Testimonia ab hac Actione excluderentur, quæ Pontifices quidem, sed non Pontificali fungentes Auctoritate, protulerunt; quæque proinde etsi Pontificum, non tamen Pontificia sunt Testimonia: cujusmodi haberi debent eorum Sermones ad Populum, & Scripta alia, quæ more cæterorum Ecclesiæ Præsulum, & Doctorum dixerunt, vel composuerunt. Attendendæ igitur tantum essent Constitutiones, Bullæ, Decreta, Litteræ Apostolicæ, quas tamquam Supremi Ecclesiæ Rectores ediderunt; quæ vere, & proprie Pontificia Testimonia sunt. Quia tamen, hoc rigore servato, perpauca superessent Adversariis Testimonia,

(a) *Constitut.4. pag.185. tom. 1. Bullar.* Cherub. *edit.* Rom. an. 1638.

(b) *Extat init. suor. Oper. edit.* Basil. an. 1571. *& tom.* 1. *Bullar. citati, Const.* 10. *a pag.* 294.

(c) *Tom.* 5. *Annal. Minor. ad* an. 1409.

(d) *De illis Commentar. V.* Oudinum *tom.* 3. *de Scriptor. Ecclesiast. ad* annum 1370. De Bustis *serm.* 6. *de Concept. par.* 1. *fol.* 21. *col.* 4. *De hoc Tractatu V.* Nierembergium *in* Sacro Syllabo &c. §.5. *pag.*295. *Oper. Parthenicor. ubi & quasdam Sententias ejusd. Tractatus refert.*

(e) Raynaud. *in Pietate Lugdun. pag.* 300. *col.* 2. *tom.* 8. Oldoin. *in Addit. ad vitam* Alexandri V. *tom.* 2. *Vitar. Pontific.* Ciaconii *col.* 784.

(f) *Par.* 3. *serm.*4. *de Concept. B. M. fol.*16. *col.*1. *Marialis, edit.* Lugdun. an. 1525.

(g) Ban. *cap.* 18. *fol.*20. Laun. *præscript.*9. *pag.* 18.

(h) *Editis* Tolosæ an. 1625. *tom.*3. *in* 3. *lib. Sententiar. distinct.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. *&* 2.

monia, quæ in hac Actione utcunque valeant allegare; indulgemus illis, ut sermonibus quoque, aliisque ejusmodi scriptis, pro Pontificiis Testimoniis utantur: quin etiam permittimus, ut intermisceant Epistolam quandam Cleri Romani sede vacante, & nescio quod Sacræ Romanæ Inquisitionis Decretum.

5. In nos vero, nostræ causæ fidentes, recipimus, nullum allegaturos Testimonium, quod vere, & proprie Pontificium non sit, quodque insuper expressis, & singularibus verbis non efferatur. Mirum ergo videri non debet, quod nonnisi a Sixto IV. Testimonia nostra inchoamus. Si vellemus, Adversariorum ritu, Pontificum Testimonia inducere; integrum nobis esset, antiquiores Pontifices allegare, immo, & eos ipsos, quos illi nobis objiciunt, Gregorium Magnum, Innocentium III. Johannem XXII. Benedictum XII. Clementem VI. Bonifacium IX. ut in Actionis decursu obiter adnotabimus.

6. Aliud denique discrimen in unius, & alterius Partis describendis Testimoniis observamus. In iis, quæ ab Adversa Parte allegantur, annum dumtaxat singulorum indicamus, cum nullam continuatam sæculorum seriem contexere valeamus. Testimonia vero, quæ a Pia Parte allegantur, per quatuor sæcula, illustrioribus subinde adaucta Sententiis, continuata exhibemus: in quibus ipsorum etiam Pontificum pene non interruptam seriem videre erit.

ARTICULUS I.

Summorum Pontificum Testimonia, ab Adversa Parte allegata.

Testimonium I.

S. Innocentius Papa I. ab Anno Dñi CCCCII.

Omnes Homines, ab Adam carnaliter generati, trahunt Originale Peccatum, a quo nisi per Christi Gratiam purgentur, atque liberentur, damnationem consequuntur æternam. Non enim Imago DEI in parvulis tam gravi supplicio puniretur, ut vitâ privarentur, nisi a Parentibus Originale Peccatum traheret. Nemo enim excipitur, nisi ille, quem, sine lege peccati, Virgo concepit.

7. Hoc Testimonium opponit Bandellus, & desumptum dicit ex Epistola Innocentii I. apud D. Augustinum libro I. & II. contra Julianum. Non queror de tam confusa citatione, quæ non parum temporis mihi absumpsit; sed de conficto penitus testimonio. Hujuscemodi allegata Sententia, nec in aliqua Innocentii Epistola legitur, nec refertur ab Augustino in libris citatis. Duas adversus Pelagii errores scripsit Epistolas Innocentius I. Unam ad Patres Concilii Chartaginensis, alteram ad Patres Concilii Milevitani; quæ extant in Epistolis Decretalibus Summorum Pontificum, (*i*) & etiam inter Epistolas D. Augustini. (*k*) In neutra Epistola reperitur aliquid de allegato Testimonio, ut legenti patebit. Tam ergo verum est, eam sententiam esse Innocentii, quam verum est, Innocentium floruisse (ut ait Bandellus) anno 397. qui An. 402. Pontificatum iniit, & circa annum 417. Epistolas illas scripsit.

8. Sed nec Augustinus locis citatis Innocentium ea verba proferentem, inducit. In secundo contra Julianum libro nullum fixum ex Innocentio Testimonium affert, sed tantum capite x. num. 33. eum annumerat aliis Patribus, *qui proferunt de omnium Hominum, Peccato Originali obnoxia successione, sententiam.* In libro primo contra eundem Julianum (*l*) duas illas laudat Innocentii Epistolas; at ex priori Epistola, hæc tantum de illo refert: *Qui* (scilicet Innocentius) *omne præteritum vitium, primi scilicet hominis, qui libero arbitrio est in profunda demersus, Christum, dixit, sui lavacro purgasse baptismatis.* Ex posteriori autem: *Qui denique* (idem scilicet Innocentius) *Parvulos definivit, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam habere non posse.* Addit aliqua utrobique Augustinus, quæ Bandellus præcipitantur legens, credidit esse Innocentii; & ex iis deformatis, & inversis, aliisque superadditis, centonem illum suum confarcinavit. Ut alia omittam, ajebat Augustinus lib. II. cap. 10. citato: *Unde* (idest ab originali culpa) *nemo eruit, nisi quem, sine lege peccati, repugnante legi mentis, Virgo concepit.* Invertit hæc verba Bandellus, & sic reddidit: *Nemo enim excipitur, nisi ille, quem sine lege peccati Virgo concepit.*

Testimonium II.

S. Zosimus Papa I. ab A. Dñi CCCCXVII.

Nullus enim, nisi qui Peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per

(i) *Parte 2. tom. 1. epist. 31. pag. 92. & epist. 32. pag. 97. edit.* Rom. A 1591.

(k) *Epist. 181. (aliàs 91.) col. 635. & epist. 182. (aliàs 93.) col. 638.*

(l) *Cap. 4. num. 13. col. 504.*

per Peccatum fuerit ante captivus; sicut scriptum est: (Jo. 8.36.) Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. *Per ipsum enim renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo: Ipsius morte, mortis ab Adamo omnibus nobis introductæ, atque transmissæ, universæ Animæ illud, propagine contractum, Chirographum rumpitur, in quo nullus omnido natorum, antequam per Baptisma liberetur, non tenetur obnoxius.* (m)

9. PRior hujus Testimonii pars, [quam solam objicit Lampridius (*n*) nil aliud continet, quam descriptionem quandam Redemptionis, non quidem omnis, sed communis, & vulgaris. Dari enim aliud specialissimæ Redemptionis genus, quæ præservet a Captivitate Peccati, ab ipsomet Augustino accepimus Act. I. nu. 63. & 64. Pars altera communem legem tradit de transfusione, & remedio Originalis Peccati; a qua nedum B. Virginem, verum etiam D. Johannem Baptistam, & Hieremiam excipere oportet; quos sanctificatos novimus, priusquam applicari illis potuerit Baptismus, aliudve remedium Parvulorum.

Testimonium III.

S. Leo Magnus Papa I. ab A. Dñi CCCCXL.

I. Sententia.

Ut per unum novum Hominem fieret renovatio vetustatis; & mortis vinculum, Unius prævaricatione contractum, Unius morte, qui solus morti nihil debuit, solveretur. (o) Et infra: (p) *Nam, quia captivitatis nostræ resolvi Originalia vincula non poterant, nisi existeret Homo nostri generis, nostraque naturæ, quem veteris debiti præjudicia non tenerent, & qui immaculato sanguine suo Chirographum lethale dilueret; sicut ab initio erat divinitus ordinatum, ita est in plenitudine præfiniti temporis factum.*

II. Sententia.

Nativitas Domini secundum Carnem, quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ Conditionis initia transcendat, sive quod solus ab Inviolata Virgine sine concupiscentia est concepceptus, & natus; sive quod ita visceribus Matris est editus, ut & Fœcunditas pareret, & Virginitas permaneret: non alterius tamen naturæ erat ejus Caro, quam nostra. (q)

III. Sententia.

Superbia Hostis antiqui non immerito sibi in omnes Homines Jus Tyrannicum vindicabat, &c. Non itaque juste amitteret dedititii (al. *Humani) generii servitutem, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur. Quod ut fieret, sine virili semine editus est Christus ex Virgine, &c. Et cum in omnibus Matribus non fiat sine Peccati sorde conceptio, hæc inde purgationem traxit, unde concepit. Quo enim paterni seminis transfusio non pervenit, Peccati se illic Origo non miscuit. Inviolata Virginitas concupiscentiam nescivit, substantiam ministravit. Assumpta est de Matre Domini Natura, non Culpa: creata est forma servi sine conditione servili &c.* (r)

10. IN prima D. Leonis Sententia, ea tantum verba: *qui solus morti nihil debuit:* ad rem facere videntur, reliqua sunt ad pompam. Sed quem sensum habeat, vox ista, *solus*, apud Scripturas, & Patres, luculenter ostendimus Act. II. a *nu.* 120. & a *nu.* 132. Hic tantum observo de debito mortis, ibi agi, non de ipsa morte; ut etiam patet ex posterioribus verbis: *quem veteris debiti præjudicia non tenerent.* Nos autem sponte fatemur, solum CHRISTUM, etiam cum exclusione B. Virginis, a mortis Peccati debito Immunem fuisse.

11. In secunda Sententia nihil prorsus video, quod Immunitati B. Virginis ab Originali Peccato, vel specie tenus officiat. Nam quod *solus Christus ex Sancto Spiritu ab Inviolata Virgine sine concupiscentia Carnis est conceptus, & natus;* nihil impedit, quominus B. Virgo, etsi non hoc modo concepta, per speciale DEI privilegium fuerit servata Immunis ab Originali Culpa contrahenda.

12. In tertia Sententia, quæ difficultatem præseferunt, sunt hæc verba: *Cum in omnibus Matribus non fiat sine sorde Peccati conceptio, hæc inde purgationem traxit, unde concepit.* At si de purgatione B. Virginis ab Originali Peccato accipiantur; habebimus, DEI Genitricem non prius ab Originalis Peccati sorde purgatam, quàm CHRISTUM conciperet. Quo nihil absurdius dici potest. Sensus ergo est, quod, cum omnes Matres non sine sorde carnalis concupiscentiæ, (quæ apud Sacros Scriptores Peccatum appellatur) concipiant: hæc sordes tam longe absuit à DEI Genitrice, cùm CHRISTUM concepit, ut potius augmentum inde hauserit defœcatissimæ Sanctitatis.

(m) *In quadam epistola, quæ non extat, & cujus hoc fragmentum adfertur a D. Augustino epist.* 190. (*al.* 157.) ad Optatum, *col.*707. *tom.*2.

(n) *Cap.* 24. *pag.* 184.

(o) *Citat* Lampridius *pag.* 189. *pro hac sententia Epistolam* 117. *ad* Monachos Palæstinos: *sed nulla est ad eos* Monachos S. Leonis *Epistola; nec Epistolæ S. Leonis sunt plusquam* 111. *Est autem in epist.* 83. *ad* Palæstinos Episcopos, *cap.*3. *col.*440. *suor. Oper. & a pag.* 1144. *tom.* 7. *Bibl. M. VV.* PP.

(p) *Cap.*7. *col.*443. *suor. Oper. edit.* Paris. an. 1623.

(q) *Est Epistola, non* 25. *ut citat* Lampridius, *sed* 11. *ad* Julianum Episcopum Coënsem *col.* 314. *V. editionem* Parisiensem An. 1623. & Lugdunensem An. 1652. & *tom.* 7. *Bibl. M. PP. a pag.* 980.

(r) *Serm.*2. *de Nativit. Domini cap.* 3. *col.* 39.

Testimonium IV.

Gelasius Papa I. ab A. Dñi CCCCXCII.

Quidquid isti Genitores (Adam, & Eva) *de suo germine protulerunt, opus quidem DEI est secundum institutionem naturæ, sed non absque contagio illius mali, quod sua prævaricatione traxerunt.* (s) Et infra: *Immaculati Agni proprium est, nullum prorsus habuisse Peccatum.* (t)

13 UTrumque Gelasii locum opponit nobis Launojus, sed diminutum, ne Testimonii imbecillitas deprehendatur. Priori loco non magis universaliter loquitur Gelasius, cùm ait, in omnes Adæ posteros transfundi Originalis Mali contagium; quàm cùm infra subjungit, quemvis infantem *esse vitiosa nativitate pollutum; & si non fuerit mysterii Christiani participatione mundatus, ad vitam non posse pervenire perpetuam.* Et tamen ab hac universitate exceptam proculdubio intellexit Gelasius DEI Genitricem, cujus Sanctæ Nativitati *in suo Sacramentorum Codice*, Ecclesiasticum Officium assignavit; ut visum est in Apparatu *num.* 131.

14. Posteriori loco Gelasius, non de Originali, sed de Personali Peccato disserit contra Pelagianos. Et primo statuit, vitare omnia peccata Hominem non posse, *possibilitate facultatis humanæ.* Tum concedit, *per Divinam Gratiam, in hac vita, quibuslibet Sanctis id posse conferri.* Negat vero fuisse aliquos, qui usque *ad hanc perfectionem vitæ præsentis accederent:* idque probat *ex ipsorum vocibus Prophetarum, Apostolorumque Sanctorum, qui etiamsi copiosiore DEI munere, vel raris omnino, vel minimis humanæ conditionis passionibus impetiti sunt, &c. non usque adeo tamen expertes earum se fuisse, testantur.* Et hic subtexit: *Ut scilicet illius Immaculati Agni sit proprium, nullum prorsus habuisse Peccatum; ne non soli videatur esse deputandum, si alius quilibet Sanctus expers delicti fuisse credatur.* Certum porro est, Gelasium ab hac universali doctrina, quam hauserat ex D. Augustino, DEI Genitricem excipere voluisse cum eodem D. Augustino, (*u*) ubi ait: *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem &c.*

15. Adversariorum consueta fraus est, Generales Patrum Sententias, queis omnes Homines & Originali Peccato infectos ex utero nasci, & non sine aliquibus Peccatis Personalibus vivere, affirmant; ita detruncatas, & mutilatas exhibere, ut de solo Peccato Originali in prima Conceptione contracto, Patres locuti videantur: ne & ipsi Adversarii Sententias illas restringere, & exponere cogantur. Quod referendi vitium, adversario suo Juliano exprobaverat olim D. Augustinus: (x) *Ecce, inquit, sic repetis sententiam meam, ut eam non impleas verbis meis, quæ valde sunt necessaria, vobisque contraria. Ego enim dixi &c. Tu autem dicis &c. nec addis, quod ego addidi. Non accuso furem, ablata civiliter repeto: redde verba mea, & nihil valebunt tua.*

Testimonium V.

S. Gregorius Magnus Papa I. ab A. Dñi DXC.

I. Sententia.

Nos quippe etsi Sancti efficimur, non tamen Sancti nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut cum Propheta dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me Mater mea. *Ille autem solus veraciter Sanctus natus est, qui ut ipsam naturæ corruptibilis conditionem vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est.* (y)

II. Sententia.

Potest vero hoc in loco intelligi, quia B. Job Incarnationem Redemptoris intuitus, solum vidit in Mundo Hominem de immundo semine non esse conceptum; qui sic in Mundum venit ex Virgine, ut nihil haberet de immunda conceptione. Neque enim ex Viro, & Fœmina, sed ex Spiritu Sancto, & Maria Virgine processit. Solus ergo in Carne sua vere mundus extitit, qui delectatione Carnis tangi non potuit: quia nec per carnalem huc delectationem venit. (z)

III. Sententia.

In solo autem sibi Unigenito, Domino nostro Jesu Christo, complacuit: quia hunc inter Homines Hominem creasse non pœnituit, in quo Peccatum nullum omnimodo invenit, sicut de illo per Psalmistam dicitur: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum &c. *In solo ergo Redemptore nostro sibi complacuit Pater: quia in eo solo non invenit culpam, in qua se reprehendat, quasi per pœnitentiam.* (a)

16. PRimam Sententiam refert Launojus, (*b*) qui verbum *peperit*, mutavit in *concepit*; &

(s) *Epist. 7. ad omnes Episcopos per* Picenum, *pag.* 346. *par.* 2. *tom.* 1. *Epistolar. Decretal. Summor. Pontific. edit.* Rom. an. 1591.
(t) *In Dictis adversus Pelagianam Hæresim, pag.* 351. *ejusd. par. & tom.*
(u) *Lib. de Natura, & Gratia cap.* 36. *n.* 42. *col.* 144. *tom.* 10.
(x) *Lib.* 3. *Oper. Imperf. contra* Julian. *nu.* 108. *col.* 1094. *ejusd. tomi, P.* 2.
(y) *Lib.* 18. *Moralium in* Job, *cap.* 52. *n.* 84. *col.* 598. *tom.* 1.
(z) *Lib.* 11. *eorumd. Moralium, cap.* 49. *n.* 70. *in ea verba:* Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? *col.* 392. *ejusd. tom.*
(a) *Lib.* 1. *in* Ezechiel. *Homil.* 8. *nu.* 21. *col.* 1243. *ejusd. tomi.*
(b) *Præscript.* 9. *pag.* 18.

& pro Capite III. citat Caput XXVII. Secundam, & tertiam Sententiam laudat Lampridius, *(c)* qui falsò S. Gregorium collocat anno 598. Nam Magnus Gregorius sedere cœpit Anno 590. & libros Moralium in Job ante susceptum Pontificatum scripsit, cum Apocrisarii, seu Sedis Apostolicæ Legati munere fungeretur Constantinopoli; ut ipse testatur in Epistola ad Leandrum Hispalensem Episcopum, Commentariis illis præfixa.

17. Primæ Sententiæ facilis, & necessarius sensus est, quod ex vi propriæ Nativitatis, nemo nostrum Sanctus nascitur: quia cum nos per carnalem concupiscentiam concipiamur, ex vi nostræ Conceptionis, ac Nativitatis, peccato sumus obnoxii. Solus autem CHRISTUS ex vi suæ Nativitatis Sanctus est natus, qui non per carnalem concupiscentiam, est conceptus. Nam alioqui B. Virginem Sanctam natam credimus, ipso plaudente D. Gregorio, qui ejus Nativitatem in suo Sacramentorum libro colendam præscripsit, ut dictum est in Appar. *n.* 130. Quin etiam Johannem Baptistam, & Hieremiam, Sanctos esse natos, communis est Sententia, *ibid.* a *num.* 121.

18. Sensus quoque istorum verborum esse potest: Nos Sanctos effici, non nasci; quia non natura, sed adoptione Sancti efficimur, & Filii DEI. Solum autem CHRISTUM veraciter Sanctum natum esse; quia non per affectum adoptionis, sed per intimam unionem duarum Naturarum in eadem Hyposthasi Divina, Sanctus, & Filius DEI naturalis est.

19. Altera Sententia præsentis Controversiæ punctum non attingit. Et primo non ait D. Gregorius, B. Job vidisse in spiritu solum CHRISTUM sine Peccato Originis conceptum, sed solum ipsum de immundo semine non esse conceptum, hoc est de semine, ex Viro, & Fœmina desumpto, ut statim explicat. Semen autem istud immundum appellat, *non quòd in eo semine sit immunditia peccati, aut peccatum; sed quia ab ipso semine, & ipsa conceptione, ex qua incipit Homo esse, accipit necessitatem, ut cùm habebit Animam rationalem, habeat peccati immunditiam;* (nisi per DEI Gratiam impediatur) ut exponit D. Anselmus, laudatus Act. I. *nu.* 58. Et hac ratione B. Virgo, quamvis sine Peccati labe concepta, de immundo semine concepta est. Quod enim a pluribus dicitur, semen illud, ex quo B. Virgo concepta est, prius a DEO, vel ab Angelis fuisse mundatum; magis pie, quàm vere dicitur. Nulla quippe inest semini morbida qualitas, quæ ex se Originale Peccatum inducat; ùt demonstratum est in Apparatu a *n.* 21.

20. Deinde, cùm S. Gregorius concludit, quod *solus* (CHRISTUS) *in Carne sua vere mundus extitit*; de munditia loquitur, non ab Originali Peccato, sed a Peccati fomite, seu a carnalis Concupiscentiæ motibus; ut proxime sequentibus verbis declarat: *Qui delectatione Carnis tangi non potuit: quia nec per carnalem huc delectationem venit.* Superius autem dixerat, quod *Homo in corruptibili carne vivens, habet tentationum immunditias impressas in semetipso, quia nimirum eas traxit ab origine &c.* Idest habet Homo, ex vi suæ originis, velut ingenitos carnalis concupiscentiæ motus, a quibus CHRISTUS ex vi suæ originis Immunis fuit. Hoc tamen non obstat, quin B. Virgo ab iis motibus, per specialem DEI Gratiam fuerit etiam perpetuo Immunis: quod in confesso est apud omnes, ut observavimus in Apparatu *num.* 98. *& seqq.* Et negari non potuit a S. Gregorio, qui de B. Virgine alibi *(d)* scripsit, *Meritorum verticem supra omnes Angelorum Choros, usque ad solium Deitatis erexisse.*

21. Tertia Sententia similiter a scopo recedit. Ibi enim de actualibus culpis sermonem esse; verba præcedentia, & subsequentia, a Lampridio prætermissa, satis indicant. Dixerat S. Gregorius: *Omnipotens Pater, sicuti intelligi ab Hominibus poterat, humano modo de Peccatoribus locutus est, dicens: (Gen. 6. 6.)* Pœnitet me fecisse Hominem super terram: *quasi sibimetipsi displicuerit in Peccatoribus, quos creavit.* Constat autem, propter Peccata Personalia dictum fuisse a DEO: *Pœnitet me fecisse Hominem &c.* Et postea subjungit verba laudata: *In solo autem sibi Unigenito &c.* Unde concludit: *Sancta itaque animalia vocem super firmamentum audiant*; (hoc est vocem illam Patris in Jordane, Matth. 3. 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui) *& pertimescant: quia si solus sine Peccato est, in ejus innocentia aspiciunt, in quantis ipsa quotidie delinquunt, quæ necesse est, ut incessanter defleant.* Et hæc quoque Personalia sunt Peccata, in quæ etsi levissima, ipsi quoque Sancti Homines, (excepta tamen ipsorum Regina) dum hìc vivunt, aliquoties incurrunt.

TESTIMONIUM VI.

Clerus Romanus, Sede Vacante, A. Dñi DCXL.

Et primum quidem Blasphemia, & Stultiloquium est, dicere: esse Hominem sine Peccato: quod omnino non potest, nisi Unus Mediator DEI, & Hominum, Homo CHRISTUS JESUS (1. Tim. 2. 5.) *qui sine Peccato est conceptus, & partus. Nam cæteri Homines cum Peccato Originali nascentes, testimonium prævaricationis Adæ, etiam sine Peccato Actuali existentes, portare noscuntur, secundùm Prophetam dicentem:* (Psal. 50. 7.) Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea. *(e)*

22. SUb hoc titulo, descriptum Testimonium objiciunt Launojus, & Lampridius. *(f)* Vere tamen Epistola citata, nec a Clero Romano, nec

(c) *Cap.* 24. *pag.* 191.
(d) *Cap.* 1. *lib.* 1. *in librum* 1. *Regum col.* 9. *par.* 2. *tom.* 3.
(e) *In epistola ad Episcopos Scotiæ, apud Bedam, lib.* 2. *Hist. Eccl. Gent. Anglorum cap.* 19. *col.* 69. *tom.* 3. *edit. Basil. an.* 1563. *& tom.* 6. *Concilior. col.* 1509.
(f) Laun. *Præscrip.* 9. *pag.* 18. Lampr. *cap.* 24. *pag.* 192.

nec ejus nomine scripta fuit, sed a quatuor Romanæ Ecclesiæ præcipuis Ministris, inter quos erat Johannes Diaconus, qui paulo post fuit Johannes Papa IV. & tunc erat electus, sed nondum inauguratus, quòd ea tempestate expectaretur consensus, & confirmatio Imperatoris. Errat quoque Launojus dupliciter, dum ait, Epistolam illam missam fuisse ad Angliæ Episcopos, & sede vacante post mortem Honorii. Inscripta namque fuit Episcopis, Præsbyteris, & Abbatibus Scotis; & post mortem Severini, qui Honorio successerat; ut notissimum est, & in ipsa Epistola significatur. Huic Epistolæ certum annum non assignat Lampridius, sed 639. vel 640. Si diligentiam Criticorum propriam adhibuisset, anno 640. eam attigere potuisset. Lege *Synopsim Chronicam* P. Jacobi Sirmondi ad collectanea Anastasii Bibliothecarii, *(g)* & Conatum *Chronico-Historicum* P. Danielis Papebrochii ad catalogum Romanorum Pontificum. *(h)*

23. Ad Testimonium respondeo: Si ita intelligendum esset, ut ipsam quoque B. Virginem comprehendat; jam, Clero Romano auctore, Blasphemia, & Stultiloquium foret, dicere, fuisse B. Virginem sine Peccato cum Actuali, tum Originali: & huic Blasphemiæ, & Stultiloquio jugiter velificati essent tot Supremi Ecclesiæ Rectores; qui, ipso approbante Concilio Tridentino, eam assertionem nedum ab omni penitus erroris nota vindicarunt, verum etiam tamquam Piam, Ecclesiæ multifariam commendarunt. Quis hæc ferat audire? Et tamen Launojus, & Lampridius inconsiderate dixerunt, ex isto Testimonio *certissime colligi Traditionem Romanæ Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ.*

24. Ne ergo vel enormis calumnia quatuor illis Romanæ Ecclesiæ Primoribus, vel tam horrendum probrum tot Summis Pontificibus, & Tridentinæ Synodo inferatur; necessario dicendum est, sermonem ibi esse de immunitate a Peccato, quam sibi vendicet Homo suapte naturali conditione, & ex vi suæ conceptionis, ac nativitatis; ut volebant Pelagiani, ad quos reprimendos posterior pars illius Epistolæ intenta erat.

Testimonium VII.

Johannes Papa IV. exeunte A. Dñi DCXLI.

Natus est ergo secundus Adam, nullum habens nascendo, vel cum Hominibus conversando Peccatum. Etenim Verbum Caro factum, in similitudine Carnis Peccati, omnia nostra suscepit, nullum reatus initium ferens ex traduce Prævaricatoris exortum. Et infra: *Hoc omne humanum patitur genus sub Peccato constitutum: quoniam nemo mundus est ab hoc Peccato prævaricationis*, nec Infans *(sicut scriptum est)* cujus est unius diei vita super terram. *Et quemadmodum Spiritus Sanctus per David ait:* Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me Mater mea. *Sicut enim in Adam omnes peccaverunt secundùm Apostolum, ita & in Christo omnes justificabuntur: & sicut per unum Hominem Peccatores constituti sunt multi, ita & per unum Hominem Justi constituuntur multi. Ergo unus, & solus est sine Peccato Mediator DEI, & Hominum, Homo Christus Jesus, qui in mortuis liber conceptus, & natus est. (i)*

25. Objiciens hoc Testimonium, Lampridius *(k)* nostrum Jacobum Sirmondum laudat, quod *Apologiam istam primus e tenebris eripuit.* Plenius, & castigatius eum laudasset, quod primus Anastasii Bibliothecarii Collectanea, in quibus Apologia ista reperitur, in lucem edidit An. 1620. Rursus pro verbis illis Jobi: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*: Lampridius citat cap. XI. v. 16. Ibi tamen loquitur Sophar Naamathites, & nihil hujusmodi dicit. Leguntur porro verba illa, juxta versionem LXX. cap. XIV. v. 4. & 5. ubi vulgata habet: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es? Breves dies hominis sunt.* V. Pinedam in ejus loci commentario.

26. Ut objecti Testimonii sensus plane percipiatur, interest scire, in quem scopum hæc scripserit Johannes. Jactabatur apud Græcos, erga Romanam Ecclesiam male animatos, Honorium Papam in sua ad Sergium Patriarcham CP. Epistola, *(l)* Monothelitis adhæsisse, negantibus in Christo duas voluntates, unam Divinæ, alteram Humanæ Naturæ. Hanc criminationem purgaturus Johannes demonstrat, Honorium non duas illas negasse in Christo Voluntates, quas Monothelitæ negabant; sed duas, in una, eademque Humana Natura, mentis, & carnis contrarias Voluntates. Has autem in Christo non fuisse, probat: quia Christus *nullum habuit nascendo, vel cum hominibus conversando peccatum, nullumque reatus initium tulit ex traduce Prævaricatoris exortum.* Contra vero, *nos*, subdit, *qui per prævaricationem, & peccatum illius nascimur, duas contrarias habere voluntates dignoscimur, duas autem dico mentis, & carnis, invicem reluctantes, sicut docet Apostolus,* (ad Gal. 5. 17.) *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem &c.* Et tum demum ait: *Et hoc omne humanum patitur genus*, & reliqua.

27. Itaque laudatus Pontifex non minus universe astruit, Quod *omne humanum genus patitur duas illas mentis, & carnis reluctantes voluntates*; quàm, quod *Nemo mundus est ab hoc peccato prævaricationis*, hoc est, ab Originali

(g) *Pag. 465. tom. 3. Collect. ejus Oper. edit.* Parif. an. 1696.
(h) *Priori parte, ad* Johannem IV. *pag. 99. cum præcedentibus*, in Propilæo ad Acta Sanctor. Maji *edit.* Antuerp. an. 1685.
(i) *In Apologia pro* Honorio Papa *ad* Constantinum Imperat. Heraclii Filium. *Extat in Collectaneis* Anastasii Bibliothecarii Sedis Apost. *tom. 3. Collect. Operum* Sirmondi *col. 475. & seq. & tom. 12. Bibl. M. VV. PP. pag. 835. & tom. 6. Concilior. col.* 1511.
(k) *Cap. 24. pag. 192.*
(l) *Extat tom. 7. Concilior. a col. 959.*

nali Peccato. Cum ergo B. Virginem ab ea prima universali sententia excipere oporteat; cur & ab hac secunda universali sententia eandem excipere, integrum non erit? Accedit, quod si universalis hæc de Peccato Originali locutio ipsam quoque DEI Genitricem involveret; Johannes nedum ejus Conceptionem, verum etiam Nativitatem Originali Peccato subjiceret. Siquidem Nativitatem ex utero sonant, & illa Scripturæ verba, quæ ipse laudat: *Nec infans, cujus est unius diei vita super terram*: *Et in delictis peperit me mater mea.* Et quod inde infert: *Ergo unus, & solus est sine peccato conceptus, & natus.*

TESTIMONIUM VIII.

Innocentius Papa III. ab A. Dñi MCXCVIII.

Statim autem Spiritus Sanctus supervenit in eam, Prius quidem in eam venerat, cum in utero Matris Animam ejus ab Originali Peccato mundavit. Sed & nunc supervenit in eam, ut Carnem ejus a fomite Peccati mundaret, quatenus esset sine ruga prorsus, & macula. (m) Et alibi: *Johannes fuit conceptus in culpa. Solus autem Christus fuit sine culpa conceptus: uterque vero natus in gratia: & ideo utriusque Nativitas colitur, sed solius Christi Conceptio celebratur.* (n) Et iterum alibi: *Illa* (scilicet Eva) *fuit sine culpa producta, sed produxit in culpam. Hæc autem* (scilicet MARIA) *fuit in culpa producta, sed sine culpa produxit.* (o).

28. TRia hæc, ex Innocentii III. sermonibus excerpta, proferunt Launojus, & Lampridius. (*p*) At Bandellus (*q*) solum sermonem Purificationis citat nomine Innocentii III. sermonem vero de Assumptione, qui inter cæteros Innocentii III. sermones reperitur, tribuit Innocentio II. non alia ratione, nisi ut Innocentios, sibi geminaret. Innocentius II. nullos, quos sciant eruditi, sermones scripsit, sed tantum Epistolas quasdam, quæ extant in Collectione Conciliorum; (*r*) & commentarium in Canticum Canticorum, quod in Bibliotheca Monasterii S. Galli manuscriptum asservari, refert Possevinus. (*s*)

29. Illos ipsos Innocentii III. sermones, ex apocryphis bibliothecis erutos esse, censet Johan. Baptista Poza. (*t*) Fr. Petrus de Alva, & Theophilus Raynaudus (*u*) ajunt, sermones illos a Johanne Lothario Canonico Regulari, (qualis erat ante Pontificatum) non autem ab Innocentio III. Papa fuisse declamatos. Sed sint revera sermones isti ab Innocentio III. descripti, vel prolati; eos certe non ut Summus Pontifex, & Pastor Universæ Ecclesiæ, sed ut Doctor, & Ecclesiastes privatus scripsit, aut dixit.

30. Cæterum I. Sententia intelligi commode potest de emundatione, quæ impediat, non quæ diluat maculam, ut sæpe dictum est; cum præsertim idem Innocentius ibidem B. Virgini dicat: *Ave, quia per te mutabitur nomen Evæ. Illa fuit plena peccato, sed tu plena gratia: illa recessit a Deo, sed Dominus tecum: illa fuit maledicta in mulieribus, sed benedicta tu in mulieribus &c.* Quæ antitheses male cohærent cum eo, quod B. Virgo parentalis culpæ particeps fuit.

31. II. Sententia verissima est in hoc sensu, quod solus Christus ex se, & ex vi suæ Conceptionis fuit ab omni culpa immunis; ut similes Patrum locutiones alibi declaravimus. Sed & hoc loco Innocentius Piæ Sententiæ favet, dum ideo solius Christi Conceptionem celebrari, dicit, quia solus Christus fuit sine culpa conceptus. Jam enim Ecclesia non solius Christi, sed & Beatæ Virginis Conceptionem celebrat. Immo, si germanum est decretum Ecclesiæ Gallicanæ, quod affert Laurentius Bochellus; (*x*) de mandato ipsius Innocentii III. celebrata tunc est in Gallia B. Mariæ Virginis Conceptio.

32. III. Sententia exponi potest vel de culpa, quam secum ferre solet libido generantium; vel de culpa tantum in radice, seu in debito, fundato in ipsa naturali generatione. Quam expositionem suadent quæ ibidem etiam adjiciuntur: *Illa dicta est Eva, huic dictum est, Ave; quia per hanc mutatum est nomen Evæ.* Ave, *inquit*, gratia plena, Dominus tecum, *quasi diceret: Illa fuit plena peccato, sed tu plena gratia. Illa fuit maledicta in Mulieribus, sed benedicta tu in mulieribus &c.*

33. Post Innocentium III. allegat Bandellus ejus successorem Honorium III. cujus duo Testimonia producit ex sermonibus de Purificatione, & de Assumptione. Sed piget illa discutere, quandoquidem sermones isti nusquam gentium apparent; nullusque Scriptorum Ecclesiasticorum Nomenclator, Sermones Honorio III. attribuit. *V.* Caveum *pag.* 624. & Oudinum a *col.* 37. *tomi* 3. de Scriptoribus Ecclesiast.

TESTI-

(m) *Serm. de Purificat. B.V.M. pag.* 107. *suor. Oper. edit.* Coloniensis an. 1573.
(n) *Serm. de S. Joh. Baptista, pag.* 122. *ibidem.*
(o) *Serm.* 2. *de Assumpt. B.V. pag.* 151. *ibidem.*
(p) Laun. *Præscript.* 9. *pag.* 18. Lamp. *cap.* 24. *pag.* 200.
(q) *Cap.* 18. *fol.* 20. *pag.* 1.
(r) *Tom.* 12. *a col.* 1409.
(s) *In Apparatu, tom.* 2. *pag.* 100. *V.* Innocentius II.
(t) *In Elucidario Deipara lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 6.
(u) Alva *in Sole Veritatis, verit.* 149. *pag.* 506. Raynaud. *de Retinendo Tit. Immac. Concept.* §. 10. *n.* 40. *pag.* 323. *tom.* 7.
(x) *In Collect. Decretor. Gallic. Eccles. edit.* Paris. an. 1621 *Tit.* 9. *cap.* 13.

Testimonium IX.

Johannes Papa XXII. ab A. Dni MCCCXVI.

vel

Benedictus Papa XII. ab A. Dñi MCCCXXXIV.

Primo ergo videndum est de Transitu ejus. Transiit enim primo de statu Originalis Culpæ, ad statum Gratiæ: Secundo de statu Filiationis, ad maternalem honorem: Tertio de statu Miseriæ, ad statum Gloriæ.

34. Hoc biceps Testimonium producit Launojus, (y) citans sermonem primum *de Assumptione*, ex Mss. sermonibus, quos ait, extare in Bibliotheca Mazarinæa: sed ne forte mendacii argueretur, alibi (z) dicit, eos sermones *esse*, *vel fuisse in Bibliotheca Mazarinæa*. Ast quo jure Launojus, istius tam ancipitis, tamque incomperti Testimonii fidem a nobis exposcit, qui suo argumento negante fretus, illam adeo exploratam Tridentini Declarationem recipere noluit?

35. Casimirus Oudinus, agens de Johanne XXII. (a) refert, extare in Regia Galliarum Bibliotheca, Codice 4163. Mss. Sermones Johannis Papæ XXII. *reportatos per Fr. Raymundum Procuratorem Ord. Minor.* & simul monet, *de ingenuitate, & sinceritate hujus operis dubium sibi non modicum esse, nec multam hujusmodi Reportatoribus fidem dare, prudentis judicii esse.* Rursus idem Oudinus, (b) & Henricus Warthonus, (c) loquentes de Benedicto XII. ferunt, inter opera hujus Pontificis recenseri *Sermones super omnes anni Festivitates, qui extare dicuntur manu cripti in Bibliotheca Vaticana.* Hos certe Mss. Sermones non legit Launojus, qui Vaticanam Bibliothecam non nominat: sed neque illos; secus non dixisset indeterminate, esse Johannis, vel Benedicti; & esse, vel fuisse in Bibliotheca Mazarinæa.

36. Ad hæc, idem ipse Johannes XXII. in Diplomate certe suo, (d) quo adeuntibus templum B. Virginis in Nemausensi agro Galliæ Narbonensis positum, indulgentias elargitur; Immaculatum Dei Genitricis Conceptum non obscurare insinuat. *Talis*, inquit, *Partus Virgini congruebat, ut non pareret, nisi DEUM: & talem sibi* condere *Matrem, conveniebat Altissimo, qualem suam decere sciebat ineffabilem Majestatem, suisque noverat affectibus placituram, ut immaculatus ex Virgine Immaculata procederet, omnium maculas purgaturus &c.*

37. Demum, cujuscumque fuerit illa sententia, nil ingerit difficultatis. *Transiisse namque de statu Originalis Culpæ ad statum Gratiæ*, rectissime dicitur B. Virgo Maria, tametsi nunquam in ea fuerit Culpa Originalis; eo quòd hæc esset futura, nisi Gratia prævenisset. Quemadmodum, juxta Angelicum Doctorem, (e) si Mundus fuisset ab æterno, adhuc ex nihilo transiisse diceretur: *non quòd in aliquo tempore nihil fuerit, sed quòd natura ejus est talis, quod esset nihil, si sibi relinqueretur.*

Testimonium X.

Clemens Papa VI. ab A. Dñi MCCCXLII.

Utrum contraxerit in forma Peccatum Originale, aut Virtute Divina fuerit præservata; sunt penes Doctores opiniones diversæ. Et tamen quidquid sit, quod si etiam in forma, non solum in causa, Peccatum Originale habuit, (quod adhuc de ejus Conceptione possumus valde rationabiliter sustinere) suppono tamen secundum communem opinionem, quod B. Virgo fuit in Peccato Originali, modica morulâ: quia secundum omnes, quàm primum potuit sanctificari, sanctificata est.

38. Hæc Clementis VI. verba refert Launojus ex Sermone *in Dominica prima Adventus.* Ast hic sermo nullibi excusus apparet; nec designatur a Launojo locus, ubi manuscriptus lateat. Non est ergo, cur illi credamus. Launojus, Pythagoras non est, nec ejus discipuli sumus, quibus pro ratione sit, *Ipse dixit.*

39. Refert quidem Oudinus, (f) Clementis VI. Sermones Mss. extare in Bibliotheca Caroli Mauritii Tellerii, Archiep. Remensis, Codice in fol. parvo, notato num. 22. eosque sermones se volvisse, ac tenuisse testatur. At in illius manuscripti Codicis titulo, quem exhibet, mentio nulla fit Sermonum Dominicalium. Dicuntur quoque in eo Titulo, sermones illi *facti, ordinati, & prædicati per D. Clementem P. VI. diversis temporibus sui Archiepiscopatus, Cardinalatus, ac etiam Papatus.* De reliquo, quid magnum foret, quod Clemens VI. Concionatorem agens, vel potius Fr. Petrus Rogerii, (qualis erat ante Pontificatum) ea tempestate, in qua maxime inter Fratres Prædicatores, & Minores Controversia fervebat; dixerit, videri sibi valde rationabilem Sententiam minus Piam?

40. Eundem Clementem VI. ex eodem Sermone allegat Bandellus: (g) ast longe aliam Sententiam ei appingit, & talem profecto, qualem solus Bandellus compingere poterat, videlicet:

(y) *Præscript. 9. pag. 19.*
(z) *In secunda parte ejusd. Opusc. de Concept. considerat. 2. pag. 17.*
(a) *Tom. 3. de Scriptor. Eccles. ad* an. 1320. *col.* 753.
(b) *Ibidem, ad an. 1330. col. 893.*
(c) *In Append. ad Hist. Litter.* Cave an. 1335. *pag.* 23.
(d) *Dato* Avenione 11. *Kal. Decembris: extat apud* Odoricum Raynaldum *tom.* 15. *Annal. Ecclesiast. ad an.* 1316. *num.* 22. *edit.* Rom. 1652. *absque numeris foliorum.*
(e) *Opusc. 27. de Æternitate Mundi, fol. 203. col. 2 tomi 17.*
(f) *Tom. 3. ad an. 1340. & V. Appendicem Hist. Liter.* Cave *ad* an. 1342. *pag.* 29.
(g) *Cap. 18. fol. 20. pag. 2.*

licet: „ Conceptio Virginis non fuit Sancta, „ quia fuit in Originali Peccato concepta, ut „ patet per multas auctoritates Sanctorum, ideo „ non est sub festivitate celebranda. Dico enim „ hoc unum verum esse, & clarum, quod B. „ Virgo contraxit in sui Conceptione Originale „ Peccatum. Causa autem, & ratio est, quia „ fuit ex libidine .... concepta, & ideo Originale Peccatum in sui Conceptione contraxit, „ quod non habuit filius &c. Beata igitur Virgo fuit sub Peccato Originali per modicam morulam. „

41. Accedit, quod Johannes de Bacone, gravissimus Theologus Ord. Carmelit. qui tempore Clementis VI. maxime claruit, testatum reliquit: (*h*) „ Publica, & diuturna consuetudine celebratum est Festum Conceptionis B. V. Mariæ in Curia Romana, etiam cum Venerabili „ Congregatione Dominorum Cardinalium, „ cum Solemni Missa, & Sermone singulis annis, in domo Fratrum Ord. B. Mariæ de „ Carmelo. Et hæc duraverunt tempore multorum Romanorum Pontificum, usque in præsens tempus. Et constat, quod tamquam diuturnam, & notoriam solemnizationem, ipsius „ (*corr.* ipsis,) in Curia præsentibus, servatam „ bene notaverunt Domini nostri Summi Pontifices, & Sedes Apostolica. „ Idem quoque testatur ejusdem Ordinis, Theologus Parisiensis, Franciscus Martini, qui sub idem tempus claruit, & ex tali festo Piam Sententiam confirmat. (*i*) Inter eos autem Pontifices, præter Clementem VI. recenseri etiam debent Johannes XXII.& Benedictus XII.quos Launoius Piæ Sententiæ adversos exhibet. Nam Sedes Apostolica a Clemente V. usque ad Gregorium XI. Avenione permansit.

Testimonium XI.

Bonifacius Papa IX. ab A. Dñi MCCCLXXXIX.

Benignitas Conditoris, humanam creaturam collapsam fore primi Parentis lapsu considerans; ut eam a mortis nexibus liberaret, voluit Verbum suum carnem nostræ mortalitatis assumere, ut tandem mortem nostram moriendo destrueret: damnationis sententiam, simul & maculam, quam per Reatum primi Hominis universa Generis Humani posteritas incurrisse noscebatur, clementi Bonitate aboleret &c.

42. HOc Testimonium sic citatur a Bandello: (*k*) *Idem tenet Bonifacius III. in privilegio Visitationis B. Virginis &c. Floruit anno Domini* 1383. In qua citatione quot verba, tot pene errores. Non fuit Bonifacius III. sed IX. qui non Privilegium Visitationis, sed Constitutionem de celebratione festi Visitationis edidit, qua promulgavit, & confirmavit institutionem ejusdem festi, factam ab Urbano VI. Nec iste Bonifacius erat Pontifex anno 1383. Verba etiam ipsa a Bandello relata, mirum quantum discrepant a verbis Bonifacii! Legat, & conferat, qui volet. Hoc tantùm Lectori meo observandum propono, verbum illud, *Universa*, quod in omni Bullario (*l*) deest, a Bandello dolose adjunctum alteri verbo *Posteritas*. Nimirum alio pacto Bonifacius pro maculato Deiparæ conceptu, ne in speciem quidem, citari potuisset: qui cæteroquin in eadem Constitutione, iis B. Virginem laudibus cumulat, quæ cum Originali turpitudine pugnare videntur. *In hoc*, inquit, *fæcunditatis loco, Virgo Regia, venustissima a Domino conservata, Flos sanctitatis, Vas cælestis Gratiæ mundissimum; omnium virtutum floribus redimita &c.*

Testimonium XII.

Sacra Congregatio Cardinalium Sancti Officii, A. Dñi MDCXLIV.

Quando agitur de tribuendo Titulo Immaculatæ, Conceptioni Beatæ Virginis, nullo modo permittatur, sed solum dicatur: Conceptio Immaculatæ Viginis.

43. DEcretum istud editum fuisse perhibetur sub Urbano VIII. in Congregatione generali Universalis Inquisitionis, habitæ in conventu S. Mariæ super Minervam, die vigesima Januarii anno 1644. Sed non nisi post tres annos, tempore Innocentii X. divulgatum est ab Adversariis; & exinde a Magistris Sacri Palatii Apostolici in Imaginibus, & Libris imprimendis, expungi cœpit titulus *Immaculatæ*, appositus *Conceptioni*; & mandari, ut is titulus soli B. Virgini apponeretur. Hujusmodi decretum a Nostris pro Commentitio, aut saltem subreptitio habetur; cum ob alias causas, videndas in controversia Historica de Conceptione B. Virginis, descripta a P. Thoma Strozzi; (*m*) tum quia nec ejus archetypum usquam apparuit, nec exemplar authenticum exhibitum hactenus fuit. Mihi satis est, ostendere, Sedem Apostolicam non modo prætentum decretum non approbasse, aut confirmasse (quod non diffitentur Adversarii) verum etiam eidem subinde restitisse.

44. Alexander VII. ut primum anno 1655. Pontificatum iniit, a P. Nicolao Zucchi Soc. Jesu interpellatus, confestim mandavit, ut titulus IMMACULATÆ CONCEPTIONIS, Romæ Typis imprimeretur, & evulgaretur; nullusque deinceps seu Concionatoribus, seu Editoribus ejusdem tituli

(h) *In Lib.* 4. *Sentent. dist.* 2. *quæst.* 4. *art.* 3. *pag.* 316. *col.* 1. *tom.* 2. *edit.* Cremonensis an. 1618.

(i) *Apud* Franc. Bonæspei *in lib.* Eliæ Visio *de Immac. Concept. Deiparæ disp.* 3. *dub.* 7. *Ratione* 4. *pag.* 343. *edit.* Antuerp. an. 1665. *& concordat cum MS. quod in conclavi Bibl. Collegii Romani asservatur.*

(k) *Cap.* 18. *fol.* 20. *pag.* 2.

(l) *V. Bullar. Roman. edit.* Romæ an. 1586. *pag.* 47. *tom.* 1. *& aliud ibid. editum* an. 1638. *tom.* 1. *pag.* 223. *& aliud edit.* Lugduni an. 1692. *pag.* 293. *tom.* 1. *& Bullar. novissimum edit.* Romæ an. 1741. *tom.* 3. *par.* 2. *pag.* 378.

(m) *Parte* 2. *lib.* 10. *cap.* 2. *a pag.* 524. *edit.* Panormit. an. 1700.

tituli publicandi scrupulus injiceretur. Ne vero hujus Pontificii Oraculi memoria aliquando dilaberetur, demandatum est P. Martino de Esparsa Artieda, tunc in Romano Collegio Societatis Jesu Theologiæ Professori, ut Tractatum aliquem de Conceptione DEI Genitricis conscriberet, ederetque in lucem, qui Immaculatæ Conceptionis titulum, publicis approbationibus munitum, præferret in fronte.

45. Rem totam late narrat, ejus temporis Scriptor, P. Vincentius Fassari. (*n*) Memorant quoque P. Theophilus Raynaudus, qui sub idem tempus scribebat, (*o*) & P. Hippolytus Marracius in Epistola nuncupatoria libri, cujus titulus, *Cæsares Mariani*, ad ipsummet Alexandrum VII. Extat insuper in Bibliotheca hujus nostri Collegii Panormitani, (quod pro luculento testimonio haberi debet) unum ex illis exemplaribus laudati Tractatus, quæ eodem anno 1655. Romæ prodierunt, impressa Typis *HH. Corbelletti*, cum facultate Vicesgerentis *M. Ananiæ Episcopi Sutrini, & Nepesini*, & approbatione M. S. Palatii : *Fr. Raymundi Capisucci Ord. Præd.* In hoc exemplari visitur titulus, intus, & foris majoribus litteris inscriptus : IMMACULATA CONCEPTIO. &c. Et finis desinens in hæc verba, similiter exarata : CONCEPTIONIS IMMACULATÆ. Refert Fr. Dominicus Lossada, (*p*) Catholicum Regem Philippum IV. occasione novæ legationis pro Pia Sententia ad eundem Alexandrum VII. per Episcopum Placentinum, Oratorem suum, Pontifici gratias egisse quàm maximas pro asserto titulo Conceptionis Immaculatæ.

46. Posterioribus temporibus varia fuit hujus tituli fortuna, nunc innovatis, nunc repressis adversariorum conatibus. Hodie vero sub Regnante Pontifice Benedicto XIV. *Immaculatæ Conceptionis* Titulus tandem triumphasse videtur; dum in ipsis Ecclesiasticis Edictis, quæ Romæ promulgantur, immo & in Sacrarum Congregationum Decretis, toti Orbi Christiano spectabilis apparet.

47. Est apud nos Decretum Sacræ Congregationis Rituum, editum die 1. Octobris An. 1740. quo, ad preces Archiepiscopi Panormitani, pro liberatione a Terræmotu, in Civitate, & Diœcesi Panormitana, singulis annis, die prima Septembris, festum *Immaculatæ Conceptionis*, cum Officio proprio, & Missa *Immaculatæ Conceptionis*, sub ritu duplici celebrari posse, benigne indulget, atque concedit. Vidimus quoque Decretum ejusd. Ss. D. N. Benedicti XIV. *In causa Valentina Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei, Nicolai Factor, Sacerdotis Professi Ord. Minor. Observantium S. Francisci* : editum die 8. Decembris An. 1743. his verbis conceptum : *Nunc autem recurrente Solemni die, IMMACULATÆ CONCEPTIONI Matris DEI Sacra, quam Servus DEI præcipuo pietatis, ac religionis cultu venerabatur &c.*

48. Post hæc scripta, oblata mihi fuerunt duo Numismata sacra, ex ære cyprio, cum facultate R. P. M. Sacri Palatii, nuper *Romæ* impressa. Quorum alterum ex una parte Imaginem exhibet Immaculatæ Conceptionis, his truncis circumscriptam verbis : *Bened. sit Pur. & Immac. Conceptio.* Alterum vero, absque imagine, eadem verba integra refert in facie : *Benedicta sit Purissima, & Immaculata Conceptio B. M. V.* Sed & infra videbimus, *Immaculatæ*, seu *Purissimæ Conceptionis* Titulum ab ipsis quoque Pontificibus, Sixto IV. Alexandro VI. Sixto V. Paulo V. & Clemente XII. in suismet Constitutionibus, vel Brevibus Apostolicis, usurpatum.

49. Et sane, quo jure, quave consequentia, *Immaculatam* DEI Genitricis *Conceptionem* nominare vetamur; quam in Officio Ecclesiastico, (*q*) per S. Pium V. instituto, *Sanctam*, semel, & iterum prædicamus? Numquid minus est, esse *Sanctam*, quàm esse *Immaculatam*? Immo quid majus est, Auctore S. Hieronymo. (*r*) „ Inter Sanctum, *inquit*, & Immaculatum hoc „ interest, quod Sanctus, & Immaculatus quo„ que intelligi potest. Immaculatus vero, non „ statim, & Sanctus. *Nempe quia*, Immaculatus „ dici potest ille, qui peccata non fecit : San„ ctus autem is, qui virtutibus plenus sit.„ Rursus, ita decernentibus Summis Pontificibus, B. Virginem absque Originalis Peccati macula conceptam fuisse, ita libere, & licite prædicare valemus, ut oppositum, ne privato quidem Sermone, prodere liceat. Et quid est aliud, B. Virginis Conceptionem Immaculatam esse, quam ipsam B. Virginem sine macula conceptam fuisse? Quænam ergo hæc est nova interdicendi ratio, ut perpetuo silentio multentur voces, quarum integrum, & planum significatum semper, & ubique liceat propalare? Scilicet solamen aliquod est Adversariis, quibus voces omnes sunt ademptæ, duas saltem voculas nobis auferri.

50. Quod autem ajunt Libellatores Romani : (*s*) vocem, *Sanctam*, utpote dictionem affirmantem, tam in primo, quam in secundo instanti verum habere posse; at vocem, *Immaculatam*, cum exprimat sanctitatem per negationem, maculam excludere pro quocunque instanti : Futile est, nam hic agitur de Conceptione ipsa, seu prima infusione Animæ in corpus, quæ unico momento absolvitur. Si ergo in eo instanti Sanctitas abest, in nullo unquam instanti Conceptio ipsa, Sancta dici potest. Plura contra istos Libellatores videri possunt apud Auctores Armamentarii Seraphici a pag. 26. Raynaudum in Dissert. de retinendo Titulo Immac. Concept. a pag. 309. To. VII. & Antonium Calderonem in lib. pro eodem Tit. qui editus est Matriti an. 1650.

ARTI-

(n) *In Trutina Theologica pro Immac. Concept. disp. 9. divisione 3. §. 11. & 13. a pag. 70. edit.* Lugdun. an. 1666.
(o) *In Pietate* Lugdun. &c. *pag. 303. tom. 8.*
(p) *Dissertat. 1. §. 1. n. 11. Discussionis Theologicæ super definibuitate pag. 7. & seqq edit.* Matrit. an. 1732.
(q) *In 8. Respons. Offic. Concept. B. V. & in fine 6. lectionis 2. diei infra Octavam.*
(r) *In cap. 1. epist. ad Ephes. col. 325. tomi 4.*
(s) *Num. 19. secundi libelli, ex duob. in defens. præsumpti Decreti Sacr. Congregat. Inquisit. oblatis; apud* P. Vincentium Fassari, *quæst. 10. super Bullam* Alexandri VII. *pag. 197. & seq.*

ARTICULUS II.

Summorum Pontificum Testimonia, a Pia Parte allegata.

SÆCULUM XV.

TESTIMONIUM I.

Sixtus Papa IV. ab A. Dñi MCCCCLXXI.

PRIMA CONSTITUTIO,

Edita III. Kal. Martii, Anno 1476.

I. „ CUM præcelsa Meritorum insignia, quibus Regina Cœlorum, Virgo DEI Genitrix Gloriosa, sedibus prælata æthereis, syderibus quasi Stella Matutina perrutilat; devotæ considerationis indagine perscrutamur; & intra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa, utpote Via Misericordiæ, & Mater Gratiæ, & Pietatis, Amica Humani Generis, Consolatrix pro salute Fidelium, qui delictorum onere gravantur; sedula Oratrix, & pervigil, ad Regem, quem genuit, intercedit: dignum, quin potius debitum reputamus, universos Christifideles, ut Omnipotenti DEO (cujus Providentia ejusdem Virginis Humilitatem ab æterno respiciens pro reconcilianda suo Auctori Humana Natura, lapsu primi Hominis æternæ morti obnoxia; Eam sui Unigeniti Habitaculum, Sancti Spiritus præparatione constituit, ex qua Carnem nostræ mortalitatis pro Redemptione Populi sui assumeret, & Immaculata Virgo nihilominus post Partum remaneret;) de ipsius Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & instituta propterea in DEI Ecclesia, Missas, & alia Divina Officia dicant, & illis intersint; indulgentiis, & peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant Virginis meritis, & intercessione divinæ Gratiæ aptiores. „

II. „ Hac igitur consideratione inducti, ejusdem Omnipotentis DEI, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Auctoritate Apostolica, hac in perpetuum valitura Constitutione statuimus, & ordinamus, quod omnes, & singuli Christifideles utriusque sexus, qui Missam, & Officium Conceptionis ejusdem Virginis Gloriosæ, juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem dilecti Filii Magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis Notarii nostri, & quæ desuper a Nobis emanavit, Missæ, & Officii hujusmodi institutionem, in die Festivitatis conceptionis ejusdem Virginis MARIÆ, & per Octavas ejus, devote celebraverint, & dixerint, aut illis Horis Canonicis interfuerint; quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur, quam juxta felicis recordationis Urbani IV. in Concilio Viennensi approbatas, ac Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, consequuntur illi, qui Missam, & Horas Canonicas, in Festo Corporis, & Sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI, a primis Vesperis, & per illius Octavas, juxta Romanæ Ecclesiæ Constitutionem celebrant, dicunt, aut Missæ Officio, & Horis hujusmodi intersunt; præsentibus, perpetuis temporibus valituris. „ (t)

OBSERVATIONES.

51. A Sixto IV. Summorum Pontificum, Piæ Sententiæ faventium, seriem exordimur; non quòd Antecessores Pontifices ab hac sententia alieni fuerint, aut Immaculatæ Conceptionis cultum ignoraverint; hoc enim supra refutavimus: sed quia primus Sixtus multis præeuntibus Doctissimorum Virorum coram se disputationibus, (u) Apostolicis Constitutionibus, (quas solas hìc attendimus) Immaculatæ Conceptionis Cultum firmum, ratumque fecit in universa Ecclesia; Piamque Sententiam ab omni censura vindicavit, & sartam tectam esse decrevit. Dignus plane, cujus hac de re Constitutiones ipsum Oecumenicum Concilium Tridentinum innovaverit, & confirmaverit; quemque in Immaculata DEI Genitricis Conceptione tuenda, ejusque Cultu mirifice amplificando, successores Pontifices mira consensione sint secuti.

52. In hac igitur prima sua Constitutione, ad promovendum, & consecrandum Immacul. Conceptionis Cultum, tria præstitit Sixtus. Primum est, Conceptionis Festum Apostol. Auctoritate solemniter instituere. Etsi namque Festum Conceptionis jam olim in Ecclesia, etiam Romana, frequentabatur, & non multo ante a Basileensi Concilio institutum fuerat; nondum tamen erat indubiâ, & authenticâ S. R. Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ auctoritate firmatum.

53. Et hoc est, quod tribus ab inde sæculis postulabat, & desiderabat Petrus Cellensis, de hoc Festo contendens cum Nicolao Monacho S. Albani in Anglia: (x) *Utinam*, ajebat, *salva veritatis auctores*

(t) *Extat hac Constit. in corpore Juris, in VI. Decretal. Li. III. Extravag. Commun. Tit. de Reliq. & Vener. Sanctor. cap. I.*

(u) *Ex antiquis Ordinis Seraphici Monumentis tradunt Auctores Armamentarii Seraph. art. 2. col. 56.*

(x) *Lib. 6. Epistolar. epist. 23. pag. 879. tomi 23. Bibl. M. VV. PP.*

auctoritate, lance communis Consilii, hac Domina, & Moderatrix Totius Orbis Christiani, Conceptionem Virginis librasset, & approbasset; a mari usque ad mare hanc propagasset, Sole, idest Apostolico, & Luna, idest Curia Romana praeeunte. Et Johannes Baconius, insignis Theologus, Ordin. Carmel. jam ante annos centum, & triginta, argumentis ex Universitatum determinatione, & ex diuturna Curiae Romanae consuetudine ductis, ostenderat, *Gratissimum fore DEO, & Sacrosanctae Romanae Ecclesiae laudabili consuetudini consonum, hoc Festum generaliter statuere per totam Ecclesiam celebrandum.* (y)

54. Alterum, quod praestitit Sixtus, est, eidem Conceptionis Festo Missam, & Officium, propria, & peculiaria designare. Quae licet a Leonardo Nogarolis ordinata fuerint, ab ipso tamen Sixto institutionem accepere. *Juxta piam*, inquit, *devotam & laudabilem ordinationem dilecti filii M. Leonardi Nogarolis... & quae desuper a nobis emanavit Missae, & Officii hujusmodi Institutionem.* Hac Institutione voluit Sixtus significare Fidelibus, objectum Festi Conceptionis, quod Universae Ecclesiae celebrandum proponebat, esse ipsam DEI Genitricis Immaculatam Conceptionem, ejusque ab Originali Peccato Praeservationem; quas officium istud ubique protestatur; ut vidimus Actione III. *num.* 204. *& seq.*

55. Bandellus, (z) quae de Praeservatione in hoc Officio recitantur, ad Sanctificationem post contractum peccatum, pertrahere conatus est. Sed frustra id esse ratus, *Altare contra Altare faciens*, (a) huic Officio de Immaculata B. Virginis Conceptione, suum opposuit Officium de Maculata B. Virginis Conceptione, sub titulo Sanctificationis, ex vitiatis Patrum Sententiis confectum: (b) in quo nil aliud fere auditur, quàm contractum a B. Virgine Originale Peccatum; ut in probrum potius, quam in laudem Virginis Officium illud compositum esse videatur.

56. Aliud Immaculatae Conceptionis proprium, & expressum Officium, a Piissimo Fr. Bernardino de Busto sibi oblatum, approbavit Sixtus, datis ad eum hujuscemodi litteris Apostolicis, die quarta Octobris anno 1480. „ Dilecte „ fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem. „ Libenter ad ea concedenda inducimur, quae „ devotionis respiciunt incrementum. Tuis igi„ tur in hac parte supplicationibus inclinati, ut „ Officium Conceptionis B. V. MARIAE, per te „ compilatum, & ordinatum, tu, & omnes, „ qui id voluerint, pro devotione sua dicere, & „ recitare libere, & licite possitis, & valeatis, „ seu possint, ac valeant; tenore praesentium con„ cedimus, & indulgemus. „ (c) In gratiam Pii Lectoris, unam ejus orationem exhibemus: *DEUS, qui Immaculatam Virginem, ut digna Filii tui Mater existeret, ab omni labe peccati in Conceptione praeservasti; tribue quaesumus, ut qui ejus Innocentiae puritatem veraciter credimus; ipsam pro nobis apud te semper intercedere sentiamus.*

57. Tertio denique Sixtus, ut ad Festum illud solemniùs frequentandum, eaque divina Officia devotiùs celebranda, universos invitaret, & alliceret Fideles; uberem indulgentiam, & peccatorum remissionem proposuit in premium iis, qui in die Festivitatis Conceptionis, & per octavas ipsius, praefata Officia dixerint, aut eis interfuerint. Eandem indulgentiam, ad preces Commissarii Ordinis Minorum, concessit Sixtus recitantibus alterum Officium Bernardini de Busto, a se approbatum.

58. Narrat quoque Judocus Clichtoveus, (d) sua aetate, Sixtum IV. „ non modicam indulsis„ se, Apostolica Auctoritate, peccatorum rela„ xationem, & veniam omnibus, ad Sacratis„ simae V. MARIAE laudem, Angelicae Saluta„ tioni hanc subnectentibus continuo particu„ lam: & *Benedicta sit Sancta Anna, Mater* „ *tua, de qua sine macula, tua processit caro Vir*„ *ginea*, „ Hoc argumentum ex indulgentiis petitum laudat Alexander VII. in sua Constitutione, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum* inferius referenda. Et sane si hunc Ecclesiae Thesaurum Summus Pontifex, CHRISTI Oeconomus, non qualibet de causa dispensare valet; multo minus ob protestationem, & cultum rei falsae, dilapidare potest.

SECUNDA SIXTI CONSTITUTIO,

Edita anno 1482.

I. „ GRave nimis gerimus, & molestum, cùm „ sinistra Nobis de quibusvis Ecclesiasti„ cis Personis referuntur: sed in eorum, qui ad „ praedicandum Verbum DEI sunt deputati, ex„ cessibus praedicando commissis, eò gravius „ provocamur, quò illi periculosius remanent in„ correcti; cum facile deleri nequeant, qui mul„ torum cordibus, sic publice praedicando, dif„ fusius, & damnabilius imprimuntur errores. „ Sane, sicut accepimus, nonnulli diverso„ rum Ordinum Professores ad praedicandum „ Verbum DEI in diversis Civitatibus, & locis, „ partibus Lombardiae deputati, non ignari, quod „ Sancta Romana Ecclesia, de Intemeratae, „ semperque Virginis Gloriosae MARIAE Con„ ceptione Festum celebrat, & speciale, ac pro„ prium Officium ordinavit; in eorum praedi„ cationibus ad Populum, publice affirma„ re hactenus non erubuerunt, & quotidie „ praedicare non cessant, stante Populi multi„ tudine,

(z) *Parte 2. ad rat. 11: a fol. 35.*
(a) *Sunt verba D. August. in Psalmo contra Partem* Donati, *initio T. 9.*
(b) *Impressum est ejusmodi Officium* Venetiis, an. 1546. *Describitur in Regesto authentico, & universali a col. 211. & vide col. 244. & seq. ubi illae Patrum Sententiae discutiuntur.*
(c) *Extat istud Officium, unà cum iis litteris, sub finem primae Partis Marialis ejusd.* Bernard. de Busto *a fol. 43. & in Regesto Authent. & Universali a col. 71.*
(d) *Lib. 1. de Purit. Concept. B. M. V. cap. 16. fol. 22. pag. 2.*

„ tudine, omnes illos, qui tenent, & affirmant „ eandem Gloriosam DEI Genitricem MARIAM, absque Peccati Originalis macula „ fuisse conceptam, Hæreticos esse; & ipsam „ Romanam Ecclesiam, solam spiritualem Conceptionem, seu Sanctificationem ejusdem Virginis MARIÆ celebrare; ac hujusmodi eorum „ prædicationibus non contenti, confectos super his suis assertionibus libros in publicum „ ediderunt: ex quorum prædicationibus, „ & assertionibus hujusmodi non levia scandala, in partibus illis, in mentibus Christifidelium, sunt exorta, & majora exoriri formidantur in dies.

II. „ Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, & „ perversis, a veritate penitus alienis assertionibus, & scandalis, quæ exinde in DEI „ Ecclesia exoriri possent, quantum Nobis ex „ alto conceditur, obviare volentes; motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ „ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione; hujusmodi assertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, „ qui affirmare præsumerent, eandem Sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali duntaxat Conceptione, & Sanctificatione ejusdem Virginis Gloriosæ Festum celebrare; & „ eos qui crederent, & tenerent, eandem „ DEI Genitricem ab Originalis Peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, „ propterea alicujus Hæresis labe pollutus fore; „ utpote falsas, & erroneas, ac a veritate alienas, editosque desuper libros prædictos, „ id continentes, Auctoritate Apostolica, „ præsentium tenore reprobamus, & damnamus: ac motu proprio, & auctoritate prædictis statuimus, quod Prædicatores Verbi „ DEI, & quicumque alii cujuscumque gradus, ordinis, & conditionis fuerint, qui de „ cætero ausu temerario præsumpserint in eorum „ prædicationibus ad Populum, seu aliàs quomodolibet affirmare, hujusmodi per nos sic „ reprobatas, & damnatas assertiones, & opiniones, veras esse, aut dictos libros pro veris „ legere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam, & æternæ maledictionis „ pœnam eo ipso incurrant; a qua ab alio, „ quam a Romano Pontifice, & illius proprio „ ore, expressâ causâ hujusmodi, propter quam „ censuras prædictas incurrerint, (nisi in mortis articulo constituti) nequeunt absolutionis „ beneficium obtinere. Non obstantibus Constitutionibus &c.

III. „ Pari damnationi, & censuræ subjicientes il„ los, qui prædicare, docere, aut aliàs verbo, „ vel scriptura affirmare præsumerent, hæreticum fore, credere, eandem Virginem Gloriosam a Peccati Originalis macula præservatam non fuisse. Et ne de præmissis aliqui „ valeant ignorantiam allegare, volumus &c. „ Nulli ergo Hominum liceat &c. (e)

OBSERVATIONES.

59. QUod hæc Sixti IV. Constitutio Extravagantibus communibus non sit inserta, sicut inserta est Prima illa, quam retulimus, & Tertia, quam infra referemus; mirum non est, cum non omnes Sixti IV. Constitutiones ibi sint repositæ. Nec etiam mirum videri debet, quod in nullo ex Bullariis Romanis, hactenus editis, Constitutio hæc reperiatur. Ejusmodi namque Bullaria, diversis temporibus edita, etsi alia aliis locupletiora, non omnes omnium Summorum Pontificum Constitutiones exhibent. Qua de causa Carolus Cocquelines novissimum, & locupletissimum Bullarium adornare, & edere aggressus est Romæ anno 1739. monens in præfatione, nullam antehac fuisse editionem, quæ valde imperfecta, & Bullarum varietate manca non sit. Idem adnotatum velim pro nonnullis aliis Pontificiis Constitutionibus, inferius allegandis, quas in consuetis Bullariis non est invenire.

60. Esse vero germanam, & legitimam hanc Sixti IV. Constitutionem, prudenter dubitari non potest. Nam Fr. Emmanuel Rodericus Ord. Minor. in sua Collectione Privilegiorum Regularium eam exhibet, tamquam erutam ex authenticis monumentis Ordinis Minorum *folio* 4. primæ impressionis, & *folio* 117. secundæ impressionis, Concessione 257. (*f*) Eandem inseruit Johannes Baptista Confectius, Protonotarius Apostolicus, in sua Collectione Privilegiorum Sacrorum Ordinum; in cujus Collectionis approbationem, post factam diligentem Collationem cum locis authenticis, ab Offredo Offredio, Clementis VIII. & Sanctæ Sedis Apostolicæ, apud magnum Etruriæ Ducem, cum potestate Legati a latere Nuntio, litteras testimoniales obtinuit, *ad effectum, ut omnibus, & singulis privilegiis, indultis, & decretis, in eadem collectione impressis, plena, & indubia fides ubique in judicio, & extra, etiam in foro conscientiæ, adhiberi possit, & adhibeatur*. Insuper Pelbartus Osualdus, qui eodem tempore scribebat, testatur, (*g*) se vidisse tenorem Bullæ Sixti IV. editæ *Anno Domini* 1482. *per quam Apostolica Auctoritate reprobat, & damnat assertiones, & opiniones dicentium, quod Ecclesia non Conceptionem, sed Sanctificationem Virginis celebrat*, &c. Vide etiam P. Vincentium Fassari in sua Trutina Theologica, ubi (*h*) hanc secundam Sixti IV. Constitutionem legitimam esse, pluribus argumentis ostendit.

61. Hujus Constitutionis condendæ hæc fuit occasio, & necessitas. Postquam Sixtus IV. edidit primam illam Constitutionem, qua Festum Conceptionis instituit; nonnulli Piæ Senten-

(e) *Extat pag.* 162. *in nova Collectione Privilegiorum Regularium, a* Fr. Emmanuele Roderico *edita* Turnon. an. 1609. *Et in Collectione Privilegiorum Sacrorum Ordinum, compilata a* Johanne Baptista Confectio, *pag.* 83. *quartæ impressionis* Venetæ, an. 1610. *& V. pag.* 252. *ubi litteræ hujus Collectionis approbatoriæ referuntur.*

(f) *Notat hoc* Rodericus *tom.* 1. *quæst. Regularium, quæst.* 57. *art.* 1. *in margine.*

(g) *L.* 4. *Stellar. par.* 2. *ar.* 3. *f.* 90. *col.* 3.

(h) *Opusc.* 2. *disput.* 4. §. 5. *a pag.* 54. *& in Appendice; quæst.* 6. *a pag.* 168.

tiæ audaciores Adversarii, in Longobardia degentes, ut eam Constitutionem eluderent, confinxerunt, ab ipsa Romana Ecclesia solam B. Virginis spiritualem Conceptionem, seu Sanctificationem celebrari; ac propterea non destiterunt, Pios Immaculatæ Conceptionis Assertores, & Cultores, hæresis labe infectos esse, verbis, & scriptis conclamare.

62. Horum agmen duxisse videtur Vincentius Bandellus a Castro Novo: ut colligitur ex Disputatione, quam habuit Ferrariæ Anno 1481. coram Hercule Estensi, Ferrariæ Duce; & eodem anno (i) edidit Bononiæ, Typis Hugonis de Rugeriis, de Regio, sub hoc titulo: *Tractatus de singulari puritate, & prærogativa Conceptionis Christi.* Etenim in hoc Tractatu Bandellus, parte prima, pluribus in locis (k) insinuat, sententiam de Præservatione B. Virginis ab Originali Peccato, esse *contra Fidem*, *Erroneam*, *Hæreticam*, *Impiam*; *item peccare*, *& hæreticos esse* appellandos, qui eam sustineant, vel asserant. Et parte secunda, ad rationem XI. desumptam ex indulgentia a Sixto IV. concessa recitantibus Conceptionis Officium; respondet (l) festivitatem, & indulgentiam istam intelligendam esse de sola Conceptione Spirituali, seu Sanctificatione, quæ fuerit posteriùs tempore ad naturalem Conceptionem.

63. In Laudata igitur Constitutione, Summus Pontifex Sixtus omnes hujuscemodi Assertiones Auctoritate Apostolica reprobat, ac damnat, utpote *Falsas*, *Erroneas*, *& a Veritate alienas*; & similiter damnat, ac reprobat Libros, eas continentes: statuitque, ut qui de cætero ausu temerario præsumpserint affirmare, illas sic reprobatas, & damnatas assertiones, & opiniones, veras esse, & dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere; excommunicationis sententiam, & æternæ maledictionis pœnam, Sedi Apostolicæ reservatam, eo ipso incurrant. Et valde notanda est causa, quam huic damnationi præponit Pontifex: *Non ignari*, inquit, *quod Sancta Romana Ecclesia de Intemerata, semperque Virginis Gloriosæ Mariæ Conceptione Festum celebrat, & speciale, ac proprium officium ordinavit; in eorum prædicationibus ad populum, publice affirmare hactenus non erubuerunt &c.* Qua ratione ostendit, ex ipsamet Festi, & Officii Conceptionis institutione liquere, Naturalem Gloriosæ Virginis Conceptionem, tamquam Sanctam, & Immaculatam, a Romana Ecclesia celebrari; atque adeo errare, cum eos, qui de sola Sanctificatione Festum Ecclesiasticum interpretantur; tum etiam illos, qui Hæreticam, aut erroneam censent, de Sancta, & Immaculata ejusdem Virginis Conceptione Sententiam.

64. Ecce per hanc Sixti IV. Constitutionem, (sicut & per sequentem, in qua eadem fere damnatio continetur) Auctoritate Apostolica proscriptum Vincentii Bandelli Tractatum, in quo Assertiones illæ continentur. Atque ita censuit Paulus V. qui ab Episcopo Carthaginensi, Catholici Regis Oratore, rogatus, ut Bandelli libros proscriptos declararet; *satis, superque prohibitos esse*, respondit, *per Constitutionem Sixti*, Grave nimis, *propter hos libellos factam*, &c. *nec ulteriori*, *nec celebriori indigere condemnatione.* (m) Et ecce rursus a Sixto IV. luculenter declaratum objectum Festi Conceptionis, quod, Romanam secuta, Universa frequentat Ecclesia. Quamquam ob Adversariorum effugia, & cavillationes, oportuit, a Gregor. XV. & Alex. VII. iterum, iterumque declarari; ut mox videbimus.

TERTIA SIXTI CONSTITUTIO,

Edita prid. Nonas Septemb. Anno 1483.

I. „ GRave nimis gerimus, & molestum, cùm „ sinistra Nobis, de quibusvis Ecclesiasticis Personis referuntur: sed in eorum, qui „ ad prædicandum Verbum DEI sunt deputati, „ excessibus, prædicando commissis, eò gravius „ provocamur, quò illi periculosius remanent „ incorrecti; cum facile deleri nequeant, qui „ multorum cordibus, sic publice prædicando, diffusius, & damnabilius imprimuntur „ errores.

II. „ Sane cum Sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperque Virginis MARIÆ Conceptione publice Festum solemniter celebret, „ & speciale, ac proprium super hoc Officium „ ordinaverit: nonnulli, ut accepimus, diversorum ordinum Prædicatores, in suis sermonibus ad Populum, publice per diversas civitates, & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, „ omnes illos, qui tenent, aut asserunt, „ eandem Gloriosam, & Immaculatam DEI „ Genitricem absque Originalis Peccati macula „ fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse „ hæreticos; ejusdem IMMACULATÆ „ CONCEPTIONIS Officium celebrantes, „ audientesque sermones illorum, qui Eam sine „ hujusmodi Macula conceptam esse affirmant, „ peccare graviter. Sed & præfatis prædicationibus non contenti, confectos super his suis „ Assertionibus libros in publicum ediderunt: „ ex quorum Assertionibus, & Prædicationibus non levia scandala in mentibus Fidelium exorta sunt, & majora merito exoriri „ formidantur in dies.

III. „ Nos igitur hujusmodi temerariis ausibus, ac „ perversis Assertionibus, ac scandalosis, quæ „ exinde in DEI Ecclesia exoriri possunt; „ (quantum Nobis ex alto conceditur) obviare „ volentes; motu proprio non ad alicujus Nobis „ super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de „ nostra mera deliberatione, & certa scientia; „ hujusmodi Assertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos, qui crederent, aut „ tene-

(i) *Ut refert* Jacobus Echardus *tom. 2. de Scriptor. Ord. Prædic. pag. 2.*

(k) *Cap. 9. fol. 10. pag. 2. & a cap. 34. fol. 51. usque ad cap. 38. fol. 53. & cap. 41. fol. 55. pag. 1. edit.* Mediola. an. 1512. *quæ est apud nos.*

(l) *Fol. 63. pag. 1.*

(m) *Refert* Lucas Waddingus *in descrip. Legat.* Philippi III. *&* IV. *ad* Paulum V. *&* Greg. XV. *in contin. Histor. post orat. 5. ad* Paulum V. *pag. 148. edit.* Lovani an. 1624.

„ tenerent, eandem DEI Genitricem ab Originalis Peccati macula in sua Conceptione „ præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, „ aut Officium Conceptionis celebrantes, seu „ hujusmodi sermones audientes alicujus Peccati reatum incurrere; utpote falsas, & erroneas, & a veritate penitus alienas, editosque desuper libros prædictos id continentes, quoad hoc, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium reprobamus, & damnamus. Ac motu, scientia, & auctoritate „ prædictis statuimus, & ordinamus, quod „ Prædicatores Verbi DEI, & quicumque alii „ cujuscunque gradus, aut ordinis, aut conditionis fuerint, qui de cætero ausu temerario præsumpserint, in eorum sermonibus ad „ Populum, seu alias quomodolibet affirmare, „ hujusmodi sic per Nos improbatas, & damnatas propositiones, veras esse, aut dictos „ libros pro veris legere, tenere, vel habere, „ postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso „ incurrant; a qua, ab alio, quam a Romano Pontifice, (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere.

IV. „ Item motu, scientia, & auctoritate similibus, simili pœnæ, ac censuræ subjicientes „ eos, qui ausi fuerint asserere, contrariam „ opinionem tenentes, videlicet Gloriosam „ V. MARIAM cum Originali Peccato fuisse „ conceptam, hæresis crimen, vel peccatum „ incurrere mortale; cum nondum sit a Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum. „ Non obstantibus &c. (n)

OBSERVATIONES.

65. HÆC Constitutio in aliquibus differt a præcedenti, in aliis convenit. Differt primo, quod illa tendat adversus Prædicatores, *in diversis Civitatibus, & locis, partibus Lombardiæ deputatos*: hæc vero adversus omnes generatim, qui *in suis sermonibus ad populum, publice per diversas Civitates, & Terras affirmare hactenus non erubuerint* &c. Differt secundo, quod in illa expresse damnatur Assertio dicentium, *Romanam Ecclesiam solam Spiritualem Conceptionem, seu Sanctificationem Virginis Mariæ celebrare.* In hac expresse damnatur Assertio dicentium, *Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere.* Nam & hoc ajebat Bandellus cap. 41. fol. 55. pag. 1.

66. Convenit autem hæc Constitutio cum præcedenti, quod in utraque Summus Pontifex Sixtus, Auctoritate Apostolica, reprobat, & damnat, *utpote falsam, & erroneam, & a veritate penitus alienam*, capitalem Assertionem Adversariorum affirmantium: *Eos, qui crederent, aut tenerent, DEI Genitricem ab Originalis Peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare:* atque adeo affirmantium, Præservationis sententiam, hæresim esse, vel materiam continere peccati mortalis. Huic damnationi præivisse videtur Academia Parisiensis, cùm an. MCCCLXXXVII. propositiones aliquot Johan. de Montesono, in quibus eadem Pia Sententia dicebatur, *esse contra Fidem, & contra Sacram Scripturam*; damnavit, *tanquam falsas, scandalosas, piarum aurium offensivas, & præsumptuose assertas.* Quæ damnatio ab Episcopo Parisiensi approbata est; & postea a quatuor Theologiæ Magistris Avenionem missis, apud Clementem in sua obedientia Papam VII. feliciter asserta: uti refert, præter alios, Natalis Alexander. (o)

67. Ex damnatione istius Assertionis deducimus, definitum esse a S. Sede Apostolica, tamquam certum, certitudine saltem Conclusionis Theologicæ propria, quod sententia docens, DEI Genitricem ab Originalis Peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse; non sit hæresis, nec materiam contineat peccati mortalis: quandoquidem a S. Sede Apostolica damnatum est, tamquam falsum, & erroneum, & a veritate penitus alienum, quod eadem sententia sit hæresis, vel materiam contineat peccati mortalis. Est enim regula infallibilis apud Theologos, damnationem unius propositionis, proportione servata, esse definitionem alterius contradicentis. Quare sicut hoc ipso, quod Ecclesia damnat propositionem aliquam tamquam hæreticam; alteram contradicentem definit, tamquam de Fide: ita hoc ipso, quod Ecclesia damnat aliquam propositionem tanquam erroneam; alteram contradicentem definit, tamquam Conclusionem Theologicam, cui Error opponitur. Atque hinc ulterius inferimus cum Card. Bellarmino, (p) contingere non posse, quod aliquando Sedes Apostolica vel damnet tamquam Hæreticam, Piam Sententiam, vel definiat Contrariam, tamquam de Fide.

68. Porro S. Sedis Apostolicæ Judicium in ferendis censuris propositionum, ad Fidem, & ad Mores spectantium, non esse errori obnoxium, non solum quando declarat, propositionem aliquam esse hæreticam, verum etiam quando declarat, esse erroneam, vel scandalosam &c. adeo constans est apud Theologos, ut oppositum censeat Hæreticum Johannes Malderus Episcopus Antuerpiensis, cui adhæret Ægidius Coninck; (q) simpliciter Erroneum, Gregorius de Valentia; (r) Erroneum, vel saltem Errori proximum, Dominicus Bannes, & Johannes Cardinalis De Lugo. (s)

(n) *Extat hæc Constitut. lib. 3. cit. Extravag. Com. de Reliq. & Vener. Sanctor. cap. 2.*

(o) *Tomo 7. Hist. Eccles. cap. 3. art. 23. a pag. 129.*

(p) *In voto, quod protulit in Gener. Congregat. S. Inquisit. pro Immac. B. Virgin. Concept. die ult. Augusti an. 1617. cujus Voti exemplar extat apud nos.*

(q) Malderus *in 2. 2. quæst. 11. de Hæresi, art. 2. membro 5. pag. 148. edit.* Antuerp. an. *1616.* Koninck *de Actibus supernaturalib. de Fide disp. 18. dubio 8. nu. 134. pag. 281. edit.* Lugdun. an. *1623.*

(r) *Tom. 3. Commen. Theolog. disp. & quæst. 1. puncto 7. §. 41. col. 230.*

(s) Bannes *in 2. 2. quæst. 11. art. 2. versus finem, in 2. conclusione, fol. 555. edit.* Venetæ an. 1602. De Lugo *de Virtu. Fidei Divinæ, disp. 20. sect. 3. num. 100. pag. 557. edit.* Lugdun. an. *1656.*

69. Ratio generalis est: quia Pastorem suum, ex cathedra loquentem semper tenetur audire Ecclesia, nempe, cùm de rebus, ad fidem, & mores spectantibus, ab eo publice instituitur. Si ergo Pontifex in iis aliquando erraret, tota in errorem induceretur Ecclesia: quod est impossibile, cum ipsa sit *Columna, & Firmamentum Veritatis.* (1. Tim. 3. 15.) Ratio specialis pro Censura propositionis erroneæ, est: quia cum propositio erronea sit opposita conclusioni evidenter deductæ ex principiis Fidei; si Pontifex erraret in ferenda hac censura, erraret aliquo modo circa ipsam Fidei veritatem.

70. At, inquies, etiam idem Sixtus, in eadem Constitutione, simili pœnæ, & censuræ subjicit eos, qui ausi fuerint asserere, *Contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum Originali Peccato fuisse conceptam; hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale.* Respondeo, sermonem hic esse, non de Censura Theologica, cadente in ipsam Assertionem, quæ damnetur, *utpote falsa, erronea, & a veritate aliena*, sicuti damnatur Assertio Adversariorum; sed de Censura Ecclesiastica, cadente in ejus Assertores, hoc est de pœna excommunicationis, de qua pœna proxime loquutus fuerat Pontifex, ubi ait: *Excommunicationis sententiam eo ipso incurrant &c.* Vetuit ergo Sixtus sub pœna excommunicationis tam nobis, quàm Adversariis, ne hæresis notam alterutri sententiæ inuramus: sed nostram sententiam specialiter definivit, ac declaravit, non esse hæreticam; quod de contraria sententia non declaravit, nec definivit.

71. Id ipsum ostendit diversa ratio, qua utitur Pontifex ad diversum judicium, de una, ac de altera sententia ferendum. Ratio, quam præfert Pontifex, damnaturus illas Adversariorum assertiones, est: *Cum Sancta Romana Ecclesia de Intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione publice festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc Officium ordinaverit.* Et hinc recte sequitur, assertiones illas esse *falsas, & erroneas, & a veritate penitus alienas.* Quia proculdubio falsum, erroneum, & a veritate penitus alienum est, asserere, Sanctam Romanam Ecclesiam Hæresi adstipulari, dum Festo, & Officio peculiari colit tamquam Sanctam, & ab Originali Peccato Immunem DEI Genitricis Conceptionem. (Et ecce tertio tacite declaratum a Sixto objectum Festi Conceptionis.) Ratio autem, quam subjungit Pontifex, cùm nobis vetat, ne hæresis crimen, vel peccatum mortale contrariam opinionem tenentibus, adscribamus, est: *Cum nondum sit a Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum*: decisum, inquam, quod contraria opinio sit hæretica, vel materia peccati mortalis. Hinc vero solum infertur, nos merito, ac jure inhiberi, ne istas notas, seu censuras contrariæ opinioni inuramus: quis enim nos constituit Judices in hoc Religionis negotio?

72. Putant aliqui, solam hanc Sixti IV. tertiam Constitutionem, a Concilio Tridentino sess. v. in decreto *de Peccato Originali*, innovatam, & confirmatam fuisse, de qua signanter loquitur Paulus V. in Constitutione, *Regis Pacifici*, inferius referenda. Verum cum Tridentinum expresse pronuntiet in numero multitudinis: *sed observandas esse Constitutiones felicis Record. Sixti IV. sub pœnis in eis contentis*: dicendum videtur, quod etiam secunda Sixti Constitutio, in qua & pœnæ continentur, sit a Tridentino confirmata: non enim est præsumendum, quod in Decretis fidei Concilium figurate loquatur. Imo Primam quoque Sixti IV. Constitutionem, in qua agitur de Festo, a Tridentino confirmatam esse, testatur Ambrosius Catharinus, qui tunc erat unus ex Patribus Concilii; (t) & non obscure indicat Alexander VII. in Constit. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, ubi loquens de Fidelium pietate, Conceptionis Festum solemni ritu colentium, subjungit: *Crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas a fel. Record. Sixto IV. Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit.*

TESTIMONIUM II.

Innocentius Papa VIII. ab A. Dñi MCCCCLXXXIV.

CONSTITUTIO,

Edita prid. Kal. Maji Anno 1489.

Inter innumera, Divinæ Majestati accepta opera, fundare Cœnobia, ac religiosa loca, in quibus prudentes Virgines, acceptis lampadibus, se præparent obviam ire Sponso Christo Jesu, ac gratum, & sedulum illi exhibeant famulatum, non modicum reputantes &c. (u)

73. PER hanc Constitutionem Papa Innocentius, adnitente Elisabetha Castellæ, & Legionis Regina, approbavit, & confirmavit Religiosarum Virginum Ordinem, a nobili Virgine Lusitana, Beatrice de Sylva, in Civitate Toletana, erectum in honorem, & sub invocatione Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ: eisque præscripsit, ut per totum annum, diebus non impeditis, horas majores, & Divinum Officium de Conceptione B. Virginis persolverent; diebus vero impeditis, horas minores, & Officium Parvum de eadem Conceptione recitarent.

74. Hujus Bullæ, & Institutionis Pontificiæ plurimi meminerunt, inter quos Henricus Spondanus, (x) & Natalis Alexander. (y) Hunc etiam Ordinem Conceptionis, inter cæteros S. Francisci

(t) *In disput. pro Veritate Immacul. Concept. B. V. ad S. Synod. Triden. par. 2. col. 95. edit.* Rom. an. 1551.

(u) *Extat in Regesto Authent. & Universali, a col.* 113.

(x) *Tomo 2. Continuat. Annal.* Card. Baronii, *ad num.* 1484. *num.* 9.

(y) *Tomo 8. Hist. Eccles. Sæculo 15. & 16. cap. 1. ar. 10. n. 1. pag. 25. col. 2.*

ſci approbatos Ordines, recenſet Clemens VII. in Bulla, *Dum conſideramus*, edita anno 1526. quæ in Bullario Cherubini eſt decima nona Clementis VII. Conſtitutio. Laudatæ Bullæ Archetypum ſervari fertur in primo earundem Virginum Cœnobio Toletano. De hoc Archetypo, Raynaudus, (z) ex Antonio Vaſconcello, & Hilarione a Coſta refert, quod, cum in mari, nave, quæ illud deferebat, ſubmerſa, per duos menſes jacuiſſet, ad preces dictæ Beatricis de Sylva, in ipſius ſcrinio, non ſine Angelorum miniſterio, eſt repertum.

75. Porro Religiones, & Confraternitates ſub titulo, & clientela Conceptionis B. Virginis inſtitutas, atque a S. Sede Apoſtolica approbatas, & confirmatas, Sanctæ, & Immaculatæ ejuſdem B. Virginis Conceptioni teſtimonium reddere; aperte ſignificavit Alexander VII. in ſua laudata Conſtitutione, dum ait: *Aucta rurſus, & propagata fuit Pietas hæc, & Cultus erga Deiparam, poſt erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Religioſum Ordinem, & Confraternitates.* Sane cùm Pontifex Religionem aliquam, hoc eſt certum aliquod vitæ inſtitutum approbat, plane aſſeverat, inſtitutum illud profanum non eſſe, ſed Evangelicæ potius perfectioni omnino conſentaneum: in quo quidem judicio Pontifex nullo modo errare poteſt. Deciperetur enim tunc Eccleſia tota non parum, ſi is Hominum Ordo, eaque Religio a Pontifice commendaretur, ut ſancta; quæ ſancta non eſſet, ſed profana potius, ac perperam inſtituta; ut optime ponderat Gregorius de Valentia. (a) Eſſet vero perperam inſtituta Religio ſub titulo, & clientela Conceptionis Marianæ, ſi ea Conceptio, Sancta non fuiſſet, ſed Originali infecta Peccato; eſſet enim inſtituta ſub titulo nedum profano, ſed turpi.

Testimonium III.

Alexander Papa VI. ab A. Dñi MCCCCXCII.

CONSTITUTIO,

Edita VIII. Kal. Martii Anno 1502.

Illius, qui ſe pro Dominici Gregis ſalvatione in pretium immolari non abnuit, vices quoque immeriti gerentes in terris &c. Dudum ſiquidem a felicis record. Sixto Papa IV. Prædeceſſore noſtro litteræ emanarunt, tenoris ſubſequentis: Grave nimis gerimus &c. (b)

76. HAC Conſtitutione, Alexander innovavit, & confirmavit Sixti IV. Conſtitutionem, *Grave nimis*, & ſub iiſdem pœnis, ac cenſuris inviolabiliter obſervari mandavit. Cujus confirmationis occaſio fuit, quod nonnulli, ut præfatur, *varias opiniones circa contenta in ipſis eiſdem litteris*, (Sixti IV.) *contra eorum tenorem in medium proponere, & quidam unum, alii vero reliquum affirmare non erubeſcant; ex quibus in populo variæ opiniones imprimuntur, & ſcandala non modica generantur.* De hac Conſtitutione dubitare non licet, quippe quam laudat Gregorius XV. in ſuo Decreto pro Conceptione B. Virginis, edito anno 1622. de quo infra.

77. De Alexandro VI. refert Ludovicus Morerus in ſuo Dictionario Hiſtorico, (c) quod anno 1501. Ordinis Conceptionis Moniales ab Ordinariorum juriſdictione exemit, & ſub regimine Fratrum Minorum collocavit. Hoc certe confirmavit Julius II. in Conſtitutione jam referenda, hanc exhibens rationem: quia Fratres illi *tam indefeſſo ſtudio, & vigilantia, Puritatis, & Innocentiæ DEI Genitricis defenſores exiſtunt.*

SÆCULUM XVI.

Testimonium IV.

Julius Papa II. ab A. Dñi MDIII.

CONSTITUTIO,

Edita XV. Kal. Octobr. Anno 1511.

Ad ſtatum proſperum, & felicem Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium, ac Perſonarum, præſertim fœminei ſexus, in illis, ſub ſuavi Religionis jugo, & perpetua clauſura, Altiſſimo famulantium, ſalubriter dirigendum, prout ex Apoſtolicæ Servitutis Officio Nobis incumbit, ſollicite intendentes &c. Sane pro parte dilectarum in Chriſto Filiarum, modernæ Abbatiſſæ, & Conventus Monaſterii Monialium, ſub invocatione Conceptionis B. Mariæ Virginis Toletanæ &c. (d)

78. PER hanc Conſtitutionem Julius II. Ordini Religioſarum Virginum, ſub titulo Conceptionis B. V.; quem Innocentius VIII. approbaverat, ſpecialem Regulam, ac vivendi formam, duodecim capitulis comprehenſam, perpetuo obſervandam tradit. Atque permittit, ut „ Liceat ipſis tempore Interdicti, ordinaria „ auctoritate ſuppoſiti, in eodem Monaſterio „ Miſſas, & alia Divina Officia, etiam apertis „ januis, & patefactis, in Feſto Conceptionis ejuſdem B. Mariæ V. dumtaxat Perſonis „ excommunicatis excluſis, etiam alta voce, „ per earum proprium, vel alium Sacerdotem „ idoneum; in quarumcumque Perſonarum „ præſentia celebrari facere, ac Euchariſtiam, „ & alia Sacramenta Eccleſiaſtica recipere „ poſſe. „

79. Poſſeſſionis formula, quæ in ea Regula Sacris

(z) *In Diptychis Marianis pag.* 136. *to.* 7.
(a) *Loco cit. col.* 230. *tomi* 3.
(b) *Extat in Regeſto Authent. cit. a col.* 117.
(c) *V.* Conceptio, *pag.* 273. *col.* 1. *tom.* 3. *edit.* Baſileenſ.
(d) *Extat in Regeſto cit. a col.* 124. *una cum præfata Regula, quæ ipſi Conſtitutioni eſt inſerta. Et V. Auctores, ibi citatos.*

Sacris Virginibus proponitur, est: *Ego Soror N. ob amorem, & servitium Domini, & Immaculatæ Conceptionis ejusdem Genitricis, voveo, & promitto Deo, & B. Virgini, & B. Francisco, &c.* Habitus iisdem præscribitur albi coloris, *quatenus candor hujus indumenti exterior, virgineæ puritatis mentis, & corporis testimonium prætendat.* Pallium vero hyacinthini coloris, *propter mysticam significationem, quod Gloriosæ Virginis Anima a creatione sua, tota facta fuit cælestis, & singularis Regis Æterni thalamus.* Indicitur quoque *Officium Conceptionis*, recitandum *omnibus Festis simplicibus, & Dominicis non primo ponendis.*

80. Istius Constitutionis meminit Leo X. in sua Constitutione, ad eumdem Ordinem spectante; quam mox referemus. Ejus Archetypum servari dicitur in Cœnobio Virginum Conceptionis Toletano; exemplar vero authenticum extat in Cœnobio Matritensi, sicut & in Monumentis Ordinis Minorum *fol.* 21.

TESTIMONIUM V.

Leo Papa X. ab A. Dñi MDXIII.

PRIMA CONSTITUTIO,

Edita XI. Kal. Junii, Anno 1515.

Ad ea, quæ circa decorem Religionis, & Personarum quarumlibet, tam Virorum, quàm Mulierum, sub suavi Religionis jugo, Altissimo famulantium, statum salubriter dirigendum, tendere noscuntur; paterna sollicitudine prospicientes &c. (e)

81. IN hac Constitutione Summus Pontifex Leo duas Sacrarum Virginum Familias, & Regulas, alteram a B. Johanna Regina, Biturigum Duce, sub titulo *de Annuntiatione* in Gallia institutam, & ab Alexandro VI. & Julio II. approbatam; & alteram, a prænominata Beatrice de Sylva, sub titulo *de Conceptione*, in Hispania erectam, & ab Innocentio VIII. & Julio II. approbatam; in unum Ordinem, & sub una, eademque Regula, noviter disposita, redegit, & adunavit. In hac autem regula, ipsis litteris Apostolicis inserta, Capite, *Maria Virgo devotissima*, Sororibus præscribitur, ut *Officium faciant, secundùm Ordinarium Romanum, semel in hebdomada de Conceptione Matris Jesu, nisi occurrat Festum solemne &c. Singulis autem diebus, quibus non fit de Beata, fiat de ipsa commemoratio diu, noctuque, exceptis Festis, & Octavis Domini Sabbaot.*

SECUNDA LEONIS CONSTITUTIO,

Edita die XXII. Maji Anno 1517.

Supra Gregem Dominicum, curæ nostræ creditum, vigilis Speculatoris exercentes officium, ad ea libenter intendimus, quæ ad Omnipotentis DEI laudem, & gloriam, ac ejus Genitricis Gloriosæ Virginis Mariæ honorem, & reverentiam, Fideliumque Animarum salutem, & eorum spiritualem consolationem cedere dignoscuntur. Cum itaque fel. Recor. Sixtus Papa IV. &c. (f)

82. HAC Constitutione Leo X. ne Fideles in Hispania defraudentur indulgentiis, quas Sixtus IV. elargitus est celebrantibus, vel audientibus, in Festo Conceptionis, & per ejus Octavas, *Missam, & Officium Festi Conceptionis B. Mariæ Virginis, juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem cujusdam Leonardi de Nogarolis &c.* concedit, ut „ Tempore Interdicti, quavis auctoritate, & ex quibusvis causis pro tempore appositi, in quibusvis Hispaniæ Ecclesiis, & locis, a primis Vesperis Festi Conceptionis, usque ad illius totalem Octavam inclusive, Missa, & alia Divina Officia, apertis januis, & pulsatis campanis, atque alta voce, Excommunicatis dumtaxat, & nominatim Interdictis expulsis, celebrari; & singuli CHRISTI Fideles præfati, non excommunicati, nec nominatim Interdicti, ad Missas, & alia Officia Divina audienda, ac Indulgentiam, & peccatorum remissionem hujusmodi consequendam, admitti libere, & licite possint. Non obstantibus Constitutionibus, &c. „

83. Hujus Constitutionis Authographum, teste Fr. Emmanuele Roderico loco cit. asservatur in Conventu S. Francisci Salmanticensi, & exemplar authenticum extat in supplemento Privilegiorum Ord. Minor. *fol.* 23. Eandem Constitutionem allegat Cl.V. Didacus Covarruvias, Episcopus Segobiensis. (*g*)

TERTIA LEONIS CONSTITUTIO,

Edita die 18. Febr. Anno 1518.

Pia Christi Fidelium, & præsertim in IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. MARIÆ Virginis, Redemptoris nostri, & humanæ salutis Auctoris, Domini nostri JESU CHRISTI Genitricis honorem, tendentia vota, ad exauditionis Gratiam libenter admittimus, & favoribus prosequimur opportunis. Cum itaque &c. (h)

84. Per

(e) *Extat ex Authographo descripta, in nova Bibliotheca Manuscriptor. a* P. Philippo Labbe *edita* Paris. an. 1657. *a pag.* 395. *tomi* 2.

(f) *Extat in Collect. Privilegior. Regularium, compilata a* Fr. Emmanuele Roderico *pag.* 301. *& seq. edit. citatæ.*

(g) *Comment. in Cap.* Alma Mater, *de Sententia Excommunic. par.* 2. §. 5. *nu.* 2. *pag.* 471. *tomi* 1. *edit.* Venet. an. 1604.

(h) *Extat in Regesto cit. ex Archetypo descripta, col.* 1411

84. PEr hanc Constitutionem impertitur Leo Papa Beneficiatis Parochialium Ecclesiarum Oppidi Molinæ in Hispania, *Ut in Nocte ante diem festum Conceptionis B. Mariæ Virginis, post laudes, annis singulis, in Ecclesia S. Ægidii, unam Missam in cantu cum Presbytero, Diacono, & Subdiacono solemniter celebrare, libere, & licite valeant.* More scilicet consueto in nocte Natalis Domini.

85. Archetypum hujus Constitutionis extare dicitur Molinæ, quæ Seguntinæ Diœcesis Oppidum est. Hippolytus Marracius, (*i*) & P. Eusebius Nierimbergius (*k*) testantur, se vidisse, & legisse ejusdem Constitutionis authenticum exemplar; ille apud eruditissimum virum Bernardum de Toro Hispalensem, hic apud Eminentissimum Cardinalem Archiepiscop. Toletanum, quem non nominat.

TESTIMONIUM VI.

Hadrianus Papa VI. ab A. Dñi MDXXII.

CONSTITUTIO,

Edita die ult. Julii ejusdem Anni.

Romanus Pontifex, sicut Salvatore nostro JESU CHRISTO disponente, ejus in terris Vicarius esse dignoscitur; sic & ipsius actibus, in quantum sinit humana fragilitas, se conformare tenetur. Cum itaque &c. (l)

86. HAdrianus absens, & in Hispania degens, ad Summum Pontificatum inopinatò assumptus, Tarracone cum esset, Romam festinaturus, hac Constitutione Confraternitatem Toletanam, sub titulo Conceptionis B. Virginis Mariæ, a D. Francisco Ximenio S. R. E. Cardinali, & Archiepiscopo Toletano, Toleti erectam, aliisque in locis propagatam, & ubilibet quandocunque propagandam, approbavit, & confirmavit; pluribusque indulgentiis, & privilegiis locupletavit.

87. Originalis constitutio asservari fertur in Tabulario ipsius Regiæ Confraternitatis Toletanæ. P. Petrus Ojeda Soc. Jesu, (*m*) extare testatur in Bibliotheca Collegii Hispalensis S. Ermenegildi, vetustum quemdam Librum Constitutionum dictæ Confraternitatis, in quo continetur exemplar impressum laudatæ Constitutionis, manu Notarii publici firmatum; nec non Caroli V. Imperatoris Diploma in favorem Confraternitatis Immaculatæ Conceptionis, in quo hanc Confraternitatem ab Hadriano VI. confirmatam fuisse tradit.

TESTIMONIUM VII.

Paulus Papa III. ab A. Dñi MDXXXIV.

88. NUllam hujus Pontificis Constitutionem proferre possumus: sed ex aliis documentis liquet, cum Piæ Sententiæ multipliciter favisse. Nam primo sub hoc Pontifice, & ipso proculdubio approbante, ac ratum habente, conditum est a Concilio Tridentino Decretum illud de Peccato Originali, in quo ab universali dogmate, facta est Exceptio Immaculatæ DEI Genitricis, & Sixti IV. Constitutiones confirmatæ.

89. Præterea hic Pontifex approbavit Breviarium Romanum, a Francisco Quignonio Tit. S. Crucis in Jerusalem, S. R. E. Presbytero Cardinali, olim Generali Ministro Ord. Minorum, confectum, & ordinatum: ut colligitur ex Epistola nuncupatoria ejusdem Quignonii ad ipsum Paulum III. *Breviarium*, inquit, *Romanum, nuper a nobis, felic. Record. Clementis VII. Pontificis Maximi, hortatu, & mandato confectum.... tuaque voluntate, Sanctissime Pater, editum &c.* In quo Breviario, Officium Conceptionis idem habet Invitatorium, eandemque Orationem, quæ sunt in Officio Sixti IV. ut dictum est Actione III. *num.* 208. Et insuper hos versiculos: *Tota pulchra es Maria: & Macula Originalis non est in te.*

90. Fateor, in unica lectione istius Officii, (ut & in lectionibus illius alterius,) aliquot observari Patrum sententias, ipsis temere, aut falso affictas. Sed scire debet prudens Lector, Pontificia alicujus Officii Institutione, non id præstari, ut certo nobis persuadeamus, nihil in eo esse, quod a Critica, sive Historica Veritate deflectat; sed ut tuti simus, nihil in illo reperiri, quod superstitiosum, vel falsum Cultum sapiat, aut Fidei, Morumve disciplinæ adversetur.

91. Denique Emmanuel Rodericus (*n*) inter alia Pauli III. vivæ vocis Oracula, recenset Gratiam præstitam Confratribus Conceptionis B. Virginis Mariæ, ad instantiam præfati Cardinalis Quignonii: ut in festivitate Conceptionis ejusdem Virginis MARIÆ lucrentur, sub certis conditionibus, indulgentiam, remissionemque peccatorum; & eligere valeant idoneum Sacramenti Pœnitentiæ Ministrum, qui eos, exceptis excipiendis, ab omnibus delictis, & censuris absolvat, atque a votis relaxet.

TESTI-

(i) *In libro*, Pontifices Maximi Mariani, *cap.* 80. *pag.* 174.
(k) *In Parthenicis, de perpetuo objecto Festi Conceptionis, cap.* 15. *pag.* 25.
(l) *Extat in Regesto cit. a col.* 145.
(m) *In Informat. Ecclesiast. pro tutela Immacul. Concept. cap.* 9. *fol.* 23. & 26. *edit.* Hispalens. an. 1616. *pag.* 378. *edit. citatæ.*
(n) *In Collect. Privilegior. cit. num.* 14. *pag.* 378.

TESTIMONIUM VIII.

Pius Papa IV. ab Anno Dñi MDLX.

CONSTITUTIO,

Data VII. Kal. Febr. Anno 1563.

Benedictus DEUS, & Pater Domini nostri JESU CHRISTI, Pater Misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui respicere dignatus est Ecclesiam suam Sanctam, tot procellis, & tempestatibus agitatam, atque vexatam, & gravius in dies laborantem apto tandem, ei subvenit, optatoque remedio &c. (o)

92. PER hanc Constitutionem Pius, Apostolica Auctoritate confirmat omnia, & singula Concilii Tridentini Decreta, eaque ab omnibus Christifidelibus suscipienda, & servanda esse, decernit. Unde & Orthodoxam de Originali Peccato Doctrinam, non secus, ac ab eodem Concilio cum Exceptione B. Virginis declarata est, intelligendam, & suscipiendam esse constituit. Quod quanti momenti sit, jam ostendimus Actione IV. a *num.* 74.

TESTIMONIUM IX.

S. Pius Papa V. ex Ordine Prædicatorum, ab Anno MDLXVI.

PRIMA CONSTITUTIO,

Edita VII. Idus Julii Anno 1568.

Quod a nobis postulat ratio Pastoralis Officii, in eam curam incumbimus, ut omnes, quantum DEO Adjutore fieri poterit, Sacri Tridentini Concilii Decreta exequamur: ac multo id etiam impensius faciendum intelligimus, cùm ea, quæ in mores inducenda sunt, maxime DEI gloriam, ac debitum Ecclesiasticarum Personarum Officium complectuntur. Quo in genere &c. (p)

OBSERVATIONES.

93. HAC Constitutione, in Romani Breviarii Reformationem edita, S. Pium suæ Parti favisse censent Adversarii: quia suppresso proprio Conceptionis Officio, per Sixtum IV. instituto, aliud in Romano Breviario Conceptionis Officium, juxta Ritum, & Formam Nativitatis, apponi mandavit. Sed tantum abest, ut hæc mutatio Officii, Immaculatæ Conceptionis Festo aliquid detraxerit, ut potius illud ampliaverit, & illustraverit.

94. Officium proprium Conceptionis non suppressit Pius, quòd in ejus Forma, & Ritu, a Sixto IV. approbatis, aliquid reprobatione dignum invenerit. Absit a S. Pio V. tam sinistra de Sixto IV. prædecessore suo existimatio. Immo ipsemet Pius idem Officium Sacro Ordini Minorum recitandum concessit; ut constat ex antiquis Ritualibus libris ejusdem Ordinis, hunc titulum præferentibus: *Officia propria Sanctorum Ordinis Minorum, quæ SS. D. N. Pius V. Pontifex Maximus tàm pro Fratribus, quàm Monialibus, ejusdem Ordinis, viva voce concessit.* Inter quæ Officia reperitur Officium Conceptionis proprium, a Sixto IV. institutum. Et hoc eodem Officio, paucis immutatis, ex aliorum etiam Pontificum concessione, etiamnum hodie utuntur omnes Patres Franciscani. Unus ex ejusmodi libris extat in nostra Bibliotheca, impressus Venetiis apud Cieras an. 1649. Alii antiquiores designantur in Regesto, (q) ubi etiam referuntur Auctores, istam Pii V. concessionem attestantes.

95. Mutavit ergo Pius Officium proprium Conceptionis, (sicut etiam, teste Gavanto, (r) mutavit Officium proprium Visitationis B. Virginis) eo consilio, ut omnia ad pristinum morem reduceret, & conformem toti Ecclesiæ præscriberet publicarum precum rationem. Cum enim plura, & varia de Conceptione Officia circumferrentur, Leonardi Nogarolis, Bernardini de Busto, Francisci Quignonii, (de quibus supra) item Roberti Gaguini, (s) D. Anselmi putati, (t) atque alia in aliis Breviariis; ex tot Officiis peropportunum judicavit S. Pontifex Pius primævum illud seligere, & recitandum præscribere, quod Abbati Helsino cælitus præscriptum fuerat, juxta Ritum, & Formam Nativitatis. (u) Cujusmodi officii usus ante, & etiam post Sixtum IV. fuerat in Ecclesia: ut liquet ex duobus antiquis Breviariis, quæ extant in nostris Bibliothecis Tyrocinii, & Domus Professorum; uno eleganter manuscripto in charta pergamena, anno 1468. altero impresso Venetiis per Lucam Antonium Junctam anno 1535. in quibus die 8. Decembris Officium Conceptionis præscribitur, vel exhibetur, juxta ritum, & formam Nativitatis.

96. Amplificavit autem Pius in sua Romani Breviarii Reformatione Festum Conceptionis. Quia cum Sixtus IV. Conceptionis Festum duntaxat enixe commendaverit, & ad illud, per Missam, & Officium a se instituta, solemniter celebrandum, largitione indulgentiarum Fideles invitaverit; S. Pius V. Conceptionis Festum in Romano Breviario, & Ecclesiastico Kalendario stabiliter collocavit, inter alia festa, ab Ecclesia DEI universa, Divinis Officiis de præcepto celebranda.

97. Illustravit vero, quia Marianæ Conceptionis

(o) *Extat num. 73. pag. 78. tomi 2. Bullarii* Laertii Cherub.
(p) *Extat initio Romani Breviarii Reformati.*
(q) *Col. 219.*
(r) *Parte 1. tomi 2. Thesauri Sacr. Rit. sect. 7. cap. 9. auctæ edit.* Rom. an. 1738.
(s) *Extat hoc Offic. post priorem ejus Tractat. de Puritate Concept. B. M. V. qui annexus est quatuor* Jud. Clichtovei *Opusculis.*
(t) *A col. 3. Regesti.*
(u) *De hac Revelat.* V. *Act. 3. num. 56. & seqq.*

nis Cultum, Nativitatis Cultui in omnibus æquiparavit; dum quæ in Festo Nativitatis, de Nativitate ipsa; eadem in Festo Conceptionis, de ipsa Conceptione recitanda præscripsit: ut hinc intelligamus, quod sicut Ecclesia in Festo Nativitatis, non B. Virginis sanctificationem utcunque celebrat, sed ipsam ejus Nativitatem, tanquam Sanctam, & Immaculatam colit; ita & in Festo Conceptionis, non sanctificationem B. Virginis utcunque celebrat, sed ipsam ejus Conceptionem, tanquam Sanctam, & Immaculatam colit. Nam perinde unam, ac alteram, in Divino Officio *Sanctam, & Cultu dignissimam* prædicat: *Sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam Sanctam Conceptionem.* (x) Et: *Gloriosæ Virginis Mariæ Conceptionem dignissimam recolamus.* (y)

98. Quamobrem verum non est, quod scripsit Natalis Alexander: (z) *Nunc vero in Romanæ Ecclesiæ Officio, ne verbulum est, quo Immaculata B. Virginis Conceptio indicatur.* Nam, ut supra (a) observavimus cum D. Hieronymo, verbum, *Sancta*, plus exprimit, quam verbum, *Immaculata*. Sed fortasse Alexander, non alibi legit Conceptionis Officium, quàm in Breviario sui Ordinis; in quo ad Responsorium nonum, (quod in Romano Breviario est octavum) verbum illud, *Sanctam*, ibi additum verbo, *Conceptionem*, suppressum est: ut apparet in Breviario Dominicano, quod R. P. Fr. Thomæ Ripoll Magistri Generalis jussu, editum est Romæ anno 1731.

99. Longius a vero aberravit Lampridius, (b) ubi ait, quod, *Etsi contraria sententia, Decreto Apostolicæ Sedis ad fidem spectare, aliquando statueretur; adhuc illud Festum una cum suo Officio conservandum foret.* Liceret ergo tunc, Vir optime, B. Virginis Maculatam Conceptionem eodem cultu celebrare, quo ejus Immaculatam Nativitatem celebramus? Liceret, unam perinde, ac alteram, tanquam *Sanctam, & Cultu Dignissimam*, recolere, & prædicare; quantumvis una peccato infecta, altera a peccato libera fuisset? Apage tam absonam disciplinam. Alia circa hanc Officii Conceptionis mutationem, Valdesii commenta refutavimus *Actione III. a num.* 214.

100. Hìc tandem advertere juvat, cum Gravi Theologo P. Gregorio de Valentia, (c) S. Pium V. metando Officium Conceptionis, a Sixto IV. institutum, intactas reliquisse indulgentias ab eodem Sixto concessas. „ Non enim, *inquit*, putare necesse est, Indulgentias illas fuisse concessas a Sixto celebrantibus Festum secundùm illam tantummodo formulam Officii, quam ille illic proposuit, & approbavit: sed omnino videtur, illas concessisse quibuscumque celebrantibus Festum, secundùm Officii formam quamcumque, ab Ecclesia Romana pro tempore approbatam, qualis erat ea; quam ipse sibi proposuit. „

ALTERA S. PII V. CONTITUTIO,

Edita prid. Kal. Decembr. Anno 1570.

I. „ Super speculam Domini, viribus licet exiguis, constituti, Prophetæ sollicitudinem imitantes, die, noctuque, ad diversos Ecclesiæ status, nostræ mentis aciem intendimus, studiose providentes, &c.

II. „ Nos igitur, qui Prædecessorum nostrorum saluberrima Decreta pro viribus salva esse cupimus, potissimum illa, quæ a Sacro-Sancta Synodo Tridentina denuo sunt confirmata; liberam cuique facultatem relinquentes opinandi hujus Controversiæ (*de B. Virginis Conceptione*) quamlibet partem, prout vel magis Piam, vel magis probabilem esse judicaverit: Prædictorum igitur Concionatorum, aliorumque contentioni, atque temeritati, Populorumque scandalis occurrere studentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine; Statutum fel. Record. Sixti IV. Prædecessoris nostri, super ea re, quod a præfata Synodo innovatum est, (illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plene, & sufficienter expresso, & inserto habentes) Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus.

III. „ Atque, ut deinceps efficacius a cunctis observetur, perpetuo statuimus, & ordinamus, ac per Apostolica Scripta mandamus, quatenus nemo cujuscunque Ordinis, Gradus, & Conditionis, vel Dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel ubicunque promiscua Virorum, & Mulierum multitudo convenire solet, de hujus Controversiæ alterutra Parte disputare, rationibus, vel Doctorum auctoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando; vel de hac ipsa quæstione, cujusvis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat. Qui contra fecerit; suspensionis pœnam a Divinis, absque nova declaratione ipso facto incurrat, si modo fuerit in Sacris constitutus; & quocumque præterea gradu, sive dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso jure privatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obeunda, perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso etiam facto sit obnoxius: super quibus, nisi a Romano Pontifice, pro tempore existente, dispensari, sive absolvi non possit. Et nihilominus aliis pœnis, si opus fuerit, a proprio Prælato pro delicti mensura infligendis, subjiciatur, prout subjicimus.

IV. „Cæ-

(x) *In Respons. 8. post 8. lectionem, & in fine 6. lectionis secundæ diei infra octavam.*
(y) *In Antiphona ad Magnificat in primis Vesperis.*
(z) *Tomo 3. Historia Eccles. dissert. 16. Sæculi 2. §. 21. pag. 537.*
(a) *Art. 1. hujus Actionis num. 49.*
(b) *Cap. 9. pag. 60.*
(c) *Tomo 4. disput. 2. quæst. 1. puncto 2.*

IV. „ Cæterum quamdiu per Apostolicam Sedem „ altera pars definita non fuerit, oppositaque „ sententia condemnata, liceat Viris doctis, „ in publicis Academiæ Disputationibus, sive „ Generalium, aut Provincialium Capitulo- „ rum, vel ubi alias intersunt, qui rem capere „ possunt, nec scandali ulla subest occasio; „ de illa quæstione disserere, & argumentis „ utramlibet partem, vel asserere, vel impu- „ gnare, dum tamen neutra, veluti erronea „ prædicetur; serventurque illa omnia, quæ a „ dicto Sixto Prædecessore nostro statuta sunt; „ quorum singula, ut præfertur, etiam quan- „ tum ad alias pœnas, duximus innovanda, „ & innovamus per præsentes. Ut autem „ hæc nostra Constitutio, & præmissa om- „ nia, ad eorum omnium, quorum inter- „ est, notitiam congruentius pervenire pos- „ sint &c. „ (d)

OBSERVATIONES.

101. IN Proœmio hujus Constitutionis multa præfatur Pontifex adversus inconsultos Verbi DEI Præcones, temere, inutiliter, & contentiose, pro alterutra quæstionis parte ad Populum declamantes. In prima Constitutionis parte confirmans, & approbans S. Pius Constitutionem Sixti IV. a Tridentina Synodo innovatam, (quæ potissimum est illa III. *Grave nimis*) quidquid præsidii Immaculatæ Conceptioni per eam Constitutionem præstitit Sixtus, per hanc Constitutionem præstitisse censendus est Pius. Immo cum Pius protestetur, *se Prædecessorum suorum saluberrima Decreta pro viribus salva esse cupere*: duas alias ejusdem Sixti IV. Constitutiones, Piæ sententiæ valde favorabiles, tacite saltem comprobasse videtur. *Liberam*, præterea, *cuique facultatem relinquit opinandi hujus controversiæ quamlibet partem*; non prorsus absolute, sed hac veluti conditione: *Prout vel magis pium, vel magis probabile judicaverit.* Quis autem est hodie, contrariæ opinionis domestico affectu adeo abreptus, ut non perspiciat, illam magis Piam, magisque probabilem hujus controversiæ partem esse, quæ illibatum Beatissimæ Virginis conceptum astruit?

102. Prohibitio publice prædicandi Populo, vel scribendi vulgari sermone, quæ in secunda Constitutionis Parte continetur; quod ad Piam Sententiam attinet, tacite saltem revocata videtur per Posteriores Pontifices Gregorium XV. & Alexandrum VII. infra laudandos: vel certe ita intelligenda est, ut dumtaxat vetitum sit, ne in concionibus ad Populum, Contrariam Sententiam signanter, & ex instituto *refellamus*; neve in scriptis vulgari sermone editis, formales, & scholasticas hac de re *quæstiones* instituamus; ut notavit P. Suarez, (e) qui memorata ista prohibitione, subjungit: *Qua lege non prohibemur, veritatem hanc simpliciter docere, confirmare, & persuadere; sed interdicitur solum disputatio, controversia, & contentio.* Atque ita Perusii in quodam publico Judicio decisum esse, narrat P. Paulus Comitolus. (f)

103. Et sane jamdiu quotannis, recurrente Immaculatæ Conceptionis Festo, Concionantes ad Populum, ubique mysterium hoc explicare, extollere, & comprobare consueverunt, ipsis audientibus, & plaudentibus Ecclesiæ Prælatis, quorum interest, Summorum Pontificum Decreta, sarta tecta servare. Innumeri quoque sunt ex omni Ordine, etiam Prædicatorum, doctissimi, & piissimi Scriptores, qui hujus interdictionis non ignari, pro illustranda, probandaque Immaculata DEI Genitricis Conceptione, Conciones, Tractatus, Informationes, Memorialia, Libros vulgari idiomate conscripserunt, atque ediderunt, cunctis avide legentibus, & nemine Episcoporum, aut Fidei Quæsitorum prohibente. Consule Bibliothecam Realem Theologicam M. Martini Lipenii, (g) ubi hujuscemodi Scriptorum locupletissimum Syllabum invenies.

104. Quamobrem P. Andreas Mendo (h) merito queritur cum Salmanticensibus Theologis, (i) quod in se, & P. Josephum Guarnizum Societatis Jesu, (quos nominant in margine) quasi solos istius violatæ prohibitionis Reos, acriter invehantur. Sed & illud mirum, quod ipsimet, in suæ disputationis initio, (k) summopere laudant P. Petri de Ojeda ejusdem Soc. *Informationem Ecclesiasticam*, Hispanico sermone in lucem editam, anno 1616. cujus & verba magnificant. Nempe Ojeda imaginarium hoc crimen apud istos Fratres Carmelitas discalceatos omnino purgavit, quia Carmelitici Ordinis originem ad Eliam usque perduxit.

105. Ad hæc, Emmanuel Rodericus (l) censuit, hanc Pii V. Constitutionem non esse in usu, quoad pœnas impositas iis, qui in popularibus concionibus, vel ubi turba Populi adest, disputant de Immaculata Virginis Conceptione; aut iis, qui vulgari sermone de ea scribunt, asserendo propriam Sententiam, & contrariam refellendo. Ait vero, disputationem illam popularem esse indiscretam: quia tanta est his temporibus devotio erga Immaculatam Conceptionem, & hæc, tanta solemnitate, ab Universali Ecclesia celebratur, ut Fideles communiter putent, de hac re non esse Opinionem, sed Fidem.

106. Facultas disputandi in scholasticis concertationibus, quæ in tertia parte hujus Constitutionis datur, quoad Impugnationem Piæ Sententiæ, vel Assertionem qualemcumque Contrariæ

(d) *Extat num.* 114. *in Bullar. Rom.* Laertii Cherub. *tom.* 2. *a pag.* 241.
(e) *Tom.* 2. *in* 3. *partem disp.* 3. *sect.* 6. *versus finem.*
(f) *In Responsis Moralib. lib.* 6. *qu.* 40.
(g) *Tomo* 2. *V.* Mariæ Conceptio Immaculata, *a pag.* 244. *edit.* Francofurt. an. 1685.
(h) *In Statera Opinion. benignarum, dissert.* 13. *Miscellanea, quæst.* 1. §. 2. *num.* 6.
(i) *Tom.* 4. *Cursus Theologici, Tract.* 13. *disp.* 15. *dubio* 6. §. 6. *num.* 255. *pag.* 577. *col.* 2.
(k) *Num.* 5. *pag.* 493. *col.* 2.
(l) *Tom.* 1. *Quæstionum Regular. & Canonicar. quæst.* 57. *pag.* 328. *Edit. Turnon.*

trariæ Sententiæ; penitus revocata, & sublata est Adversariis per Decretum Pauli V. confirmatum, & ampliatum a Gregorio XV. & Alexandro VII. ut infra videbimus.

TESTIMONIUM X.

Gregorius Papa XIII. ab A. Dñi MDLXXII.

PRIMA CONSTITUTIO,

Edita IV. Kal. Febr. Anno 1579.

Provisionis nostræ debet provenire subsidio, ut ea, quæ a Prædecessoribus nostris emanarunt, suadente maximè Fidei Catholicæ conservatione, ubicunque ipsis opus est, producantur. Quare Nos litterarum fel. record. Pii Papæ V. Prædecessoris nostri tenorem, in ejus Registro repertum, describi, & præsentibus adnotari fecimus, qui talis est: Pius Episcopus &c. (*m*)

OBSERVATIONES.

107. HAc Constitutione Gregorius, ut dicebam, promulgavit Bullam Pii V. *Ex omnibus afflictionibus*, in qua undeoctoginta Michaelis Baji sententiæ, seu propositiones, *In rigore, & proprio verborum sensu, ab Assertoribus intento, tanquam Hæreticæ, Erroneæ, Suspectæ, Temerariæ, Scandalosæ, & in Pias aures offensionem immittentes, respective damnantur, circumscribuntur, & abolentur.* Utramque Constitutionem confirmavit Urbanus VIII. Constit. *In Eminenti*, data pridie Nonas Martii an. 1641. (*n*) Inter eas porro Sententias, seu Propositiones damnatas, septuagesima tertia erat: *Nemo præter Christum est absque Peccato Originali: hinc B. Virgo mortua est propter Peccatum, ex Adam contractum: omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum, fuerunt ultiones Peccati Actualis, vel Originalis.* Dicendum ergo est, hanc propositionem, aliqua ex istis censuris a Sede Apostolica notatam esse: id enim sonat verbum illud, *Respective.* Sed diligenter inquirere oportet, in quo sensu, vel qua parte, relata propositio damnata sit.

108. Hæc eadem propositio, cum aliis quibusdam, anno 1560. hoc est septem annis ante Bullam Pii V. a duobus Guardianis Ord. Minor. in Belgio degentibus, delata est ad sacram Facultatem Parisiensem; quæ de ea sic censuit: *Hæc propositio pro omnibus partibus est hæretica, & B. Virgini DEI Genitrici, ac Sanctis injuriosa.* Ut ex commentariis Universitatis Parisiensis referunt Johannes Launojus, (*o*) & Fr. Claudius Frassen Ord. Minor. (*p*)

109. At huic censuræ consentire non possumus. Nam prima pars confixæ propositionis, in sensu ab Assertoribus intento, sententiam contrariam exprimit de contracto a B. Virgine Originali Peccato: hanc autem sententiam hæresis damnare, Sedes Apostolica, & Tridentina Synodus vetant. Nec ipsum Concilium Basileense, cui plus æquo Parisienses deferebant; Piam Sententiam, tamquam de Fide credendam definivit; ut vidimus *Actione IV. num.* 46.

110. Natalis Alexander censet, (*q*) propositionem istam, inter alias damnandas involvi; quia scandalum potest movere, si palam propugnetur post Constitutionem Sixti IV. & Tridentinæ Synodi Exceptionem: sustineri nihilominus, & propugnari posse, *in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento*; ut evidenter ostenditur ex ipsius Pii V. Constitutione, *Super speculam.* Ait enim vero, quasdam ex illis propositionibus, in Bulla Pii V. contentis, damnari secundùm pravum sensum, cui sunt obnoxiæ, non secundùm mentem Auctorum: quia *sustineri possent in rigore, & proprio verborum sensu, ab assertoribus intento.*

111. At hoc erat vetus Bajanorum suffugium, qui verba illa: *Quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent:* commate sublato, continuabant cum sequentibus: *in rigore, & proprio verborum sensu, ab Assertoribus intento:* ut sic possent singulas impune defendere *in rigore, & proprio verborum sensu.* Quam quidem sinistram interpretationem, seu potius fraudem efficaciter revincit P. Jo. Martinez de Ripalda, disputatione prima proœmiali contra Bajanos; (*r*) & post ipsum, luculenter, & erudite P. Livinus Meyer, sub nomine Theodori Eleutherii, in Historia Controversiarum de Divinæ Gratiæ Auxiliis. (*s*)

112. R. P. Fr. Johannes de Luca, Ord. Minorum de Observantia, in Dissertatione de Immaculata B. Virginis Conceptione, (*t*) existimat, in prima illius propositionis parte, [quæ culpam originis a B. Virgine contractam affirmat] vitium esse peculiare, quod censurâ notandum fuit a Pio V. Quia, inquit » cum Piæ Sententiæ patrocinium jamdiu antea suscepisset Ecclesia; » indigna res erat, a Bajo, non in gymnasio » disputante, [quod si unum fecisset, erat ejus » ætate tolerandum] sed in vulgi frequentia palam docente, hoc pronuntiari: *Nemo præter Christum.* &c. »

113. Verum hæc expositio, [quæ non minus, quam præcedens Bajanis faveret] Bullæ verbis aperte repugnat, quibus propositiones illæ non modo prohibentur, ne in vulgus efferantur, sed simpliciter *Damnantur, circumscribuntur, abo-*

(m) *Extat apud* P. Joh. Martinez de Ripalda, *initio tomi* 3. de Ente Supernaturali, *edit.* Colon. Agrip. an. 1648.

(n) *Extat in magno Bullario Romano edit.* Lugdun. *nu.* 289. *pag.* 13. *tomi* 5.

(o) *In* 2. *par. Tract. de Conceptu B. M. post considerat.* 7. *pag.* 37.

(p) *Tom.* 9. Scoti Academici, *in præludio Divinæ Gratiæ*, §. 8. *pag.* 38. *edit.* Rom. an. 1721.

(q) *Tom.* 3. *Histor. Ecclesiast. dissert.* 16. *Sæculi* 2. §. 21. *pag.* 537.

(r) *Eodem tom.* 3. *disp.* 1. *proœmiali*, *sect.* 2. *num.* 10. & 11. *pag.* 7.

(s) *Lib.* 6. *cap.* 25. *a pag.* 710.

(t) *Num.* 30. *pagin.* 101. & *seq. edition.* Neapolitanæ ann. 1739.

lentur, deque iisdem, & similibus, posthac quoquo modo loquendi, scribendi, & disputandi facultas quibuscumque interdicitur.

114. P. Franciscus Suarez in suo locupletissimo opere de Divina Gratia, (*u*) arbitratur, *Propositionem illam non damnari propter nudam assertionem de Conceptione B. Virginis in Originali Peccato; sed propter generalem modum asserendi, omnes afflictiones, quas in hac vita B. Virgo passa est, fuisse ultiones peccati actualis, vel originalis; in hoc aquiparando Virginem cateris Sanctis, & quasi in dubium revocando, an Ipsa peccatum actuale commiserit.*

115. Fatemur utique, primam illius propositionis partem, [quæ *in sensu ab Assertoribus intento*, B. Virginem Originali Peccato subjicit;] per se non esse in laudata Constitutione damnatam; sed aliis damnatis partibus præfixam, tanquam principium, unde Bajus illas inferebat. Putamus tamen, [salvâ Ecclesiæ censurâ] damnabilibus, & damnatis propositionibus accensendas esse duas sequentes ejusdem propositionis partes, quod nimirum *B. Virgo mortua est propter peccatum, ex Adam contractum:* & quod *Ejus afflictiones in hac vita, fuerunt ultiones peccati Actualis, vel Originalis:* ac proinde ambas partes, aliqua, saltem minimâ, ex illis censuris esse notatas. Quia nulla est, vel apparens ratio, cur altera tantum pars, & non utraque sit damnata. Si enim posterior tantum pars damnanda fuit de afflictionibus B. Virginis in hac vita propter Peccatum Actuale, vel Originale; quid opus erat, priorem partem de ejusdem morte propter peccatum, ex Adam contractum, damnandis propositionibus annumerare?

116. Porro Bajus, ut statum Puræ Naturæ, hoc est statum Hominis absque Peccato, & absque Justitia Originali, omnino impossibilem astrueret; [V. proposit. 26. 55. & 68.] contendebat, neminem pati posse mortem, ullamve afflictionem in hac vita, nisi in pœnam alicujus peccati. Et quia opinationi huic potissimum obstare videbantur mors, & afflictiones B. Virginis, cui proprium, & actuale peccatum determinate appingere non audebat; idcirco, cum in præcedenti propositione aliorum Justorum afflictiones propriis, & actualibus ipsorum peccatis assignasset; in hac gemina propositione, Mortem B. Virginis, determinate in Originale Peccatum, cæteras vero afflictiones, in Actuale, vel Originale Peccatum, tanquam in propriam causam referebat. Quam Baji doctrinam generatim complexus est Paschasius Quesnellus Art. LXX. ex CI. damnatis a Clemente XI. in sua celeberrima Constitut. *Unigenitus*, edita anno 1713.

117. Jam vero ex Damnatione istius geminæ Propositionis: *B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum: ejusque afflictiones in hac vita, fuerunt ultiones Peccati Actualis, vel Originalis:* evertitur in primis argumentum, utrinque deductum ab Adversariis, ad inferendum in B. Virgine Originale Peccatum; ut ex se patet. Deinde ipsamet Contraria Sententia manet Antiquata, ut jam ostendimus.

118. Opinio Antiquata, [ut observat P. Johannes de Cardenas (*x*)] est illa, quæ licet non sit formaliter, & expresse damnata per Ecclesiam, componi tamen non potest cum aliqua ipsius Ecclesiæ nova Determinatione: indeque falsitatis arguitur, etsi olim ut probabilis admittebatur; quia verum vero non opponitur. At opinio subjiciens B. Virginem Originali Peccato, licet non sit formaliter, & expresse damnata per laudatam Constitutionem, componi tamen non potest cum ea Constitutione, qua parte damnat hanc propositionem: *B. Virgo mortua est propter Peccatum, ex Adam contractum.* Nam si semel B. Virgo, sicut & cæteri, re ipsa contraxit ex Adam Originale Peccatum, damnabile non videtur, quod B. Virgo, sicut & cæteri, mortua sit ob tale Peccatum: dicente Apostolo ad Rom. V. 12. *Per unum Hominem Peccatum in hunc Mundum intravit, & per Peccatum Mors, & ita in omnes Homines Mors pertransiit.* Non immerito igitur Sententia Contraria, post promulgationem Bullæ Pii V. factam a Gregorio XIII. Antiquata dici potest; ut ante nos eam appellavit Natalis Alexander. (*y*)

119. P. Jacobus Fontana, Clementinæ Constitutionis propugnator egregius, illum Quesnelli articulum LXX. quo ajebat: *Afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum Peccatum, vel ad purificandum Peccatorem:* hac prima, & potissima ratione, damnabilem esse demonstrat: (*z*) quia, *Nullum, a B. Virgine commissum unquam peccatum propria voluntate, ex Tridentino constat, & certissima Patrum Traditione. Impingere ei palam Originis maculam, post constitutiones, & prohibitiones gravissimas Sixti IV. Pauli V. Gregorii XV. & tandem Alexandri VII. minime licet &c. Ad quod ergo peccatum puniendum, vel quomodo ad purificandum Peccatorem, inservierunt afflictiones omnes B. Virginis?*

ALTERA GREGORII CONSTITUTIO,

Edita Nonis Januarii, Anno 1580.

Unigeniti Filii DEI &c. Vices, licet Immeriti, gerentes in terris &c. Cum itaque sicut accepimus, una pia, & devota utriusque sexus Christi Fidelium Confraternitas CONCEPTIONIS B. Mariæ Virginis, in Ecclesia Domus Ord. Minor. de Observantia nuncup. Valentinæ, canonicè instituta existat &c.

120. Hac

(u) *Par.* 1. *Prolegomeno* 6. *cap.* 2. *n.* 16. *pag.* 198.

(x) *Parte* 4. *Crisis Theologicæ dissert.* 1. *proœmiali cap.* 14. *num.* 264.

(y) *Tomo VII. Histor. Eccl. cap.* 3. *art.* 23. *scholio* 4. *pag.* 134.

(z) *In Constitut.* Unigenitus, *Theologice propugnata, ad propos.* 70. Quesnellianam, *cap.* 1. *nu.* 1. *pag.* 353. *tom.* 3. *edit.* Rom. an. 1721. *Et vide cap.* 4. *nu.* 5. *pag.* 374. *ubi* Quesnellum *cum* Bajo *consentientem exhibet, in neganda possibilitate status puræ naturæ.*

120. HAc Constitutione Gregorius dictam Confraternitatem approbavit, & confirmavit; eique plures indulgentias largitus est, consequendas nominatim in *Festo Conceptionis ejusdem B. V. Mariæ*. Hujus Bullæ archetypum servatur in archivo domus prædictæ, ex cujus exemplari, authentice transumpto, refertur in Appendice Regesti Universalis a *col.* 717.

TESTIMONIUM XI.

Sixtus Papa V. ab A. Dñi MDLXXXV.

PRIMA CONSTITUTIO,

Edita die XVIII. Octobris, Anno 1586.

Expositum Nobis nuper fuit, pro parte Dilecti Filii Francisci Gonzagæ, Ministri Generalis Ord. FF. Minor. de Observant. quod, cum quàm plura Monialium Monasteria CONCEPTIONIS B. V. MARIÆ, in Orbe Christiano ædificata reperiantur, quorum Moniales sub Regula Præfati Ordinis, ac gubernio, & administratione illius Superiorum degunt &c.

121. PEr hanc Constitutionem Sixtus omnibus ejusmodi Monialibus, atque omnibus Christi fidelibus, illorum Monasteriorum Ecclesias, in ipsius Conceptionis Festo devote visitantibus, & consuetas preces fundentibus, si eo die SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, *Indulgentiam Plenariam, & omnium peccatorum remissionem* elargitur. Extat hæc Bulla apud Emmanuelem Rodericum, Tomo II. Collectionis Privilegiorum Regularium, pag. 506.

ALTERA SIXTI CONSTITUTIO,

Edita die XXX. Maji, Anno 1588.

I. „ INeffabilia Beatæ, & Gloriosæ, semperque Virginis DEI Genitricis MARIÆ meritorum insignia, devotæ considerationis indagine perscrutantes &c. dignum profecto, seu potius debitum reputamus, ut Fidelium vota, in ipsius B. Virginis laudem, & honorem edita, ad exauditionis gratiam libenter admittamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum, S. Francisci de Observantia nuncupatorum; tam suo, quàm Fratrum dicti Ordinis nominibus, quod, cum omnes dicti Ordinis utriusque Sexus Personæ, ex ipsius Ordinis instituto, PURISSIMAM ipsius DEI Genitricis CONCEPTIONEM devotissime celebrare, ac illam condignis laudibus, & honoribus extollere, ac Fidelibus prædicare, & explanare, ipsiusque Festum maxima reverentia venerari consueverint; cupiantque, pro majori eorum spirituali consolatione, ipsius Conceptionis Officium in Choro per totam Octavam, ut in Festivitatibus Nativitatis, & Assumptionis ejusdem B. Virginis ipsi Fratres consueverunt, recitare; propterea Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum pio, & devoto desiderio annuere, de benignitate Apostolica dignaremur.

II. „ Nos tam pium, & laudabile propositum, ad ejusdem B. Virginis laudem, & honorem, fovere volentes, ipsorumque Ministri, & Fratrum, atque etiam Monialium erga hanc Sacratissimam Virginem devotionis affectum plurimùm in Domino commendantes; hujusmodi supplicationibus inclinati, hac nostra præsenti Constitutione, perpetuo eisdem Ministro, ac Fratribus, & Monialibus concedimus, quod omnes, & singuli &c. Officium Conceptionis ejusdem B. MARIÆ, per totam ejus Octavam, ad instar Officii Nativitatis, in ejusdem B. MARIÆ festivitate recitari soliti, tam in Choro, quàm extra Chorum recitare possint, & valeant. Volumus autem &c. „

122. Extat hæc Bulla apud eundem Rodericum ibid. pag. 522. Observandum in ipsa est, commendari, & promoveri a Summo Pontifice, tamquam *Pium, & Laudabile Propositum*, Seraphici Ordinis Institutum in celebranda devotissime *Purissima Dei Genitricis Conceptione*, eademque laudibus extollenda, ac etiam Fidelibus prædicanda, & explananda. Tantum abest, ut hoc fuerit a S. Pio V. interdictum. Et hic quoque videant Adversarii, an aliquid intersit inter *Purissimam*, [quo titulo Pontifex Conceptionem appellat] & inter *Immaculatam*, quem Ipsi titulum a Conceptione removere satagunt.

TESTIMONIUM XII.

Clemens Papa VIII. ab A. Dñi MDXCII.

123. COnstitutione sua, *Pastoralis*, edita die 15. Julii an. 1598. Libellum Doctrinæ Christianæ a Roberto Bellarmino descriptum approbavit, eamque Doctrinam toti Ecclesiæ tradendam, & addiscendam proposuit, & valde commendavit. Qua quidem Constitutione, quàm optime de Intemerato B. Virginis Conceptu meritus sit; ostendimus Act. I. a *numer.* 157. ubi etiam *num.* 159. laudatam Constitutionem exhibuimus. Præterea idem Clemens, in nova Romani Breviarii Reformatione, Festum, & Officium Conceptionis B. Virginis, sub ritu Duplicis Majoris, deinceps celebrari præcepit; ut refert Bartholomæus Gavantus. (a)

(a) *In Thesauro Sacrorum Rituum par. 1. tom. 2. sect. 7. cap. 2. num. 8.*

SÆCULUM XVII.

TESTIMONIUM XIII.

Paulus Papa V. ab A. Dñi MDCV.

CONSTITUTIO,

Edita die VI. Junii, Anno 1616.

Regis Pacifici, quamquam nullo nostro merito, divina dispensatione, vices gerentes in terris &c. Ea, quæ a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, ad scandalorum semina tollenda, salubriter constituta sunt; cùm Hostis antiqui insidiis, qui ab initio dissidia serere cæpit, minime observari, aut variis modis eludi dignoscuntur; opportunis remediis, quantum cum Domino possumus, providemus. Olim siquidem &c. (b)

124. HAc Constitutione Paulus illam Sixti IV. *Grave nimis*, & alteram Pii V. *Super speculam*, Constitutiones approbat, & confirmat; utque inviolabiliter observentur, alias contumacibus pœnas infligit, facultatemque Episcopis, sive locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tribuit, ut in eos, etiam quomodolibet exemptos, animadvertant.

DECRETUM

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, coram SS. P. N. Paulo, Divina Providentia Papa V. Feria quinta, die 31. Augusti, Anno a Nativitate D. N. JESU CHRISTI 1617.

I. „SAnctissimus Dominus Noster, post longam, & maturam discussionem, auditis „votis Illustrissimorum, & Reverendissimo„rum DD. Cardinalium, contra hæreticam „pravitatem Generalium Inquisitorum, re ac„curate, & diligenter perpensa, provide consi„derans, quod, quamvis in Constitutione fel. „Record. Sixti IV. super Conceptione Bea„tissimæ Virginis MARIÆ, pro submovendis „inter Christi fideles scandalis, rixis, & con„tentionibus edita, a Sancta Tridentina Sy„nodo innovata, & deinde in alia Constitu„tione sanctæ mem. Pii V. super eadem re, „[quas similiter Sanctitas sua innovavit, cum „quibusdam provisionibus, & adjectionibus „pœnarum pro efficaciori earum observatio„ne] relinquatur unicuique libera facultas te„nendi, & etiam asserendi utramque partem, „quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta „cum Peccato Originali, dum tamen neu„tra, veluti Erronea, aut Hæretica damne„tur. Nihilominus ex occasione Assertionis „affirmativæ in publicis Concionibus, Lectio„nibus, Conclusionibus, & Actibus publi„cis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum „Peccato Originali concepta; oriuntur in Po„pulo Christiano, cum magna DEI offensa, „scandala, jurgia, & dissensiones.

II. „Propterea volens hujusmodi scandalis, ex „debito sui muneris providere, decrevit, ac „præcepit, ac præsentis Decreti virtute man„dat, & præcipit omnibus, & singulis cujus„vis Ordinis, & Instituti Regularibus, & aliis „quibuscunque tam Ecclesiasticis, quàm Sæ„cularibus Personis, cujusvis conditionis, sta„tus, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ec„clesiasticæ, quàm Sæcularis, etiamsi specia„lis, specifica, & individua earum esset neces„sario mentio facienda; ut in posterum, do„nec articulus hujusmodi a Sancta Sede Apos„tolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem „suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter „ordinatum; non audeant in publicis Concio„nibus, Lectionibus, Conclusionibus, & aliis „quibuscunque Actibus publicis asserere, quod „eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum „Peccato Originali. Contra facientes autem, „eadem Sanctitas sua voluit, & declaravit „subjacere debere, & subjecit censuris, & „pœnis contentis in supra dictis Constitutio„nibus suorum Prædecessorum, & sua, ipso „facto incurrendis.

III. „Per hujusmodi tamen provisionem, Sancti„tas sua non intendit reprobare alteram opi„nionem, nec ei ullum prorsus præjudicium „inferre, eam relinquens in eisdem statu, & „terminis, in quibus de præsenti reperitur, „præterquam quoad supra disposita. Ulterius, „sub eisdem censuris, & pœnis mandans, „quod negativam opinionem, videlicet quòd „non fuerit concepta cum Peccato Originali „in prædictis publicis Actibus asserentes, a„liam opinionem non impugnent, nec de ea „aliquo modo agant, seu tractent. Insuper „voluit, & expresse mandavit, ut extra hos „casus expressos publicorum Actuum, in re„liquis omnibus supra dictæ Constitutiones fir„mæ, & illæsæ remaneant, & exacte obser„ventur, perinde, ac si præsens Decretum „non emanasset.

IV. „Et ita decrevit, & mandavit, ubique in„violabiliter observari, non obstantibus in „hac parte supra dictis Constitutionibus, & „aliis omnibus in contrarium facientibus. Vo„lens, & decernens, pro observatione, & exe„cutione præsentis Decreti, & omnium in eo „contentorum, quod contra hujusmodi trans„gressores, etiam Regulares cujusvis Ordinis, „& Instituti, etiam quomodolibet exemp„tos, & alias quascunque Ecclesiasticas, & Sæ„culares Personas cujuscunque status, condi„tionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam „Ecclesiasticæ, quàm Sæcularis; tam Episco„pi, & Prælati Superiores, aliique Ordina„rii locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique „locorum deputati Inquisitores procedant, & „in eos severe animadvertant, tribuens eis, & „eorum cuilibet liberam facultatem, & auctori„tatem

(b) *Extat in Bullario Romano Laertii Cherubini ordin. 97. pag. 256. tom. 3.*

» tatem contra eosdem transgressores proceden-
» di, ac pœnis coercendi, & puniendi. Vo-
» luit demum, ne præmissorum ignorantia
» &c. (c)

OBSERVATIONES.

125. IN referendo hujusmodi Decreto, tria errata committit Lampridius. (d) Primo illud tribuit Gregorio XV. cujus proprium Decretum prætermittit. Secundo immutat verba Decreti: ubi enim Decretum habet: *Ex occasione assertionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, &c. quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum Peccato Originali concepta, oriuntur in Populo Christiano, cum Magna Dei offensa, scandala, jurgia, & dissensiones.* Lampridius sic reddit: *Perspectis scandalis, jurgiis, & dissensionibus, quæ manabant ex unicuique relicta libera facultate tenendi, atque etiam asserendi utramque partem.* Scilicet iniquis auribus audiebat Lampridius, *Scandala, jurgia, & dissensiones* determinate oriri *ex occasione sententiæ affirmativæ* de maculata DEI Genitricis Conceptione. Tertio in ea Decreti clausula: *Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit &c.* supprimit Lampridius adjunctam exceptionem: *Præterquam quoad supra disposita.* Qua nimirum exceptione aperte significatur, per hujus dispositionem Decreti, aliquod Contrariæ Sententiæ præjudicium illatum, nec eam omnino relictam in eisdem statu, & terminis, in quibus reperiebatur. Et verò nonne Lampridii Liber præjudicium pateretur, statumque mutaret, si ei omni publica luce interdictum esset?

126. Itaque hoc Decreto indicit Paulus Contrariæ Sententiæ arctissimum silentium *in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis:* solique Piæ Sententiæ, ut in iisdem exaudiatur, vocem relinquit. Hoc autem quanti sit momenti, ad unius Sententiæ promovendam, & alterius deprimendam causam, ponderavit olim in alia occasione S. Gregorius Nazianzenus, Oratione XLVI. ad Nectarium Episcopum CP. (e) Queritur cum eo, quod passus fuerit, Apollinaristas *Conventuum æque, ac nos, habendorum auctoritatem sibi arrogasse, atque usurpasse.* Et hujus rei absurditatem ponderans, ait: *Si iis, qui talia sentiant, cœtus habere licet; illud velim cogitet, atque expendat, tua in Christo illustris prudentia, quod, cum nobis cum eorum dogmatibus non conveniat, cœtus hujusmodi potestatem illis factam esse, nil aliud est, quàm eorum doctrinam nostrâ veriorem existimasse. Nam si illis, ut & pie sentientibus, ea, quæ sentiunt, docere, libereque promulgare permittitur; quis non videt, Ecclesiæ doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus stante?* &c. Sentit ergo Magnus iste, & antiquus Theologus, plurimum interesse ad unius Doctrinæ veritatem, & alterius falsitatem, Fidelium animis insinuandam, quod uni in publicum prodire detur, & alteri denegetur.

127. Id solum nobis per hoc Decretum interdicitur, ne Piam Sententiam in publicis actibus asserentes, aliam Contrariam impugnemus, aut de ea aliquo modo tractemus. Quod quidem intelligendum est de impugnatione, & tractatione directa, & expressa. Neque enim fieri potest, ut aliqua Sententia disputando asseratur, quin Contraria tacite saltem, & indirecte impugnetur. Cum ergo liceat nobis, in publicis disputationibus Piam Sententiam asserere; licet etiam, eam explicare, ratione, & auctoritate confirmare, imo & occurrentes difficultates diluere: Quod quidem non tam est, contrariam opinionem impugnare, quam nostram defendere. P. Honoratus Fabri, (f) illius prohibitionis consilium, & scopum fuisse opinatur, ne ex confutatione Contrariæ Sententiæ, aliquis saltem dubitandi locus simplicioribus daretur, non adeo scilicet de veritate Piæ Sententiæ constare, cum eam, ac si certa non foret, in disputationem, & controversiam vocari viderent.

128. Animadvertendum vero est, prohibitionem istam de impugnatione directa Contrariæ Sententiæ, non extendi ad Libros, qui latino saltem idiomate in publicum emittuntur. Ut planissime constat ex usu, & praxi tot Piorum, ac Doctorum Hominum, qui exinde libros pene innumeros latino sermone ediderunt; in eisque tam Piam Sententiam comprobare, quàm oppositam ex instituto refellere, religioni non habuerunt, de hoc uno solliciti, ne gravem notam Contrariæ Sententiæ, aut ejus Assertoribus inurerent.

129. Laudatum Decretum miraculo DEUS comprobasse videtur. Duo illius temporis sinceri Scriptores, Johannes Burghesius, (g) & Johannes Eusebius Nierimbergius, (h) narrant Lampadem, quæ nocturnis tantum horis, Madriti ante Imaginem Virginis Immaculatæ, in medio foro accendi solebat, clara die, eo ipso momento, quo illuc allatum est Decretum, sponte ardere cœpisse; consumptoque exiguo, quod a præterita nocte supererat, oleo, flammam perdurasse, ipsâ, quæ supposita erat, aquâ, ignis fomentum suppeditante. Et ad hoc excitos spectaculum innumeros prope mortales proxima nocte convenisse, vigiliasque stupore defixos produxisse. *Testis sum ego*, inquit Nierimbergius, *ingentem admirationem excitatam fuisse, ex ardente repente, & opportune lampade.*

130. Refert præterea laudatus Nierimbergius ibidem, partem Brevis Apostolici, quod idem Paulus V. eodem anno scripsit ad Philippum III. Hispaniarum Regem; ubi & B Virginis Conceptionem, *Immaculatam* appellat, & Regis Catholici erga hoc mysterium Pietatem valde commendat. *Accepi*, inquit, *litteras Majestatis tuæ, de negotio Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis &c. Non mediocriter in Domino lætati sumus,* tan-

(c) *Extat hoc Decretum ibidem, ordine* 105. *pag.* 262.
(d) *Cap.* 1. *pag.* 3.
(e) *Pag.* 722. *tom.* 1. *ejus Operum, edit. Græco-Latina* Parisiens. an. 1630.
(f) *In Corolla Virginea proposit.* 107.
(g) *In libro, cui titulus,* Societas Jesu Mariæ Deiparæ Sacra, *edito* Duaci, *ann.* 1610. *cap.* 21. *pag.* 295.
(h) *In Operibus Parthenicis, de objecto Festi Concept. cap.* 22. *pag.* 29.

tantam pietatem erga Cœlorum Reginam, & tam ardentem ejus zelum cernentes; cujus salutare præsidium, nunquam tibi defuturum sperare, nos jubet singularis hujusmodi in eam devotio.

131. Hæc porro Pietas Hispanicorum Regum erga Illibatum DEI Genitricis Conceptum, plusquam duobus ante Sæculis, eluxit in Johanne I. Aragoniæ Rege, qui anno 1394. Sanctionem condidit, Contrariæ Parti idem silentium in suis Regnis severissime indicentem. „ Fortiter, *inquit*, prohibemus quibuslibet Evangelizantibus, sive Prædicantibus Verbum DEI, „ quidquam exponere, vel proferre in aliquam „ Puritatis ipsius Benedictæ Conceptionis jacturam; sed potius dicti Prædicatores, & qui „ aliud voluerunt sentire, aut voluerant, stricte digitum ori suo apponant...... Cæteri vero, „ sanctam hujusmodi, & salubrem nostram opinionem habentes, illam in corde, in ore, & „ sermonibus suis magnopere venerentur, & „ publicent, colant, & celebrent, magnificent, & „ extollant &c. „ Quam Sanctionem ejus Frater Martinus I. per alud Diploma, editum anno 1398. confirmavit, & ampliavit. (*i*)

132. Demum Paulus V. indulsit Fratribus Minoribus, ut in omnibus sabbatis, festo novem lectionum non impeditis, Officium de B. Virginis Conceptione recitare valeant; illud, inquam Officium, in quo tam sæpe, & tam clare ejusdem B. Virginis Conceptio Immaculata, & ab Originali Peccato, Immunis deprædicatur. Meminit hujus indulti Ill. D. Fr. Antonius de Trejo, Regis Catholici Orator in Causa Conceptionis, Oratione VIII. habita ad ipsum Paulum V. (*k*)

Testimonium XIV.

Gregorius Papa XV. ab An. Dñi MDCXXI.

DECRETUM

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico, in Monte Quirinali, coram SS. D. N. Gregorio, Divina Providentia Papa XV. ac Illustriss. & Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus, adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, a S. Sede Apostolica specialiter deputatis, Feria tertia, die XXIV. Maji Anno a Nativitate D. N. JESU CHRISTI 1622.

I. „ Sanctissimus Dominus noster, auditis votis Illustr. & Reverendiss. DD. Cardinalium, contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, Decretum aliàs editum „ a fel. record. Paulo V. ejus Prædecessore, tenoris sequentis, videlicet: Sanctissimus Dominus noster post longam &c.

II. „ Hoc suo præsenti Decreto, ex iisdem causis „ evitandi scandala, dissensiones, atque discordias in Populo Christiano, quæ pari ratione „ oriri possunt, &, ut accepit, in aliquibus „ Regionibus jam ortæ sunt, ex sermonibus privatis, occasione assertionis affirmativæ; extendit, & ampliavit etiam ad privata colloquia, „ & scripta, mandans, & præcipiens omnibus, „ & singulis supra dictis, ne de cætero, donec „ articulus hujusmodi a Sede Apostolicâ definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem „ Apostolicam fuerit aliter ordinatum; neque „ etiam in sermonibus, & scriptis privatis audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum Peccato Originali; „ nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen, quibus a Sancta Sede Apostolica fuerit super „ hoc specialiter indultum.

III. „ Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit „ reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in „ eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, *præterquam quoad in supra dicto fel. record. Pauli V. & hoc suo Decreto dispositu.* „ Eademque Sanctitas sua voluit, & expresse „ mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi hujusmodi Decretis non adversantur, Constitutiones Sixti IV. Alexandri VI. & Pii V. ac Pauli V. ejus Prædecessorum, super Conceptione „ Beatissimæ Virginis, firmæ, & illibatæ remaneant, ac exacte observentur, perinde ac si hujusmodi Decretum non emanasset.

IV. „ Et insuper eadem Sanctitas sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis „ Conceptione Festum solemniter, & Officium „ celebret; omnibus, & singulis Personis Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quàm cujusvis „ Ordinis, & Instituti Regularibus, mandat, „ ac præcipit, ut in sacrosancto Missæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis, tam publice, quàm privatim, non alio, quam CONCEPTIONIS nomine, uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas sua voluit, & declaravit, subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis, contentis in supra dictis Constitutionibus, ac præfato Decreto suorum Prædecessorum, ipso facto incurrendis. Et ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter „ observari, non obstantibus in hac parte Constitutionibus supra scriptis, Decreto præfato „ Pauli V. consuetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus, & singulis, quæ „ Prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac aliis quibuscunque in contrarium facientibus.

V. „ Volens, & decernens, pro observatione, & „ executione præsentis Decreti, & omnium in „ eo contentorum, quod contra hujusmodi „ transgressores, etiam Regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias qualscunque Ecclesiasticas, & „ Sæcu-

(i) *Hoc Diploma refertur a* Marracio *in Regibus Marianis, cap. 11. pag. 189. & in Regesto Authentico col. 188. ex Ms. authentico Cœnobii Matritensis. De illa Sanctione Vide quæ diximus Actione III. n. 117.*

(k) *§. 5. num. 24. pag. 223. in descript. citata hujus Legationis.*

„ Sæculares Perſonas cujuſcunque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam „ Eccleſiaſticæ, quàm Sæcularis; tam Epiſcopi, & Prælati Superiores, aliique Ordinarii „ locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubique „ locorum deputati Inquiſitores, procedant, & „ in eos ſevere animadvertant; tribuens eis, „ & eorum cuilibet liberam facultatem, & „ auctoritatem contra eoſdem tranſgreſſores „ procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Voluit demum, ne præmiſſorum „ ignorantia a quoquam prætendi poſſit, „ quod præſens Decretum &c. „ (*l*)

OBSERVATIONES.

133. DUo per hoc Decretum, Piæ Sententiæ præſtitit Gregorius, ſupra quam dici poteſt, favorabilia. Alterum eſt: Contrariæ Sententiæ humanum omne commercium interdicere, omnemque adimere facultatem, ſeu publice, ſeu privatim, ſeu voce, ſeu ſcripto, comparendi: ita ut ſola Pia Sententia tam publice, quam privatim, tam ore, quam calamo, ſemper, & ubique audiatur. Si Chriſtianæ Pietati, ſi Eccleſiaſticæ Diſciplinæ conſentanea plane foret Contraria Sententia, non debuiſſet tam rigido ſilentio multari. Conſtantis Imperatoris Typus, Paulo Patriarcha CP. Hæretico Monothelita ſuadente, editus, de tacenda tam una, quam duplici CHRISTI Voluntate, & Operatione; a Concilio Lateranenſi, per Martinum I. celebrato, anno 649. (*m*) proſcribitur, & improbatur, *Quoniam omnino eſt inconveniens Catholicæ Eccleſiæ Regulæ, in qua utique adverſa tantummodo jubentur merito ſepeliri ſilentio.*

134. Merito autem Apoſtolica Sedes tam alto ſilentio Contrariam Sententiam ſepeliri mandavit: quia [ut Gregorius præfatur] ex affirmatione ipſius, ſcandala, diſſenſiones, atque diſcordiæ in Populo Chriſtiano, pari ratione, ex privatis, ac ex publicis ſermonibus, & ſcriptis oriuntur. Quæ quidem ſcandala, ſi eſſent phariſaica, aut accepta; non deberent tantopere a Summis Pontificibus caveri. Et ſi ſcandala forent puſillorum, aut infirmorum, ex ignorantia, aut errore profecta; ſatis fuiſſet ad ea vitanda, populares dumtaxat interdicere ſermones. Itaque propoſitionem, ſcripto, vel voce, adſcribentem B. Virgini Originale Peccatum, Scandaloſam appellare licebit: non quidem eo ſcandali genere, quo Propoſitio theologice ſcandaloſa dicitur, quia præbet occaſionem ſpiritualis ruinæ in materia morum, per modum dictaminis, & ſecutæ doctrinæ; ſed alio ſcandali genere, quo propoſitio ſcandaloſa nuncupatur, quia in materia Religionis ſpeculativa, non auditur ſine tumultu, & gravi offenſione Fidelium. Lege *Votum Platonis*, Præludio 6. 9. *Hanc Notam*, a P. Johanne Baptiſta Poza, ſub nomine Jo. Antonii de Saura, editum Cæſarauguſtæ anno 1639.

135. Immo, qui poſt laudatum Gregorii XV. Decretum, eandem Propoſitionem exterius prolatam, *Piarum aurium offenſivam* diceret; is a vero, & æquo minime aberraret. Etenim Propoſitio Piarum aurium Offenſiva, [ut Melchior Canus definit (*n*)] illa eſt, *In qua nullus error fidei adverſus manifeſte notari poteſt, ſed abſonum, neſcio quid, atque abſurdum, quod indignum eſſe, piis, & religioſis auribus videatur.* Auribus videlicet, ut idem Canus advertit, non *ſolius Vulgi, ſed & prudentium, & doctorum Hominum.* Quod autem audita propoſitione de concepta in Originali Peccato SS. DEI Genitrice, non ſolum *vulgus perſtringatur, torqueatur*, [quod ultro fatebatur Canus] verum etiam pii, prudentes, & docti Homines offendantur, & conturbentur; [quod negabat Canus,] ex hoc ipſo conſtat Gregorii Decreto, quo, ad haſce offenſiones, & ſcandala cavenda, ſeveriſſime interdicitur, ne quis propoſitionem illam voce, vel ſcripto unquam efferat, quantumcumque docti, & prudentes ſint ii, ad quos loquitur, vel ſcribit. Ab hoc præjudicio Contrariæ Sententiæ, poſt Gregorium XV. inferendo, non vetamur per illam ipſius Gregorii clauſulam, qua declarat, ſuæ intentionis non eſſe, *Reprobare opinionem contrariam, nec ei ullum prorſus Præjudicium inferre.* Nam iſtud Præjudicium excipitur per verba ſequentia: *Præterquam quoad in ſupra dicto fel. record. Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita.*

136. At, *Piarum aurium offenſio*, [dices cum Cano] *Crimen eſt: id autem in crimine ponere, quod Eccleſia ab omni alienum crimine cenſuit, temerariæ inſolentiæ eſt.*

Vel de aſſenſu loqueris mere interno Contrariæ Sententiæ; vel de prolatione externa? Si primum; eum quidem aſſenſum in crimine ponere, ab Eccleſia vetamur, ſed ille nulli piarum aurium offenſioni patere poteſt. Si ſecundum; prolationem iſtam in crimine ponere, poſt laudatum Gregorii Decretum, non temerariæ inſolentiæ, ſed debitæ obſervantiæ eſt. Annon crimen eſt, quod ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ a Sancta Sede Apoſtolica interdicitur?

137. Scio, ab eodem Gregorio per quandam Declarationem, editam die XXVIII. Julii ejuſdem Anni, (*o*) [de qua immerito dubitant Auctores Regeſti col. 193.] Fratribus Prædicatoribus datum fuiſſe, ut in *Quibuſcunque privatis eorum colloquiis, ſeu conferentiis; inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis, de materia ejuſdem Conceptionis B. Mariæ V. differere, & tractare, abſque ullo pœnarum, in dictis decretis contentarum incurſu, libere, & licite poſſint.* Verumtamen, cum hæc licentia reſtricta ſit ad ſolos illos Religioſos, ea opinione, [licet non omnes] præoccupatos, & non ad ſcribendum, ſed tantum ad colloquendum privatim *inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis*; non impedit, quominus illa propoſitio Reliquorum

X 4

(*l*) *Extat hoc Decretum in Bullario Rom.* Laertii Cherubini *num.* 29. *pag.* 314. *& ſeq. tom.* 3.

(*m*) *Secretario* 4. *col.* 239. *&* 243. *tom.* 7. *Concilior.* V. *etiam Secretario* 5. *Canone* 18, *col.* 366.

(*n*) *Lib.* 12. *de Locis Theolog. cap.* 10. *fol.* 394. *edition.* Colon. *an.* 1574.

(*o*) *Extat in eodem Tomo* 3. *Bullarii pagin.* 315. *col.* 1.

rum omnium prudentes, & doctas aures offendat; aut quo minus *repugnet communi fidelium existimationi, in quam ex pietate, doctrinæ fidei conformi, inducti sunt:* quo pacto propositionem Piarum aurium Offensivam alii exponunt cum Ripalda. (p) Cæterum permissio ista abrogata videtur per Alexandri VII. Constitutionem, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum:* in qua Pontifex, hanc ipsam Gregorii XV. prohibitionem renovans, & amplificans; *Non obstantibus,* inquit, *Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis Indultis, quibusvis Personis quomodolibet concessis; quibus omnibus, & eorum singulis, harum serie, specialiter, & expresse derogamus.*

138. Alterum, quod Gregorius per hoc Decretum Piæ Sententiæ præstitit, est: Omnibus omnino Ecclesiasticis Personis severissime præcipere, ut Conceptionis B. Virginis diem festum recolentes, *In sacrosancto Missæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quàm Conceptionis nomine uti debeant.* Qua in parte secutus est Gregorius Votum Ven. Card. Roberti Bellarmini, nuper prolatum in Congregatione Generali SS. Inquisitionis, coram Paulo V. die ult. Augusti anno 1617. (q) *Si non placet nunc* [ajebat Bellarminus] *ulla formalis Definitio, saltem deberet fieri Præceptum omnibus Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus, ut recitarent Officium de Conceptione, quomodo recitat Ecclesia. Sic enim sine Definitione haberetur intentum.* Quæ postrema tanti Viri verba multum ponderis habent.

139. Fuit enimvero hujuscemodi Præceptum valde consentaneum, immo & necessarium, propter rationem ab ipsomet Summo Pontifice indicatam. Nam *Cum Sancta Romana Ecclesia*, omnium scilicet Ecclesiarum Caput, & Magistra, *de Beatissimæ Virginis Mariæ CONCEPTIONE Festum solemniter, & Officium celebret:* absonum profecto erat, ab aliquo Cœtu Religioso idem Festum, & Officium, non de Conceptione, sed de Sanctificatione, aut alia quapiam re celebrari. Ut enim scripsit Callixtus Papa I. laudatus Act. III. num. 235. *Non decet, a capite membra dissidere.* Ad quem Canonem respiciens Ill. Ambrosius Catharinus, Patres Concilii Tridentini ad hanc uniformitatem in celebrando Conceptionis Festo constituendam, adhortabatur. (r) *Auctoritatem*, inquit, *vestram interponatis, ut, quemadmodum par est, id ipsum, præsertim in Divino Cultu, dicamus omnes; cum juxta Ecclesiasticos Canones, non liceat a Capite membra discedere.* Eandem rationem pro sua Missalis Romani Reformatione attulit S. Pius V. Constit. *Quo primum*, edita anno 1570. *Cum unum in Ecclesia Dei psallendi modum, unum Missæ celebrandæ Ritum esse, maxime deceat.*

140. Ut ergo in Festo Conceptionis Dominæ nostræ, hujus religiosi Cultus Uniformitas in Ecclesia servaretur; hoc Decreto Gregorius in primis expunxit, atque delevit vocem *Sanctificationis*, sub qua, velut in herba, latere anguem Originalis Peccati non ignorabat. Hæc enim vox erat, quæ, præter morem Romanæ, & Universalis Ecclesiæ, Ritumque Breviarii Romani, a S. Pio V. reformati, in plerisque, etsi non omnibus, Ordinis Prædicatorum Ritualibus libris, pro voce *Conceptionis*, subrogata erat.

141. Extat in nostra Bibliotheca *Breviarium, juxta Ritum Sacri Ordinis Prædicatorum, sub R. P. Fr. Hieronymo Xavierre, totius Ordinis Generali Magistro recognitum* &c. impressum Romæ Typis Alfonsi Ciaconii, anno 1603. In quo ad diem VIII. Decembris legitur hic Titulus, cum sequenti rubrica: *In Sanctificatione B. Mariæ Virginis totum duplex. Omnia, præter lectiones infra scriptas, de Officio Nativitatis ipsius assumantur, mutato Nativitatis vocabulo in Sanctificationem.* Extat & *Diurnum, secundùm consuetudinem Fratrum Prædicatorum*, impressum Venetiis apud Junctas anno 1584. ubi legitur idem Titulus cum simili rubrica.

142. Sed & aliud extat in nostra Bibliotheca *Breviarium Sacri Ordinis Prædicatorum, juxta Decretum Generalis Magistri R. P. Fr. Francisci Romei, & Patrum ejusdem Ordinis in Capitulo Congregatorum:* impressum Parisiis apud Hieronymum de Marnef anno 1556. In quo Breviario, *fol.* 240. *pag.* 2. legitur hic Titulus: *In Festo Conceptionis B. Mariæ Virginis:* cum hac Rubrica: omnia præter lectiones, de Officio Nativitatis ipsius assumantur, mutato *Nativitatis* vocabulo, in *CONCEPTIONEM.* Et sane tempore S. Vincentii Ferrerii Ord. Præd. qui claruit anno 1410. Fratres Prædicatores, non de *Sanctificatione*, sed de *Conceptione* Festum celebrabant; ut patet ex ejus Sermone *de Conceptione B. V.* (s) ubi initio ait: *Solemnitas, & Festum hodiernum est de Conceptione Virginis Mariæ.* Quod autem loquatur de Conceptione, non Spirituali, id est Sanctificatione, sed de Naturali, in eod. sermone declarat, dicens; *Quinta Conceptio est Maternalis, quando B. Anna in Utero suo sancto ipsam concepit; & de ipsa fit hodie solemnitas.* &c.

143. Immo in Regesto Authentico a col. 235. exhibentur *Horæ B. Virginis, ad usum FF. Prædicatorum, cum Officio Conceptionis Immaculatæ Virginis* &c. impressæ Parisiis anno 1529. In quibus legitur hæc Oratio: *DEUS, qui, pro salute Humani Generis, carnem Gloriosæ Virginis Mariæ assumere dignatus es, & ipsam sine macula concipiendam, ante sæcula in Matrem elegisti; concede* &c. Catharinus quoque (t) testatur, quod Fratres Prædicatores in Gallia; Conce-

(p) *Tomo 3. cit. disp. proœmiali, sect. 8. n. 79.*
(q) §. de secundo, *sub initium. Hujus Voti extat apud nos indubitatum exemplar.*
(r) *In Conclusione disput. pro verit. Immac. Concept. B. V. & ejus celebranda a cunctis Fidelibus Festivitate, ad Sanctam Tridentinam Synodum, edit. Roman. an.* 1551.
(s) *Pag.* 14. *&* 19. *Tomi* 3. *Sermon. de Sanctis.*
(t) *In Defensione tertiæ rationis, §. 2. prope finem Opusculi de Explanatione Errorum in Controversia &c. annexa disputationi pro ver. Immacul. Conception. B. V. ad Patres, & Fratres sui Ordinis, edit.* Senis an. 1532. *Et lib. 1. aliis disput. pro Immac. Concept. Deip. V. inter ejus Opuscula edita* Lugduni an. 1542. *pag.* 8. *&* 9.

Conceptionis Immaculatæ Festum, & Officium, suo tempore celebrabant.

144. Jam vero, post promulgatum Gregorii Præceptum, Fratres Prædicatores, inter se, & cum Romana, & Universali Ecclesia convenientes; in suis omnibus Ritualibus libris, expuncto *Sanctificationis* nomine, *Conceptionis* nomen reposuerunt. Vidimus *Breviarium juxta Ritum Sacri Ordinis Prædicatorum*, *R. P. Fr. Thomæ Ripoll*, *ejusdem Ordinis Magistri Generalis jussu editum Romæ* MDCCXXXI. In quo, die VIII. Decembris Festum inscribitur: *In Conceptione B. Mariæ Virginis.* Atque in Invitatorio ad Matutinum, Responsoriis Lectionum, Antiphonis ad Laudes, & ad Magnificat pro utrisque Vesperis, juxta ritum Breviarii Romani, B. Virginis Conceptio sonat. Hoc in eo valde displicuit, quod a prece illa: *Sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam Sanctam Conceptionem:* vocem, *Sanctam*, expunxerit.

145. Deinde præcipiens Gregorius, ut in Divinis Officiis, nonnisi *Conceptionis* nomine omnes utamur, hoc ipso præcipit, ut omnes ipsam Dei Genitricis Conceptionem, utique tanquam Sanctam, & Immaculatam, veneremur, & celebremus. Nam præcipit sic orare, ut in Romano Breviario legimus: *Gloriosæ Virginis Mariæ Conceptionem Dignissimam recolamus: Conceptionem Virginis Mariæ celebremus: Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptionem devotissime celebremus: Cum jucunditate Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis devotissime celebremus: Conceptionem hodiernam Perpetuæ Virginis Genitricis DEI Mariæ solemniter celebremus.* Hæc autem omnia non ficte, & simulate, sed sincere, & ex animo recitanda nobis sunt; ut etiam ibidem non semel admonemur: *Corde, & Animo Christo canamus gloriam, in hac sacra solemnitate præcelsæ DEI Genitricis Mariæ.* Quia nemini fas est, in iis præsertim, quæ ad religiosum cultum spectant, aliud in ore, aliud in mente, & corde habere, simulando colere, quod revera non colit. Ut enim ex D. Augustino docet D. Thomas: (*u*) *Mendacium maxime perniciosum est, quod fit in his, quæ ad Religionem Christianam pertinent. Est autem mendacium, cum aliquis exterius significat contrarium veritati.* &c.

146. Neque vero excusari quis posse videtur, quod contrarium opinari, sit ipsi permissum. Nam si, juxta communem Theologiam, (*x*) tenetur Subditus obedire Prælato, rem adhuc probabiliter licitam præcipienti; deposito interim, si quod habeat, proprio judicio speculativo contrario; quanto magis, morigerus quisque Fidelis, quidquid privatim interius opinetur, parere debet Summo Pontifici, Universæ Ecclesiæ præcipienti Conceptionis Cultum, quem esse certo licitum Sixtus IV. definivit.

147. Quod si dixerit, *Ecclesiam non judicare de internis.* Hoc in primis est falsum, loquendo de Actibus mixtis, ex internis, & externis, cujusmodi sunt preces Canonicæ: ut ex Decretis Alexandri VII. & Innocentii XI. damnantium plures propositiones in materia morum, quæ de actibus mixtis erant, demonstrat P. Cardenas. (*y*) Deinde si semel Lex Ecclesiastica jubet exteriorem Conceptionis Cultum; hoc ipso Lex Naturalis, & Divina non simulandi, Cultum etiam jubet interiorem.

148. Sed audiamus, quid Libellatores illi, [quorum meminimus n. 50. & Act. III. num. 231.] ad eludendum hoc Gregorii Præceptum, post plures annos, quot inter ipsum Gregorium, & Innocentium X. intercessere; commenti fuerint. (*z*) Primus Libellator ait, Gregorium eo Decreto *innuisse*, *nomen Conceptionis* [scilicet in sacris usurpatum] *esse de se indifferens ad utramque Sententiam.* Alter dixit, ejus Decreti *vigore FF. Prædicatores*, *nomine Conceptionis*, *Sanctificationem intelligere*; *Adversarios*, *Præservationem.* Idem commentum suscitare conatus est Valdesius. (*a*) *Comprehendit*, inquit, *generica*, *ut ita dicam*, *vox*, Conceptio, *sub se*, *tam* Immunitatem *Deiparæ*, *quàm* Sanctificationem *ex institutione Pii V. & subsequentium Pontificum.* Et alibi: *Conceptionis nomen æque complectitur Præservationem*, *& Sanctificationem.* Sentiunt ergo reformatum a Gregorio XV. vel a Pio V. Vocabularium Ecclesiasticum; nomenque *Conceptionis*, quod antea primam B. Virginis Animationem significabat; in Divinis Officiis longe aliud significare cœpisse: nempe [ut clarius exponam, quod isti obscure dicunt] primam B. Virginis Sanctificationem, sive hæc contigerit in primo animationis instanti, præservans ipsam ab Originali Peccato; sive in secundo instanti, vel tempore subsequenti, emundans ipsam ab Originali Peccato, jam contracto.

149. Commentum hoc apertissime refellitur. Et primo quidem, monente Tertulliano, (*b*) *Certe perversissimum est*, *ut carnem nominantes*, *animam intelligamus*; *& animam significantes*, *carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi*, *& amittere*, *quod sunt*, *dum aliter accipiuntur*; *si aliter*, *quam sunt*, *cognominantur. Fides nominum salus est proprietatum.* Hac porro ratione omnes Pontificum Sanctiones eludi facile possent; cum possit quisque pro suo arbitrio, aliam verbis significationem attributam comminisci.

150. Secundo, semel mutata Conceptionis noti-

(u) 2. 2. *quæst. 93. art. 1. in corpore.*

(x) V. P. Franciscum Suarez *tom. 4. de Religione, Tractatu 10. lib. 4. ca. 15. & tom. 5. in 3. part. de* Censuris, *disp. 4. sect. 6. n. 5. &* P. Thomam Sanchez *tom. 2. in Præcepta Decalogi lib. 6. cap. 3. ubi Innumeros refert pro hac Sententia.*

(y) 1. *Parte Crisis Theolog. disp. 9. cap. 20. art. 12. & Par. 4. dissert. 34. cap. 2. art. 1.*

(z) *Libello 1. §. 1. & libello 2. n. 4. apud* P. Faffari, *in fine Trutinæ Theologicæ &c. pag. 193. & 195.*

(a) *Epist. 6. pag. 66. & epist. 13. pag. 158. similia habes epist. 10. pag. 119. & seq.*

(b) *Lib. de Carne Christi, cap. 13. pag. 559. edit.* Parisiensis an. 1616. *Et V. cap. 24. pag. 563.*

notione, totum Conceptionis Officium ab Ecclesia institutum, perverteretur. Non pauca enim, quæ de Conceptione dicuntur, male cohærent cum Sanctificatione. Numquid enim sanctificata est *B. Virgo Maria ex progenie David?* Numquid ejus Sanctificatio fuit *ex semine Abrahæ, & clara ex stirpe David!* Annon inepte caneremus, *tuam Sanctam Sanctificationem?* Nisi forte nugando dixeris, horum quoque verborum notiones mutatas, ita ut vox *Sanctam*, denotet primam; *Abraham, & David*, significent, DEUM, vel Spiritum Sanctum; *Stirps, & Progenies*, Gratiam, vel Misericordiam. Apagesis istas gerras.

151. Tertio debuisset Pontifex clare, & expresse Fideles admonere, de mutato a se Conceptionis significatu, ne eos in errorem induceret. Hoc autem non præstitit; sed potius, anteriorum Pontificum Decreta confirmans, se de Conceptione loqui in eo sensu, in quo illi loquuti sunt, indicavit. Quare omnes quotquot post Gregorium de præsenti materia scripserunt, hanc ejus Decreti partem, tamquam Piæ Sententiæ maxime favorabilem suspexerunt. *Ecclesia*, [inquit Natalis Alexander (c)] *decernendo, ut non amplius sub Sanctificationis, sed sub Conceptionis nomine, illa Deiparæ solemnitas celebraretur ...... in eam se magis propendere partem ostendit, quæ Immaculatam opinatur.* Vide, præter alios innumeros, Marcum Battaglini, Episcopum Noceræ, & Sentini, Tomo I. Annalium Sacerdotii, & Imperii; (d) & Prosperum Cardinalem de Lambertinis, hodie regnantem Pontificem Benedictum XIV. lib. 1. de Servorum DEI Beatificatione &c. (e)

152. Nec quicquam prodest illa Gregorii Clausula, quæ a primo Libellatore prætenditur: *Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre.* Ista namque clausula in primis ad priorem partem decreti, quam subsequitur, non ad hanc posteriorem, quam antecedit, refertur. Deinde non est ampla, & absoluta, sed restricta per subjectam exceptionem: *Præterquam quoad in supra dicto fel. record. Pauli V. & hoc suo Decreto disposita:* ut paulo ante monuimus.

153. Quarto ineptiret in eo Decreto Gregorius, sibique adversaretur. Ineptiret, quia nomen Conceptionis, sumptum generice pro prima Sanctificatione, in Divinis Officiis, idcirco usurpandum præscriberet; quia *Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis Conceptione*, [sumpta scilicet determinate pro prima animatione,] *Festum, & Officium solemniter celebrat.* Constat enimvero ex Alexandro VII. Romanam Ecclesiam, a tempore Sixti IV. de Conceptione B. Virginis, sumpta pro prima animatione, *Cultu nunquam immutato*, Festum celebrasse. Sibi etiam adversaretur, dum in priori parte Decreti, Adversariis severissime prohibet, ne in privatis quidem colloquiis suam opinionem prodant; & in hac posteriore ipsis permitteret, ut in Divinis etiam Officiis, coram facie Ecclesiæ, eandem sub alio nomine re ipsa libere profiterentur.

154. Quinto denique Gregorius Catholicos Reges insigniter ludificasset, totique adeo Hispaniæ fucum fecisset. Ex solemni Legatione Philippi III. & Philippi IV. ad Paulum V. & Gregorium XV. pro causa Immaculatæ Conceptionis, descripta a Fr. Luca Waddingo, habemus, quod Philippus III. per Ill. D. Fr. Antonium de Trejo, suum in hac causa extraordinarium Oratorem, postulaverat a Paulo V. *Ut in celebrando Mysterio Conceptionis, omnes juberentur, ritum, vocem, & sensum Ecclesiæ usurpare, nec cuiquam in posterum liceret sub Sanctificationis, aut alterius cujuspiam vocis varietate, ab ea discrepare.* (f)

155. Philippo III. & Paulo V. re infecta, demortuis; Philippus IV. per duos alios Oratores, Ducem Alburquerquium, & Comitem Montis-Regii, eandem postulationem renovans apud Gregorium XV. efficacius institit: *Ut, dum non procederetur ad definitionem; neque defendi ullo modo publico, aut secreto posset affirmativa sententia, neque in Cultu Divino amplius liceret uti voce, vel ritu Sanctificationis.* (g) Huic postulationi, post maturam deliberationem, se facilem, & propitium præbens Gregorius, Decretum illud edidit, quo utrumque sancte observandum, absque ulla ambiguitate constituit. Cui Decreto condendo, suam etiam operam Societatis nostræ Patres collocasse, refert Wadingus. (h)

156. Edito hujusmodi Decreto, gratulationibus, jubilis, plausibus, ac festivis publicis lætitiæ signis, primum Roma, tum Italia, posmodum Hispania tota personuit. Rex Catholicus Philippus IV. ad Pontificem, & ad singulos etiam Congregationis S. Officii Cardinales, literas grati animi, & exultationis testes dedit. Ad Gregorium inter alia sic scribit: *Propter consolationem, & exultationem, quam concepimus Ego, Regina, & Fratres mei, ob bonum hoc nuncium, sanctas vestræ Beatitudinis exosculor manus, sancte asseverans, inter summe grata hoc unum me computare, & ultra quam dici potest, magni me æstimare, quod mea intercessio aliqualem habuerit in hac re partem.* &c. (i) Similes litteras Eucharisticas ad Pontificem scripsit Senatus Civitatis Hispalensis.

157. Vicissim Gregorius, Hispanicæ pietati eo decreto gratificatum se esse profitetur. Ut patet ex Brevi Apostolico ad Serenissimam Infantem Sor. Margaritam de Cruce, Regis Catholici Amitam, in Monasterio Madritensi S. Claræ, sanctitatis fama percelebrem; ubi de suo decreto loquens, scribit: *Ex eo cognoscet Majestas tua, quantum propensa tibi voluntate gratificemur.* (k) Et

(c) *In Historia Ecclesiastica Sæculi 2. dissert. 16. §. 21. pag. 537. col. 1. tom. 3.*
(d) *Ad Annum 1622. pag. 366. edition.* Venetæ ann. 1701.
(e) *Cap. 42. num. 14. pag. 382.*
(f) *Sect. 2. pag. 148. & seqq. edition.* Lovaniensis an. 1624.
(g) *Ibid. sect. 4. num. 33. pag. 414.*
(h) *Ibid. num. 38. pag. 446.*
(i) *Num. 40. pag. 450. & pag. 453. & seqq.*

(k) Et ex rescripto ad Senatum Hispalensem, ubi *Vos*, inquit, *scientiam salutis praeclare didicisse ostenditis, cùm beneficium vobis tributum esse profitemini, eo Apostolico Decreto, quo Altercantium Theologorum dissidia tollere, & Cælestis Reginæ Dignitati consulere nuper voluimus.* (l)

158. Rebus ita se habentibus, quis non videat fore, ut ludificasset Gregorius Catholicos Monarchas, totique Monarchiæ fucum fecisset; si Conceptionis nomen in Divinis Officiis usurpandum mandans, hoc nomine primam B. Virginis Sanctificationem intellexisset, quandocumque ipsi contigerit? Tanto namque apparatu, tantaque ostentatione, Hispanis Regibus, & Populis mera verba dedisset, Adversariis rem totam adjudicasset, decernendo, quod isti ab initio contendebant, & Sixtus IV. olim reprobaverat, hoc est celebrari Festum de Sanctificatione, sub nomine Conceptionis.

159. Qui plura contra istos Ecclesiastici Vocabularii Reformatores desiderat, adeat P. Vincentium Fassari, (m) & P. Theophilum Raynaudum, (n) qui sub idem tempus scripsere. Piget me in hoc figmento refellendo diutius immorari, quod & Alexander VII. postea reprobavit, ut videbimus. Sed annotare libet, quam falsò dixerit Valdesius, (o) quod Gregorius *præcipiens, non alio, quam Conceptionis nomine utendum esse in Missa, & Officio; interdixit, adjicere in sacris nomen* Sanctificationis, *aut adjungere titulum* Immaculatæ, *nomini Conceptionis.* Quasi vero de hoc fuerit controversia, vel petitio. Hoc unum Pia Pars postulabat, ut expuncto *Sanctificationis* nomine, quod ab aliquibus in Sacris usurpabatur; nomen *Conceptionis*, restitueretur. De titulo *Immaculatæ*, Conceptioni adjungendo sollicita non erat. Nam semel restituto Conceptionis nomine, cætera Divini Officii verba satis declarant, Conceptionem fuisse Sanctam, & Immaculatam: ut sæpe monstratum est.

TESTIMONIUM XV.

Urbanus Papa VIII. ab A. Dñi MDCXXIII.

PRIMA CONSTITUTIO,

Edita pridie Idus Januarii, eodem Anno 1623.

Imperscrutabilis Divinorum Judiciorum altitudo &c. Quamobrem inæstimabili gaudio perfundimur, cùm Principes Viri, vel ad veteres eosdem [militares] *Ordines amplificandos, vel ad novos, Apostolica Auctoritate, instituendos, animos generose convertunt. Verum præcipuè in Domino oblectamur, dum Institutionem unius Militaris Religionis, sub invocatione Conceptionis Deiparæ Virginis Immaculatæ, meditantur, quam Christi fideles omnes propitiam apud Unigenitum Filium suum nacti sunt Advocatam. &c.* (p)

160. HAc constitutione Urbanus, proponentibus, & flagitantibus Viris Principibus, Ferdinando Mantuæ, & Carolo Nivernensium Ducibus, nec non Adolpho Comite de Altan, approbavit, & instituit *Militiam Christianam nuncupandam sub titulo Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ:* eamque Sedi Apostolicæ singulariter subjectam, in suam tutelam, ac protectionem suscepit: & subinde pro ejusdem regimine, ac statutis, duas alias edidit Constitutiones, quæ sunt *num.* XXIX. & XLIII. in suo Bullario.

161. Postmodum anno 1625. hujus Militiæ habitum misit Elisabethæ Hispaniarum Reginæ, sic ad eam scribens: „ Cum cupias tuam erga „ Immaculatam Deiparam, illustri aliquo do„ cumento, religionem significari; mittimus „ Majestati tuæ, munitum Apostolica Benedi„ ctione, Habitum Militiæ Christianæ, quæ ab „ ejusdem Virginis Conceptione petiit sacrum E„ questris Familiæ Nomen, & Auspicium &c. „ Ita ferunt P. Fassari, (q) & Antonius Calderon. (r) Num vero Sacrum Nomen, & Auspicium petitur a Conceptione, mancipata Diabolo?

162. Fabulatur Launojus, (s) quod cum *Dux Nivernensium, Equitum Ordinem instituisset; & dixisset Ordinem Conceptionis Immaculatæ; hunc Ordinem Anno 1624. confirmavit Urbanus VIII. ea lege, ut titulus immutaretur, & diceretur Ordo Gloriosæ Conceptionis Virginis Immaculatæ.* At cum nullum hujus facti adducat Testem, ex falsitatibus, quas interserit, satis arguitur de falsa narratione. Et 1. Solum Ducem Nivernensium ejus Ordinis Auctorem facit. 2. Ait, eundem Ordinem anno 1624. ab Urbano VIII. confirmatum. 3. In suum caput mentitus, *Ordinem Gloriosæ Conceptionis*, a Pontifice nuncupatum dicit: non animadvertens, B. Virginis Conceptionem, Gloriosam secundùm DEUM nuncupari non posse, nisi fuerit Immaculata; dicente Apostolo: (t) *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ &c.*

163. Hujus Ordinis Equites pro suo stemmate, Crucem auream gerebant in pectore, notis cærulei coloris variegatam; quæ in medio referebat ex una parte Imaginem Conceptionis Immaculatæ, cingulo S. Francisci circumcinctam; & ex altera Imaginem S. Michaelis Archangeli: tænia vero, cui Crux alligata e collo pendebat, serico cæruleo, atque aureo intexta erat; uti refert, & exhibet P. Philippus Bonanno Soc.

(k) *Apud* Johannem a S. Thoma *to.* 1. *in 1 partem* D. Thomæ, *tractatu prævio, disp.* 2. *art.* 2. *pag.* 158.
(l) *In legatione citata sect.* 4. *in fine.*
(m) *Disp.* 9. *Trutinæ Theologicæ, quæst.* 4. *opusc.* 2. *divisione* 2. & 3. *a pag.* 29. *edit.* Lugdun. *an.* 1666.
(n) *In Dissert. pro retinendo Tit. Immac. Concep. a* §. 1. *ad* 9. *a pag.* 309. *to.* 7.
(o) *Epist.* 13. *pag.* 158.
(p) *Extat n.* 12. *a pag.* 39. *tomi* 4. *Magni Bullar. Rom. edit.* Lugdun.
(q) *In Append. Opusc.* 2. *pag.* 44. *Trut. Theolog. cit.*
(r) *In libro pro Titulo Immac. Concep. cap.* 5. *post n.* 204. *pag.* 306. *edit.* Madritens. *an.* 1650.
(s) *In suis Additionib. mss. ad præscript.* 9. *referente Editore in notis pag.* 21.
(t) 2. *ad Cor.* 1. 12.

Soc. Jesu. (u) Addit P. Augustinus Oldoinus, (x) illi stemmati hoc lemma fuisse subjectum: *Vicisti: Vince hoc Insigni vere nostro.*

SECUNDA URBANI CONSTITUTIO,

Edita die 26. Novembris, Anno 1631.

Sanctæ, & Immaculatæ Virginis, Genitricis DEI Mariæ, omni laude dignissimæ Cultum, & Venerationem augere desiderantes, Pia Christi fidelium in id tendentia Vota, ad exauditionis Gratiam libenter admittimus, favoribusque, & gratiis prosequimur opportunis, Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt &c. (y)

164. IN hac Constitutione Urbanus concedit Nationi Hispanicæ, ut, *pro eo præcipuo, quem Universa Natio hujusmodi, erga Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis gerit, devotionis affectu*; in Ecclesia S. Jacobi de Urbe, hujusmodi Festum quotannis solemniter celebret, etiam ipsâ secundâ Dominicâ Adventus, cùm in eam inciderit, sub ritu duplicis primæ classis.

165. Non hìc refero illam Urbani Constitutionem, *Ex debito*, editam anno 1633. (z) in qua Religiosis Missionariis, in India Orientali degentibus, mandat usum Doctrinæ Christianæ, a Card. Bellarmino compositæ; ubi Salutatio Angelica juxta Piam Sententiam exponitur; & sic *a Solis ortu usque ad occasum*, Immaculata B. Virginis Conceptio laudatur. De ista namque Constitutione jam actum est Actione I. *n.* 160.

TERTIA URBANI CONSTITUTIO,

Edita 20. Julii, Anno 1639.

Cum, sicut accepimus, in Ecclesia S. Barbaræ Domus FF. Minorum ...... in Indiis Orientalibus, una pia, & devota utriusque sexus Christi Fidelium Confraternitas, sub Invocatione Conceptionis B. Mariæ Virginis ...... canonice erecta, seu erigenda existat &c. Nos ut Confraternitas prædicta, majora in dies suscipiat incrementa &c. (a)

166. PEr hanc Constitutionem Urbanus largitur Confratribus, & Consororibus istius Confraternitatis, Plenariam Indulgentiam, consequendam primo die ingressus in Confraternitatem, & in Articulo Mortis, necnon quotannis in Festo principali ejusdem Confraternitatis, nempe in Festo Immaculatæ Conceptionis; alias insuper minores Indulgentias, pro variis diebus, & opportunitatibus obtinendas.

167. Erectum denique est Urbani VIII. Auctoritate, in Oppido Lucches Toletanæ Diœcesis, Monasterium, sub Titulo Immaculatæ Conceptionis a Gaspare Guzman, & ejus Uxore Agnete de Zunica, Comitibus de Olivares. Cujus Moniales, sub Regula S. Dominici viventes, recitare tenentur singulis Sabbatis, Festo novem Lectionum non impeditis, Officium Conceptionis Immaculatæ; & singulis diebus canere in Choro antiphonam, & orationem ejusdem Conceptionis: gestantque in *Scapulario* ante pectus, acu pictam Conceptionis Imaginem, sub excommunicationis pœna, nunquam deponendam. (b)

168. Post tot illustria Marianæ Pietatis argumenta, non sit, qui suspicetur, Urbanum VIII. Immaculatæ Conceptionis festivæ Solemnitati aliquid detrahere voluisse per Constitutionem, *Universa*, editam anno 1642. (c) ubi Festa, de præcepto a cunctis Fidelibus observanda, ad pauciorem numerum redigens, Conceptionis Festum, quod in plerisque Regionibus de præcepto observabatur, prætermisit. Divino Consilio id contigisse crediderim, ut intermissionis hujus occasione, Festum Conceptionis postmodum a S. Sede Apostolica, speciali Constitutione, Universæ Ecclesiæ de præcepto observandum solemnius indiceretur: quod jam præstitit laudandus Clemens XI.

169. Præterea, [ut recte notavit Illustriss. Caramuel epistola XXXIV. ad Hippolytum Marracium, (d)] *Lex de observando Immaculatæ Conceptionis Festo, utut sub initium fuerit necessaria, vel utilis, hoc ævo est omnino superflua. Ita enim crevit erga hoc mysterium Populi Christiani devotio, ut sine lege faciat, quod lex indiceret.* Unde concludit, *legem illam refixisse Urbanum, non quidem, ut tolleretur, aut minueretur observantia, sed ut crescere permitteretur sine lege.* Et Theophilus Raynaudus refert, (e) quod *Cum Solemnitas Conceptionis B. Virginis liberi cultus facta videretur, nemo fuit Episcoporum* [in Gallia] *qui derogari splendori tantæ celebritatis pateretur.*

Testimo-

(u) *In Catalogo Ord. Equestr. & Militar. Imaginibus exposito, n. 23. & in charta 143.*
(x) *In Additionib. ad Vitas Pontific.* Ciaconii, *ad Vitam* Urbani VIII. *col. 500. tomi 4.*
(y) *In eodem Bullar. Rom. n. 168. pag. 57. tomi 5.*
(z) *Extat tom. 4. ejusd. Bullar. numer. 128. pag. 189. V. §. 6.*
(a) *Est Constitut. 269. pag. 127. tom. 5. ejusd. Bullarii.*
(b) *Refertur in Vita Urbani VIII. col. 499. tom. 4. Vitarum Pontif.* Ciaconii *cum Additionibus* Augustini Oldoini.
(c) *Constitut. 164. pag. 230. tom. 4. Bullarii citati.*
(d) *In Theologia Regulari, tom. 2. pag. 204. edit.* Lugdun. an. 1665.
(e) *De retinendo Tit. Immac. Concep. §. 7. pag. 319. col. 2. tomi 7.*

TESTIMONIUM XVI.

Innocentius Papa X. ab A. Dñi MDCXLIV.

CONSTITUTIO,

Nos dicti Philippi Regis, erga eandem Beatissimam Virginem, devotionis affectum summopere in Domino commendare, ac ejus desiderio hujusmodi favorabiliter annuere volentes; de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus Præpositorum consilio, quoad Festum Conceptionis prædictæ Virginis, in Regnis Hispaniarum tantùm, obstaculum dictæ Constitutionis nostri Prædecessoris, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium removemus. (f)

170. CONstitutionis hujus nec annum designo, nec initium refero. Quia hoc solum fragmentum reperi apud P. Nierimbergium, de cujus Viri Piissimi, & eodem tempore in Hispania scribentis, fide dubitare non licet. Edidit autem hanc Constitutionem Innocentius, a Catholico Rege Philippo IV. per suum Oratorem in Urbe exoratus, ut illam Urbani VIII. Constitutionem de Reformatione Festorum relaxans, declararet, seu decerneret, Festum Conceptionis B. Virginis in omnibus Hispaniarum Regnis de præcepto esse servandum: non quòd Hispanis ad ejus Festi observationem præcepto opus esset, sed pro majori ejusdem Festi solemnitate, & lætitia.

TESTIMONIUM XVII.

Alexander Papa VII. ab A. Dñi MDCLV.

CONSTITUTIO,

Edita die VIII. Decembris, Immaculatæ B. Virginis Conceptioni sacra, Anno 1661. sub hoc Titulo:

Innovatio Constitutionum, & Decretorum, in favorem Sententiæ asserentis, Animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in Corpus infusione, a Peccato Originali præservatam fuisse, editorum.

I. „SOllicitudo omnium Ecclesiarum, quam „licet meritis, & viribus longe impares, „DEI Optimi Maximi Voluntate, & Provi„dentia gerimus, in id nos anxie tenet inten„tos, & vigilantes, ut scandala, quæ inter Fi„deles, Humanæ Naturæ corruptione, & fra„gilitate, necesse est, ut veniant, quantum fieri „potest, paucissima exoriantur; utque exorta, „quam celerrime, & quàm diligentissime amo„veantur. Nam iis, per quos veniunt, certam „Peccati perniciem; quibus verò præbentur, „præsens afferunt labendi periculum: quo„rum Nos, pro nostro Pastoralis Officii de„bito, & damnum summopere dolemus, & „discrimine assidue urimur.

II. „Sane vetus est Christi fidelium erga ejus „Beatissimam Matrem Virginem MARIAM „Pietas, sentientium, ejus Animam, in primo „instanti Creationis, atque infusionis in Cor„pus, fuisse speciali DEI gratia, & privilegio, „intuitu meritorum JESU CHRISTI, ejus Filii, „Humani Generis Redemptoris, a macula Pec„cati Originalis præservatam Immunem; atque „in hoc sensu ejus Conceptionis Festivitatem „solemni ritu colentium, & celebrantium.

III. „Crevitque horum numerus, atque hujus„modi cultus post editas a fel. Rec. Sixto Papa „IV. Prædecessore nostro, in ejus commenda„tionem Apostolicas Constitutiones, quas Sa„crum Concilium Tridentinum innovavit, at„que observari mandavit. Aucta rursus, & „propagata fuit Pietas hæc, & Cultus erga „Deiparam, post erecta hoc nomine approban„tibus Romanis Pontificibus, Religiosum Or„dinem, & Confraternitates, ac concessas ab „iisdem Indulgentias; ita ut, accedentibus quo„que plerisque celebrioribus Academiis ad „hanc Sententiam, jam fere omnes Catholici „eam complectantur. Et quia ex occasione „Contrariæ Assertionis in Concionibus, Le„ctionibus, Conclusionibus, & Actibus publi„cis, quod nempe eadem Beatissima Virgo „MARIA fuerit concepta cum Peccato Origi„nali, oriebantur in Populo Christiano, cum „magna DEI offensa, scandala, jurgia, & dis„sensiones; fel. mem. Paulus PP. V. etiam „Prædecessor noster, vetuit horum opinionem, „præfatæ Sententiæ contrariam, publice doce„ri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ „mem. Gregorius PP. XV. similiter Præde„cessor noster, ad privata etiam colloquia ex„tendit: mandans insuper in favorem ejusdem „Sententiæ, ut in sacrosancto Missæ Sacrificio, „ac Divino Officio celebrandis, tam publice, „quàm privatim, non alio, quàm Conceptionis „nomine uti quicunque debeant.

IV. „Nihilominus, prout Venerabiles Fratres, „Episcopi ferè omnes Hispaniarum, cum Ec„clesiarum suarum Capitulis, datis ad Nos lit„teris exposuerunt, accedente etiam insinuatio„ne Carissimi in CHRISTO Filii nostri Philip„pi, earundem Hispaniarum Regis Catholici, „qui specialem super hoc misit ad Nos Ora„torem, Venerabilem Fratrem Ludovicum „Episcopum Placentinum, per quem etiam de„latæ Nobis fuerunt, ad Nos supplicationes „earundem Hispaniarum; pergunt aliqui con„trariæ illius opinionis Assertores, contra præ„fatas prohibitiones, tum privatim, tum publi„ce præfatam Sententiam aut impugnare, „aut vellicare, & favorem a Romanis Ponti„ficibus Cultui, & Festo secundùm illam præ„stitum, ita interpretari, ut frustrentur; imò

(f) *Extat apud* P. Jo. Eusebium Nierimbergium, *in lib. de perpetuo objecto Festi Conceptionis, cap.* 25. *pag.* 34.

„ Ecclesiam Rom. huic Sententiæ, & Cultui, „ juxta illam Beatæ Virgini exhibito, favere „ negant, pios Christi fideles e sua pacifica quasi Possessione deturbare conando: unde offensiones, scandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. „ nostri Prædecessores, perdurant adhuc, & „ ex occasione eorundem Adversantium, majora his incommoda in posterum prudenter, „ & merito timentur. Quapropter super his „ tam præfati Episcopi, cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quàm memoratus Philippus „ Rex, ejusque Regna, Nobis pro opportuno „ remedio instanter supplicari fecerunt.

V. „ Nos considerantes, quod Sancta Romana „ Ecclesia de Intemeratæ, semperque Virginis „ MARIÆ Conceptione Festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc „ Officium olim ordinavit, juxta piam, devotam, & laudabilem institutionem, quæ a Sixto IV. Prædecessore nostro tunc emanavit; „ volentesque laudabili huic Pietati, & Devotioni, & Festo, ac Cultui, secundùm illam „ exhibito, in Ecclesia Romana, post ipsius „ Cultus Institutionem, nunquam immutato; „ Rom. Pontificum, Prædecessorum nostrorum „ exemplo, favere; nec non tueri Pietatem, & „ Devotionem hanc colendi, & celebrandi „ Beatissimam Virginem, præveniente scilicet „ Spiritus Sancti gratia, a Peccato Originali „ præservatam; cupientesque in CHRISTI grege „ unitatem spiritûs in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & jurgiis, amotisque scandalis „ conservare: Ad præfatorum Episcoporum, „ cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces; Constitutiones, „ & Decreta, a Rom. Pontificibus Prædecessoribus nostris, & præcipue a Sixto IV. Paulo „ V. Gregorio XV. edita in favorem Sententiæ asserentis, Animam Beatæ MARIÆ Virginis in sui Creatione, & in Corpus infusione, Spiritus Sancti gratiâ donatam, & a Peccato Originali præservatam fuisse, nec non „ & in favorem Festi, & Cultûs Conceptionis „ ejusdem Virginis Deiparæ, secundùm Piam „ illam Sententiam, ut præfertur, exhibiti; „ innovamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis, observari „ mandamus.

VI. „ Et insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent „ interpretari, ut favorem per illas dictæ Sententiæ, & Festo, seu Cultui, secundùm illam exhibito, frustrentur; vel qui hanc eandem Sententiam, Festum, seu Cultum in „ disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directe, vel indirecte, aut sub „ quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus „ examinandæ, sive Sacram Scripturam, aut „ Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, „ vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, seu occasione, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra „ ea quidquam determinando, aut asserendo, „ vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili „ modo differendo, ausi fuerint; præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. „ contentas, quibus illos subjacere volumus, & „ per præsentes subjicimus; etiam concionandi, „ publice legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in „ quibuscunque electionibus, eo ipso absque „ alia declaratione privatos esse volumus; nec „ non ad concionandum, publice legendum, „ docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere, absque alia declaratione: a quibus pœnis non nisi a Nobis ipsis, vel a Successoribus nostris „ Romanis Pontificibus absolvi, aut, super iis „ dispensari possint; nec non eosdem aliis pœnis, nostro, & eorundem Romanorum Pontificum Successorum nostrorum arbitrio infligendis, pariter subjacere volumus, prout „ subjicimus per præsentes; innovantes Pauli „ V. & Gregorii XV. superius memoratas „ Constitutiones, sive Decreta.

VII. „ Ac libros, in quibus præfata Sententia, „ Festum, seu Cultus secundùm illam, in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, „ seu locutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur; post „ Pauli V. supra laudatum Decretum edita, „ (*forte* editos) aut in posterum quomodolibet „ edenda, (*forte* edendos) prohibemus sub „ pœnis, & censuris, in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia „ declaratione, pro expresse prohibitis haberi „ volumus, & mandamus.

VIII. „ Vetamus autem, Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod „ propter hoc, contrariam opinionem tenentes, videlicet, Gloriosam Virginem MARIAM „ cum Originali Peccato fuisse conceptam; „ hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum, „ prout Nos nunc minime decidere volumus, „ aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem, hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. „ aliique Prædecessores nostri Pontifices; gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superius inflximus.

IX. „ Volentes, quod contra hujus nostræ Constitutionis Transgressores, etiam Regulares „ cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, & quomodolibet exemptos, & „ alias quascunque Ecclesiasticas, & Seculares „ Personas cujuscunque Status, Gradus, Ordinis, aut Dignitatis, tam Ecclesiasticæ, „ quàm Sæcularis, ut præfertur; tam Episcopi, „ & Prælati Superiores, aliique locorum Ordinarii, quàm hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores, procedant, & „ inquirant, atque in eos stricte animadvertant. Nos enim iis, & eorum cuilibet, contra eosdem Transgressores procedendi, & „ inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi „ liberam facultatem, & auctoritatem, iisdem aucto-

„ auctoritate, & tenore, tribuimus, & impartimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire, districte præcipimus, & mandamus.

X. „ Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis Indultis, & Litteris Apostolicis, quibusvis Personis, quantuncumque qualificatis, & in quacunque, etiam Cardinalatûs, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat, quomodolibet concessis: quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam idem importantes, clausulas, mentio habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes; harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

XI. „ Ut autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia, ad eorum omnium, quorum interest, notitiam congruentius pervenire possint; in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ, eo ipso incurrenda, præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscunque & aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet; quatenus hujusmodi nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel Districtus Prædicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverint, opportune insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa valeat excusare.

XII. „ Volumus, & similiter eadem Auctoritate decernimus, & mandamus, quod præsentes Litteræ, per aliquos ex nostris Cursoribus in Basilicarum Ss. Johannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apost. valvis, ac in acie Campi Floræ de Urbe, de more publicentur, & affigantur; quæ affixio, & publicatio ita omnes, & singulos, ad quos spectat, afficiat, & arctet, ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus Personæ, in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus Fides adhibeatur, quæ præsentibus Litteris adhiberetur, si ostensæ, vel exhibitæ forent. „ (g)

Plazza Causa Immacul. Concept. B. M. V.

OBSERVATIONES.

171. Priusquam singula hujus Constitutionis momenta perpendamus, quorumdam est castiganda temeritas, blaterantium, laudatam Constitutionem *Subreptitiam* esse, hoc est, quasi ab invito Pontifice clanculum extortam. Lampridius quoque non est veritus scribere: *(h) Hispanorum querelis, ac precibus fatigatum Alexandrum VII. Constitutionem edidisse* &c. Et alibi: *(i) Catholicos Reges importune apud Romanos Pontifices egisse, ut quæstio de Conceptione dirimeretur* &c. *& saltem a Paulo V. Gregorio XV. & Alexandro VII. Decreta, & Bullas retulisse.* Ac si Summi Pontifices non veritati, & æquitati, sed supplicantium importunitati tam gravia Decreta, & Bullas velut inviti dederint. Quam falso, & temere id scripserit Lampridius, statim deprehendet, qui apud P. Vincentium Fassari (k) legerit Catholicorum Regum pro hoc negotio ad Summos Pontifices litteras, moderationis, & erga Sedem Apostolicam observantias plenas; a Pontificibus laudabiliter, officiose, & gratanter acceptas.

172. At adversus illas nænias, in re præsenti, Testem invoco ipsummet Alexandrum VII. qui, accedentem ad se Ill. D. Ludovicum Crespi a Borgia, Episcopum Placentinum, Catholici Regis, pro causa Immaculatæ Conceptionis extraordinarium Oratorem, ejusdem Regis nomine de obtenta Constitutione gratias acturum, præveniens, sic affatus est: „ Tandem venit plenitudo temporis. Egimus in hac Causa, non Causæ Advocatum, sed Contrarium, & Adversarium, immo & Refractarium. Consideravimus totum negotium intus, & foris, dextrorsum, & sinistrorsum, sæpius discussimus, orationes ante fudimus; & tandem, annuente, & inspirante Domino, ad expeditionem Constitutionis devenimus: quam per quatuor menses sub imagine Sancti Crucifixi habuimus, Dominum deprecantes, ut id, quod magis expediens esset pro Ecclesiæ bono, nobis inspiraret. Postremò, die ipsa *Sanctissimæ Conceptionis*, ad implorandum divinum auxilium Missam celebravimus, & Constitutionem ipsam in Altari sub sacris linteaminibus collocavimus, Sacroque finito, subscripsimus; tibique testamur, quod si vel minimum circa rem hanc dubium nobis occurrisset, non subscripsissemus. „

173. Hoc narrat, & ad verbum refert P. Johannes Everardus Nidhardus Soc. Jesu, tunc Serenissimæ Reginæ Mariæ Annæ a sacris Confessionibus, & postmodum Supremus in Hispania Inquisitor, & S. R. E. Cardinalis, *In Examine Theologico quatuor propositionum* &c. quod ipsi Ale-

(g) *Extat n.117. a pag. 346. tomi 5. Magni Bullarii Romani, edit.* Lugdun. *Refertur a* Franc. Porter *in System. Decretor. Sæculo 17.cap.3.§.3.a pag.632.edit.* Avenion. *anni 1693. Habemus etiam in nostra Biblioth. vetus exemplar ejusdem Constitutionis, recusum* Panormi *apud* Isolam, *altero, post primam Editionem Romanam, mense, executioni mandatum in Regno ab ipso* Excellentiss. Dño Ferdinando de Ayala Prorege, *die 7. Januarii* an. 1662.

(h) *Cap. 9. pag. 60.*

(i) *Cap. 11. pag. 82.*

(k) *In Appendice Opusc.2. pag.45.& seq.& pag.43.& seq.*

Alexandro VII. inscripti. (l) Ubi etiam testatur, laudatam Constitutionem, ab Alexandro VII. ad Catholicum Regem, per Episcopum Placentinum transmissam, propria ipsius Pontificis manu a capite ad calcem esse conscriptam.

174. Eosdem sensus expressit idem Alexander in suo Brevi Apostolico ad Philippum IV. dato, apud S. Mariam Majorem, die x. Decembris ejusdem anni 1661. „Post invocatam, *inquit*, „ repetitis precibus, Spiritus Sancti Gratiam, saepe Viros insigniter Doctos, & Religiosos auditos, habitas plures, praesertim Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Generalium Inquisitorum, consultationes; de illorum consilio, & assensu, Constitutionem edidimus, quam sane, benedicente Domino, conscientiarum, & Animarum quieti componendae salutarem, piae devotionis profectibus accommodam, atque singulari, & in hac quoque re praeclarè spectatae pietati tuae magnopere gratam fore, speramus. Cuncta porro distinctè magis ex Ven. Fratre Episcopo Placentino, pro hac agenda causa ad nos misso, cujus egregia doctrina, & Religionis accensa studia, toto hujus negotii pertractati tempore, bene cognita, & valde probata sunt; tum ex Apostolico nostro Nuntio, coram audies. Interea nos &c. „ (m)

175. Illius Episcopi Placentini Doctrina nobis quoque probata, & perspecta est ex *Propugnaculo Theologico pro Immaculata Conceptione*: Quod cum esset Episcopus Oriolensis, ediderat Valentiae anno 1653. ut libellaticis Machinationibus Hyacinthi de la Para, sub ficto nomine Arpalagi, se opponeret.

176. Ipsam nunc Alexandri Constitutionem particulatim contemplemur. Quae quidem ita est Innovatio Constitutionum, & Decretorum, in favorem Piae Sententiae editorum, ut simul sit eorumdem luculenta declaratio; nec non asseveratio plurium veritatum, quae veluti fundamenta quaedam sunt Piae Sententiae.

177. §. I. Praefatur Alexander sollicitudinem, quam gerit, omnium Ecclesiarum, & debitum Pastoralis Officii, quo fungitur; nec non causam publicam removendi scandala, quae turbabant Ecclesiam DEI. Quo exordio significat, in hac Constitutione se gerere tamquam Supremum Pastorem totius Ecclesiae, & hanc suam Constitutionem Auctoritate Apostolica informari.

178. §. II. Sensum, & Cultum Immaculatae DEI Genitricis Conceptionis, (quem cum omni scholastica proprietate describit) & Vetustum in Ecclesia, & Pium esse, constanter affirmat; & hunc Pietatis Titulum utrique identidem attribuit. Unde factum est, ut Sententiae eximenti B Virginem ab Originali Peccato, PIAE SENTENTIAE Titulus, ita proprius evaserit, ut hoc veluti charactere, a Contraria Sententia discernatur. Quis enim *Sententiam Piam* nominari audiens, etsi Adversarius fuerit, non statim intelligat de IMMACULATAE CONCEPTIONIS Sententia esse sermonem?

179. Obtinuit ergo Immaculatae Conceptionis Sententia illam ab Alexandro VII. Pietatis Nomenclaturam, quam, ob paucorum resistentiam, in Concilio Tridentino non obtinuerat. Refert enim Cardinalis Pallavicinus, quod „ Cum petierit Cardinalis Pacecus, ut universali positioni, qua communis cunctis Hominibus hujusmodi noxa declarabatur, haec verba adjicerentur: *De B. Virgine. Synodus nihil definire intendit, quamvis PIE credatur, absque Originali Peccato conceptam fuisse*: in illius sententiam plerumque itum. „ At Episcopi, aliique ex Ordine Dominicano, qui aderant, acriter intercessère, quos nonnulli secuti sunt. Opponebant illi, ubi altera Opinio *PIA* declararetur, alteram „ Impiam (*hoc nos non dicimus, sed tantum*, minus Piam) declaratum iri: quod perinde foret, ac tacite quaestionem decidit. „ (n)

180. §. III. Enarrat Pontifex, rataque habet plura argumenta, quorum efficacitate Pius Sensus, & Cultus Immaculatae Conceptionis apud Christifideles mirabiliter auctus, & propagatus est. Et recenset, ac laudat 1. Sixti IV. Constitutiones. 2. Innovationem earumdem Constitutionum, a Concilio Tridentino decretam. 3. Erecta *Conceptionis nomine*, approbantibus Romanis Pontificibus, Religiosum Ordinem, & Confraternitates. 4. Concessas ab iisdem Pontificibus, *eodem nomine*, Indulgentias. 5. Celebriorum Academiarum suffragia. 6. Omnium fere Catholicorum consensum. 7. Denique Decreta Pauli V. & Gregorii XV. superius exposita.

181. Et haec est illa Sententia, quam Lampridius *Scotisticam* vocitat; quasi a Scoto initium, & auctoritatem acceperit. Illa nempe Sententia, quam nedum vox popularis, sed & ipsa Sedes Apostolica antonomastice *PIAM* appellat; & celebriorum Academiarum, ac omnium fere Catholicorum esse pronuntiat; quaeque sola, ejusdem Sanctae Sedis mandato, seu publice, seu privatim doceri, & exaudiri in Ecclesia potest. Quanto verius, & sapientius, Natalis Alexander, eruditus Ord. Praedicatorum Magister, (o) eandem Sententiam, non Scoticam, sed *Communem, Piam, & Ecclesiasticam* appellat? Et nos etiam *Catholicam Sententiam*, nuncupare valemus; juxta ea, quae ex Cano, Dominicus Bannez, ejusdem Ordinis Magister, observat: (p) *Aliud est*, inquit, *Fides Catholica; & aliud, Doctrina Catholica. Sunt enim aliqua, quae universaliter docentur in Ecclesia Catholica, quae non sunt Catholica Fides.* Hujusmodi enim esse Immunitatem DEI Genitricis ab Originali Peccato, inficiabitur nemo.

182. §. IV. Multiplices Adversariorum, nequicquam reclamantibus Apostolicis Decretis, in Piam Sententiam molitiones, queritur Ale-

(l) *Par. 5. §. 1. pag. 503. edit.* Antuerp. an. 1682.
(m) *Extat hoc Breve, ex Regio Matritensi Tabulario descriptum a* Fr. Dominico Lossada, *in Discussione Theolog. super Definibilitate &c. num. 17. pag. 9. edit.* Madrit. an. 1732.
(n) *Lib. 7. Histor. Concil. Trid. cap. 7. pag. 660. edit. Latinae.* Antuerp. an. 1670.
(o) *Tomo 7. Histor. Ecclesiast. Sec. 13. & 14. cap. 3. art. 23. scholio 4. pag. 134.*
(p) *In 2. 2. D. Thomae quaest. 11. art. 2.*

Alexander. Et 1. quod eam pergant impugnare: 2. vellicare, seu carpere, & criminari: 3. favorem, a S. Sede Cultui, & Festo Immaculatæ Conceptionis præstitum, sinistris interpretationibus frustrari: 4. negare, Ecclesiam Romanam huic Sententiæ, & Cultui, juxta eandem, B. Virgini exhibito, favere: 5. Pios Christifideles ab hac sua pacifica quasi possessione deturbare conari. Quæ, ubi, & quomodo tentaverint Adversarii, singillatim refert P. Vincentius Fassari. (q) Quamobrem dolet Pontifex, offensiones, scandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt sui Prædecessores, adhuc perdurare, & *ex occasione eorundem Adversantium* (ecce originem hujusmodi offensionum, & scandalorum, & jurgiorum) *majora his incommoda in posterum*, prudenter, & merito *timeri* ait, nisi opportuno remedio præcaveantur.

183. §. V. Istud opportunum remedium decreturus Alexander, tria potissimum ante declarat, (etsi declarandi verbo non utatur) quæ Piæ Sententiæ Defensores asserebant, Oppugnatores pernegabant. Declarat, inquam, non ea definiendo, tanquam Catholicæ Fidei dogmata, sed ita asseverando, ut pro certis, & exploratis apud Fideles sint habenda. Ut enim monet Canus: *(r) Ecclesiasticæ Doctrinæ, quam amplecti etiam tenemur, non idem est gradus, nec omnia Judiciorum Decreta, eodem loco habenda sunt.* Et paulo post: *Multa quidem ad sanam Ecclesiæ Disciplinam attinent, quæ Fidei Decreta non sunt.*

184. Declarat itaque primo, Sanctam Romanam Ecclesiam de Intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione Festum solemniter celebrare, & speciale, ac proprium super hoc Officium olim ordinasse; juxta Piam, Devotam, & Laudabilem Sixti IV. Institutionem. Et consequenter declarat, Romanam Ecclesiam olim celebrasse Festum Conceptionis, ut Immaculatæ, & ab Originali Peccato immunis. Hoc enim est, quod in illo Officio centies repetitur, & per illud apertissime celebratur, ac colitur: ut liquet ex dictis Act. III. *n.* 204. *& seq.*

185. Declarat secundo, hoc Festum, & hunc Cultum Conceptionis, *Secundùm illam* (scilicet *Piam, Devotam, & Laudabilem Sixti IV. Institutionem*) olim *exhibitum, in Ecclesia Romana, post ipsius Cultus Institutionem, nunquam immutatum fuisse.* Quapropter declarat, per mutationem Officii a S. Pio V. inductam, nec Festum, aut Cultum Conceptionis Immaculatæ immutatum fuisse; nec prius Officium fuisse reprobatum, etsi justis de causis fuerit suppressum. Et sic tandem declarat, Objectum Festi Conceptionis, quod Romana Ecclesia celebrat, ipsam esse B. Virginis, ab Originali Peccato præservatæ, Conceptionem Immaculatam. Et istud erat, quod Catholicus Rex Philippus IV. in libello supplici, (quem suo, suorumque Regnorum nomine, per Laudatum Oratorem, Alexandro VII. obtulit) enixius postulabat: *Quatenus declarare dignetur suo speciali Decreto, Motivum, seu Objectum prædictæ Festivitatis esse, & fuisse Gratiam primi instantis, in quo creata fuit Sanctissima Virginis Anima, ab Originali Peccato præservata.* (s)

186 Declarat tertio, se, Prædecessorum suorum exemplo, laudabili huic Pietati, & Devotioni, & Festo, ac Cultui, secundùm Piam Sententiam exhibito, favere velle; necnon tueri Pietatem hanc colendi, & celebrandi BB. Virginem, præveniente scilicet Spiritus Sancti Gratia, a Peccato Originali præservatam. Et consequenter declarat, Sanctam Apostolicam Sedem, per Romanos Pontifices, Prædecessores suos, sensui, & cultui Conceptionis Immaculatæ favorem, & tutamen constanter præstitisse; atque in hunc scopum Conceptionis Festum instituisse, vel ampliasse, Officium ordinasse, Indulgentias concessisse, Religiosos Ordines, & Confraternitates approbasse, vocem tam publicam, quàm privatam Adversariis eripuisse, Divinaque Officia sub uno Conceptionis titulo, ac nomine celebrari jussisse.

187. His itaque declaratis, cupiens Alexander in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis conservare; videlicet in unum omnes Immaculatæ Conceptionis sensum, & cultum convenire: Constitutiones, & Decreta, a Romanis Pontificibus, Prædecessoribus suis, & præsertim (quæ majoris sunt momenti) a Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem Piæ Sententiæ, nec non in favorem Festi, & Cultus Conceptionis Deiparæ, secundùm eandem Piam Sententiam exhibiti; innovat, & sub censuris, & pœnis in eis contentis observari mandat.

188. Quare, cum Pontifex signanter loquatur de Constitutionibus, & Decretis editis in favorem Piæ Sententiæ &c. Siquid in illis, ex Prædecessorum suorum conniventia, datum est Contrariæ Sententiæ; non id voluit Alexander hac sua Constitutione innovare, & confirmare. Et idcirco datâ operâ abstinuit a clausula illa, quam Paulus V. & Gregorius XV. adjecerunt, *De præjudicio Contrariæ Sententiæ non inferendo.* Idcirco etiam S. Pii V. Constitutionem, *Super speculam*, non nominavit; quoniam præter confirmationem Sixtinæ Constitutionis, specialem alium Piæ Sententiæ favorem non continebat.

189. Quod vero huic Constitutioni causam dederint oblatæ Alexandro, totius Hispaniæ Episcoporum, Ecclesiarum, Regnorum, & Philippi Regis postulationes, ac preces; ipsius robori, & auctoritati nihil omnino derogat. Nam etiam Innocentius X. ad Episcoporum Galliæ instantiam, edidit gravissimam illam Constitutionem, (t) qua singulis quinque propositionibus Jansenianis peculiarem censuram inussit. *Complures*, inquit, *Galliarum Episcopi apud nos institerunt*

Plazza Causa Immacul. Concept. B. M. V. Y 3

(q) *In Appendice Opusc.* 2. *Trutina Theolog. pro Immac. Concep. a pag.* 31. *ad* 41.

(r) *Lib.* 5. *de Locis Theol. cap.* 5. §. Illud, *fol.* 170. *pag.* 1.

(s) *Refert* P. Dominic. Lossada *diss.* 1. §. 5. *n.* 15. *pag.* 9. *ex Authent. Docum. in Regio Archivo Madrit. asservatis.*

(t) *Constitut.* Cum occasione, *edita an.* 1653. *& confirmatâ in Alexandri VII. Constit.* Ad Sanctam, *quæ extat pag.* 238. *tom.* 5. *Bullar. Rom. edit. Lugdun.*

...unt &c. Et idem Alexander VII. ad preces Galliarum Regis, non minus gravem Constitutionem emisit, (*u*) qua certam præscripsit formulam, ab omnibus Ecclesiasticis subscribendam, in damnationem earum quinque propositionum. *Cum Rex*, inquit, *Christianissimus*, *Religionis Zelo ductus*, *per suum in Urbe Oratorem*, *nobis significari*, *exponique curaverit* &c. Num ad hujusmodi Constitutionum pondus elevandum, liceret dicere Lampridio: *Innocentium X. Gallorum querelis*, *ac precibus fatigatum* &c. *Christianissimum Regem importune egisse apud Alexandrum VII.* &c.

190. Cæterum, etsi laudata Constitutio, qua parte innovat præcedentia Decreta, & Constitutiones, edita dicatur, *ad oblatam aliorum instantiam.* Qua parte tamen, (quæ potior est) plura illa declarat, ad easdem Constitutiones, & Decreta, atque ad Piam Sententiam spectantia, *Motu proprio*, *& ex certa Scientia*, ab Alexandro emanavit.

191. §. VI. Alexander, singillatim exponens, vel etiam amplians Pauli V. & Gregorii XV. prohibitiones, ne quidquam proferatur adversus Piam Sententiam; gravissimis pœnis, ac censuris, ipso facto incurrendis, subjicit omnes, & singulos, qui deinceps ausi fuerint, vel 1. Innovatas Constitutiones, seu Decreta ita interpretari, ut favorem per illas præstitum Sententiæ, & Festo, seu Cultui Immaculatæ Conceptionis, frustrentur: vel 2. eandem Sententiam, Festum, seu Cultum in disputationem revocare, tanquam rem dubitationi subjectam: vel 3. contra ea quoquo modo directe, vel indirecte, scripto, vel voce loqui, concionari, tractare, quidquam determinando, vel asserendo, aut argumenta contra eadem afferendo, & insoluta relinquendo: vel 4. alio quovis excogitabili modo, contra eundem pium sensum, & cultum disserere. Declaratque, illos non excusari ob prætextum Definibilitatis examinandæ, sive Sacram Scripturam, sive Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, aut *ob quemvis alium prætextum*, *seu occasionem.* Quibus verbis generalibus complecti videtur prætextum, seu occasionem examinandæ Certitudinis Piæ Sententiæ, oppugnandi Votum qualecumque, in ejusdem defensionem susceptum, adstruendi Debitum proximum contrahendi Originale Peccatum &c.

192. Et hinc curiosus Lector expendere potest, an contra istas prohibitiones aliquid peccaverit Lampridius in suo libro *de Superstitione vitanda*, præsertim cap. IX. & tribus sequentibus, & cap. XXIV. & altero sequenti. Quin ipsi prosint generales illæ obtestationes: (x) *Parendum est Pontificibus &c. Ab eorum Decretis, ne latum quidem unguem discedere, mihi quoque animus, & firma voluntas est.* Quid enim prosunt dicta, ubi dictis facta non respondeant?

193. §. VII. Libros cujuscumque generis, in quibus Sententia, vel Festum, seu Cultus Immaculatæ Conceptionis in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, post Pauli V. supra laudatum Decretum editos, aut in posterum quomodolibet edendos; gravissime prohibet Alexander, & absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi vult, & mandat. Incipit a libris editis post Pauli V. Decretum, quia sub actibus publicis, ab hoc Pontifice interdictis, editionem quoque librorum, quæ suapte natura magis publica est, intellexit.

194. Prohibens verò libros *in posterum quomodolibet edendos*; prohibere etiam videtur, ne edantur, aut recudantur libri, qui ante Paulum V. adversus Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, saltem ex instituto, conscripti sunt, aut aliàs editi; ut observavit P. Honoratus Fabri. (*y*) Nam ejusmodi libros edendos, vel recudendos curare, est re ipsa Piam Sententiam publice, & palam aggredi, atque concutere: quod certè vetitum est. Perinde enim, imo plus est, aliorum, qui celebriores sunt, nomine, quàm proprio, id ipsum moliri.

195. §. VIII. Sixti IV. Constitutionibus inhærens Alexander, sub gravibus inhærens Alexander, sub gravibus pœnis vetat, *Quempiam asserere, quod propter hoc* (idest propter tot favores a S. Sede Apostolica in Piam Sententiam abunde collatos) *Contrariam Opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum Originali Peccato fuisse conceptam*; *hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant.* Cujus prohibitionis hanc unam reddit rationem: *Cum a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum.* Hoc scilicet, quod est: *Contrariam illam opinionem tenentes, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrere.* Nam alioquin multa pro Pia Sententia, contra oppositam, & ipse Alexander decidit, & suos Prædecessores decidisse declarat, ut vidimus. Cum Pontifex solùm nominet *Mortale Peccatum*; hìc disputat P. Fassari, (z) an contraria sententia damnari saltem possit venialis peccati? Res tamen est levioris momenti.

196. Per hanc Clausulam respirare sibi videntur Adversarii; sed monendi sunt, ne credant Lampridio ajenti: (*a*) *Ad Præceptum*, *quod attinet*, *nihil discriminis inter utriusque Patronos*, *& Censores*, *Ecclesia statuit.* Ut constat ex dictis *n.* 70. *& seq.* a Sede Apostolica non solùm vetitum est Adversariis, asserere, quod *Piam Sententiam sustinentes*, *propterea alicujus hæresis labe polluti sint*, *vel mortaliter peccent*: verum etiam hæc ipsa assertio, *utpote falsa*, *& erronea*, *& a veritate penitus aliena*, damnata est. Nobis vero dumtaxat vetitum est, asserere, quod *Contrariam Opinionem tenentes*, *hæresis crimen*, *aut peccatum mortale incurrant*; quin ipsa hæc assertio ullius erroris, aut falsitatis damnetur.

197. Hinc

(u) *Constit.* Regiminis Apostolici, *edita* An. 1664. *extat pag.* 403. *Tomo* 5. *cit.*

(x) *Cap.* 1. *pag.* 5. *in fine.*

(y) *In Corolla Virginea*, *sub nomine* Hugonis Sifilini, *edita* Panormi an. 1655. *pag.* 97.

(z) *Quæst.* 5. *circa Bullam Alexandri divis.* 2. *&* 3. *pag.* 163.

(a) *Cap.* 17. *pag.* 133.

197. Hinc est, quod Ecclesia nedum vetat Adversariis, id de nobis asserere, verum etiam, id de nobis sentire. Quia nemini unquam licuit, assensum adhuc internum præstare propositioni, quam S. Sedes damnaverit tanquam *falsam*, *erroneam*, *& a veritate penitus alienam*. Nobis vero solum vetat id asserere de Adversariis, non autem id sentire. Quia aliud est asserere, aliud sentire: *& Pœnalis prohibitio non extenditur ultra disposita*. Quare siquis interius id sentiret de Adversariis, sed non assereret; contra hanc prohibitionem non peccaret, esto, aliunde peccaret. Qui vero id assereret, peccaret utique peccato contumaciæ contra simplicem prohibitionem Pontificiam; sed non peccato spectante ad infidelitatem, contra Censuram Pontificiam alicujus falsæ Doctrinæ: quemadmodum, ob oppositam rationem, peccaret, qui id de nobis assereret, vel sentiret.

198 Ad hæc si attendisset Lampridius, non vocasset in quæstionem loco cit. An non, Tyranno necem minitante, ni Piam Sententiam damnes hæresis, aut peccati mortalis; mors potius sit eligenda? Nam statim deprehendisset, quam nullæ sint illæ dubitandi rationes, quas proponit: quod scilicet ea damnatio non sit intrinsece mala, sed dumtaxat ab Ecclesia prohibita; quodque Ecclesia non intenderit, Piam Sententiam immunem intrinsece a censura præstare. Enimvero si semel utravis in Piam Sententiam Censura ab Ecclesia damnatur, utpote *falsa*, *erronea*, *& a veritate penitus aliena*; hoc ipso Pia Sententia præstatur immunis Intrinseca a Censura, & hoc ipso etiam, Piam Sententiam damnare, intrinsece malum est; cum intrinsece malum sit, errorem a S. Sede damnatum eligere.

199. Minus etiam vere scripsit Caramuel, (*b*) quod *Neutrum Assensum, quandiu pure mentalis est, esse peccatum mortale, definierunt Pontifices, & clarissime Alexander VII.* Nam, quod definierint Pontifices Assensum Piæ Sententiæ, sive internum, sive externum, nec esse peccatum mortale, nec etiam peccatum ullum, facillime suadetur. Quia (ut omittam tot eximios favores, a Summis Pontificibus Sentiui, & Cultui Immaculatæ Conceptionis impensos) Sixtus IV. definivit, *falsum*, *erroneum*, *& a veritate penitus alienum* esse; affirmare, quod credentes Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem *mortaliter peccent*, aut Officium hujusmodi Conceptionis celebrantes, *alicujus peccati Reatum incurrant.* Et hic advertat prudens Lector, verba ista: *aut hujusmodi Conceptionis Officium celebrantes*: In illa tertia Sixti IV. Constitutione, superius exhibita, Typothetæ, vel Excriptoris incuria, fuisse prætermissa.

200. Non est autem, unde colligamus, quod Pontifices, &. præsertim Alexander, definierunt, assensum pure mentalem Contrariæ Sententiæ non esse mortale peccatum. Num quia Alexander non illum graviter vetuit, nec declaravit illicitum; idcirco is non erit mortaliter illicitus? Innumera sunt lege naturali, vel divina graviter illicita, quæ nullo Pontificio Decreto sunt nominatim prohibita, aut illicita declarata? An propterea idem Pontifex eum assensum non esse mortaliter illicitum definivit, quia nobis prohibuit, ne illum mortalis peccati damnemus? At non omnem doctrinam, quam Pontifices aliquâ censurâ notari vetant, ab omni nota, & censura Immunem esse definiunt.

201. Profecto Innocentius XI. damnatis sexagintaquinque propositionibus, (*c*) præcepit, *ut caveamus ab omni censura, & nota contra alias propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur.* Et tamen postea Alexander VIII. (*d*) uni supra triginta ex hisce propositionibus graves censuras, & notas inussit. Nempe, quia Innocentius eas notas, & censuras ferre prohibuit, tantùm ut *Paci, & Caritati consulatur*: et: *donec a Sancta Sede recognita, super iisdem propositionibus judicium proferatur.* Similiter Sixtus, & Alexander id asserere de Adversariis nobis prohibuerunt; quia *nondum a Romana Ecclesia, & Apostolica Sede est hoc decisum.*

202. Quod siquis nos premat, interrogando, utrum sentiamus, Contrariæ Sententiæ adhærentes, peccare mortaliter? Festine respondemus cum Judoco Clichtoveo, non multo post Sixtum IV. scribente: (*e*) „ Quis Nos ipsos „ constituit Judices super Fratres, & Proximos „ nostros, ut eos Nostra Auctoritate censeamus, aut Hæreseos, aut Mortis æternæ cri- „ men incurrere? Id plane ex nostro non pen- „ det judicio, sed Universalis solum Ecclesiæ, „ quæ nondum id definivit, atque decidit..... „ Viderint tamen ipsi, ne pertinaciam, & pervi- „ caciæ studium adjungentes suæ Positioni ob- „ servandæ, illud apud DEUM, tacentibus Ho- „ minibus, incurrant, quod, ad mutuam pacem, „ & caritatem fraternam conservandam, non de- „ bet ab Hominibus eis impingi: non enim alio- „ rum verba reddunt Hominem Hæreticum apud „ DEUM, aut mortalis peccati reum, sed pro- „ priæ perversitas voluntatis. „

203. Sed & addere possumus cum gravissimo Societatis nostræ Theologo, Gregorio de Valentia: „ (*f*) Et si Contraria Sententia „ non sit, vel Hæretica, vel Erronea, vel con- „ tinens peccatum mortale; tamen qui eam de- „ fendunt, videri possunt, quantum in ipsis „ est quidem, præbere B. Virgini occasionem „ cujusdam offensionis, saltem ita, ut minus „ propitia ipsis sit, quàm Immaculatæ suæ „ Conceptionis Assertoribus. Quæ certè offen- „ sio formidabilis esse debet: sicut contra a „ Piis omnibus favor tantæ Virginis, tamque

(b) *In Apologemate de Probabilit. contra* Prosperum Fagnanum *Ep. 2. ad* Card. Sfortiam Pallavicinum, *n.*88. *pag* 38.. *edit.* Lugdun. an. 1663.

(c) *Decreto edito Fer. 5. die 2. Martii* an. 1679. *extat a pag.* 80. *tom.* 8. *Novissimi Bullarii Romani*, *editi* an. 1734.

(d) *Decr. edito Fer.5. die 7. Decemb.* an. 1690. *extat pag.*96. *tom. 9. ejusd. Bullar.*

(e) *Lib.*1. *de Purit. Concept. B. Mariæ cap.* 16. *fol.* 24. *in fin. initio seq. edit.* Paris. an. 1519.

(f) *Tom.* 4. *Comment. Theolog. disp.* 2. *generali*, *quæst.* 1. *punct.* 2. *col.* 374. *edit.* Lugduu. an. 1609.

„ Potentis apud Filium, summe expetendus est, „ & omni ratione, qua licet, merito procurandus. „

204. Quod autem Adversarii ejusmodi offensionis occasionem, quantum in ipsis est, B. Virgini præbeant, optime probat laudatus Valentia: quia *Cum possint non modo licite, sed etiam cum spirituali suo commodo, tribuere Virgini eum honorem, ut eam nunquam per Originale Peccatum sub potestate Diaboli fuisse existiment, ipsa nimirum Ecclesia non modo id permittente, sed ad id etiam per largitionem Indulgentiarum, ex ipsius Spirituali Thesauro, invitante; tamen nolint ita præclare de Virgine sentire. Quam quidem ob causam quomodo posset Beatissima Virgo merito iis non nihil succensere?* Hæc autem scribebat Valentia cùm nondum prodierant Pauli V. & Gregorii XV. Decreta, & hæc Alexandri VII. Constitutio: quibus Sedes Apostolica in Piam Sententiam, se unice propendere significavit.

205. Est insuper circa eandem Prohibitionem diligenter animadvertendum, per ipsam vetari, ne hæresis, aut peccati mortalis notam inuramus Adversariis sustinentibus, *Gloriosam Virginem Mariam cum Originali Peccato fuisse conceptam*; non autem Adversariis, pro infirmanda Pia Sententia, insuper adjicientibus: Officium proprium Conceptionis olim a Sixto IV. institutum, jam esse a Sancta Sede reprobatum: Romanam Ecclesiam non celebrare Festum Conceptionis Immaculatæ: Gregorium XV. non præcepisse celebrari Festum sub nomine Conceptionis, juxta mentem Piæ Sententiæ: Pontifices non erogasse Indulgentias, nec instituisse Ordinem Sanctimonialium, & Confraternitates in favorem Piæ Sententiæ: & alia his similia. Neque enim apparet, qua ratione, nisi forte ob ignorantiam, a peccato excusari possint, qui hæc sustineant, & asserant, postquam ipse Alexander, iis opposita tam luculenter declaravit, & tam constanter asseruit.

206. §. IX. & sequentibus, id unum considerandum occurrit, quanto studio egerit Alexander, & quam exquisitam diligentiam adhibuerit, ut sua hæc Constitutio ad omnium notitiam certius perveniret, & ab omnibus inviolabiliter observaretur: ac nemo se ab ejusdem observatione, aut a pœnis ob contumaciam incurrendis, cujuscunque Privilegii, sive Indulti prætextu, exemptum putaret. Quapropter omnibus hujusmodi Privilegiis, sive Indultis specialiter, & expresse derogat. Sub qua derogatione comprehendi videtur illa Dominicanis a Gregorio XV. concessa licentia, (de qua *n.* 137.) ut rogatus ipsemet Alexander declarasse fertur.

207. Ex hactenus perpensis, manifestissime liquet, quàm longe a vero aberraverint, qui tanta Constitutionis hujus luce perculsi, ajebant, nihil actum esse per Alexandrum, quod actum non fuerit per Decessores Pontifices; nullamque ex illius Constitutione majorem Piæ Sententiæ firmitatem accessisse.

208. Certe omnes, quotquot post Alexandrum VII. de præsenti quæstione scripserunt, magnificentissime de hac Alexandrina Constitutione locuti sunt. Quique Romæ tunc aderant, cùm primum laudata Constitutio emanavit, tantum inde præsidii, & firmitatis Piæ Sententiæ incrementum factum crediderunt; ut R. N. P. Johannes Paulus Oliva, (id temporis Vicarius Generalis Societatis perpetuus, cum jure successionis) sui muneris esse putaverit, litteris Encyclicis, ad singulos Provinciales eodem anno, & mense datis, Socios omnes graviter admonere, ne de quasi parta victoria Adversariis insultarent. In cujus rei fidem simul, & illustrationem litteras ipsas exhibemus.

209. „ A. P. Procuratore Generali V. R. mittetur Constitutio edita a Sanctitate D. N. Papæ Alexandri VII. de Immaculata Conceptione Ss. Virginis: cujus, sicut omnes de Societate occasionem sument agendi ex corde gratias, & laudes Divinæ Majestati, propter inspirationem præstitam Vicario suo, quod res, tam diuturno tempore, & tantum exoptata, & expectata a majore Orbis parte, manifestata tandem maneat, & declarata: sic vividissime omnibus Nostris commendo, ut memores sint modestiæ, quam semper professa est, & profitetur Societas Jesu: & caveant ab omni insultatione, & quolibet, quod possit offendere eos, qui contrariæ opinioni adhærent, (atque hoc me premit maxime:) & attente legant, & observent id, quod Sua Sanctitas severe prohibet, ne damnetur hæresis, vel mortalis peccati alia opinio. Et V. R. evulget Præsentem toti suæ Provinciæ: nec obliviscatur mei in suis Sanctis Sacrificiis, & Orationibus. „ *(g)*

210. Sed explicari vix potest, quanta cum lætitia, & gratulatione ab Universa Hispanica Monarchia, ejusque Catholico Monarcha Philippo IV. tam insignis Constitutio sit excepta. Ex Piissimi Regis mandato, in omnibus, & singulis, utroque Orbe diffusæ Monarchiæ Regnis, & Civitatibus, per octo continentes dies, cum omni pompa, & celebritate, solemnissimæ DEO gratiarum actiones, & laudes, persolutæ sunt. Quod quidem de hac Urbe Regia colligimus ex quadam Oratione, Typis Petri de Insula, Panormi impressa anno 1663. cujus Titulus est: *Predica del P. Francesco Principato della Compagnia di Gesù Palerm. detta fra sette altre, nelle Feste dell' Immacolata Concezione della BB. Vergine Madre di Dio, con pompa regia, & magnifica spesa celebrate per ordine dell' Illustriss. Senato della Felice Città di Palermo nel Ven. Convento di S. Francesco, coll' occasione del novo Decreto d'Alessandro VII. Pontifice Massimo.* (h)

211. Quid vero senserit, quidve aliud egerit idem Catholicus Rex Philippus; ex una ipsius Epistola ad Aragoniæ Proregem missa die XXIII. Aprilis, anno 1662. gratius erit, intelligere.

„ Com-

(g) *Hæ Litteræ referuntur a P. Vincentius Fassari, qui tunc unus e Sociis erat, in Append. Opusc. 2. pag. 31.*

(h) *Extat in nostra Bibliotheca, in unum colligata cum aliis aliorum orationibus, Plut. xx. lit. A. n. 101.*

„ Complacuit Divinæ Majeſtati, ut Sanctiſſimus Pater Alexander VII. ad inſtantias, quas, „ mediante Epiſcopo Placentino, Romæ Oratore meo Extraordinario, ſuæ Beatitudini „ feci; die VIII. Decembris, anno 1661. expediret novam Conſtitutionem Apoſtolicam, „ valde favorabilem Myſterio Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, & declaratoriam objecti ejuſdem celebritatis; pro qua „ Supremo Largitori immortales refero gratias. Cumque tantum ſit debitum in Sanctiſſimæ Virginis obſequium ſeſe impendendi, meæque devotioni tam conformis major „ ſemper hujus Myſterii exaltatio; conſtitui „ ad omnes Archiepiſcopos, & Epiſcopos meorum Regnorum Epiſtolas deſtinare; eoſdemque requirere, ac hortari, ut obſtringant Divini Verbi Concionatores ſuarum Diœceſium „ ad præmittendum in Sermonis principio, ante, vel poſt Salutationem, conſuetudine univerſali in his Regionibus receptam, illam „ Formulam, & Elogium: *Laudetur Sanctiſſimum Altaris Sacramentum, & Immaculata Conceptio Sanctiſſimæ Virginis Dominæ noſtræ &c.* Item, ut iidem ex officio ſcribant ad „ Superiores Religioſorum Ordinum, injungentes illis, quatenus horum omnium, modo dicto, obſervantiam ſuis Subditis inculcent „ &c. Quantum ad hoc Regnum ſpectat, eo „ jam litteræ deferuntur, quas Prælatis vos „ tradere oportet, & exequi, quod in hac re „ veſtri muneris erit: vigilem oculum ad hujus ordinis obſervantiam gerendo; certoque „ vobis perſuadendo, quidquid pro exaltatione „ hujus Myſterii geſſeritis, id mihi ſingulari „ beneplacito; & e contra quidquid omiſeritis, magnæ diſplicentiæ futurum &c. „ (i)

212. Hæc tam Pia Lex per totam Hiſpaniam ab omnibus ſancte obſervatur. Et quamquam Patres Prædicatores initio difficiles ſe præbuerint, poſtea tamen, vehementius urgente Philippo IV. ipſius mandatis, ac votis morem geſſerunt: ut conſtat ex Epiſtola Encyclica Fr. Johannis Martinez de Prado, Provinciæ Hiſpaniæ Prioris Provincialis, ad omnia ſuæ Provinciæ tam Fratrum, quàm Sororum Cœnobia; qua, jubet, ut *quæ jam ab aliis Concionatoribus, initio Sermonis, dabantur laudes Virgini, ſine Peccato Originali conceptæ, ab omnibus dictæ ſuæ Provinciæ in ſuis Concionibus repeterentur.* (k)

TESTIMONIUM XVIII.

Clemens Papa IX. ab A. Dñi MDCLXVII.

I. CONSTITUTIO,

Edita die XVII. Septembris, eodem Anno 1667.

Auguſtiſſimæ, atque Glorioſiſſimæ Virginis DEI Genitricis Mariæ, cujus virtutem, & pulchritudinem Sol & Luna mirantur, Natura obſtupeſcit, Infernus contremiſcit; Cultum & Venerationem in terris, quanto poſſumus ſtudio promovere ſatagentes &c. (l)

II. CONSTITUTIO,

Edita die XXI. Octobris ejuſdem Anni.

Sincera noſtra erga Glorioſiſſimam Virginem DEI Genitricem Mariam, Patronam, & Advocatam noſtram, Devotio plane exigit, ut piis nonnullorum ex Venerabilibus FF. NN. S. R. E. Cardinalibus, aliorumque Antiſtitum &c. votis paterno affectu annuentes, ejuſdem Auguſtiſſimæ Cœli Reginæ venerationem in terris, quantum Nobis ex alto conceditur, ampliare ſtudeamus &c. (m)

III. CONSTITUTIO,

Exigit commiſſæ Nobis cælitus diſpenſationis ratio, ut piis Religioſorum Virorum.... votis, ad augendam in terris Glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ Mariæ, quæ ſuper Choros Angelorum exaltata, pro Populo Chriſtiano Sedula Exoratrix apud Regem, quem genuit, aſſidue intercedit, venerationem tendentibus, favorabiliter annuamus &c. (n)

213. UNaquæque ex his Conſtitutionibus Decretum continet, & præceptum recitandi in poſterum cum Octava, Officium, & Miſſam Conceptionis B. MARIÆ Virginis Immaculatæ, cum Lectionibus, in Octavario Romano, a Congregatione Sacrorum Rituum approbato, contentis. Sed prima reſpicit omnes Presbyteros Societatis Jeſu, ad preces R. P. N. Generalis Johannis Pauli Olivæ, ſuo, & totius Societatis nomine porrectas, obtenta. Altera ſe extendit ad omnes cum Sæculares, tum Regulares utriuſque ſexus, in Urbe, & Univerſæ Romanæ Eccleſiæ temporali ditione degentes. Tertia ſpectat ad cunctos Fratres Ord. Eremitarum S. Auguſtini, a R. P. Fr. Hieronymo Valvaſorio, Priore Generali, ſuo, & totius Ordinis nomine, impetrata.

214. Ea-

(i) *Extat apud* Card. Nidhardi *par. 4. Exam. Theolog. cit. §. 4. a pag. 453.*
(k) *Refert* Jacobus Echard *tomo 2. de Scriptoribus* Ord. *Prædicat. ad* n. 1668. *pag. 625. col. 2.*
(l) *Eſt nona in ordine, pag. 442. tom. 5. Bullar. Rom. edit.* Lugdun.
(m) *Eſt ordine decima tertia, pag. 445. ejuſd. Bullarii.*
(n) *Ordine decima ſexta pag. 447. ejuſd. Bullar.*

214. Eadem Octava Immaculatæ Conceptionis, enixe postulante Philippo IV. fuerat paulo ante indicta ab Alexandro VII. omnibus Regnis Hispaniarum, & Indiarum, Catholico Regi subjectis. De qua V. P. Thomam Strozzi. (o)

Testimonium XIX.

Clemens Papa X. ab A. Dñi MDCLXIX.

215. PEr litteras, in forma Brevis, datas die 30. Januarii anno 1671. Religiosis Patribus Congregationis Theatinorum, scapularia parva cærulei coloris benedicendi, eaque Christifidelibus, *Pio devotionis erga Mysterium Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ affectu*, gestare cupientibus, distribuendi, licentiam, & facultatem libenter impertitur. Hoc autem est Conceptionis hujus Mysterium, quod ipsa secundum communem Naturæ legem facta sit, sed a communi lege Peccati servata Immunis. Laudatæ litteræ inter Bullas Clementis X. non leguntur: de iis verò dubitare non possumus, cum sint a Clemente XI. commemoratæ, & approbatæ in Constitutione, *Cælestium Munerum*, de qua paulo post.

Testimonium XX.

Innocentius Papa XI. ab A. Dñi MDCLXXVI.

Breve Apostolicum ad Leopoldum I. Imperatorem, datum die XVIII. Decembris, Anno 1678.

CARISSIME IN CHRISTO FILI &c.

„ SUperioribus Mensibus prohibitum fuit Officium quoddam de Immaculata Conceptione BB. Virginis: quia Indulgentiam apocrypham continebat, & falso asserebatur a fel. mem. Paulo V. Prædecessore nostro approbatum fuisse, aliisque de causis, quibus consulere oportuit, ne Fideles Populi deciperentur. Sub ea autem prohibitione non comprehenditur illud Officium, quod ab antiquissimo tempore, hujus Sanctæ Sedis permissu, in Ecclesia recitatur. Neque enim imminuere ullo pacto voluimus Deiparæ cultum, sed potius, quoad ejus fieri poterit, augere, & amplificare. Hæc habuimus, quæ ad tuas litteras eo super argumento responderemus. Omnia vero fusius agnosces a viva voce Ven. Fr. Francisci Archiepiscopi Thessalonicensis, Nuntii nostri. Egregio interim zelo, quem eædem litteræ declarant, debitas laudes tribuimus, ac Majestati tuæ Apostolicam Benedictionem impertimur.

OBSERVATIONES.

216. CUm R. P. Fr. Raymundus Capisuccus, Sacri Palatii Magister die XVII. Februarii, anni 1678. Officium Parvum Immaculatæ Conceptionis, per Franciscum Vigone Mediolani impressum, prohibuisset; & hujus prohibitionis rumor plurimorum, in Hispania præsertim, & Germania, Fidelium animos conturbasset; Leopoldus Imperator Austriacus, pro sua, erga Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, singulari Pietate, ei prohibitioni apud Innocentium Papam XI. per litteras intercessit, a quo laudatum Breve in responsionem accepit.

217. Porro Innocentius non tantùm Officium Parvum Immaculatæ Conceptionis in integrum restituit, & imprimi concessit; verum etiam sponte sua mandavit, ut in novis ejusdem Officii editionibus, ad illa verba primæ Orationis: *Ut qui nunc tuam Sanctam Conceptionem devoto affectu recolo* &c. pro majori expressione adderetur: *Ut qui nunc tuam Sanctam, & Immaculatam Conceptionem* &c. At vero Magister Sacri Palatii, Officium istud denuo imprimendi licentiam daturus, ne vana prohibitio videretur, verba quædam immutari voluit, jussitque ut pro: *Domina exaudi orationem meam:* ponerentur: *Domina protege orationem meam:* & pro: *Has Horas Canonicas:* substituerentur: *Hæc laudum præconia*: ut apparet in italicis impressionibus.

218. Hæc fusius narrantur in libro gallice conscripto, cujus Titulus: *Collectio Historica Bullarum, Constitutionum, Brevium, Decretorum, aliorumque Actorum, spectantium ad errores duorum postremorum sæculorum.* (p) Qui liber quartò editus est Montibus in Hannonia, apud Gasparem Migeot anno 1704. Idem etiam factum summatim refert R. P. Fr. Dominicus Lossada, (q) illud eruens ex Volumine *pro Immaculata B. Virginis Conceptione*, quod asservatur in regio archivo Madritensi: additque, præfati Officii exemplar, typis impressum Lucæ anno 1679. sub hoc titulo: *Officium Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis, correctum, & cum approbatione Magistri Sacri Palatii*, ab Eminentissimo Cardinali Everardo Nidhardo ad Regem Catholicum Carolum II. fuisse transmissum.

219. Sed ne alicui ullus scrupulus remaneat de hoc Immaculatæ Conceptionis Officio, (adversus quod vetus illa prohibitio, non semel suscitata est;) pro ipsius approbatione Pontificium ejusdem Innocentii XI. Testimonium, ab aliis forte non notatum, proferimus, nempe Constitutionem, *Creditæ Nobis*, editam die 7. Junii, anno 1680. (r) qua Innocentius Clericorum Sæcularium, in communi viventium, Institutum, & Constitutiones, omniaque, & singula in eis contenta approbat, & confirmat. Duodecima namque

(o) *In Histor. Concept. lib. 10. cap. 27. a pag. 667.*
(p) *Parte 2. a pag. 450.*
(q) *In Discuss. Theologica cit. dissert. 2. §. 7. n. 125. pag. 106.*
(r) *Extat ord. 85. pag. 133. tom. 8. Bullar. Romani novissimæ edit.* Romanæ an. 1734.

namque ex iis Constitutionibus, in ipsa Apostolica Constitutione insertis *pro Juventute ad vitam Sacerdotalem educanda*, præscribit: *Qui Officium Parvum B. Mariæ Virginis, nec dum orant, Officium Immaculatæ Conceptionis, A SANCTA SEDE APOSTOLICA APPROBATUM, una cum Hymno S. Casimiri, pariter approbato, vel approbando, præcipue pro conservanda Castitate, persolvant.*

220. Laudatum Immaculatæ Conceptionis Officium, Deipara ipsa mandante, scripsisse fertur Ven. Frater noster Alphonsus Rodriquez, qui & illud quotidie recitare consueverat. (s) Hoc item Officium in nostro Siciliæ Regno identidem impressum, in omnium Siculorum manibus, & ore versatur. Et hinc quoque plurima ipsius exemplaria anno 1714. Romam delata, Piis Fidelibus libere sunt distributa, & ab ipsis Romanæ Curiæ Prælatis requisita. In Galliis denique idem Officium frequentari videtur, quippe quod repositum observamus in libello *Orationum Christianarum*, (t) quas collegit, & latine, ac gallice edidit P. Johannes Croiset Soc. Jesu, natione Gallus.

TESTIMONIUM XXI.

Innocentius Papa XII. ab A. Dñi MDCXCI.

CONSTITUTIO,

Edita die XV. Maji, Anno 1693.

„ IN excelsa Sedis Apostolicæ Specula &c. muneris nostri esse arbitramur, ut Gloriosissimæ Virginis DEI Genitricis MARIÆ Cultum, & Venerationem in terris, quantum Nobis ex alto conceditur augere jugiter satagamus. Itaque pro singulari nostra erga eandem Beatissimam, atque Augustissimam Virginem, Cœli Reginam devotione, nec non etiam piis, & enixis Carissimi in CHRISTO Filii nostri, Caroli Hispaniarum Regis Catholici, supplicationibus &c. benigne inclinati; ut Officium, & Missa Conceptionis ejusdem B. MARIÆ Virginis Immaculatæ, cum Octava, & Lectionibus in Octavario Romano contentis &c. ubique terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Fidelibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas teneantur, de præcepto recitetur; Apostolica Auctoritate, tenore præsentium mandamus, & decernimus. Non obstantibus &c.„ (u)

221. HÆc Constitutio se ipsam commendat. Sed addimus aliam ejusdem Innocentii Constitutionem, *Ex debito Pastoralis*, editam die 10. Novembris anno 1698. (x) qua Breviarium *Romano-Seraphicum*, ab Universo Fratrum Minorum Ordine usurpandum, cùm omnibus Officiis, & Ritibus, in eo dispositis, approbat, & confirmat. Legitur enim in hoc Breviario proprium, & speciale Conceptionis Officium, cùm in Festo Conceptionis, tum quolibet Sabbato alias non impedito, recitandum: Præscribitur quoque quotidiana hæc Immaculatæ Conceptionis Commemoratio post Officium: *Tota pulchra es Maria: & macula Originalis non est in te. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem &c.*

SÆCULUM XVII.

TESTIMONIUM XXII.

Clemens Papa XI. ab A. Dñi MDCC.

CONSTITUTIO,

Edita die VI. Decembris, Anno 1708.

„ COmmissi Nobis divinitus, Sacrosancti Apostolatus Officii exigit ratio, ut Gloriosissimæ Virginis DEI Genitricis MARIÆ, cujus *Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo*, Venerationem, & Cultum, plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum more, ampliare studentes in terris; illius, quæ super Choros Angelorum exaltata, pro Populo Christiano Sedula Exoratrix apud eum, quem genuit, assidue intercedit in Cælis, potentissimam opem in tot, tantisque, quibus premitur, Christianæ Reipublicæ, & Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus, quantum Nobis ex alto conceditur, promereri jugiter satagamus. Sincera itaque nostra erga eandem Augustissimam Cæli Reginam, Patronam, & Advocatam nostram devotione incitati, Festum Conceptionis ipsius B. MARIÆ Virginis Immaculatæ, ubique terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Fidelibus, sicut alia Festa de præcepto, servari, & celebrari, ac sub præcepto observationis Festorum comprehendi, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus. Non obstantibus &c.„ (y)

OBSERVATIONES.

222. HOc unum deerat, ut Festum Conceptionis B. Virginis Festo Nativitatis ejusdem Virginis, æquaretur. Utrumque Officio ejusdem penitus formæ colebatur: utrumque sub eodem ritu duplicis secundæ classis cum Octava solemne erat in tota Ecclesia. At nondum

(s) *Refert* P. Philippus Alegambe *in Biblioth. Scriptor. Soc. Jesu, pag.*21. *edit.* Antverp. an. 1643.
(t) *A pag.* 403. *istarum Orationum, italice editarum* Venetiis an. 1730.
(u) *Est ord.*56. *pag.*304. *tom.*9. *Bullarii cit. edit.* an.1734.
(x) *Est ord.*171. *pag.*492. *ejusd. tomi Bullarii.*
(y) *Est ord.* 40. *pag.*90. *Bullarii proprii hujus Pontificis: & in Bullario Rom. novissimo est ord.* 110. *pag.* 206. *tom.* 10. *parte* 1.

dum Conceptionis Festum, omnibus Christi fidelibus de præcepto servandum, a Sede Apostolica præscriptum fuerat. Hoc præstitit Clemens XI. immortalis memoriæ Pontifex. Quo facto, B. Virginis Conceptionem, perinde ac Nativitatem, plenius canonizasse videtur. Sed quædam sunt difficultates explicandæ.

223. Perdoctus Magister Ludovicus Gotti, Ord. Præd. S. R. E. postea Cardinalis dignissimus, *(z)* Jacobo Picenino, de antilogia arguenti Alexandrum VII. quod dixerit, Conceptionem Virginis Immaculatam se nolle decidere, cum tamen ejus Festum approbando, re ipsa deciderit; respondet primo illis Bellarmini verbis: *(a) Fundamentum hujus Festi præcipuum non est Conceptio Immaculata, sed simpliciter Conceptio Matris DEI futuræ. Qualiscunque enim fuerit illa Conceptio, eo ipso, quod Conceptio fuit Matris DEI, singulare gaudium affert Mundo ejus memoria; tunc enim primùm habuimus pignus certum Redemptionis &c.* Tum addit laudatus Magister: *Huc respexit Clemens XI. in sua Constitutione pro dicto Festo 6. Decembris* 1708. Cujus Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo. *Atque ut nemo sibi persuadeat, voluisse illum hoc facto controversiam decidere, non illud appellat Festum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, sed Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ.*

224. Non diffitemur, Clementem XI. præcipiendo Festum Conceptionis B. MARIÆ Virginis, noluisse tanquam Fidei Dogma decidere præsentem controversiam; sicuti nec decidere voluit Alexander VII. Contendimus tamen, Festum a Clemente præceptum, non esse de Conceptione utcunque Matris DEI futuræ, sed de ipsius Conceptione Sancta, & Immaculata, atque ab Originali Peccato præservata.

225. Ratio est manifesta: Festum, quod in Universa Ecclesia Sanctum haberi mandavit Clemens, est illud idem, quod Sixtus IV. olim instituit, & pro quo speciale, ac proprium Officium ordinavit, & thesauros Indulgentiarum aperuit; illud, quod Gregorius XV. non sub alio titulo, quàm *Conceptionis*, in Sacrosancto Missæ Sacrificio, & Divino Officio (ubi ea *Conceptio, Sancta, & cultu dignissima* prædicatur) celebrandum mandavit; illud etiam, quod Alexander VII. a Romana Ecclesia, *Cultu nunquam immutato*, juxta Piam Sententiam celebrari, declaravit; illud denique, quod, teste eodem Alexandro, omnes fere Christi fideles ex spontanea pietate jamdiu frequentabant. Quis enim credat, quod Clemens XI. hunc DEI Genitricis Cultum, *Prædecessorum suorum more, ampliare studens, sincera, erga eandem Cæli Reginam, devotione incitatus*; longe aliud Festum Universæ Ecclesiæ observandum præceperit, quàm, quod sui Prædecessores instituerunt, commendârunt, designârunt; & quod Sancta Romana Ecclesia perpetuo celebrabat, quodque omnes fere Christi fideles sponte sua frequentabant?

226. Quamobrem usurpans Clemens ea verba: *Cujus Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo:* non eò respexit, ut significaret, in Festo Conceptionis celebrari dumtaxat Maternitatem DEI futuram. Sicuti non eò tantùm respexit Ecclesia, eadem verba recitans in Officio Nativitatis B. MARIÆ Virginis. Sed verba ista utrobique indicant, Sanctitatem Conceptionis, & Nativitatis B. Virginis, idcirco tam solemniter celebrari, quòd fuerit Conceptio, & Nativitas Sancta, non cujuscunque, sed Matris DEI futuræ: vel potius indicant, ideo Sanctam, & Immaculatam fuisse, atque adeo colendam B. Virginis, seu Conceptionem, seu Nativitatem; quia Conceptio, & Nativitas fuit Matris DEI futuræ.

227. Similiter, quod Clemens Festum illud non appellat, *Festum Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis*, sed, *Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ*: nihil officit sensui Immaculatæ Conceptionis: sicuti nihil officit sensui Immaculatæ Nativitatis, quod hoc Festum non appelletur ab Ecclesia *Festum Immaculatæ Nativitatis*, sed, *Festum Nativitatis B. Mariæ Virginis.* Etenim perinde est, celebrari Festum ipsius Conceptionis, aut Nativitatis B. Virginis; ac celebrari illud tanquam Festum rei Sanctæ, & Immaculatæ. Maluit vero Clemens uti illo loquendi modo, forte ut indicaret, non ipsam proprie Conceptionem, esse Sanctam, & Immaculatam; (Conceptio namque ipsa, hoc est actio, qua Anima Corpori infunditur, nec Gratiæ, nec Peccati capax est:) sed Conceptionem B. Virginis, sicut & Nativitatem denominari Sanctam, & Immaculatam ab ipsamet B. Virgine, quæ in sui Conceptione, sicut & in Nativitate fuit Sancta, & Immaculata.

228. Illustris est hac de re locus Henrici Gandavensis. *(b)* „ Causa, *inquit*, primaria, & per „ se celebrationis Festi cujuslibet, sive Concep„ tionis, sive Nativitatis, sive Circumcisionis, „ sive alicujus alterius, non est, nisi Sancti„ tas, aut Sanctificatio illius, de quo, sive in „ cujus honorem celebratur; non autem ipse „ actus Conceptionis, Nativitatis, aut Cir„ cumcisionis. Unde Festum Conceptionis „ CHRISTI non celebratur, nisi quia ipse in sua „ Conceptione secundùm Hominem est sancti„ ficatus; neque Festum Nativitatis, aut Cir„ cumcisionis ejus, nisi quia Sanctus erat ille, „ qui nascebatur, & circumcidebatur. Quis „ tamen propter talem Sanctificationem in „ Conceptione CHRISTI, etiam ipsa Conceptio „ Sancta est; & propter ipsius Sancti Nati, „ & Circumcisi Sanctitatem, & ipsa Nativi„ tas, & Circumcisio Sancta est; dico, quod „ causa secundaria celebrationis Festi cujuscunque dictorum,

(z) *In Opere, cui titulus:* La vera Chiesa di Christo dimostrata &c. contro i due libri di Giacomo Picenino &c. *par. 2. tom. 2. art. 14. §. 5. pag. 270. & seq. edit.* Bonon. an. 1719.

(a) *Lib. 3. de Cultu Sanctor. cap. 16. pag. 514. & seq. tom. 2.*

(b) *Tomo 2. Quodlibetor. quodlib. 15. quæst. 13. fol. 38. col 4. secundæ edit. & fol. 584. pag. 2. prioris editionis* Paris. an. 1518.

„ dictorum, est ipse actus Conceptionis, Nati-
„ vitatis, & Circumcisionis. „

229. Ad Bellarminum quod attinet; in primis illa ejus Sententia, qualiscumque sit, *de Fundamento Festi Conceptionis*, nostris hisce temporibus importune obtruditur. Nam Bellarminus Fidei controversias explicare aggressus est anno 1576. ut notatum habemus in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu; atque adeò quadraginta sex annos ante Decretum Gregorii XV. & plusquam sexaginta annos ante Constitutionem Alexandri VII. cùm nondum erat Apostolica Auctoritate satis aperte declaratum objectum Cultus religiosi, a Romana Ecclesia exhibiti, & ab omnibus exhibendi in Festo Conceptionis.

230. Deinde, si locus Bellarmini plene, & integre referatur, statim apparebit, id non dixisse Bellarminum ex propria Sententia, sed juxta Sententiam illorum, qui Maculatam putabant B. Virginis Conceptionem, cujus nihilominus Festum celebrabant. Nam Hæreticis contra Festum Conceptionis objicientibus, *illud falso, vel saltem dubio fundamento niti*; primo loco sic respondet Bellarminus: *Dico primo, in majori parte Ecclesiæ piè credi, B. Virginem sine Peccato Originali conceptam, quod etiam ex Adversariis fatentur Lutherus, & Erasmus.* Et similiter ad aliam instantiam Hæreticorum infra respondet: *Quia major pars Ecclesiæ piè credit, Immaculatam Conceptionem, inde habuit eadem Ecclesia occasionem instituendi hoc Festum.* Fundamentum ergo ipsius Festi, juxta mentem Bellarmini, est ipsa Conceptio B. Virginis Immaculata. Et ideo ubi ex instituto agit de præsenti controversia, [c] ex hoc ipso Festo probat, B. Virginis Conceptionem fuisse Immaculatam: *Totus*, inquit, *Orbis Christianus celebrat festum diem Conceptionis Virginis Mariæ, eamque Conceptionem Immaculatam vocat.* Verumtamen, ut Hæreticis etiam respondeat juxta Sententiam paucorum illorum Catholicorum, postea subdit: *Dico secundo, fundamentum hujus Festi præcipuum non esse Conceptionem Immaculatam &c. Itaque* (idest, *& ita*) *hoc Festum etiam illi celebrant, qui putant, Virginem in Peccato conceptam.*

231. Severiori castigatione dignus videtur Lampridius, [d] qui eundem Bellarmini locum non modo diminutum, sed & interpolatum refert in hunc modum: *Cùm apud nos etiam* (uti inquit Cardinalis Bellarminus) *non sit certum, an Beata Virgo sine Peccato Originali concepta fuerit: Ecclesia enim utramque opinionem permittit: & fundamentum hujus Festi præcipuum non est Conceptio Immaculata, sed simpliciter Conceptio Matris DEI futuræ.* Consule Bellarmini locum, & videbis, a Lampridio in unam misceri Sententiam ea, quæ Bellarminus ex Adversariis sibi objecerat, & quæ ipse post multa, illis secundò respondet.

232. Denique, quidquid obiter scripserit Bellarminus in eo controversiarum loco de objecto Festi Conceptionis; certe jam senior, & Cardinalis non aliud agnovit objectum Festi Conceptionis, quod celebretur ab Ecclesia, nisi ipsam DEI Genitricis Sanctam, & Immaculatam Conceptionem. Siquidem in Voto, (de quo alibi) quod quadraginta fere annis post scriptas controversias protulit in Congregatione S. R. & Universalis Inquisitionis, habita coram Paulo V. die ultima Augusti anno 1617. asseveranter dixit: *Non posse definiri quod Sententia communior non sit tenenda, ut pia, sed ab omnibus rejicienda, ut temeraria, & scandalosa. Quia hoc esset dicere, quod Sedes Apostolica erraverit in approbando Officio Conceptionis, & tota Ecclesia erraverit in eo recitando: quod certe falsissimum, & erroneum est.*

Hæc de Bellarmini mente fusius, quàm opus erat, disseruimus; ut de illis verbis, quæ tanto Viro olim exciderunt, desinant & Adversarii gloriari, & Nostri dolere.

233. Nodus a Picinino Catholicis objectus, (sic eum vocat Cardinalis Gotti) solutionem istam, nodo ipso implicatiorem, non postulabat; sed facillime dissolvi poterat, distinguendo cum Melchiore Cano superius laudato, duplicem Ecclesiæ Decisionem, quarum una sit Articulorum Fidei, altera aliarum Veritatum, quæ, infra certitudinem Fidei, pro indubitatis habendæ sunt a Fidelibus. A decisione primi generis in re præsenti omnino abstinere se velle, declaravit Alexander; non autem a decisione secundi generis.

234. Itaque, quin aliquam antilogiam Alexandro affingamus, merito sustinemus, Alexandrum, declarando, Festum Conceptionis ab Ecclesia celebratum, habere pro objecto ipsam B. Virginis Conceptionem Sanctam, & Immaculatam; virtualiter, & facto ipso decidisse, decisione secundi generis, eandem B. Virginis Conceptionem revera fuisse Sanctam, & Immaculatam: quia nimirum hæc Veritas ex ejusmodi Festi solemni celebratione rectissime colligitur, ut Actione III. §. II. abunde demonstratum est.

235. Ad Clementem redeamus. Novimus, [e] quod cùm in quadam Italiæ Urbe, Clementina hæc Constitutio impressa fuisset sub hoc titulo: *Ut Festum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ &c.* Ipse Clemens die 12. Octobris anno 1709. Ordinario loci mandavit, ut istius impressionis Auctores severe argueret, ejusque exemplaria supprimeret. Sed etiam scimus, quod Sacra Congregatio Generalis S. Officii anno 1712. ab Inquisitore Bononiensi, de permittendo titulo Immaculatæ Conceptionis interrogata, Clemente XI. prius consulto, rescripserit, quod *non impediat, imprimi Conciones, aliaque Themata, in quibus Conceptioni B. Mariæ Virginis titulus IMMACULATÆ tribuatur.* [f]

[c] *Lib.* 4. *de Amiss. Gratiæ, & Statu Peccati, cap.* 15. *num.* 35. *pag.* 141. *tom.* 4.
[d] *Cap.* 12. *pag.* 90.
[e] *Referente* Card. de Lambertinis *tom.* 1. *Annotation. in Festa Dñi, & B. Virginis, par.* 2. *num.* 208. *pag.* 358.
[f] *Refertur in libello de Cappella Pontificia Conceptionis, infra laudando, pag.* 39.

236. Non ergo displicebat Clementi titulus *Immaculatæ Conceptionis*, cujus ipse Festum de præcepto servandum instituerat. Sed justæ animadversionis ratio fuit, regula illa generalis, sancte custodienda, quod exquisite standum est verbis præscriptis in Decretis Pontificiis, nec immiscenda sunt alia pro libito, etiamsi pia, & vera, & ex affectu optimo adjiciantur; juxta mandatum illud Deutoronomii IV. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.*

237. Adjicienda hic est, etsi minoris momenti, altera Clementis XI. Constitutio, *Cælestium munerum*, edita die 12. Maii anno 1710. [g] qua, *laudabilem Christifidelium erga mysterium Conceptionis B. Mariæ Immaculatæ devotionem, magis, magisque in dies augeri, & propagari cupiens*; omnibus, & singulis suscipientibus, & gestantibus Scapularia illa parva cærulei coloris, de quibus dictum est *num.* 215. plures Indulgentias, statis diebus, festo præsertim ipsius Conceptionis die, consequendas elargitur.

Testimonium XXIII.

Innocentius Papa XIII. ab A. Dñi MDCCXXI.

238. HOc primo sui Pontificatus Anno, die VIII. Decembris, Immaculatæ DEI Genitricis Conceptioni Sacra, celebrem supplicationem instituit; quam, utroque Clero, Sæculari, & Regulari præeunte, ac S. R. E. Cardinalibus, Episcopis, ac cæteris Romanæ Curiæ Prælatis comitantibus, a Templo S. Mariæ Angelorum, ad Basilicam S. Mariæ Majoris, pedibus incedens prosequutus est. Pridie autem, per Edictum Fabritii Cardinalis Paulutii, Vicarii Generalis, promulgari mandaverat Indulgentiam Plenariam, sub certis piis conditionibus, eo die, & per Octavam a Christifidelibus consequendam: cujus Edicti titulus erat: *Indulgenza Plenaria per la Festa della SANTISSIMA CONCEZIONE, e sua Ottava.* Ut apparet in ejus exemplari, tunc Romæ impresso, Typis Cameræ Apostolicæ.

239. Istius Supplicationis scopus, & fructus fuit liberatio, & præservatio ab Epidemica lue, qua Regio Avenionensis tunc premebatur. Sane quam jugiter B. Virgo, sub nomine Immaculatæ Conceptionis invocata, contagio laborantibus, vel periclitantibus præsto fuerit; exemplis ab anno 1363. ad usque annum 1658. deductis, erudite demonstrat Pius Anonymus in Opusculo Genuæ impresso anno 1743.

Testimonium XXIV.

Benedictus Papa XIII. ab A. Dñi MDCCXXIV.

CONSTITUTIO,

Edita Kalendis Aprilis, Anno 1727.

„ EX quo Sedes Apostolica diem festum in
„ honorem Conceptionis B. MARIÆ Virginis
„ Immaculatæ, suprema sua Auctoritate, o-
„ lim instituit, cælestibus Indulgentiarum the-
„ sauris eum ditare, precibusque Christifide-
„ lium, pro illo pie celebrando sibi porrectis,
„ benignas frequenter aures præbere consue-
„ vit. Quare Nos quoque, Romanorum Pon-
„ tificum Prædecessorum nostrorum vestigia
„ Sectantes, supplicibus petitionibus, quæ
„ Nobis pro Cultu erga eandem Beatissimam
„ Virginem, per alicujus Sodalitatis erectio-
„ nem, promovendo porriguntur, libenter
„ annuimus &c. „ [h]

240. PEr hanc Constitutionem Benedictus, *Fratrum Minorum propositum* in celebranda DEI Genitricis Conceptione, *plurimum in Domino commendans*, concedit Ministro Generali totius Ord. Minor. ut in Ecclesia S. Mariæ de Araceli in Urbe, unam utriusque sexus Christifidelium Archiconfraternitatem, sub *Invocatione*, & *Denominatione Conceptionis B. Mariæ V. Immaculatæ*, Auctoritate Apostolica erigat, atque instituat; aliasque ubique locorum Confraternitates, sub eadem Invocatione Conceptionis, eidem Archiconfraternitati aggregandas, erigere possit, & instituere: plurimis in eas omnes collatis Privilegiis, & Spiritualibus Gratiis.

241. Præterea idem laudatus Pontifex, ad preces Caroli VI. Imperatoris, indulsit, atque concessit, ut singulis anni Sabbatis, non impeditis &c. in omnibus ejus Regnis, &c. *Officium IMMACULATÆ CONCEPTIONIS BB. Virginis Mariæ ab universo illorum Clero, sub ritu duplici recitari, & Missa respective celebrari possit.* Ut apparet in Decreto Sacræ Rituum Congregationis, edito die 15. Decembris an. 1727.

Testimonium XXV.

Clemens Papa XII. ab A. Dñi MDCCXXX.

CONSTITUTIO,

Edita die IV. Decembris eodem Anno 1730.

I*Mperscrutabilis divinorum Judiciorum altitudo &c. Inter multiplices, quæ Nobis occurrerunt,*

[g] *Est ordine* 141. *in Bullar. Romano novissimæ editionis, tom.* 10. *par.* 1. *pag.* 234.

[h] *Est num.* 171. *pag.* 193. *tom.* 12. *ejusdem Bullarii.*

rerunt, Apostolatus Universi curas, ad propagandas, confovendasque Studiorum Generalium Universitates &c. peculiari solicitudinis studio, mentis nostræ aciem jure optimo convertimus &c. [i]

242. HAc Constitutione Clemens, Statuta, & Leges Academiæ, quam Rex Catholicus Philippus V. Cervariæ in Cathalonia erexerat, atque fundaverat; Auctoritate Apostolica, *de verbo, ad verbum*, confirmat, & approbat. Inter eas autem Leges, Titulo XXVI. hæc continetur: *Candidati rite examinati, priusquam Bacchalaureatus honore decorentur, (quod etiam in Licentiis, & Magisteriis obtinebit) Fidei, ut moris est professione præmissa, in verba ex Academiæ formula præscripta, jurabunt, se Immaculatam B. Virginis, hujus Academiæ Patronæ, Conceptionem, & Constitutionem Unigenitus fan. mem. Clementis XI. strenue propugnaturos &c.*

Testimonium XXVI.

Benedictus Papa XIV. ab A. Dñi MDCCXL.

DECRETUM.

Editum in Consistorio, die XXVI. Novembris, Anno 1742.

IN *quo solemni die*, (VIII. Decembris, DEI Genitricis Conceptioni sacro) *Nos Cappellam Pontificiam in Liberiana Basilica haberi volumus. Quod quidem non hoc anno tantum, sed singulis quibusque annis, fieri mandamus; ac præcipimus, ut Cappella hæc Pontificia, in honorem IMMACULATÆ VIRGINIS quotannis celebranda, cæteris annumeretur: ut nimirum ipsa Beatissima Virgo a DEO pro Nobis implorare dignetur, quod petimus, suoque patrocinio non minus Catholicam Religionem, quàm hanc Apostolicam Sedem benigne regere velit, ac fovere.* [k]

Observationes.

243. SS. D. N. Benedictus XIV. qui antea sub nomine Prosperi Cardinalis de Lambertinis, Archiepiscopi Bononiensis, Piam Sententiam in suis doctissimis Lucubrationibus [*l*] mirifice illustraverat; ubi primùm ad Apostolicum Thronum evectus est, suum, erga Originalem B. Virginis Innocentiam studium, & pietatem contestari cœpit: cùm IMMACULATÆ CONCEPTIONIS titulum, toties ab Adversariis impetitum, nedum ab omnibus, & ubique usurpari libere posse mandavit; sed in ipsis etiam Ecclesiasticis Edictis, suisque, ac Sacrarum Congregationum Decretis, emicare voluit. Subinde per Apostolicum Breve, directum ad *omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos &c.* [*m*] Libellum Doctrinæ Christianæ, a Cardinali Bellarmino compositum, enixe commendavit; non utique ignarus, quam illustre in eo libello pro Pia Sententia Testimonium contineretur. V. Act. I. *n.* 157. *&* 161.

244. At vero per laudatum Decretum, quo in Festo Conceptionis B. Virginis Cappellam Pontificiam quotannis celebrari constituit; Piæ Sententiæ quàm maxime favit: dum ei Festo, (quod hujus Sententiæ præcipuum fundamentum est) a suis Prædecessoribus instituto, declarato, variisque modis exornato, summam manum imposuit; ita ut ad ejusdem Festi solemnitatem, & magnificentiam nil ultra desiderari queat. Quod ut palam omnibus innotescat, Edicti verba, quibus Papalis hæc Cappella eo anno per Cursores denuntiata est, in medium adducimus.

245. „ Sabbato, die VIII. præsentis mensis „ Decembris, horâ decimâ sextâ cum dimidia, „ erit in Basilica Liberiana Cappella Papalis, a „ Ss. D. N. Benedicto Papa XIV. in proximo „ præterito Consistorio secreto, in perpetuum „ Decreta, pro Festo Conceptionis Virginis „ Immaculatæ. Eminentissimus, & Reverendissimus D. Presbyter Cardinalis de Gentilibus „ Missam cantabit. Ideo intimentur omnes, & „ singuli Eminentissimi, & Reverendissimi DD. „ Cardinales, qui præfatæ Cappellæ intererunt „ cum Vestibus, & Cappis Rubris, ut eo etiam colore per integrum enuntiatum diem utantur. Intimentur pariter Gubernator Urbis, Vicecamerarius, Principes Solii, Conservatores, Oratores Civitatum subditarum, „ Magister Sacri Hospitii, ac Decani omnes „ Collegiorum, ut Collegas suos admoneant, „ cæterique omnes intimari soliti. *De mandato „ SS. D. N. P. Ignat. Reali Apost. Caremon: „ Præfectus.* „ [*n*]

246. Et ecce perfectum jam, & absolutum, plusquam Johannes de Turrecremata postulabat, ut Ecclesia Romana diceretur celebrare Festum Conceptionis B. Virginis. [*o*] „ Non enim, *ajebat ille*, „ Ecclesia Romana, (ut loquimur „ communiter de Ecclesia Romana pro Sede „ Apostolica, *in qua totius Ecclesiæ Dominus „ Principatum collocavit, juxta cap. Basilicas, „ de Consecratione dist.* 1.) dicitur celebrare Festum aliquod, quando Domini Cardinales, aut Prælati, sive Populus Romanus, „ aut Domini de Cancellaria pro sua devotione conveniunt in aliqua Ecclesia, Missarum solemnia audituri: sed quando „ Summus Pontifex, cum Collegio Reveren- „ dissimo-

[i] *Extat hæc Constit. num. 17. tom. 13. Bullar. Rom. noviss. a pag. 114. & V. pag. 132. col. 2.*

[k] *Pag. 17. Libelli, cujus titulus*: Notizie della Cappella Pontificia per la Festa dell'Immacolata Concezione della SS. V. Maria Madre di Dio, decretata da N. S. Papa Benedetto XIV. in Spoleto 1746.

[l] *Lib. 1. de Servorum Dei Beatific. & Beator. Sanctificat. cap. 24. n. 14. pag. 381. & par. 2. tom. 1. Annotat. super Festa Domini nostri, & Beatiss. Virginis, præsertim n. 186. pag. 348. & n. 200. pag. 355.*

[m] *Extat pag. 114. Tomi I. sui Bullarii, edit. Rom. an. 1746.*

[n] *Hoc Edictum refertur in libello citato ibid.*

[o] *Parte 9. cap. 10. fol. 179.*

„ dissimorum Dominorum Cardinalium, solemniter in loco publico, (ut moris est in aliis præcipuis Solemnitatibus) celebrat, & festivat.„

247. Pro hac Pontificia Cappella, a Benedicto XIV. instituta & decreta, laus quoque debetur Eminentissimis DD. Cardinalibus, qui ei Decreto non modo lubentissime consenserunt, & plauserunt; verum etiam ejusdem condendi suasores, & impulsores fuerunt; Summum Pontificem iteratis precibus sollicitantes, ut insignius aliquod suæ, & Apostolicæ Sedis, erga Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, Pietatis ederet monumentum. Quos inter Ludovicus Cardinalis Belluca, post institutam Cappellam, Votum, quo se obstrinxerat, exolvens, argenti laminam, auratâ inclusam coronâ, ad Altare S. Aloysii Gonzagæ suspendendam curavit, cum hac Inscriptione: [p]

D. O. M.

IMPETRATO, S. ALOYSII OPE, IMMACULATÆ CONCEPTIONI MATRIS DEI, NOVO, ATQUE ILLUSTRI, PONTIFICIAM PER CAPPELLAM, CULTUS INCREMENTO, LUDOVICUS CARDINALIS BELLUGA, ALIIQUE SUPPLICES, EX VOTO.

VIII. DECEMBRIS 1742.

248. Hoc igitur nostro ævo, verba illa; [q] *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, Pulchra ut Luna, Electa ut Sol, Terribilis ut Castrorum acies ordinata?* Quæ, de B. Virgine dicta sunt, de ipsius etiam Conceptionis Celebritate, completa esse videntur. Quæ quidem Celebritas, in Ecclesia DEI universa, a tempore Sixti IV. fuit *Quasi Aurora consurgens*; a tempore Gregorii XV. *Pulchra ut Luna*; a tempore Alexandri VII. *Electa ut Sol*, cujus Lux sub Clemente XI. valde resplenduit; nostro autem, & Regnantis Benedicti XIV. tempore, *Terribilis ut, Castrorum Acies ordinata*: quippe omnibus Romanæ Curiæ ordinibus stipata.

249. Paulo ante idem Benedictus par Breve dederat, signatum die 30. Augusti ejusdem anni 1742. quo plures Indulgentias Plenarias, sub consuetis formulis, certisque diebus, & nominatim pro Festo Conceptionis, elargitur iis, qui adscripti fuerint Pio cuidam Monti, sub titulo, *Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ*, ad conservationem periclitantium Puellarum, erecto ab Eminentiss. Dño Josepho Cardinali Spinello, Archiepiscopo Neapolitano: ut apparet ex hujus hortatricibus litteris, datis Neapoli 28. Septemb. an. 1742.

ANACEPHALAEOSIS.

250. JAm vides, ne unum quidem proferre valuisse Adversarios, certum, singulare, & expressum adversus Piam Sententiam Pontificium Testimonium. Quæ allegarunt, vel generalia sunt, & necessario exponenda, vel a proposito aliena, vel etiam fictitia, aut saltem dubiæ fidei: sed nec omnia Pontificii Testimonii nomen merentur. Et hæccine est illa *Sedis Apostolicæ, Ecclesiæque Romanæ Traditio, quam post Clementem VI. imminutam & deformatam fuisse*, somniavit Launojus? [r] Væ Fidei Orthodoxæ, si hujuscemodi forent Ecclesiæ Romanæ Traditiones. Neque illic stetit impotentissimi Scriptoris audacia. Non erubuit in Sixtum IV. tanquam in primum somniatæ Traditionis Eversorem, ore profano, exclamare: *O Impudentiam! O summum erga Sedem Apostolicam, & Decessores Pontifices contemptum!*

251. Nos vero, ex quo primùm tempore Controversia hæc ad Sanctam Sedem delata est, usque ad præsens, hoc est a Sixto IV. usque ad Regnantem Benedictum XIV. tot propemodum Summos Pontifices produximus, quot, hisce intercurrentibus Sæculis, Petri Sedem tenuerunt. Qui, pluribus ex instituto editis Constitutionibus, vel Decretis, Piam de Immaculata B. Virginis Conceptione Sententiam, vel protexerunt, vel commendarunt, vel promoverunt; nihil omnino intactum, & intentatum relinquentes. quod ad hanc Sententiam Fidelium animis imprimendam conducere posse videretur, una dumtaxat Fidei definitione excepta. Nulla sane est hodie in Ecclesia DEI, indubitanter recepta Sententia, de qua fuerit olim inter Catholicos controversia, tot, & tam illustribus Sedis Apostolicæ favoribus præmunita.

252. Ite nunc, siqui adhuc estis, irrisores Adversarii, & Piam Sententiam, Vulgi, Popularium, & Mulierculàrum opinionem dictitate. *Nunquid* (verbis utor Divi Augustini, [s] parumper immutatis) Sixtus, & Pius, & Paulus, & Gregorius, & Alexander, & Clemens, & Benedictus, & reliqui Pontifices Summi, *de plebea fæce Sellulariorum, in vestram invidiam concitati sunt? Nunquid Milites? Nunquid Scholastici Auditoriales? Nunquid Nautæ, Tabernarii, Cetarii, Coqui, Lanii? Nunquid Adolescentes ex Monachis dissoluti? Nunquid postremo de qualicumque Clericorum turba, isti sunt, quos urbana exagitatos dicacitate, vel potius vanitate contemnitis? Isti Episcopi sunt*, immo & Supremi Ecclesiæ Pastores, *Docti, Graves, Sancti, veritatis acerrimi Defensores adversus garrulas vanitates; in quorum ratione, eruditione, libertate, (quæ tria bona Judici tribuuntur) non potestis invenire, quod spernatis.*

ACTIO

[p] *Pag. 35. cit. libelli de Cappella Pontificia.*
[q] *Canticor. cap. 6. ver. 9.*
[r] *In fine præscriptionis 9. pag. 20.*
[s] *Lib. 2. contra Julianum cap. ult. num. 37. col. 551. tomi 10.*

ACTIO SEXTA.

PATRUM, & SANCTORUM
SINGULARIA, & EXPRESSA
TESTIMONIA.
PROLUSIO.

1. NON allegamus hoc loco Patres, ea ratione, qua illos Act. II. produximus, tanquam Traditionis Apostolicæ, sive Ecclesiasticæ Depositarios, vel Testes; sed tanquam Sacros Doctores, quorum auctoritas in iis, quæ ad Sacrarum Litterarum expositionem, & Fidei doctrinam pertinent, magni utique ponderis est in Ecclesia. Nec generalibus, aut implicitis eorum Sententiis, quas ibi expendimus, contenti sumus; sed peculiares, & expressas inquirimus, in quibus mens Patrum clarius eluceat.

2. Duodecim priorum Sæculorum Patribus, alios recentioris ævi, pro utraque parte, Doctores Sacros adjungimus; non qualescunque, (quis enim vel tantum numerare posset eos, qui pro Pia Sententia scripserunt?) sed illos dumtaxat, qui non magis Doctrinâ, quam Sanctitate conspicui sunt in Ecclesia. Sanctis enim Viris, quocumque tempore, abstrusa Fidei nostræ Mysteria, miris, & occultis modis Divina Sapientia revelare consuevit. Et in hoc quidem Melchiorem Canum sequimur, qui libro septimo, (ubi agit de Sanctorum Auctoritate) Cap. 1. adversus Immaculatam B. Virginis Conceptionem, Sanctos quoque posteriores nominat, S. Antonium Paduanum, S. Bernardinum Senensem, D. Bonaventuram, D. Thomam, D. Vincentium Ferrerium, D. Antoninum Archiepiscopum Florentinum.

3. Nec quia Sancti Recentiores sunt, nostrisque temporibus viciniores, & idcirco Patrum nomine non censentur; parvifacienda est illorum Auctoritas. Insignis est in hanc rem D. Gregorii locus. [*a*] „ Sciendum est, inquit, quia „ per incrementa temporum, crevit scientia „ spiritualium Patrum. Plus namque Moyses, „ quàm Abraham, plus Prophetæ, quàm „ Moyses, plus Apostoli, quàm Prophetæ, in „ Omnipotentis DEI scientia eruditi sunt. Fal- „ lor, si hæc, ipsa Scriptura non loquitur: „ *Pertransibunt*, inquit, *plurimi*, *& multiplex* „ *erit scientia*. (Dan. XIV. 4.) Sed hæc eadem, „ quæ de Abraham, Moyse, Prophetis, & „ Apostolis diximus, ex ejusdem Sacræ Scri- „ pturæ verbis, si possumus, ostendamus. „ Quo demonstrato, generatim concludit, atque definit: *Quantò Mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ Scientiæ aditus largiùs aperitur.*

4. Hanc S. Gregorii Sententiam Judocus Clichtoveus, sub Bedæ nomine cum aliqua varietate descriptam, mirifice illustrat, & ad rem nostram accommodat. [*b*] „ Si igitur, *ait*, in ve- „ teri Testamento per intervalla temporum, „ DEI cognitio a Priscis Patribus est habita, „ ut Posteriores luculentius de DEO multa co- „ gnoverint, quam Priores... Cur non & in „ Novo id factum esse, fateri non liceat? Ut- „ pote permulta a Posterioribus, exactiore in- „ dagine, aut studii vigilantia, aut cumulatiore „ DEI Gratia esse percepta, quæ Priores, An- „ tiquioresque latuerunt. Non enim DEUS „ omnia simul Hominibus uno revelat Sæculo, „ aut eodem temporis curriculo, sed pro incom- „ prehensibili sua providentia, singula singulis „ designat temporibus dispensanda. Itaque pla- „ cuit ineffabili ejus Bonitati, hujusce rei, quæ „ discutitur, veritatem Posterioribus Sæculis, „ atque Temporibus magis elucidari, quàm Prio- „ ribus. „

5. Eadem quoque Divi Gregorii Sententiâ, etsi tantum indicatâ, pro præsenti instituto utitur Johannes Gerson, [*c*] ut probet, *Spiritum Sanctum interdum revelare Ecclesiæ, vel Doctoribus Posterioribus aliquas veritates, vel expositiones Sacræ Scripturæ, quas non revelavit eorum Prædecessoribus.* Qui rursus ait: *Omni tempore Doctores, in Sacra Scriptura instructi, auctoritatem habent exponendi, & declarandi Veritates, sicut habuerunt Doctores Antiqui.*

6. Ad hæc, noster Dionysius Petavius, [*d*] Agiomachos postulantes a Catholicis pro invocatione, & cultu Sanctorum, eorumque Reliquiarum, antiquissimorum Patrum testimonia; optime redarguit: primo, Generalium Conciliorum exemplo, Ephesini, & Chalcedonensis, nec non quintæ, & sextæ Synodi Œcumenicæ; *quæ* (ut ipse demonstrat) non ab antiquissimis, sed *ab citimis potius*, *& recentis memoriæ Doctoribus*, probationes, & testimonia ad Fidei Dogmata confirmanda repetunt. Deinde

[a] *Lib.* 2. in Ezechiel. *hom.* 4. *num.* 12. *col.* 1347. *tomi* 1. *ejus Operum.*
[b] *Lib.* 2. *de Puritate Conceptionis B. M. V. cap.* 13. *fol.* 46. *pag.* 2.
[c] *Sermone de Concept. B. M. V. considerat.* 1. *&* 2. *col.* 1330. *& seq. tomi* 3. *suor. Oper.*
[d] *Lib.* 14. *de Incarnat. cap.* 15. *a pag.* 207. *tomi* 6.

de ipsorummet Patrum more, qui ad refellendos novorum Hæreticorum errores, Recentiorum, & pene æqualium suorum, Patrum testimonia non dubitarunt adducere: uti fecerunt D. Cyrillus in libro *de recta Fide contra Nestorium*, Theodoretus in *Dialogis tribus contra Hæresim Apollinarii*, & præsertim D. Augustinus *lib. 1. contra Julianum a cap. 3. num. 9. & col. 501.* ubi Auctores aliquot in medium adducit, quorum, præter unum, & alterum, reliqui eodem, quo natus erat, Sæculo quarto vixerunt. Quibus adde Johannem Cassianum libro VII. *de Incarnatione Christi, contra Nestorium cap. 24. & seqq.* ubi Patres allegat, non longe a sua ætate remotos.

7. Multa profecto de B. Virgine DEI Genitrice MARIA prædicat, & credit Ecclesia, quæ ab Antiquioribus Patribus expresse non traduntur, sed a Posterioribus enucleata sunt. Cujus rei bonam rationem affert Fulbertus, Episcopus Carnotensis, qui anno 1028. claruit. [e] „Sane, *inquit*, siqui solicita mente, & studiosa „investigatione perquirunt, cur Sanctorum „præcedentium memoriæ hujus præfatæ Virginis temporanea initia suis Fidelibus sequacibus enucleatim non exornarunt, ut ad omnium notitiam vulgarent; noverint, non „ignaros eos extitisse hæreseos, quæ pro insigni, & admirando hujus Sacræ Puellæ præconio exoritura erat, & ob id, si quid ex „ejus ortu protulerunt, sagaci industria celandum Æmulis, & Infidelibus decreverunt; „ne inveniret cæca garrulitas Perfidorum, unde maternum sinum Ecclesiæ verberaret sua „multiplici fallacia.„ Sic etiam S. Joh. Chrysostomus observat, [f] *Noluisse Evangelistam, recenti adhuc tempore novi illius, admirandique partus, Judæis esse manifestum, quod Christus natus fuisset ex Virgine:* propter rationes, quas ipse adducit.

8. Hæc autem non ideo a nobis dicta putes, quòd clara Veterum Patrum Testimonia Piæ Sententiæ deficiant; (hoc enim quam sit falsum, exhibitione ipsa demonstrabimus;) sed ne Adversarii, (ut identidem faciunt) sic ad Antiquiores Patres non provocent, ut Recentiores Sanctos despiciant.

9. Sanctorum Virorum Testimoniis, Sanctarum quoque Mulierum Testimonia sociamus; non quarumcumque, sed earum dumtaxat, quas, Ecclesiæ judicio, divinitus illustratas novimus. Quare sicut objectam ab Adversariis S. Catharinæ Senensis Revelationem quandam discutere non renuimus; ita S. Birgittæ non unam, sed multiplicem Revelationem, in medium pro nobis afferre non veremur.

10. Mulieribus quoque DEUS sua arcana revelare consuevit. Nam constat ex sacris literis, Prophetissas fuisse, divino afflatas spiritu, non minùs, ac fuerunt illi, qui in Prophetarum Canonem sunt relati. Annon Prophetissæ in Veteri Testamento fuerunt, Maria Soror Aaron, Debora Uxor Lapidoth, Anna Mater Samuelis, & Holda Uxor Sellum? [g] In Novo autem Testamento, quis neget, Matrem Domini in suo illo Cantico prophetasse? Prophetavit etiam Elisabeth, Mater Johannis. *Prophetissa* nominata est *Anna, Filia Phanuel:* & Philippo Diacono *quatuor Filiæ Virgines prophetantes* fuisse dicuntur. [h] Sed numquid defecit hodie in Ecclesia hujusmodi Prophetiæ spiritus? Manet, semperque manebit, quod Christifidelibus promisit DEUS per Joelem Prophetam, Divo Petro interprete: [i] *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt Filii vestri, & Filiæ vestræ &c.*

11. Quòd vero, privatæ Revelationes sint, non propterea sunt contemnendæ, quamvis non absque delectu, & examine recipiendæ. Utrumque nobis mandavit Apostolus, cùm scripsit: [k] *Prophetias nolite spernere: omnia autem probate; quod bonum est, tenete.* Quæ verba *de Gratia Prophetica*, quibusdam privatis Personis concessa, intelligit Theodoretus, [l] communiter receptus. Paris enim periculi est, ejusmodi Revelationes illico reprobare, ac temere approbare; ut sapienter monuit Johannes Gerson in Tractatu *de Probatione Spirituum*, quem Constantiæ edidit anno 1415. pro examine Revelationum S. Birgittæ in Concilio Constantiensi. [m] „Est autem, *inquit*, utrobique, vel „in Approbatione, vel in Reprobatione periculum. Approbare enim falsas, & illusorias, „aut frivolas Visiones pro veris, & solidis Revelationibus, quid alienius ab hoc Sacro Concilio? Reprobare vero nunc eas, quæ multifarie, multisque modis, quaqua versum, per „diversas Nationes, probatæ dicuntur; non „parva exinde scandalorum in Christiana Religione, & Devotione Populorum formidatio.„

12. Quapropter, illas Sanctarum Mulierum Revelationes, quæ in probatis earum historiis leguntur, multoque magis, quæ prævio examine, ab Ecclesia, sive Sede Apostolica probatæ, Fidelibus commendantur, etsi non ut necessariò de Fide credendæ; *Figmenta, & Somnia Mulierculuarum*, appellare, revera temeritate non vacat, ut bene observat P. Vasquez. [n] Quia secus, *inquit*, „eadem ratione liceret nobis, absque crimine, negare multa alia miracula, quæ „per Sanctos DEI facta esse narrantur in Ecclesia; & Revelationes, quæ ipsis factæ dicuntur, & nondum per Ecclesiam, tanquam „Dogmata Fidei, approbatæ sunt: quod sane „impium, & scandalosum esset, sicut notatum „fuit in Censura Parisiensi contra Erasmum.„

13. Propo-

[e] *Serm. in ortu almæ V. Mariæ Immacul. pag. 40. tom. 18. Bibliot. M. PP. ex Mss. Biblioth. S. Victoris Parisiis.*
[f] *Homilia 3. in cap. 1.* Matth. *pag. 33. tom. 7. ejus Operum postremæ edit.*
[g] *Exod. cap. 15. v. 20. Judic. cap. 4. v. 4. lib. 1. Regum cap. 2. lib. 4. Regum. cap. 12. v. 14.*
[h] Lucæ *cap. 1. a vers. 42. Ibid. cap. 2. v. 36. Actor. cap. 2. ver. 9.*
[i] Joelis *cap. 2. a ver. 28. Actor. cap. 2. ver. 17.*
[k] *Prima ad* Thessalon. *cap. 5. ver. 20. & seq.*
[l] *Comment. in eum locum, pag. 381. tom. 3. edit.* Sirmondi.
[m] *In prima consider. pag. 38. tom. 1.*
[n] *Tomo 2. in 3. partem disput. 117. cap. 6. num. 78.*

13. Propositio Erasmi hæc erat: *Sanctorum historia, & similes narrationes non sunt magnificandæ, neque ea, quæ de eorum miraculis dicuntur.* De hac Propositione Facultas Parisiensis sic censuit: „ Licet non omnia, quæ de Sanctis leguntur, pari gradu certitudinis amplectenda sint; ipsa tamen Propositio, quoad ejus primam partem, pias aures offendit, & ad irreverentiam in Sanctos, & contemptum Ecclesiastici Officii provocat, Wiclephistarum insaniæ conformis ..... Secunda verò pars ex Porphyriano trahitur errore. „

14. Non est ergo, quod Visionarii audire a Lampridio, aliisque timeamus, si ejusmodi Revelationes in medium proferimus, non ut Fide Divina inviolabiliter credendas, sed, ut pie, & prudenter recipiendas, & observandas. Hanc certe notam non timuit Doctor Maximus, S. Hieronymus, qui sanctissimam illam Fœminam, Paulam Romanam, a Visionibus etiam commendare non est veritus. [o] „ Me audiente, *inquit*, „ jurabat, cernere se, *(in specu Bethleemitica)* oculis Fidei, Infantem pannis involutum, vagientem in præsepi Dominum, „ Magos adorantes, Stellam fulgentem desuper, „ Matrem Virginem, Nutricium sedulum, Pastores nocte venientes, parvulos interfectos, „ Hærodem sævientem, Joseph, & MARIAM „ fugientes in Ægyptum. „ Illud, *cernere oculis Fidei*, non erat simpliciter credere per Fidem ea mysteria, (hac enim de re jurare non oportebat) sed erat, ea cernere, visione quadam intellectuali, vel imaginaria, divinitus infusa.

15. Et nec erubuit Hieronymus de se ipso narrare, [p] quod, cum infirmaretur ad mortem, per visum ad Tribunal Judicis pertractus, de studio sæcularium litterarum acriter reprehensus, & castigatus fuerit. Quo narrato, subjungit: *Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. Testis est Tribunal illud, ante quod jacui: Testis Judicium triste, quod timui. Ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæstionem. Lividentes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum; & tanto dehinc studio Divina legisse, quanto non ante mortalia legeram.*

ARTICULUS I.

Patrum, & Sanctorum, singularia, & expressa Testimonia, ab Adversa Parte allegata.

SÆCULUM CHRISTI V.

TESTIMONIUM I.

D. Augustinus, Anno CCCCXXV.

Et quid incoinquinatius illo Utero Virginis? Cujus Caro, etsi de propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit. Item: *Proinde Corpus Christi, quamvis ex Carne Fœminæ assumptum est, quæ de illa Carnis Peccati propagine concepta fuerat: tamen, quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta; nec ipsa erat Caro Peccati, sed similitudo Carnis Peccati.* [q]

16. NE in hac peculiari allegatione Patrum, S. Augustini Authoritatem, ac si nobis aperte adversaretur, dissimulare videamur; duas hasce Sententias, in quibus B. Virgo nominatur, proferimus. Verum ex hujusmodi Sententiis id unum edocemur, B. Virginem *de Carnis Peccati propagine conceptam esse*: hoc est: *de Carnali Concupiscentia Parentum*: (ut alibi se explicat S. Doctor) indeque tantum elicimus, Carnem B. Virginis fuisse *Carnem Peccati*: ut fert prima S. Augustini Sententia, Act. II. Art. I. ab adversa Parte allegata, & Art. II. a *n.* 148. a nobis exposita. Cedo, si potes, aliud expressius August. Testimonium.

TESTIMONIUM II.

S. Chrysippus Presbyter, circiter annum CCCCLV.

Surge Domine. *Nam nisi Tu exurgas e sinu Paterno, Genus nostrum quondam lapsum, non resurget.* Surge Domine &c. Tu, & Arca Sanctificationis tuæ. *Cum enim inde Tu surrexeris, sigillabis Arcam Sanctificationis tuæ*, (B. Virginem intelligit) *tumque Arca cum omnibus exurget a lapsu, in quo vel illam constituit Evæ cognatio.* [r]

17. HOc Testimonium, a Salmanticensibus allegatum *num.* 140. merito prætermisit Lampridius. Nam tam clara sunt pro Immaculata

 culata

[o] *Epist. ad* Eustochium, *quæ est Epitaphium ejus Matris Paulæ, col.* 221. *tom.* 1. *edit.* Parisiens. *an.* 1609. *ex recens.* Mariani Victorii.

[p] *Epist.* 22. *ad* Eustochium *de custodia Virginitatis. col.* 183. *& seq. ejusd. Tomi.*

[q] *Lib.* 10. *de Genesi ad litteram cap.* 18. *num.* 32. *col.* 268. *& seq. tom.* 3.

[r] *Sermone, seu Homil. de S. M. Deipara pag.* 1044. *Tomi* 11. *Bibl. M. PP. & pag.* 417. *tom.* 2. *Bibl. GL. VV. PP.*

culata DEI Genitricis Conceptione verba, quæ paullo post adjicit Chrysippus, & nos expendemus Articulo sequenti; ut verba præsentia necessario intelligenda sint de lapsu, non in re, sed in debito; hoc est de labendi periculo, in quo ipsam quoque MARIAM constituerat Evæ cognatio: dicitur autem surrexisse a lapsu, quia, cum esset labendo proxima, fuit a lapsu per CHRISTI gratiam præservata.

18. Ad hunc modum David (*Psalmo* LV. 13.) DEO gratias agens, ait: *Quoniam eripuisti Animam meam de morte, & pedes meos de lapsu:* licet re ipsa, nec mortuus, nec lapsus fuerit. Quasi diceret, (inquit in eum locum Bellarminus) „ Vitam meam conservasti ab imminente „ morte, sive a Saule, sive ab Achis Rege Phi„ listinorum: & conservasti me, ne laberer in „ Peccatum inter tot, & tantas tentationes, „ quibus provocabar, ut Saulem interficerem, „ vel ei maledicerem. „ Sic etiam e contrario, juxta D. Augustinum, [s] cum Isaiæ XIV. 12. Diabolus, *de Cœlo cecidisse* dicitur: *Non ex eo, quod acceperat, cecidit, sed ex eo, quod acciperet, si subdi voluisset DEO: quod profecto, quia noluit, & ab eo, quod accepturus erat, cecidit, &c.* Similiter ergo B. Virgo non e lapsu, in quem ruerat, exurrexit; sed ex eo, in quem ruisset, nisi DEI gratiâ præventa esset.

19. Paulo aliter Chrysippum interpretatur Raynaudus, videlicet: [t] Lapsus, in quem Evæ cognatio dejecit Mortales, non fuit solum Originis Peccatum actu contractum, sed Debitum quoque illud contrahendi: item mortalitas, & exclusio a Cœlo, donec per CHRISTUM recluderetur, aliæque variæ pœnalitates. Quæ quidem in Beatam quoque Virginem, etsi Peccato Originis ex privilegio re ipsa non infectam, ceciderunt, ob cognationem cum Eva. A talibus ergo Peccati Magni fruticibus liberata est B. Virgo per CHRISTI Redemptionem, & idcirco dicitur *a lapsu exurrexisse* per CHRISTUM, tametsi non exurrexerit e lapsu in Peccatum Originis, quo nunquam prostrata fuerat.

SÆCULUM CHRISTI VI.

TESTIMONIUM III.

Ferrandus, Diaconus Carthaginensis, Anno DXXV.

In Carne Christi Natura est nostræ Carnis, sed non reperitur Culpa Naturæ. Sic Caro Christi Carni Mariæ & similis est, & dissimilis. Similis, quia inde traxit originem; dissimilis, quia non inde contraxit vitiatæ originis contagionem. Similis, quoniam, licet voluntarias, tamen veras sensit infirmitates; Dissimilis, quoniam nullas penitus, neque per Voluntatem, neque per Ignorantiam commisit iniquitates. [u]

20. HIc ego Lampridium interrogo: Per secundam dissimilitudinem, quam astruit Ferrandus inter CHRISTUM, & MARIAM; vel intellexit, quod MARIA aliquas re ipsa per voluntatem, aut per ignorantiam commiserit iniquitates; vel solum intellexit, quod suapte natura poterat illas committere? Si primum; sicut in hac dissimilitudine statuenda erravit Ferrandus, ita & erravit in altera. Si secundum; ergo similiter intelligenda est prima dissimilitudo, nempe de contagione contracta in Origine, & in Debito. Hanc autem esse mentem Ferrandi, colligi videtur ex his, quæ de CHRISTO subjicit: *Merito etiam Mortalis, quia materiam traxit de Carne Mortali. In Carne enim non habentis omnino* (scilicet neque quoad Debitum) *Peccatum, per quam januam voluntaria mors intraret, nisi de Carne ejus nasceretur, cui potuit* (nota bene) *inesse peccatum, & per peccatum mors?*

SÆCULA VII. VIII. IX. X.

Vacant.

SÆCULUM CHRISTI XI.

TESTIMONIUM IV.

S. Petrus Damiani, Anno ML.

Et quid alias memorem? Quandoquidem & ipse DEI Mediator, & Hominum de Peccatoribus originem duxit, & de fermentata massa, sinceritatis azymam, absque ulla vetustatis infectione suscepit. Immo, ut expressius dicam, ex ipsa Carne Virginis, quæ de Peccato concepta est, Caro sine Peccato prodit, quæ ultro etiam Carnis Peccata delevit. [x]

21. DAmiani verbis recitatis, hanc Petavii observationem adjicit Lampridius: [y] *Manifeste Petrus hoc loco B. Virginem Originali affectam Vitio fatetur; quod & ab eo significari necesse est, ut argumentationis vis, & ratio constet.*

22. Sed bona cum venia tanti Viri, hunc ego manifestum Damiani sensum in iis verbis non perspicio. Non ait Damianus: ex *Virgine, quæ in Peccato concepta est:* sed: *ex Carne Virginis, quæ* (scilicet *Caro*, ut ex consequentibus patet) *de Peccato concepta est*: idest de Carnali Concupiscentia, quæ ab Apostolo Peccatum non semel appellatur. Nec propterea vi sua decidit argumentatio Damiani. Sensus enim

[s] *Lib.* 11. *de* Genesi *ad litteram cap.* 23. *num.* 30. *col.* 285. *par.* 1. *tomi* 3.
[t] *In Glossario Nomenclator.* Mariani *v.* Arca. *pag.* 382. *tom.* 7.
[u] *In epist. ad* Anatolium *Diaconum Urbis Romæ, p.* 503. *tom.* 9. *Bibl. M. PP.*
[x] *Opusculo* 6. *seu libro, qui appellatur* Gratissimus, *de Simoniacis, cap.* 19. *pag.* 52. *tom.* 3. *ejus Oper. ex recens.* Constant. Cajetani.
[y] *Cap.* 24. *pag.* 196.

enim est, quod ex ipsa Carne Virginis, quæ de carnali concupiscentia concepta est; Caro CHRISTI sine carnali concupiscentia prodiit; atque adeo absque ulla vetustatis infectione, & absque ullo peccato, quod per carnalem concupiscentiam Generantium, juxta legem communem, derivatur in Prolem.

23. Quod vero apud Damianum non sit idem, *Concipi de peccato*, ac, *Concipi in peccato*, colligitur ex alio loco, [z] ubi ait: *Vides, quàm remotiore privilegio speciosus formâ præ Filiis Hominum, a Filiis Hominum in concipiendo discretus sit? Illi etenim de Peccatis, & in Peccatis concepti sunt. Hic in Spiritu, & de Spiritu Sancto concipitur.* Sicut ergo, *Concipi in Spiritu & Concipi de Spiritu*, diversa sunt; quorum secundum non competit Virgini, licet competat primum: ita etiam, *Concipi in Peccatis*, *& Concipi de Peccatis*, sunt diversa; & horum primum non competit Virgini, licet competat secundum.

TESTIMONIUM V.

S. Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, Anno MLXXXI.

Qualiter de Massa Peccatrice, ideft Humano Genere, quod totum infectum erat peccato, Hominem sine peccato, quasi azymum de fermentato, DEUS assumpsit. Nam licet ipsa Hominis ejusdem Conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam Mater ejus; & cum Originali Peccato nata est: quia & ipsa in Adam peccavit, in quo omnes peccaverunt &c. (a)

24. MIror, quosdam ex Nostris huic Testimonio manus dare, & plane fateri, hoc in loco D. Anselmum B. Virginis Conceptionem Originali Peccato infectam agnoscere. Nam fateri etiam deberent, idem quoque sensisse Anselmum de ejusdem B. Virginis Nativitate. Hæc enim Sententia non solum enuntiat, quod B. Virgo *est in Iniquitatibus concepta*; verum etiam, *quod cum Originali Peccato nata est.* Hoc autem sensisse Anselmum eo tempore, quo solemnis erat in Ecclesia Cultus Nativitatis B. Virginis, [b] incredibile prorsus est.

25. Quid, quod ipse Anselmus hanc eandem solemnitatem non semel memorat? In epistola ad Ernulfum, [c] *De octavis quoque*, inquit, *Nativitatis Sanctæ DEI Genitricis Mariæ, quas plures de Fratribus nostris rogant in Ecclesia nostra fieri, quia in pluribus Ecclesiis fiunt; quod vobis melius videbitur facite.* Meminit quoque *Diei octavæ Nativitatis Sanctæ DEI Genitricis*, in epistola ad Gerardum, Archiepiscopum Eboracensem. [d] Et, quod illustrius est, in suis Orationibus unam [e] habet *ad Sanctam Mariam Virginem in Nativitate ejus*; in qua orat *per merita Sacratissimæ Nativitatis ejus.*

26. Præterea locus iste non difficulter exponitur. Allegata verba non ut a se, sed ut a Bosone, suo Collocutore, & Discipulo, in eum modum inquirente, & argumentante, prolata, scribit S. Anselmus. Et quamvis ipse, inter respondendum, verba illa non corrigat; non ideo tamen approbat, sed prætermittit. Nam scopus ejus erat, ostendere, CHRISTUM ab Originali Peccato prorsus esse alienum; quantumvis non de massa tantum, sed & de Matre peccatrice conceptus foret: quia nimirum ejus Mater ante Domini conceptionem per ipsius CHRISTI Fidem mundari potuisset.

27. Hunc esse germanum istius loci sensum, aperte colligitur ex opere posteriori *de Conceptu Virginali*: in quo Anselmus & multa explicavit, quæ in priori opere dixerat, & addidit multa. Ibi namque *cap.* 18. ait, quod „ Quamvis de Mundissima Virgine Filius DEI verissime conceptus sit, non tamen hoc ea necessitate factum est, quasi de Peccatrice Parente justa Proles rationabiliter generari per ejusmodi propagationem nequiret: sed quia decebat, ut illius Hominis conceptio de Matre Purissima fieret. „ Et reliqua, quæ Act. II. Art. III. Test. XLIX. allegavimus.

28. Quod autem in eo libro II. *Cur DEUS Homo*: non ita clare se explicet Anselmus; mirum esse non debet, cum de suo illo opere ipse præmoneat: [f] „ Opus subditum propter quosdam, qui antequam perfectum, & exquisitum esset, primas partes ejus, me nesciente, sibi conscribebant, festinantius, quam mihi opportunum esset, ac ideo brevius, quàm vellem, sum coactus, ut potui, consummare: nam plura, quæ tacui, (*hoc nota*) inseruissem, & addidissem, si in quiete, & congruo spatio illud mihi edere licuisset &c. „

29. Aliter locum istum S. Anselmi exponit, & cum aliis ejusdem locis componit Joh. Bacho, antiquus ex Anglia Theologus, [g] loquens de Festo Conceptionis, pro cujus celebratione Anselmum allegaverat: „ Videtur, *inquit*, „ quod ipse intellexerit, quod Caro in Conceptione B. Virginis seminata, dupliciter potest considerari: vel in ordine ad Adam, ut descendit per carnalem generationem; alio modo, ut prædestinata, & præordinata ad Filii DEI Maternitatem, & Incarnationem. Primo modo non est ejus carnalis conceptio celebranda, eo quod sic est „ Filia

[z] *Sermone* 23. *qui est primus in Nativitate* S. Joh. Baptistæ, *pag.* 66. *tomi* 2.
[a] *Lib.* 2. *operis inscripti*: Cur Deus Homo. *cap.* 16. *p.*92.
[b] *V. quæ dicta sunt in Apparatu n.* 128. *& seqq.*
[c] *Epist.* 41. *pag.* 438.
[d] *Epist.* 52. *pag.* 386.
[e] *Est oratio* 55. *pag.* 184.
[f] *Pag.* 74. *ejus Operum edit.* Gerberonianæ.
[g] *Lib.* 3. *quodlibetor. quæst.* 14. *partic.* 2. *pag.* 765. *col.* 2. *edit.* Cremonensis.

„ Filia Adæ, & Peccati: secundo modo est celebranda, quia sic est Filia Justitiæ, & DEI.„ Vult dicere, quod ibi S. Anselmus loqnutus sit de B. Virgine, non absolute, sed spectata ejus naturali propagatione ex Adamo.

TESTIMONIUM VI.

Eadmerus, S. Anselmi Discipulus, Monachus Cantuariensis Ordinis S. Benedicti, Anno MLXXXVII.

Cum igitur in his, quæ tantopere DEO placent, Sancta Virgo Maria tam excellenter illi placuit, ut nequaquam crederet quis, illam aliqua ratione excellentius placere potuisse: nimirum tenemus fide, ab omni, siquid adhuc in illa Originalis, sive Actualis Peccati supererat, ita mundatum cor illius, ut & super eam Spiritus Domini, scilicet super Humilem, & Quietam, & Trementem verba sua, totus requiesceret. [h]

30. SI Eadmerus (cujus esse librum *de Excellentia B. V. M.* notavimus *Act. II n.*106.) verbis illis conditionalibus: *Si quid adhuc in illa, Originalis, sive Actualis Peccati supererat:* Originale Peccatum absolute adstrueret in B. Virgine, adstrueret etiam Actuale; ut per se patet. Rursus, si de ipso Formali, seu Originali, seu Actuali Peccato loqueretur; cum loquatur de Mundatione facta sub Incarnationis Dominicæ tempus; consequenter diceret, quod prope id tempus adhuc supererat in B. Virgine aliquid ipsius Formalis, sive Originalis, sive Actualis Peccati. Absint ab Eadmeri mente tam absoni sensus, quem *Act. II. Art. III. Test. I.* de eximia B. Virginis Puritate, in eodem, libro, tam magnifice disserentem audivimus.

31. Illis ergo verbis tantum significare voluit Eadmerus, & quidem mere conditionaliter, quod si nondum in B. Virgine fuisset extinctus fomes Peccati; tunc certe, cùm ab Angelo salutata est, extinctus omnino est. Etenim Peccati fomes, quid Originalis Peccati esse, non male dicitur, quia ex peccato primi Parentis in nos derivatur; & quid etiam Actualis Peccati, quia omnium peccatorum radix esse solet, & origo.

SÆCULUM CHRISTI XII.

TESTIMONIUM VII.

Rupertus, Abbas Tuitiensis, Anno MCXX.

Et Tu quidem (Virginem alloquitur) *veraciter dicere poteras:* Ecce enim in iniquitatibus concepta sum, & in peccatis concepit me Mater mea. *Cum enim esses de massa, quæ in Adam corrupta est, hæreditaria Peccati Originalis labe non carebas; sed ante faciem hujus amoris, nec illud, nec aliud stare potuit. Ante faciem hujus ignis, stipula omnis interiit, ut totum Sanctum fieret habitaculum, in quo DEUS totis novem mensibus habitaret.* [i]

32. P. Suarez, [k] & plerique alii ex nostris plane fatentur, Rupertum in Contraria Sententia fuisse. P. Raynaudus [l] Rupertum conatur exponere, quasi dixerit: „ Per illum actum amoris, qui jam a primo momento vitæ flagravit in Virgine, exclusum esse „ peccatum, quod vi generationis ex Adamo „ intervenisset, nisi Peccato, Divina Gratia „ præveniens ad actum illum, perque eum Gratiam Sanctificantem conferens, obstitisset. „ Ad hujus tamen expositionis imbecillitatem forte advertens, subdit: „ Quamquam si adversantem haberemus Rupertum, & ætate, & „ gradu dignitatis inter Patres postremum, nec „ semel in gravissimis Christianæ Fidei capitibus hallucinatum, nominatim circa Eucharistiam; non esset, quod pro ejus auctoritate declinanda, justo sollicitiores esse deberemus. „

33. At ego, cum induci non potuerim, ut crederem, Rupertum, (cujus pro Pia Sententia duo præclara Testimonia produximus *Act. I. num.* 79. & *Actione II. ad num.* 349. & tertium clarissimum adducemus Articulo sequenti,) in Contrariam Sententiam hic abiisse; locum istum diligenter excussi, & plane deprehendi, Rupertum, per *Hæreditariam Peccati Originalis labem*, non intellexisse ipsam Originalis Peccati culpam, quæ Animam DEO invisam reddit; sed concupiscentiæ fomitem, quem nondum in MARIA omnino extinctum putabat ante CHRISTI conceptionem; ut ex præcedentibus verbis ostendo.

34. Exponens hoc loco Rupertus verba illa Canticorum *cap.* 1. *v.* 1. *Meliora sunt ubera tua vino:* „ Non fueras, *inquit*, experta vitium hujus Sæculi, vinum voluptatis carnalis; & tamen dijudicare nosti, quàm melior, aut vehementior, dulcior, atque fortior esse voluptas, sive Amor Dei, in quo concepisti, sine „ dubio potata illius torrente voluptatis. Et tu „ quidem veraciter dicere poteras „ *& reliqua, quæ allegata sunt.* Ille igitur amor, de quo ait Rupertus: *Sed ante faciem hujus amoris, nec illud, nec aliud* (scilicet Peccatum) *stare potuit:* est amor ille divinus, quo B. Virgo flagrabat, quando CHRISTUM concepit. Peccatum ergo, quod ante faciem istius amoris primùm evanuisse dicitur, ipsa Originalis Peccati culpa esse non potuit, sed summum peccati, seu concupiscentiæ fomes, quem toties diximus, ab Apostolo, & Patribus appellari Peccatum.

TESTI-

[h] *Lib. de Excellen. B. V. M. cap.* 3. *pag.* 136. *ejus Operum novæ editionis, ex Recensione Benedictinor. Cong. S. Mauri, post editionem citatam Operum* S. Anselmi.

[i] *Lib.* 1. *Commentarior. in Cantic. sub initium, pag.* 1. *edit.* Coloniens. *anni* 1540.

[k] *Tomo* 2. *in* 3. *Part. disput.* 3. *sect.* 5. *post medium* §. ex Patribus.

[l] *In Diptychis Marianis, par.* 2. *pun.* 2. *num.* 28. *p.*147. *tom.* 7.

TESTIMONIUM VIII.

S. Bernardus, Abbas Claravallensis, Anno MCXXX.

PRIMA SENTENTIA.

Si igitur ante Conceptum sui sanctificari (MARIA) *minime potuit, quoniam non erat; sed nec in ipso quidem Conceptu, propter peccatum, quod inerat; restat, ut post Conceptum, in utero jam existens, sanctificationem accepisse credatur; quæ, excluso Peccato, Sanctam fecerit Nativitatem, non tamen & Conceptionem.* [m]

ALTERA SENTENTIA.

Absit enim, ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc (Beata Virgo) *aliquando habuisse videatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quod si Originalem a Parentibus Maculam traxit; sed minus a Hieremia sanctificatam in Utero, aut non magis a Johanne Spiritu Sancto repletam, credere prohibet Pietas Christiana.* [n]

35. UT a facilioribus incipiamus, perspicuum est, D. Bernardum in posteriori Sententia nihil absolute affirmasse de B. Virginis Macula Originali, sed tantum conditionaliter loquutum, dixisse: quod, si B. Virgo eam maculam a Parentibus traxit, credere oporteat, quod majori jure, quàm Hieremias, & uberiori gratia, quàm Johannes, sanctificata in utero fuit. Sub eadem conditione intelligenda sunt, quæ sequuntur: *Postremo, cum omnibus modis constet, ab originali contagio solâ gratiâ mundatam esse Mariam: quippe cùm & nunc in Baptismate, sola hanc maculam lavat Gratia, &c.* Nempe, si Originale Contagium MARIA contraxit, solâ gratiâ ab eo mundata fuit, & non per pœnitentiam. Hanc enim a MARIA, quæ alioqui *proprium delictum non habuit*, excludere intendit Bernardus. Et hic observa prudentiam Ecclesiæ, quæ cùm lectiones 3. Nocturni pro Octava Assumptionis, desumpserit ex hoc sermone D. Bernardi, verba illa: *Quod si Originalem &c.* prætermisit, ne teneras Fidelium aures offenderent.

36. Prior Bernardi Sententia cum suis appendicibus, in varias opinationes multos distraxit. Aliqui dixerunt, Epistolam istam ad Canonicos Lugdunenses, non esse Bernardi, sed ad conflandam invidiam, suppositam ipsi fuisse a Nicolao Claravallensi, Bernardi olim familiarissimo, dein proditore, de quo alibi. Alii plane fatentur, Bernardum in hac Epistola contrariam tradidisse Sententiam, ipsumque excusant, quòd eo tempore, Nativitatis dumtaxat, & non Conceptionis Marianæ Festum a Romana Ecclesia celebraretur, ad cujus Ecclesiæ judicium in fine Epistolæ ille se remittit.

37. Alii denique (inter quos Franciscus Bivarius, [o] & Angelus Manriquez [p]) censent, D. Bernardum non fuisse locutum in ea Epistola, de Conceptione consummata B. Virginis, quæ est Creatio, & Infusio Animæ in corpus; quæque, ut Sancta in præsenti colitur ab Ecclesia: sed de Conceptione inchoata, quæ fiat in sola commixtione seminum utriusque Parentis; cujusmodi Conceptionis Festum ab Ecclesia Lugdunensi celebrari putabat, quòd illud videret diei Octavæ Decembris affixum, qua die contigisse fertur illa seminalis Conceptio.

38. Hanc nos de Bernardi mente in ea Epistola, opinionem veriorem putamus; quam ex ipsiusmet argumentis, quibus, & Sanctitatem, & Festum Conceptionis oppugnat, non obscure colligimus. Quænam porro sunt Argumenta Bernardi? „ Unde ergo, *inquit*, Conceptionis „ Sanctitas? An dicitur Sanctificatione præventa, quatenus jam Sancta conciperetur? &c. „ Sed non valuit ante Sancta esse, quàm esse. „ An forte inter amplexus Maritales Sanctitas „ se ipsi Conceptioni immiscuit, ut simul sanctificata fuerit, & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque aut „ Sanctitas absque Spiritu Sanctificante, aut „ Sancto Spiritui societas cum peccato fuit, aut „ certe peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Nisi forte quis dicat, de Spiritu Sancto eam, & non de Viro conceptam „ fuisse. Sed id hactenus inauditum &c. „

39. Rogo nunc Lectorem meum: Quænam est illa Conceptio, quæ Viri operâ, & inter amplexus maritales efficitur, & in qua libido, & consequenter illud qualecumque peccatum non deest? Estne alia, quàm Conceptio Seminum, Conceptio Carnis? Nihil tale secum affert Conceptio Naturarum, Conceptio Hominis, quæ per infusionem Animæ Rationalis in illud Corpusculum jam efformatum, a DEO perficitur. Neque enim S. Bernardus in ea opinione fuit, quod Rationalis Anima una cum semine a Parentibus traducatur; ut demonstratum est in Apparatu *num.* 63. De Conceptione ergo seminali loquitur D. Bernardus, cùm inde concludit, quod B. Virgo *nec in ipso quidem conceptu sanctificari potuit, sed post conceptum, in utero jam existens*, (hoc est Corpore, & Anima jam plene constituta) *Sanctificationem accepisse creditur; quæ peccato excluso*, (scilicet prohibito, seu impedito; utrumque enim sonat verbum Excludo) *Sanctam fecerit Nativitatem.* An vero Sanctam quoque fecerit Animationem, Bernardus ibi nec affirmat, nec negat.

40. Id ipsum, & non aliud, inferunt, quæ veluti in confirmationem subjicit Bernardus, nempe: *Excepto Christo Domino*, (cujus Conceptio de Spiritu Sancto fuit, & uno, eodemque momento cœpta, & consummata est.) *De cætero universos*

[m] *Epist.* 174. *ad* Canonicos Lugdun. *cir. an.* 1140. *scripta, col.* 171. *primi tomi, & voluminis.*

[n] *Serm.* 2. *in Assumptionem B. Virginis, num.* 8. *col.* 999. *ejusdem voluminis.*

[o] *In Opusculo cit.* S. Bernardus vindicatus, *lib.* 2. *a* §. 1. *& a pag.* 63.

[p] *Tomo* 1. *Annalium Cisterciensium, ad annum Christi* 1136. *cap.* 4.

universos respexit ex Adam natos, quod unus humiliter de semetipso, ac veraciter confitetur. In iniquitatibus, inquiens, *conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Hæc enim verba de Conceptione seminali intelligenda esse, jam ostendimus ex D. Anselmo *Act. I. num. 36. & seqq.*

41. Datam expositionem eò libentius, ac tutius amplecti debemus, quòd in eam consensisse videamus Primores Scholasticos, a Bernardi ætate non multum remotos, & cæteroquin Piæ Sententiæ non admodum propitios: qui quidem citata Bernardi verba ad eum dumtaxat scopum adducunt, ut probent, B. Virginem ante Animationem sanctificari non potuisse. Alexander de Hales, [q] „ Conceptio, *inquit*, dicit commixtionem, quæ est in principiis seminalibus &c. A parte autem illius commixtionis est libido: & propter hoc dicit Bernardus: *Quomodo peccatum non fuit, ubi libido non defuit?* „ Albertus Magnus, [r] „ Dicimus, *inquit*, quod B. Virgo non fuit sanctificata ante Animationem; & qui dicunt oppositum, est hæresis condemnata a B. Bernardo, in Epistola ad Lugdunenses &c. „

42. Similiter D. Bonaventura, [s] allegatis illis Bernardi verbis: *Sed nec in ipso conceptu, propter peccatum, quod inerat:* subjicit. „ Sed constat, quod illud non est dictum propter peccatum, quod esset in Parentibus: quia potuissent eam concipere sine peccato. Ergo dicit propter causam peccati, quæ erat in carne. Ergo videtur, quod Sanctificatio (*B. Virginis*) non fuerit ante infusionem Animæ. „ Et D. Thomas [t] probans, B. Virginem nullo modo in Parentibus sanctificari potuisse, neque etiam in ipso actu carnalis Conceptionis, subjungit: *Propter quod D. Bernardus ad Lugdunenses scribit, Conceptionem illius celebrandam non esse.*

43. Cl. V. Johannes Mabillon in notis ad eam Epistolam D. Bernardi, [u] etsi dicat, animum sibi non esse tantis Viris contradicere, duo tamen contra datam expositionem opponit: 1. D. Bernardum nullum in ea Epistola discrimen agnovisse, nisi penes majorem, & minorem gratiæ plenitudinem, inter Sanctificationem in Utero B. Virginis, & Sanctificationem Hieremiæ, ac Johannis Baptistæ. 2. Bernardi mentem, Piæ Sententiæ contrariam patere ex aliis ipsius verbis, Sermone II. *de Assumptione B. V.*

44. Hoc secundum potius favet. In responsione ad secundam Sententiam observavimus, ea verba non esse asseverantis, sed subdubitantis. Non ita vero loqueretur Bernardus, si in ea Epistola nomine Conceptionis, cujus Sanctitatem tam obfirmate refellit, Animationem intellexisset. Ad illud primum respondemus, æquiparationem illam in eo sitam esse, quod tam B. Virgo, quàm Hieremias, & Johannes, post seminalem Conceptionem, in utero jam existentes, Sanctificationem acceperunt; (quod unum contendebat Bernardus:) nullam vero fieri æquiparationem quoad modum, & tempus Sanctificationis. Nam alioqui constat, Johannem sexto post mense sanctificatum fuisse; & Hieremiam, paulò ante nativitatem ex utero. Quas moras in B. Virginis Sanctificatione nemo admiserit.

45. Quæ contra eandem expositionem objiciebat Lampridius, ex ignorata a Veteribus distinctione inter Conceptum Seminalem, & Animalem; nec non ex Antiquorum opinione de propagatione Animarum Rationalium per Traducem; abunde refutata sunt in Apparatu *n.* 138. *& seq. & num.* 63. & pluribus sequentibus.

SÆCULUM CHRISTI XIII.

TESTIMONIUM IX.

S. Antonius, Ordinis Minorum, Paduanus nuncupatus, Anno MCCXX.

PRIMA SENTENTIA.

Beata Virgo fuit in Utero Matris a Peccato per Gratiam sanctificata, & sine Peccato nata.

ALTERA SENTENTIA.

Advertendum, quod hoc dictum Salvatoris, (cui autem minus dimittitur, minus diligit. Lucæ VII. 47.) *solùm tenet de illis, qui debitores fuerunt, non de illis, qui fuerunt ab hujusmodi debito præservati: sicuti qui fuerunt sanctificati in utero; de quorum numero fuit B. Virgo. Tales enim plus diligunt, qui majus beneficium recipiunt.* [x]

46. PRimam Sententiam profert Cajetanus *cap.* 4. *pag.* 140. tanquam ex S. Antonii Sermone de Nativitate B. Virginis. Sed, ut *Act. II. num.* 12. dicebam, Sermo iste de *Nativitate B. Virginis* non invenitur in operibus S. Antonii, summâ diligentiâ undequaque collectis, & editis Lugduni anno 1635. a Fr. Johanne de la Haya, Ordinis Minorum: & nec in aliis S. Antonii Sermonibus, quos evolvimus, hanc, vel similem Sententiam invenire potuimus.

47. Alteram Sententiam ex parte refert Valdesius *epist.* XVII. *pag.* 226. fere integram, Launojus *Præscript.* 6. *pag.* 14. Qui & hinc audacter infert, *priùs Dominicanis, Virginem peccato obnoxiam fecisse Franciscanos.* Sed neuter animadvertit, quam anceps sit hæc Sententia, & ad utramque partem versatilis. Non enim magis sancit,

[q] 3. *Par. Summæ Theolog. quæst.* 9. *membro* 2. *art.* 2. *fol.* 29. *col.* 3. *edit. supra cit.*

[r] *In lib.* 3. *sent. dist.* 3. *art.* 4. *pag.* 26. *col.* 2. *tom.* 15. *edit.* Lugd. *an.* 1651.

[s] *In* 3. *Sent. parte* 1. *distin.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. *pag.* 33. *col.* 2. *tomi* 5.

[t] *In lib.* 3. *sent. dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. *fol.* 11. *col.* 3. *tomi* 7.

[u] *In calce primi volum. oper.* S. Bernardi, *Nota* 142. *col.* LXII.

[x] *Sermone in Feria* 5. *de Passione pag.* 122. *col.* 2. *edit.* Lugd. an. 1635.

sancit, B. Virginem fuisse de numero illorum, *qui fuerunt sanctificati in utero*; (ut Hieremias, & Johannes Baptista) quàm fuisse de illis, *qui fuerunt ab hujusmodi debito*, (scilicet ab Originali Peccato) *præservati*; de quibus proinde ait, quod *plus diligunt, quia majus beneficium recipiunt:* scilicet Præservationis. Fortasse locus mendosus est, ab Exceptoribus, vel Exscriptoribus vitiatus.

48. Alibi vero (xx) S. Antonius B. Virginis Innocentiam, & a Peccato Immunitatem commendat, ubi illud Ecclesiastici XXIV. 7. *Ego in Altissimis habito, & Thronus meus in columna nubis*; sic exponit: „ Ego, qui in Altissimis habito, elegi Thronum ...... in paupercula Matre. Et nota, quod dicitur *Columna*, quia nostram fragilitatem sustentat; *Nubis*, quia a Peccato Immunis. Hic Thronus fuit *de ebore*; quia MARIA fuit Candida Innocentiâ, Frigida, sine Libidinis ardore. „

SÆCULUM CHRISTI XIV.

TESTIMONIUM X.

S. Catharina, Virgo Senensis, ex Ord. Prædicatorum, Anno MCCCLXXV.

O Ignorans, & Bestialis Homo &c. & subjunxit: Datum est ergo nobis Verbum Æternum per manus Mariæ, & de substantia Mariæ induit naturam absque Peccati Originalis Macula: & hoc, quia non Hominis, sed Spiritus Sancti operatione facta est illa Conceptio. Quod quidem non fuit sic in Maria, quia non processit de massa Adæ, operatione Spiritus Sancti, sed Hominis. Et quia tota illa massa erat putrida, non poterat, nisi in putridam naturam Anima illa infundi; nec purgari poterat, nisi per Gratiam Spiritus Sancti, cujus quidem Gratiæ non est subjectum susceptibile Corpus, sed Spiritus rationalis, aut intellectualis. Et ideo non potuit Maria a Macula illa purgari, nisi postquam Anima infusa est Corpori. Quod quidem sic faciendum est propter reverentiam thesauri divini, qui in illo vase debebat reponi. Nam sicut fornax consumit guttam aquæ in modico tempore; sic fecit Spiritus Sanctus de Macula Peccati Originalis. Nam post Conceptionem ejus, statim fuit per Gratiam Spiritus Sancti ab illo Peccato mundata, & gratiâ magnâ dotata, Subjunxit: Tu scis Domine, quia ista est Veritas.

49. CEnsent Adversarii, (etsi non omnes) S. Catharinam Senensem per hæc verba significasse, quod revelatum sibi a DEO fuerit, B. Virginem in sui Conceptione contraxisse Originale Peccatum. Verba autem ista leguntur in clausula Orationis numero XVI. inter alias S. Catharinæ orationes, quæ unà cum ejus Dialogo, editæ sunt Brixiæ, per Bernardinum de Misintis de Papia, anno 1496.

50. Adversus hujuscemodi commentitiam Revelationem plures ex nostris egregie scripserunt, P. Martinus del Rio, (y) P. Nicolaus Lancitius, (z) Fr. Lucas Waddingus, (a) Petrus de Alva & Astorga, loco citando, & P. Hippolytus Marracius in peculiari Opusculo, cujus titulus, *Vindicatio S. Catharinæ Senensis &c.* Nos horum exemplum secuti, rem ab initio repetentes, aliis etiam superadditis argumentis, ostendemus 1. Generatim nullum esse istius Revelationis fundamentum: 2. Verba allegata non esse S. Catharinæ, sed ab aliis ei Orationi supposita. 3. Etiamsi forent S. Catharinæ, nullam in iis verbis Revelationem contineri, aut significari. Qua ratione non tam Piæ Sententiæ, quàm glorioso Sanctæ Catharinæ nomini consulere credimus, ne huic Sapientissimæ Virgini tam turpem illusionem affingamus.

DEFENSIO S. CATHARINÆ SENENSIS A FICTITIA REVELATIONE DE MACULATA DEI GENITRICIS CONCEPTIONE.

51. PRimus omnium, S. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus, ex fide cujusdam Johannis de Neapoli, Piæ Sententiæ opposuit S. Catharinæ Senensis contrariam Revelationem, ut S. Birgittæ Revelationem infirmaret; sed nec verba retulit, nec locum designavit. (b) „ Ad illud, *inquit*, de Revelatione, & de Visione Bernardi &c. dicit Johannes de Neapoli, quod sunt Visiones phantasticæ, quibus non est credendum: etsi dicatur, aliquas Sanctas habuisse Revelationem de hujusmodi, ut S. Brigida; sciendum, quod aliæ Sanctæ, quæ claruerunt miraculis, ut B. Catharina de Senis, habuerunt Revelationem de contrario. „ Hæ vero aliæ Sanctæ, præter unam Catharinam Senensem, nullibi nominantur ab Adversariis.

52. S. Antoninum laudant Bandellus, & Cajetanus, etsi parum fideliter referant. „ Idem tenet, [*inquit Bandellus*, (c)] S. Catharina de Senis, quæ ut narrat B. Antoninus Archiepiscopus 1. *par. summæ tit. de Peccato Originali*, dixit in quodam suo libello, sibi fuisse revelatum, B. Virginem in Originali Peccato conceptam, sed postea ab eodem fuisse mundatam. Hæc ille. „ Similiter Cajetanus *loco cit. cap.* V. *Sanctæ Brigidæ*, ait, *e regione ponitur S. Catharina de Senis, quæ dixit, sibi revelatum esse oppositum, ut refert Archiepiscopus Florentinus prima parte &c.*

53. Ecce tota istius Revelationis fides in unum Johannem de Neapoli resolvebatur. Quia nec Beatus Raymundus de Vinea Capuanus, Ordinis

(xx) *Serm. 2. Dom. 5. post Ss. Trinit. pag. 238. ejusd. edit.*
(y) *Lib. 4. disquisit. Magic. quæst. 3. sect. 4.*
(z) *Tom. 2. Opusculor. Opusculo 11.*
(a) *In descriptione legationis Catholicorum Regum &c. sect. 3. Oratione 10. ad* Paulum V.
(b) *Prima parte Summæ, Tit. 8. cap. 2. circa finem.*
(c) *Cap. 23. suæ famosæ disputationis, folio 28. pag. 2.*

Ordinis Prædicatorum, omnium arcanorum B. Catharinæ conscius, qui vitæ ipsius historiam copiosissime scripsit; nec Fr. Thomas de Senis ejusdem Ordinis, aliive Sanctæ Virginis Familiares, qui res ab eadem gestas diligentissime collegerunt, & scriptis mandarunt; neque demum ipsemet S. Antoninus Florentinus *tertia Parte Historiarum*, (*d*) ubi vitam S. Catharinæ latissime conscribit; inter alias hujus Sanctæ Virginis Revelationes, istius Revelationis ullam mentionem fecerunt.

54. Adde, quod nec Johannes Capreolus, nec Johannes Turrecremata, aut alii, qui ante D. Antoninum contra Piam Sententiam scripserunt; Revelationem istam, vel obiter laudarunt. *Miraculum esset*, [inquit Ambrosius Catharinus (*e*)] *si nostri hanc rem prætermisissent ad fulciendam opinionem suam; qui, & quæ sunt, & quæ non sunt, undique excavarunt, & collegerunt ad hoc ipsum.*

55. Tempore igitur S. Antonini, confusus istius Revelationis rumor disseminari cœpit ab Adversariis, quo clavum clavo truderent, hoc est S. Birgittæ Revelationes infringerent: ut innuunt verba illa Johannis a Neapoli: *Et si dicatur, aliquas Sanctas &c.* Cùm autem hic rumor nullo inniti fundamento videretur; qui disputationem illam Bandelli castigatam, & additionibus cumulatam, tacito loco, & nomine Typographi, anno 1502. edidit, descriptam clausulam Orationis XVI. ex citata editione Brixiensi, tanquam Revelationem, S. Catharinæ Senensi factam, Piæ Sententiæ opposuit.

56. De clausula ista hanc censuram tulit Ambrosius Catharinus *loc. cit.* „Merito mihi incessit „ suspicio, quod Zelator quidam paternarum „ traditionum, caudam illam orationis, male superioribus cohærentem, & varie etiam in variis libris se habentem (si recte memini,) contulisset de suo: quod & indicat frivolæ illius, „ & satis jam confutatæ rationis adjectio; ac si „ cum Adversario quopiam disputaret, aut quasi „ persuadere Domino DEO vellet, ad eam probandam opinionem. „ Nobis vero non suspicio tantum, sed etiam persuasio adhæret, dictam clausulam ejus orationis S. Catharinæ, in Brixiana editione repertam, additititiam esse, & alicujus impotentis Adversarii consilio, ab Editore Fr. Paulo Sancheo Aragonensi, Ord. Prædic. suppositam. Quam suppositionem duplici argumento comprobamus.

57. Primum argumentum: Imperita est hæc Clausula, & S. Catharinam dedecet, cujus *Doctrina infusa, non acquisita fuit &c.* ut in ejus Ecclesiastico Officio recitamus. Nam primo longissime recedit ab scopo illius Orationis, quæ acris quædam expostulatio est cum Homine peccatore: *O ignorans*, ajebat, *& bestialis Homo; cùm DEUS te fecerit Hominem, cur facis te ipsum, Bestiam, & non solum Bestiam, sed nihil?* Et cætera his similia. Quæ quidem per additum verbum, *& subjunxit*, pessime connectuntur cum ea conclusione: *Datum est ergo nobis Verbum Æternum &c.* 2. Possibilem negat Præservationem B. Virginis ab Originali Peccato; quam tamen possibilitatem nemo ex cordatis Adversariis negat. 3. Exponit Originale Peccatum per quamdam putredinem, carni inhærentem, quæ non differt a morbidis illis qualitatibus, jam explosis a Schola. 4. Ex eo, quod non potuit B. Virgo sanctificari ante Animationem, perperam infert, non potuisse sanctificari, nisi post Animationem.

58. Alterum Argumentum: Clausula ista non reperitur in tribus aliis Orationum S. Catharinæ editionibus, in quibus Oratio illa XVI. incipiens: *O Deitas æterna dissolve vincula &c.* desinit in hæc verba; *Et res, quæ est privata sua perfectione, potest dici nihil*: & non habet ea, quæ in editione Brixiensi Interpolator adjecit: *Et subjunxit: Datum est ergo nobis &c.* Prima est editio Coloniensis anni 1553. adornata a Fr. Theodorico Loher a Stratis Carthusiano, ad amussim Codicis ms. Membranei, ab eo reperti, dum esset in Austria, in Maurbacensi sui Ordinis Monasterio; quam editionem laudat P. Daniel Papebrochius, (*f*) inde colligens, Clausulam illam in editione Brixiensi repertam, subdititiam esse. Altera est editio, item Coloniensis, anni 1569. in fol. apud Theodorum Baumium, quam memorat P. Alva. (*g*) Utramque editionem recognoscit Jacobus Echard, (*h*) & quamvis neget, Ms. illud Carthusianum esse Authographum ipsius Fr. Raymundi de Capua, non diffitetur tamen *esse Exemplum insigne melioris notæ, ætatis forsan Auctoris, aut suppar.*

59. Postrema editio, ab eodem Jacobo Echard meritò præ cæteris commendata, est illa, quam adornavit, & illustravit V. Cl. Hieronymus Gigli, Nobilis Senensis; qui omnia S. Catharinæ opera, ex Mss. originalibus, undique conquisitis, eruta, quatuor Tomis complexus est, & edidit Senis an. 1707. In quarto Tomo istius editionis describuntur Orationes XXVI. quales a S. Catharina, nativâ linguâ Senensi, prodierunt. Inter eas Orationes *pag.* 356. reperitur illa eadem Oratio, etsi non XVI. sed XIV. numero, quæ italice incipit: *O Deità eterna dissolve il vincolo del Corpo mio, acciocchè io possa vedere la verità &c.* In hac autem Oratione deest tota illa clausula: *Et subjunxit: Datum est ergo Nobis &c.* quam certe non omisisset accuratissimus iste, ac fidelissimus Editor, si eam in Mss. originalibus reperisset, cum in præfatione dicti Tomi quarti, de S. Catharinæ Orationibus dicat: *Ritornandole adesso noi alla più schietta dettatura, in cui le raccolse Tommaso Buonconti da Pisa, uno de' discepoli, e seguaci suoi &c.*

60. Cæterum demus, Orationem illam cum tota sua Appendice, fuisse a S. Catharina Senensi prolatam, vel etiam conscriptam: Nullam

(d) *Tit. 23. cap. 14. a fol. 180. col. 3. edit.* Lugd. *an.* 1543.
(e) *Disput. pro verit. Immac. Concept. B. V. ad PP. & FF. Ord. Præd. lib. 1. versus finem.*
(f) *In Actis Sanctorum Aprilis, ad diem 30. in Vita S. Catharinæ, pag.* 851. *&* 858. *tomi* 3.
(g) *In Sole Veritatis n.* 201. *pag.* 597.
(h) *Tom.* 1. *de Scriptor. Eccl. Ordin. Prædic. ad an.* 1380; *pag.* 832.

jam certe Sancta Virgo Revelationem, quasi divinitus sibi factam, verbis illis expressit, sed tantum *Coram DEO in Oratione effudit, quod ab Ordinis Patribus, suis ab infantia Doctoribus, & Confessariis, continuo audiebat, sive in Collationibus privatis, sive in publicis Sermonibus*; ut sponte fatetur ipsemet Jacobus Echardus. (*i*) Immo Raphael M. Filamondus, ex eodem Ord. Prædicat. Episcopus Suessæ, in quadam brevi Orationum S. Catharinæ Apologia, (*k*) nullam ex iis Orationibus Revelationem colligi posse, arbitratur.

61. Nec obstat, ab Editore Brixiensi, in illarum Orationum titulo, generatim prænotari, quòd *factæ sint, dum ipsa esset in abstractione a sensibus.* Tum quia in sincerissima editione Hieronymi Gigli, hoc nonnisi paucissimis Orationibus tribuitur, inter quas certe non est Oratio, de qua agimus. Tum etiam quia non raro contingit, quod Personæ piæ, cùm a sensibus abstractæ loquuntur, loquantur ex proprio sensu, & interdum etiam hallucinentur; ut observat P. Nicolaus Lancitius, in Mystica Theologia non parum versatus. (*l*)

62. Post hæc scripta adversus istam S. Catharinæ præsumptam Revelationem, eadem fere observata legi apud doctissimum Ord. Prædicatorum Magistrum, Ludovicum Cardinalem Gotti. (*m*) Ait enim I. Quod in Revelationibus S. Catharinæ factis, non reperitur; & Fr. Raymundus de Capua, qui diligenter eas undique collegit, de illa silet. II. Clausula ista Orationis XVI. *Tu scis Domine, quia ista est Veritas:* suppositionis arguitur, tum ex verbo apposito, *& subjunxit*, quod necessarium non erat, si dicta clausula a S. Virgine proxime subjuncta fuisset: tum ex eo, quod nulla alia ejusdem Sanctæ Oratio in hunc modum claudatur: *Tu scis Domine &c.* III. Ipse S. Antoninus Florentinus eam Revelationem innuens, ubi late describit Vitam S. Catharinæ, de eadem Revelatione ne verbum quidem facit. IV. Addit, (quod nos non dicimus) fieri etiam potuisse, ut S. Catharina revelatum sibi a DEO putaverit, quod proprius Spiritus ipsi suggerebat; sicut contigit Nathan Prophetæ *I. Paralip. cap.* 17. qui tamen a Deo monitus, suum dictum correxit: & hanc correctionem in S. Catharina colligi posse ex silentio talis Revelationis apud Raymundum a Capua, & alios ejus Familiares.

SÆCULUM CHRISTI XV.

TESTIMONIUM XI.

S. Vincentius Ferrerius, Ordinis Prædicatorum, Anno MCCCCIX.

B. Virgo Maria fuit in Originali Peccato concepta, sed eadem die, & hora, statim post animationem, fuit per Sanctificationem a Peccato contracto mundata.

63. HÆc verba refert Cajetanus *loco cit.* tanquam ex Sermone S. Vincentii de Conceptione Virginis. Sed *Art. II. num.* 12. jam notavimus, verba ista non inveniri in eo Sermone Conceptionis, ut extat in tribus editionibus Operum S. Vincentii Ferrerii: & Articulo sequenti ostendemus, in eodem Sermone a S. Vincentio clarissime significari, B. Virginem in ipso suæ Animationis instanti sanctificatam fuisse, ac proinde præservatam a contrahendo Originali Peccato.

64. D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus *Tomo I. Summæ* (*n*) exhibet, quasi ex S. Vincentio Ferrerio, Sermonem quendam *de Conceptione B. Virginis*, sub eodem themate. Qui quidem Sermo, nonnisi in paucis hac illac sparsis verbis, & sententiis, concordat cum sæpius editis exemplaribus; & ab ipsomet D. Antonino coagmentatus videtur. Et neque in isto Sermone, verba illa a Cajetano relata inveniuntur; sed tantùm dicitur DEUS B. Virginis *Animam purificasse ab Originali*, quin addatur verbum illud, *contracto.* Jam vero declaravimus *Art. II.* a *num.* 164. recte dici B. Virginem *Purificatam* ab Originali, quamvis illud reipsa non contraxerit.

TESTIMONIUM XII.

S. Bernardinus Senensis, Ordinis Minorum, Anno MCCCCXXXVIII.

Tertia fuit Sanctificatio Maternalis, & ista removet Culpam Originalem, confert Gratiam, & removet pronitatem ad peccandum tam mortaliter, quàm venialiter: Et hæc fuit in Virgine Matre. (o)

65. TOta vis est in verbo illo, *Removet.* Quis autem, D. Bernardinum a sui Ordinis Seraphica Sententia descivisse credat, ob unicum istud ambiguum verbum, cujus & obvius

(i) *Loco citato pag.* 833. *col.* 1.
(k) *Extat sub finem Tomi* 4. *Operum S. Catharinæ edit. cit.* Hieronymi Gigli, *pag.* 385.
(l) *Tomo* 2. *Opusculor. opusc.* 11. *cap.* 3. *edit.* Antverp. an. 1650.
(m) *In Opere, cui titulus:* La vera Chiesa di Cristo &c. *Tomo* 1. *cap.* 7. §. 3. *num.* 15. *& seq. pag.* 229. *& seq. edit.* Bonon. an. 1719.
(n) *Titulo* 8. *cap.* 3. *fol.* 97. *col.* 4. *edit.* Lugdun. an. 1520.
(o) *Serm.* 51. *Art.* 1. *cap.* 1. *pag.* 511. *Tomi* 2. *ejus Operum edit.* Venetæ an. 1591. *ex Recensione* Fr. Petri Rodulphii Episc. Senogallien. *Taliter a* Cajetano *citatur hic locus, ut difficulter inveniri potuerit.*

obvius significatus est, *accessum impedire?* Et sane quod Sanctificatio Maternalis, juxta S. Bernardinum, removit Culpam Originalem, non expellendo contractam, sed impediendo contrahendam; ex ipsomet titulo illius capitis, ubi hoc dicit, aperte colligitur: est enim *De triplici Sanctificatione Sanctificatorum; & de admiranda Sanctificatione B. Virginis in sua Conceptione.* Audin? *In sua Conceptione*, dicit, *non post suam Conceptionem.* Si autem B. Virgo in ipsa sua Conceptione sanctificata est, hæc ejus Sanctificatio Culpam Originalem, non nisi impediendo, removit.

66. Id ipsum explanat S. Bernardinus verbis proxime sequentibus: „ Sane, *inquit*, DEUS „ ipse æternus, sicut mirâ suâ Sapientiâ creavit „ omnia; sic illam Benedictam Matrem suam „ talem condidit, & sanctificavit in tempore, „ qualem eam Sanctam elegit in sua æternitate. „ Et talem, tam nobilitate Naturæ, quàm „ perfectione Gratiæ, condidit Matrem, qualem eam decebat habere suam Gloriosissimam „ Majestatem &c. „ Quibus verbis clarissime denotat, B. Virginem una cum Natura, Sanctificantem Gratiam, ab ipso DEO Conditore accepisse; cum qua Gratia primæ conditionis componi certe nequit Originale Peccatum. En Piam Sententiam a D. Bernardino assertam eo ipso in loco, quem nobis opponit Cajetanus.

Testimonium XIII.

S. Antoninus, ex Ord. Prædic. Archiepiscopus Florentinus, circa Annum MCCCCXLV.

Quamvis non sit determinatum per Ecclesiam, Virginem esse Conceptam in Peccato Originali, vel non; propter quod absque præjudicio salutis, licet unicuique tenere alteram opinionem, quæ sibi placeat. Tamen, si bene considerentur Scripturæ, & dicta Doctorum antiquorum, & modernorum, qui fuerunt devotissimi Virgini Gloriosæ, manifeste patet ex verbis eorum, Ipsam in Peccato Originali conceptam fuisse &c. (p)

67. HIc unicus est inter Sanctos, de quo fateri cogimur. Contrariam Sententiam propugnasse, quam & aliis in locis tradidit. (q) At in Cœnobio PP. Prædicatorum, & sub idem tempus scribebat, quo Fr. Johannes de Monte Nigro, Provincialis Longobardiæ, nomine totius Ordinis Prædicatorum, in Basileensi Concilio suam proposuit Allegationem, postulans a Patribus, ut Contraria Sententia, tanquam Fidei Dogma declararetur: & quo Johannes de Turrecremata, inter suos sodales Magistros tunc temporis primatum obtinens, ad eundem finem, grandem librum composuit. His occupatus domesticis præjudiciis S. Antoninus, facile sibi persuasit, Scripturas, & dicta Doctorum antiquorum Piæ Sententiæ adversari: (quod nos falsum esse demonstravimus.) Cum præsertim huic Sententiæ Sedem Apostolicam, & Sanctam Ecclesiam Romanam palam favere, & adstipulari nondum vidisset.

ARTICU-

(p) *Prima Parte Summæ Tit. 8. cap. 2. fol. 96. col. 4. editionis* Lugdun. an. 1530.

(q) *Quarta Parte Sum. Tit. 15. cap. 3. §. 1. & prima Parte Historiarum Tit. 4. cap. 6. §. 10.*

ARTICULUS II.

Patrum, & Sanctorum singularia, & expressa Testimonia, a Pia Parte allegata.

SÆCULUM CHRISTI IV.

TESTIMONIUM I.

S. Ephræm, Diaconus Edessenus, Anno CCCLXV.

Quæ duo Fœminæ, Innocentiâ, & simplicitate floruerunt, MARIA, & Eva, altera Salutis, altera nostræ Mortis origo fuit. Age, rationes utriusque conferamus. Eva, ex quo simplicitatem a Prudentia discrevit, plane desipuit; MARIA sapienter prudentiam credidit esse salem, & condimentum simplicitatis &c.

68. INNOCENTIA, qua floruit Eva ante prævaricationem, Originalis proculdubio Innocentia fuit. Dum igitur S. Ephræm æque MARIAM, ac Evam, præ cæteris Fœminis, Innocentiâ floruisse ait, Originalem itidem Innocentiam MARIÆ tribuit: cum hoc tamen discrimine, quod Eva imprudenter se gerens, suæ, & nostræ Mortis origo fuit: MARIA sapienter, ac prudenter agens, Salutis nostræ origo fuit.

69. Legitur hæc Sententia in Expositione super ea verba Genesis cap. 3. vers. 6. *Vidit igitur Mulier, quod bonum esset lignum*, *pag.* 327. *Tom.* 2. Operum S. Ephræmi, quæ Syriace, & Latine impressa sunt Romæ in Typographia Vaticana, anno 1740. ex Recensione, & Versione Petri Benedicti Soc. Jesu. Et Joseph Simonius Assemanus *Tom. II.* Operum ejusdem S. Ephræmi, edit. G. L. Romanæ anni 1743. *Cap.* 4. *Prolegomenorum*, *n.* 12. *pag.* LVII. fidem facit, quod istud Opusculum erutum est ex Codice Syriaco Nitriensi antiquissimo, exarato anno 523.

70. Ex dono Originalis Innocentiæ, ac Sanctitatis in Evam collato, recte inferri, idem donum MARIÆ attributum fuisse; & nos probavimus, *Art. II.* a *num.* 364. & optime confirmat Tritemius: (r) *Eva*, inquit, *prima Peccantium Mater ..... sive Originali Peccato, in Innocentia producitur: Et Maria, Salutis, & Justitiæ Mater ...... Originali Reatu maculatur? Numquid Mater, quæ nos genuit Peccatores, tuo judicio, majoris censenda est dignitatis ab origine, quàm DEI Mater intacta semper Virgo, quæ Peccatores Justificantem peperit sine pollutione?*

TESTIMONIUM II.

S. Epiphanius, Salaminæ Cypri Episcopus, Anno CCCLXX.

Solo enim DEO excepto, cunctis superior existit: (de B. Virgine loquitur) *Naturâ formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni Exercitu Angelorum; cui prædicandæ cælestis, ac terrena lingua minime sufficit, immo vero nec Angelorum.* (s)

71. QUid est, rogo, B. Virginem *Naturâ formosiorem esse ipsis Cherubim &c.* nisi MARIÆ originem, primamque creationem, Sanctificantis Gratiæ decore, omnibus excellere Angelicis Choris? Non enim hìc Natura sumi potest pro essentia, seu substantia rei, ut patet. Quemadmodum Apostolus, cùm scripsit *ad Ephes. II.* 3. *& nos omnes .... eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri:* Naturam non sumpsit pro essentia Hominis, quasi Homo ex sua essentia haberet, esse filium Iræ; sed pro Origine, seu conditione nascendi ex vitiata Adami radice, ut recte notat Dominicus Soto. (t)

72. Eundem sensum confirmant hæc alia prope sequentia S. Epiphanii verba: *Lætabantur Angeli, tanquam ipsi dumtaxat Deum haberent, quibus Sanctissima Virgo superior nata, Deum habitantem in Cælis, concepit in Terra.* Certe Gratiam, in prima Sanctificatione B. Virgini collatam, splendidiorem, & uberiorem fuisse, quàm gratiam consummatam supremi Seraphini; celebris est gravium Theologorum Sententia cum D. Thoma, ut vidimus in Apparatu *num.* 197. *& seqq.*

(r) *Lib.* 1. *de Miraculis B. V. M.* in Urticeto &c. *cap.* 2. *pag.* 1135. *col.* 2. *Operum Piorum*, *edit.* Mogunt. an. 1605. *curante* Johanne Busæo Soc. Jesu.

(s) *Sermone de Laudibus S. Mariæ Deiparæ*, *versus medium*, Joh. Pico Interpr. *Extat sub finem Operum S. Epiphanii edit.* Colon. an. 1617. *& pag.* 191. *Tom.* 2. *Operum ejusd. Sancti*, *edit. item* Colonienf. GL. an. 1682. *ex Recensione* P. Dionysii Petavii.

(t) *In cap.* 2. *Epist. ad Roman. pag.* 149. *col.* 2. *edit. cit.*

Vindicatio Sermonis S. Epiphanii, de Laudibus S. Mariæ Deiparæ.

73. P. Dionysius Petavius in Præfatione ad Tom. II. Operum S. Epiphanii suæ editionis, Sermonem istum, (unde verba illa citata decerpsimus) etsi *non contemnendam*, dicat *lucubrationem*, censet tamen, non esse legitimum S. Epiphanii fœtum; cujus rei aliam specialem rationem non affert, præter styli diversitatem.

74. Idem censet Casimirus Oudinus, (*u*) & duo alia ex Riveto argumenta producit. Unum est, quia cumulatas, & ingentes continet Mariæ laudes, a more Antiquorum Patrum alienas. Alterum, quia destruit ea, quæ noster Epiphanius de Maria dicit in Panario, hæresi 79. videlicet: *Eximium quidem est Vas, sed Mulier, & a natura immutata* &c. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus adoretur: Mariam nemo adoret.* Unde conjicit, sermonem istum alius esse Epiphanii, etiam Cypri Episcopi, qui claruit anno 870. & cujus extat Synodo VIII. epistola ad Ignatium Patriarcham.

75. At quàm leve indicium sit, prima ratio ex diversitate styli petita; jam vidimus cum Honorato a S. Maria, agentes de sermonibus S. Gregorii Thaumaturgi, Act. II. num. 237.

76. Similiter, quod primùm objicit Oudinus de Antiquiorum Patrum parsimonia in B. Virgine exornanda; falsissimum esse, satis ibidem ostendimus *n.* 242. & *seqq.* & hic addimus, falsitatem istam convinci ex ipsomet S. Epiphanii Panario, hæresi 78. contra Antidico-Marianitas, ubi in B. Virginis laudes effunditur. V. Testimonium XIII. Art. III. ejusdem Actionis.

77. Alterum Oudini argumentum nonnisi Hæreticis, gregalibus suis probari potest, qui cultum, & honorem, DEI Genitrici a Catholicis exhibitum, Idololatriam, seu Idolomaniam esse calumniantur, quasi abjecto Christo, Deam recentem confingant. V. Ven. Petrum Canisium, (*x*) & Judocum Coccium. (*y*) Quod Vigilantio exprobabat S. Hieronymus, (*z*) etiam Oudino reponeret: *Quis enim, o insanum caput! aliquando Martyres adoravit? Quis Hominem putavit Deum?* Veneratio, & Laudes, quibus Auctor illius Orationis, & reliqui SS. Patres DEI Genitricem prosequuntur, tantùm absunt ab Idololatria, quantùm miser Apostata Oudinus distat a sana Fide.

78. Nihil ergo impedit, quominùs laudatam Orationem, quæ sub nomine S. Epiphanii sæpius edita est, ipsi tribuamus. Cum præsertim Graves, & Eruditi Scriptores ex illa, tanquam ex legitimo S. Epiphanii opere, testimonia proferant: Ven. Petrus Canisius *lib.* v. de Maria Deipara *cap.* 31. Gerardus Vossius in scholiis ad Orationem S. Ephræmi ad B. Virginem, *pag.* 709. Raynaudus in Diptychis Marianis, *puncto* 9. n. 8. *pag.* 210. *Tom.* 7. & maxime Natalis Alexander *Tom.* 5. Historiæ Ecclesiast. *Saeculi V. dissert.* 25. *proposit.* 2. *pag.* 361. Ecclesia quoque in Breviario Romano, ejusdem Orationis partem quandam, sub nomine S. Epiphanii, recitandam præscribit pro festo S. Joachimi, Lectione prima secundi Nocturni.

Testimonium III.

S. Ambrosius, Archiepiscopus Mediolanensis, Anno CCCLXXIV.

Veni ergo (Domine Jesu) quære Ovem tuam, jam non per Servulos, non per Mercenarium, sed per Temetipsum. Suscipe me, non in Carne, quæ in Adam lapsa est. Suscipe me, non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per Gratiam, ab omni integra labe Peccati. (a)

79. HOc loco immunitatem DEI Genitricis Mariæ ab omni labe peccati, clarissimè astruit S. Ambrosius; ut & Cll. Editores Benedictini ad alium locum (*b*) observarunt: nec ullum est indicium, quod de solis peccatis actualibus loquatur. Immo juxta Doctrinam S. Ambrosii, a D. Augustino receptam, (ut videbimus) si B. Virgo nullum Actuale Peccatum commisit, nec etiam Originale Peccatum contraxit. Sic enim Ipse de Christo ratiocinatur: (*c*) *Dignum fuit, ut qui non erat habiturus corporeæ peccatum prolapsionis*, (hoc est Peccatum Actuale) *nullum sentiret generationis naturale contagium*, hoc est Originale Peccatum. V. Act. II. *num.* 42. & 43. Nec obstat, quod in aliis editionibus, (*d*) quas laudati Editores sequuntur, legatur: *Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est.* Ut enim iidem notant, *Non aliud eis verbis significatur, nisi quod Caro Christi, ex Maria assumpta, ejusdem naturæ fuerit, atque Adæ caro, licet ejusdem peccato nequaquam maculata.*

80. Contendit nihilominus P. Vasquez, (*e*) hunc locum D. Ambrosii, non bene allegari pro Pia Sententia; quia verba illa, *Ut incorrupta sit Virgo &c.* ad Mariam referri non possunt. Non enim, inquit, Christus carnem, seu naturam nostram sumpsit ex Maria, ut ipsa Virgo esset integra ab omni labe peccati, sed potius contra, B. Maria integra fuit ab omni labe Peccati,

(u) *Tom.* 1. *in Dissert. spec. de Operib. S. Epiphanii c.* 1. *&* 2. *a col.* 534.
(x) *Lib.* 5. *de Maria Deipara, toto Cap.* 5. *a col.* 909.
(y) *Tomo* 1. *Thesauri Catholici lib.* 3. *art.* 5. *a pag.* 302. *& V. etiam ar.* 4.
(z) *Lib. contra* Vigilantium, *col.* 589. *Tomi* 1. *edit.* Mariani Victorii.
(a) *Enarrat.* 22. *in Psal.* 118. *ad ult. versic.* Quære Servum tuum &c. *col.* 1085. *vol.* 1. *Tomi* 2. *edit.* Paris. an. 1614. *Sive Serm.* 22. *in eum Psal. num.* 30. *col.* 1255. *Tomi* 1. *edit.* Parisiens. an. 1686. *ex Recens. Benedictinor. Congreg. S. Mauri.*
(b) *Nota ad Serm.* 6. *in eundem Psal. num.* 21. *col.* 1039. *ejusd. tomi* 1.
(c) *Commentar. in Isaiam, apud D. Augustinum, lib.* 4. *contra duas Epist. Pelagianor. cap.* 11. *num.* 29. *col.* 488. *tomi* 10.
(d) *V. edit.* Basileens. an. 1516. *fol.* 79. *col.* 2. *par.* 2. *Operum S. Ambrosii.*
(e) *Tom.* 2. *in* 3. *Par. disput.* 117. *cap.* 3.

Peccati, ut fieret dignum DEI Habitaculum, & ex ipsa DEUS nostram Naturam assumeret. Vult ergo, verba illa referri ad Carnem Christi, itaut sensus sit: Suscipe me ex Maria intacta, & Virgine, (qualis non fuit Sara) ut ita Caro illa, quam ex illa sumpseris, & in qua me susceperis, sit Virgo incorrupta, & ab omni integra labe Peccati.

81. Tota ratio, quæ P. Vasquium in hanc violentam interpretationem adduxit, est particula illa, *Ut*, quæ causam finalem ipsi denotare videbatur. Verum multa sunt in Scripturis exempla, in quibus, *Ut*, non indicat causam finalem, sed idem valet, ac, *ita ut*, italice, *di modo, che*. Proverb. VI. 27. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Actor. 1. 25. *De quo pravaricatus est Judas, ut abiret in locum suum:* scilicet in damnationem æternam. Idem censet Theodoretus (*f*) de illis verbis Psalmi L. *Ut justificeris in sermonibus tuis &c.* advertens: *Ut, in hoc loco, non causam declarat; non enim propter hoc peccavit, vel ipse David, vel Populus postea, ut Deus justus videretur; sed contra, Peccato ab his commisso, Dei Justitia ostenditur &c.*

82. Aliunde etiam expositio Patris Vasquez, deficere videtur. Quia tametsi Verbum Divinum carnem sumpsisset, non ex Virgine Maria, sed ex Sara; adhuc caro illa virtute Unionis Hypostaticæ, integra fuisset ab omni labe Peccati. Immo hæc Unio, & non solus ortus ex Virgine, præstat in Christo integritatem, non tantum ab Originali, verum etiam ab omni Actuali Peccato. Præterea cum Carni Christi, ratione unionis hypostaticæ, debeatur integritas ab omni labe Peccati; minus recte de illa diceretur, quod sit *Virgo per Gratiam, & ab omni integra labe peccati.*

83. Addo brevem aliam, sed succi plenam D. Ambrosii sententiam. (*g*) *Non de Terra*, inquit, *sed de Cælo vas sibi hoc, per quod descenderet, Christus elegit, & sacravit Templum Pudoris.* Quare de B. Virgine S. Ambrosius sibi concors dicere etiam poterat, quod dixit de Christo, etsi diversa admodum ratione: (*h*) *Terrenæ contagia corruptelæ non sensit.*

Testimonium IV.

Sophronius Senior, Anno CCCXCV.

Angelorum quamvis celsior Natura sit, non tamen Gratia major: quia & ipsi gratuitâ Gratiâ, ne corruerent, sunt salvati. Unde David (*Psal.* 32. *vers* 6.) Verbo Domini, *inquit*, Cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus, omnis virtus eorum. *Quod si spiritu oris ejus omnis virtus eorum subsistit; constat, Beatam, & Gloriosam Virginem Mariam; in qua supervenit Spiritus Sanctus, & Deus totus illapsus portatur novem mensibus in utero; ut credendum est, ampliora promeruisse virtutum privilegia, & percepisse Gratiam ab Angelis etiam collaudatam.* (i)

84. Nescio, an clariùs significari, aut efficaciùs suaderi potuerit Præservatio B. Virginis ab omni Peccato, etiam Originali. Angeli Sancti dicuntur per Gratiam præservati, ne corruerent; & hinc infertur, B. Virginem, (in qua certe minor Gratia non fuit, quàm in Angelis, quæque *ampliora promeruit virtutum privilegia*) eandem gratiam percepisse, ab Angelis collaudatam, nempe Gratiam ab omni Peccato præservantem. Sed opus est, Epistolam, in qua tam luculentum Testimonium continetur, huic suo Auctori, antiquo, & gravi vindicare.

Vindicatio Epistolæ Sophronii Senioris ad Paulam, et Eustochium, de Assumptione B. Mariæ Virginis.

85. Hanc Epistolam (alii Sermonem, sive Homiliam vocant) de Assumptione B. B. M. V. unde nos laudatum testimonium protulimus, S. Hieronymi Presbyteri fuisse, non pauci existimarunt, eo potissimùm ducti argumento, quod Paulæ, & Eustochio inscripta sit, ad quas nobilissimas, & sanctissimas Fœminas, plures D. Hieronymus scripsit Epistolas. Hoc etiam olim defendit Hincmarus, anno 845. Remensis Episcopus initiatus; qui cuidam Monacho Corbeiensis Monasterii, oppositum contendenti, respondit, *Eam Homiliam a S. Hieronymo catholicè dictatam, sicut & stilus, & cautela, sensus, & intellectus, & alia certa indicia monstrant, & certæ persona, per quas de partibus Orientalibus, tempore certo, delata ad regiones nostras pervenit; fidem faciunt.* Eandem Homiliam Hincmarus tanti fecit, *ut tabulis eburneis, auroque vestitam munierit:* uti narrat Flodoardus, sive Frodoardus in Historia Ecclesiæ Remensis. (*k*)

86. Verùm Recentiores Critici, Epistolam istam non esse D. Hieronymi, constanter asserunt; idque ex ipso etiam exordio colligunt, in quo ejus Epistolæ Auctor novitium se in lingua latina profitetur. Censent vero communiter, esse Sophronii, Græci Hominis, sed latini sermonis non ignari, D. Hieronymo familiaris, quem ipse Hieronymus in Catalogo Scriptor Ecclesiast. *Virum optime eruditum* appellat; suumque librum *de Virginitate ad Eustochium*, & alia quædam opuscula in græcum idioma eleganter vertisse, ait. In hac sententia sunt Marianus

Aa 4 Victo-

(*f*) *Commentar. in Psal.* 50. *pag.* 595. *tomi* 1. *edit. P. Sirmondi.*
(*g*) *Lib. de Institut. Virginis ad* Eusebium, *cap.* 5. *col.* 421. *Vol.* 2. *tom.* 4.
(*h*) *Lib.* 2. *Comment. in Lucam, cap.* 2.
(*i*) *In Epistola, sive Libello de Assumpt. B. Mariæ Virg. ad* Paulam, *&* Eustochium, *apud D. Hieronymum col.* 86. *tom.* 5. *ejus Operum ex edit.* Joh. Martianai Benedict. *Eadem Epist. extat a col.* 789. *tomi* 4. *eorundem Operum S. Hieronymi, ex recensione* Mariani Victorii.
(*k*) *Lib.* 3. *cap.* 23. *fol.* 260. *pag.* 2. *& cap.* 5. *fol.* 160. *pag.* 1. *ex edit.* Jacobi Sirmondi Paris. an. 1611.

Victorius Reatinus loco cit. Guillelmus Cave *in Sophronio* ad annum 390. qui & Erasinum citat; & præ cæteris noster Antonius Possevinus Tomo 1. Apparatus sacri in *Hieronymo*, *cap.* 5. ubi de illa Epistola ait, quod *esse Sophronii*, *D. Hieronymo amici*, *pro compertissimo creditur.*

87. Utrique parti contradicens Cardinalis Baronius, (*l*) Epistolam istam nec Divi Hieronymi, nec Sophronii, ejus æqualis, esse, constanter defendit; sed alius posterioris Scriptoris, qui vixit circa, vel post tempora Concilii Ephesini, & Chalcedonensis, *& per imposturam*, *ad promerendam fidem*, *Hieronymi*, *Paulæ*, *& Eustochii nomina est eo opere nundinatus.* Baronium sequuntur Philippus Labbe *in Dissert. de Scriptor. Ecclesiast.* & Theophilus Raynaudus *in Criticis Sacris.* (*m*)

88. Potissimum Cardinalis Baronii argumentum est: quia Scriptor ejus Epistolæ, *multùm versatur in destruendis Nestorii*, *atque Eutychetis dogmatibus*, *quæ quidem longe post tempora Hieronymi*, *atque Sophronii in Ecclesiam irruperunt.* Regula nempe Criticorum est, ut Veteribus abjudicentur opera illa, in quibus, vel dogmata continentur, & explicantur, quæ longo post tempore tradita, & explicata sunt; vel redarguuntur errores, qui sequiori ætate invecti sunt, & proscripti.

89. Verùm, hanc regulam non esse usquequoque firmam, egregie demonstrat R. P. Fr. Honoratus a S. Maria. (*n*) Quia secus nutaret in primis Apostolicæ, & Ecclesiasticæ Traditionis Testimonium, quo a Patribus, & Conciliis, pullulantes hæreses profligari, & Dogmata iis contraria confirmari solent. In hujusmodi namque Traditione colligenda, non in illorum placitis sistitur, qui iisdem temporibus vixerunt, sed ad primos fontes ascenditur, ab illis exordiendo, qui proximiores fuerunt Ævo Apostolico, atque ad eos descendendo, qui proxime, antequam exoriretur controversia, scripserunt.

90. Deinde non pauca Veterum Patrum opera, quæ indubitanter ab omnibus recipiuntur, ad supposititia, vel dubia forent amandanda; quòd in illis quædam vera dogmata confirmata, vel falsa refutata videamus, quæ in posterioribus Conciliis definita, vel damnata sunt. Unum, & alterum exemplum profero, ad rem præsentem maxime accommodatum.

91. Quis unquam dubitavit, quin Epistola Magni Athanasii ad Epictetum Episcopum Corinthi conscripta, quam & D. Epiphanius, ejus nomine, integram refert; sit revera S. Athanasii? Et tamen Auctor hujus epistolæ in illos eosdem Nestorii, & Eutychetis errores, ad se ab Epicteto delatos, acriter invehitur; tametsi Athanasius anno Christi 340. claruerit; Nestorius verò anno 430. & Eutyches anno 450. blasphemare cœperint.

92. Ipsum audiamus Athanasium. (*o*) „ Quisnam, *inquit*, illud eructavit, Corpus ex Maria genitum, esse Verbi Divinitati consubstantiale? Aut Verbum in carnem, ossa, & capillos, & totum corpus mutatum fuisse, & a natura descivisse sua? Quis autem in Ecclesia, aut a Christianis unquam audivit, Dominum fictione, non naturâ, gestasse corpus? Aut quis eò processit impietatis, ut diceret, sentiretque, ipsam Deitatem, Patri Consubstantialem, circumcisam, & imperfectam ex perfecta factam fuisse; & quod cruci affixum erat, non fuisse corpus, sed ipsam Sapientiæ substantiam, verum Opificem. „

93. Annon vides, erudite Lector, in his verbis Eutychianam hæresim, multò ante, quàm a Concilio Chalcedonensi damnata fuerit, ab Athanasio descriptam, & execratam? Quod, ut citius perspicias, illius hæresim summam a Theodoreto, Cyri Episcopo, qui ei Concilio interfuit, accipe: (*p*) „ Dicebat (Eutyches,) DEUM Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse, sed ipsum immutabiliter conversum, & carnem factum, (ridiculis enim ejus utor verbis) solùm per Virginem trajecisse; crucique affixam, & appensam esse, quæ circumscribi, & comprehendi, & contineri non potest, Unigeniti Divinitatem, eamque sepulcro mandatam resurrexisse. „

94. Pergit deinde Athanasius in eadem Epistola, Nestorianam hæresim, quæ multo post, ab Ephesino Concilio proscripta est, enucleate describere, & insectari: „Quinam vero, *inquit*, ea temeritate fuerunt, ut dicerent, Christum, qui in carne passus, & crucifixus est, non esse Dominum, & Salvatorem, ac DEUM, Filiumque Patris? Aut quomodo Christiani volunt nuncupari, qui dicunt in Sanctum Hominem, perinde atque in unum ex Prophetis, venisse Verbum, nec Ipsum, Hominem factum fuisse, ex Maria corpus assumendo, sed alium esse Christum, & alium, DEI Verbum, quod ante Mariam, & ante sæcula Filius erat Patris? Aut qua quæso ratione Christiani fuerint, qui dicunt, alium esse Filium, & aliud DEI Verbum. „

95. Utramque deinde Hæresim, alteram Eutychianam, alteram Nestorianam postea dictam, Magnus Athanasius validissime refutat. Hac Doctrina instructus D. Epiphanius, (qui anno 370. floruit) in fine suæ epistolæ ad Arabes, (*q*) salutans omnes Orthodoxos, his verbis eos designat: „ Qui non errant circa Salvatoris nostri salutarem dispensationem, & adventum in carne; sed credunt perfecte Christi Incarnationem, perfectum DEUM, eundem perfectum hominem, citra peccatum; non duos esse, sed unum Dominum, unum DEUM, unum Regem, unum Pontificem,

„ DEUM,

(l) *Tomo* 1. *Annal. Ecclesiast. ad* an. 48. *num.* 13. *&* 15. *& in Notis ad Martyrol. Rom. die* 15. *Augusti.*

(m) *Erotemate* 10. *de libris supposititiis*, *lit.* S. *num.* 250. *pag.* 294. *tom.* 11.

(n) *Tom.* 1. *Animadvers. in Regul. & Usum Critices dissert.* 3. *art.* 8. *a pag.* 298. *latinæ editionis.*

(o) *Pag.* 901. *par.* 2. *tomi* 1. *ejus Oper. edit.* Paris. an. 1698. *ex Recens. Benedict. Congr. S. Mauri: & apud D. Epiphanium Hæresi* 77. *pag.* 316. *edit.* Parisiens. an. 1566.

(p) *Lib.* 4. *Hæreticar. Fabular. n.* 13. *pag.* 246. *tom.* 4. *edit.* Paris. an. 1642. *ex Recens.* Sirmondi.

(q) *Extat Hæresi* 7?. *contra* Antidico-mar. *a pag.* 327. *edit. cit.*

„ DEUM, & Hominem, Hominem, & DEUM; „ non duos, sed unum coünitum; non in confusionem, neque in interitum, ac obliterationem, sed ad magnam Gratiæ dispensationem. „ In quibus verbis breviter expositam habemus Doctrinam Catholicam contra hæreses, quæ postea Nestorii, & Eutychetis dictæ fuerunt.

96. Præterea S. Ambrosius, (qui etsi SS. Athanasio, & Epiphanio aliquanto posterior, Nestorio tamen, & Eutychete, multò anterior fuit, cum anno 374. claruerit) in libro *De Incarnationis Dominicæ Mysterio*, (*r*) indubio scilicet Opere suo, primùm Nestorii, deinde Eutychetis errores clare designat, atque refellit.

97. „ Et hos igitur, *inquit*, qui in Phantasmate venisse Jesum prædicant, & illos condemnare debemus, qui adversâ erroris lineâ, non unum, eundemque Filium DEI dicunt, sed alium esse, qui ex DEO Patre natus sit, alium, qui generatus ex Virgine: cum Evangelista dicat, quia *Verbum Caro factum est*, ut unum Dominum Jesum, non duos crederes &c. Sunt autem, qui tanquam ad unum Prophetarum, ita ad Christum, factum esse Verbum arbitrati sunt, non ipsum esse DEI Verbum. Sed de nullo Prophetarum dictum est, quia *Verbum Caro factum est*; nullus Prophetarum abstulit peccata mundi &c. „ Hactenus de hæresi Nestoriana. Ad Eutychianam inde gradum faciens, „ Sed dum hos, *inquit*, redarguimus, emergunt alii, qui carnem Domini dicunt, & Divinitatem unius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium Inferna vomuerunt! &c. Deinde cum isti dicant, quia Verbum in carnem, capillos, sanguinem, & ossa conversum est, datur illis, (*nempe Arianis, de quibus superius egerat*) ut infirmitatem carnis ad infirmitatem Divinitatis, quadam facta Divinæ Naturæ mutatione, detorqueant. &c. „ *Et infra:* „ Neque enim, ut quidam interpretati sunt, Natura ipsa mutata Verbi est, quæ immutabilis semper fuit. „ Contra quem errorem in hoc, & sequenti capite copiosius disserit.

98. Cum ergo verum non sit, quod ajebat Baronius: *Nullam ætate Hieronymi de Incarnatione Christi obortam esse hæresim, quam noster Auctor impugnat:* bene potuit Sophronius noster, *apprime eruditus*, qui post tres istos Patres scribebat, in laudata sua Epistola multùm versari *in iisdem destruendis Nestorii, atque Eutychetis dogmatibus.* Quorum non hi, qui vulgo jactantur, primi Auctores, & Inventores fuerunt: sed quia ejusmodi errores interpolarunt, latius divulgarunt, & pervicacius tutati sunt; hac ratione suo nomine famosos effecerunt: ut de hæresi Nestoriana notavit Alphonsus de Castro. (*s*)

99. Aliud quidpiam Raynaudus opponit, videlicet hanc Sophronio adscriptam Epistolam multa ad verbum continere, quæ leguntur in Epistola longe posteriori S. Leonis Papæ ad Flavianum contra Eutychetem; quæ est Epistola X. & extat a col. 304. edit. Paris. An. 1623.

100. Utramque Epistolam observavimus, & inter unam, & alteram in his tantùm verbis convenientiam deteximus: *Operata est enim*, scribit Sophronius, *utraque forma, vel Natura cum alterius communione, quod proprium habuit; Verbo siquidem operante, quod Verbi est, & carne exequente, quæ carnis erant.* Similiter scribit S. Leo cap. 4. illius Epist. *Agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium est; Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est.* Quid vero mirum, quod uterque eandem reipsâ impugnans hæresim, in hæc pauca verba, fortuito, vel divino consilio convenerit? Nisi malis dicere, S. Leonem ex Epistola Sophronii ea verba mutuatum esse.

101. Illud porro, quod in Auctore hujus Epistolæ, Cardinali Baronio maxime displicebat, erat, quod Adoni, & Usuardo ansam præbuerit, (ut sibi videtur) de B. Virginis relicto post mortem corpore, sic annuntiandi in suis Martyrologiis: „ Quo autem venerabile illud Spiritus Sancti Templum, nutu, & consilio divino, collocatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum Pietate nescire, quàm aliquid frivolum, aut apocryphum, inde tenendo, docere. „

102. At primo, longe castigatius hac de re loquutus est Sophronius in sua Epistola; in qua, & nihil tale habet de mente Ecclesiæ, & se in eam sententiam propendere significat, quæ Beatam Virginem unà cum corpore in Cælum assumptam credit. (*t*) „ Multi, *inquit*, Nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit, relicto corpore. Utrumne resurrexerit, nescitur: quamvis nonnulli adstruere velint, eam jam resuscitatam, & beata cum Christo immortalitate in cælestibus vestiri. Quod, quia DEO nihil est impossibile, nec nos de Beata Virgine factum abnuimus; quamquam propter cautelam, (salva fide,) pio magis desiderio opinari oporteat, quàm inconsulte definire, quod sine periculo nescitur. „

103. Tum excusatione dignus est Sophronius, quod de Assumptione corporea B. Virginis in Cælum, sæculo quarto ita scripserit, quo nondum eam viderat, aut a Patribus clare assertam, aut ab Ecclesia expresse celebratam. At vero Ado, & Usuardus, qui sæculo nono labente ita scripserunt, minus excusandi videntur: quandoquidem jam præcesserant septimo, & octavo sæculo tot orationes, seu sermones Sanctorum Patrum, luculenter asserentium, B. Virginis Animam unà cum corpore redivivo receptam esse in Cælum: Tres scilicet S. Andreæ, Archiepiscopi Cretensis, a *pag.* 653. Tomi X. Bibliothecæ M. PP. Duo S. Germani, Archiepiscopi C. P. a *pag.* 66. Tomi XIII. ejusdem Biblioth,

(*r*) *Cap.* 6. *col.* 192. *tomi* 4.
(*s*) *Lib.* 4. *adversus Hæreses V.* Christus, *in* 3. *Hæresi, fol.* 116. *edit.* Antverp. *an.* 1565.
(*t*) *Loco cit. col.* 83.

Biblioth. Et totidem S. Johannis Damasceni a *fol.* 348. *pag.* 2. suorum Operum. Ipsa quoque Romana Ecclesia ab exeunte sæculo sexto, hujusmodi festum celebrabat, ut patet in libro *Sacramentorum* S. Gregorii, (*u*) ubi ad diem XV. Augusti signatur Festum, & describitur Missa *Assumptionis B. M. V.* cujus prima Oratio ad *Processionem*, seu *Collectam*, est: *Veneranda nobis, Domine, hujus est diei festivitas, in qua Sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem: nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit Incarnatum.* Cur autem *mortis nexibus deprimi non potuit*; nisi quia in morte non permansit, sed ad vitam rediit, immortalis?

SÆCULUM CHRISTI V.

Testimonium V.

D. Aurelius Augustinus, Hipponensis Episcopus, Anno CCCCXV.

Illud sane magnum, verumque dixisti, (Julianum affatur) *cum posuisses testimonium Apostoli Petri*, (x) *dicentis*: Qui peccatum non fecit: *notandum esse, quod judicaverit Apostolus, sufficere ad ostendendum, in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum*; ut doceret, *inquis*, quia qui non fecit, habere non potuit. *Omnino verissimum est. Profecto enim Peccatum etiam Major fecisset, si parvus habuisset. Nam propterea nullus est Hominum, præter ipsum, qui peccatum non fecerit, Grandioris ætatis accessu; quia nullus est Hominum, qui peccatum non habuerit Infantilis ætatis exortu.* (y)

104. Itaque, assentiente, & confirmante D. Augustino, verissimum est, quod *ad ostendendum, in Christo nullum fuisse peccatum*, (scilicet originis) *sufficit dicere, nullum eum fecisse peccatum:* (scilicet propriæ actionis) *quia qui non fecit, habere non potuit.* At idem S. Doctor in libro *de Natura, & Gratia*, luculenter docet, Mariam, Matrem Domini nullum fecisse peccatum propriæ actionis. (Hujusmodi enim peccatum saltem excludunt verba illa, quæ expendimus Act. II. a *num.* 278. *Quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum &c.*) Verissimum ergo est, juxta Divum Augustinum, in Maria Matre Domini, nullum fuisse peccatum, scilicet Originis.

105. Hæc conclusio in principiis D. Augustini tam perspicua, & indeclinabilis est, ut Gregorius Ariminensis, addictissimus Augustini discipulus, (z) admittens alioquin in B. Virgine Originale Peccatum, inde coactus dicat: *Consequenter, concedendum esse videtur, quod aliquod etiam aliquando habuerit Actuale, licet nullum Mortale.* Noster etiam Petavius, quamvis contendat, S. Augustinum in Contraria Sententia fuisse; ex isto tamen loco permotus, ait: (*a*) „ At non adeo constanter, & præfracte „ Originali infectam Macula fuisse DEI Matrem, defendit Augustinus, ut non aliqua „ interim aspergat, ex quibus contrarium ratiocinando colligi possit &c.

106. Merito igitur hunc D. Augustini locum, tanquam luculentum Piæ Sententiæ Testimonium allegamus: cui concinunt, & duo alii ejusdem S. Doctoris loci, quorum unum expendimus Act. II. a *num.* 278. alterum Act. III. a *num.* 376.

Testimonium VI.

S. Maximus, Episcopus Taurinensis, Anno CCCCXX.

Natus igitur Puer ponitur in præsepio, & hæc sunt DEI prima cunabula: nec Regnator Cæli has indignatur angustias, cui habitaculum fuit Virgineus Venter. Idoneum plane Maria Christo Habitaculum, non pro habitu Corporis, sed pro GRATIA ORIGINALI. (b)

107. Conferat, quæso, Lampridius expressum hoc, & singulare S. Maximi Testimonium, cum illo generali, quod ex eodem S. Maximo producit, & nos retulimus Act. II. Art. I. Test. XII. Neque vero major fides habenda est *Anecdotis* Muratorii, (quibus ipse utitur) quam *Musæo Italico*, (quo nos utimur) D. Johannis Mabillon, & D. Michaelis Germain, Presbyteror. & Monachor. Benedictinorum Congregat. S. Mauri, notæ eruditionis, & fidelitatis Scriptorum, edito Parisiis an. 1724. In quo aliquæ S. Maximi Homiliæ, aliàs ineditæ, exhibentur.

Testimonium VII.

Cælius Sedulius Presbyter, Anno CCCCXXX.

Et velut e spinis, mollis Rosa surgit acutis,
Nil, quod lædat, habens, Matremque obscurat honore:
Sic Evæ de stirpe, sacrâ veniente Mariâ,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret:
Ut quoniam Natura prior vitiata jacebat,
Sub ditione necis, Christo nascente, renasci
Posset Homo, & veteris maculam deponere Carnis. (c)

108. Hu-

(u) *Ad diem 15. Augusti col. 123. tom. 3. ejus Operum.*
(x) *Prima Petri cap. 2. vers. 22.*
(y) *Lib. 5. contra* Julianum *cap. 15. num. 57. col. 656. tomi 10.*
(z) *In lib. 2. Sentent. dist. 30. & seqq. quæst. 2. art. 1. fol. 104. col. 1. edit. Venetæ an. 1503.*
(a) *Lib. 14. de Incarnat. cap. 2. num. 4. pag. 215. tomi 6.*
(b) *Hom. 8. §. 3. pag. 23. tomi 1. Musæi Italici.*
(c) *Lib. 2. Operis* Paschalis, *pag. 464. col. 2. tomi 6. Biblioth. M. PP.*

108. **H**Ujus etiam Teſtimonii (quod breviter indicavimus Actione I. *num.* 119.) planiſſimus ſenſus eſt: quod ſcilicet ſicuti ex acutis ſpinis ortum habet mollis, & innoxia Roſa; ſic Sacra Virgo MARIA, etſi de vitiata Evæ ſtirpe originem duxerit, nihil materni vitii contraxit; quin potius antiquum facinus ipſa piavit. Sumpta ſunt hæc carmina ex opere Paſchali Sedulii, quod valde commendavit Gelaſius I. in Romano Concilio, *(d)* his verbis: *Venerabilis Viri Sedulii Paſchale opus, quod heroicis deſcripſit verſibus, inſigni laude proferimus.*

109. Duo illa poſteriora Sedulii carmina: *Ut quoniam natura prior &c.* ut ad ſuam Sententiam pertraheret Bandellus, (*e*) nec ſenſui, nec metro parcens, fœde deformavit in hunc modum: *At quo iam Nata prior, vitiata jacebat Sub ditione necis, Chriſto naſcente, renata.* Et nihil penſi habuit, quod ita B. Virginem, nedum conceptam, ſed & natam ſignificaret ſub ditione necis, & nonniſi, cùm CHRISTUS naſceretur, renatam.

TESTIMONIUM VIII.

S. Proclus, Epiſcopus CP. Anno CCCCXXX.

Non meminerat, (de S. Joſepho loquitur, nondum myſterii Incarnationis conſcio) *potuiſſe Eam effici DEI Templum, quæ ex mundo erat formata luto: latebat eum, ex Virginali rurſus Paradiſo, intemeratis Domini manibus plaſmari ſecundum Adam.* (f)

110. **H**Is verbis S. Proclus, B. Virginis Conceptionem, etiam ſecundum Carnem, Immaculatam fuiſſe indicat, dum illam *ex mundo* aſſerit *formatam luto.* Dicitur autem B. Virginis Conceptio ſecundum Carnem, Munda, & Immaculata, inquantum DEUS ſtatuit, Prolem illam, *DEI Templum,* futuram, & *ſecundi Adami Paradiſum,* ex hoc ſemine, & ex his Parentibus concipiendam, ſanctificare, & ab Originali Labe Immunem ſervare, juxta ea, quæ diximus in Apparatu *n.* 141.

TESTIMONIUM IX.

S. Amphilochius, Sidæ Epiſcopus, Anno CCCCXXX.

Cedo percontantibus nobis, (Neſtorium affatur) *utrumne vel ſenſu Judaico, ut Virum, ita & Adæ conjugem, intemeratis Opificis manibus fictam, dicenti Legi Divinæ aſſentiris? Et ſi quidem negaveris, nonne propalam a nobis, & Scripturis extraneus exiſtis? Sin autem aſfirmaveris; qu d ſtulte a veritate diſſentis, Deique placitum in Sanctiſſima Virgine, ad communem ſalutem provide diſpoſitum, detrectas, atque renuis? Qui enim antiquam illam Virginem* (Evam) *ſine probro condidit; ipſe & ſecundam* (Mariam) *ſine nota, & crimine fabricatus eſt: quippe quod eſt de foris pulchre fecit, etiam quod intus eſt, ad domicilium Animæ ſancte perornavit.* (g)

111. **A**Pertus eſt iſtorum verborum ſenſus: Quod ſi DEUS primam mulierem Evam *ſine probro*, hoc eſt in ſtatu Innocentiæ, ac Juſtitiæ Originalis condidit; *Sanctiſſimam Virginem, ad communem ſalutem provide diſpoſitam, ſine nota, & crimine*, hoc eſt Sanctam, & Immaculatam fabricatus eſt, non tantum quoad Corpus, verum etiam quoad Animam.

112. Oratio, unde deſumpta ſunt hæc verba, in Bibliotheca PP. tribuitur Amphilochio Seniori, Iconii Epiſcopo: ſed cum in ea Neſtorius nominatim arguatur, tribuenda videtur (ut cenſet P. Labbe) huic alteri Amphilochio, Sidæ Epiſcopo, qui Concilio Epheſino anno 431. contra Neſtorium celebrato, interfuit. (*h*) Quod ſi malis cum Dupino, & Caveo, Orationem iſtam neutri Amphilochio adſcribendam, ſed Theodoto Ancyrano, in Galatia Epiſcopo; parum intereſt. In hoc Theodoto, qui etiam Concilio Epheſino interfuit, Teſtem habebimus paris antiquitatis, & auctoritatis.

TESTIMONIUM X.

S. Petrus Chryſologus, Epiſcopus Ravennas, Anno CCCCXL.

Pervolat ad Sponſam feſtinus Interpres, ut a DEI Sponſa humanæ deſponſationis arceat, & ſuſpendat affectum, neque auferat a Joſeph Virginem, ſed reddat Chriſto, cui eſt in utero pignerata, cum fieret. Chriſtus ergo ſuam Sponſam recipit, non præripit alienam. (i)

113. **Q**Uid eſt, B. Virginem eſſe CHRISTO *Pigneratam, cum fieret*; niſi fuiſſe CHRISTO ſingulariter addictam, devinctam, & veluti in pignus datam, cùm conciperetur? Qui autem in Peccato Originali concipitur, *ſub poteſtate Diaboli eſt,* ut demonſtrat Auguſtinus: (*k*) *Quæ ergo conventio* (clamat Apoſtolus 2. Cor. VI. 15.) *Chriſti ad Belial?*

TESTI-

(d) *Refertur in Decreto, diſt.* 15. *cap.* S. Romana Eccleſia.
(e) *Cap.* 20. *fol.* 23. *pag.* 1.
(f) *Orat.* 6. *quæ eſt* laudatio S. DEI Genitricis Mariæ, *pag.* 597. *tomi* 6. *Biblioth. M. PP.*
(g) *Orat.* 4. *in S. Deiparam, & Simeonem, pag.* 1065. *tomi* 5. *Bibl. M. PP. & pag.* 42. *Operum S. Amphilochii, Iconii Epiſcopi, edit.* GL. *curatæ a* P. Franc. Combefiſio.
(h) *V. Notas* P. Franc. Combefiſ. *in hanc Orationem, pag.* 243. *edit. cit.*
(i) *Serm.* 140. *de Annunt. B. Virginis col.* 358.
(k) *Lib.* 6. *contra* Julianum *cap.* 9. *n.* 27. *col.* 677. *tomi* 10.

& se absconderat, & timuerat a ligno inobedientiæ, & transgressionis: Gratiâ, inquam, repleta a Sole Justitiæ, nempe a DEO. (s)

120. DUm MARIAM, Lunam ita plenam fuisse dicit, ut nunquam defecerit, aut minuta, aut privata fuerit suo essentiali lumine; non obscure significat, nullam unquam Peccati umbram, nullum Gratiæ defectum passam esse; sed semper Innocentiæ, ac Divinæ Gratiæ nitore donatam fuisse. Hunc ibi Nitorem intactum, & non solam Carnis integritatem, Virginitatis nomine intelligit. MARIAM quippe, *Lunam plenam, nunquam minutam, aut deficientem* appellat, per oppositionem ad Evam; quæ fuit *Luna male habita, & vexata, & deficiens*, non per amissam Virginitatem, sed *per inobedientiam, & transgressionem:* secus vero MARIA, utpote *Gratiâ repleta a Sole Justitiæ, nempe a DEO.*

TESTIMONIUM XV.

Hesychius, sive Isychius, Presbyter Hierosolymitanus, circa Annum DXCV.

Ecce Virgo in utero concipiet &c. (Isa. VII. 14.) *Quænam? Mulierum egregia, e Virginibus electa, præclarum Naturæ nostræ ornamentum, Gloria luti nostri, quæ Evam pudore, & Adamum comminatione liberavit, audaciam Draconis excidit; quam Concupiscentiæ fumus non attigit, neque vermis voluptatis eam læsit.* (t)

121. SIngula pene hujusmodi elogia, ab hac singulari Virgine Originalis Peccati turpitudinem removent, illa præsertim: *Audaciam Draconis excidit*; (qui scilicet Evam seduxit) Et: *Quam Concupiscentiæ fumus non attigit &c.* hoc est Fomes Concupiscentiæ, individuus Originalis Peccati Comes.

SÆCULUM CHRISTI VII.

TESTIMONIUM XVI.

S. Andreas Hierosolymitanus, Archiepiscopus Cretensis, Anno DCXXXV.

Hodie Creatoris omnium, creatum Delubrum exædificatum fuit; ac Creatura, Divinum Creatori, nova, decentique ratione, præparatur Hospitium. Et paucis interjectis: *Hodie ex nobis pro nobis, Deo Adamus primitias offerens, Mariam primitias fecit: & ex toto fermento, eâ non fermentatâ, per ipsam formatur Panis ad Humani Generis refectionem,* sive *restaurationem.* (u)

122. ILlustris est prima pars hujus Testimonii, sed illustrior secunda. Quamvis nostri Andreæ Oratio, (unde utraque Sententia est decerpta) Nativitatis titulo prænotetur; Conceptionem tamen Matris DEI potius tractat, cujus Ecclesiasticum Officium primus ipse Andreas composuit, & ordinavit, ut vidimus Act. III. Non enim, ait, *Hodie editum*, vel *natum*, sed, *hodie exædificatum fuit Creatoris omnium Delubrum:* & hanc exædificationem, *Nova decentique ratione*, peractam significat, *ut Divinum Creatori præpararetur Hospitium.* Quænam autem sit hæc *Nova, & Decens ratio* Conceptionis; non opus est, ut exponam.

123. Hæc verisimiliter in prima parte allegatæ Sententiæ. At in altera expressissime traditur B. Virginis a communi Labe Originali præservatio. Siquidem Fermentum illud, quo MARIA *fermentata non est, ut per ipsam formaretur Panis, ad Humani Generis restaurationem*, idest formaretur Corpus CHRISTI; aliud intelligi nequit, quam Originale Vitium, quo tota Natura Humana conspersa, & infecta est, juxta phrasim Apostolici: (x) *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio &c.*

124. Istam Cretensis Sententiam P. Franciscus Combefis his aliis verbis latine reddidit, seu potius obscuravit: *Mariam primitias facit; iisque, qui de tota conspersione nihil inquinamenti senserunt, in panem formantur, ad recreationem Generis.* Et hac obscuritate confisus, intulit in notis: (y) *Nihil aliud dicere voluit Cretensis, nisi, solum Christum de tota conspersione nihil inquinamenti sensisse.* Sed, ut Lector dijudicet, utra Interpretatio sincera, & vera sit, originalia Cretensis verba subjicio: καὶ τοῦ ὅλου φυράματος, ἡ μὴ φυραθεῖσα δι' αὐτῆς ἀρτοποιεῖται πρὸς τὴν τοῦ γένους ἀνάπλασιν.

SÆCULUM CHRISTI VIII.

TESTIMONIUM XVII.

S. Germanus, Patriarcha CP. Anno DCCXX.

Facta Mater, (de B. Anna loquitur) *quæ antea sine sobole, & surculum progerminans, quæ germen nunquam produxerat: Et quid hac quæso Generatione venerabilius?* Et infra: *Hæc Deipara est Maria Christianorum omnium perfugium, primaque primi Lapsus primorum Parentum reparatio, ad indolentiamque perturbati Generis Restauratio.* (z)

125. Ge-

(s) *Lib. 4. Anagogic. Contemplat. in Hexaemeron, versus finem, pag. 875. col. 2. tomi 9. Bibl. M. PP.*

(t) *Hom. 2. de S. M. V. pag. 425. To. 2. Bibl. GL. PP. & pag. 187. tom. 12. Bibl. M. PP.*

(u) *Orat. 1. in Diem Natalem DEI Genitricis, pag. 619. col. 2. tomi 10. Bibl. M. PP. Sive* in Encomio in Nativitatem *Deiparæ, pag. 4. ejus Operum edit.* Paris. an. 1644. *ex versione, & recens.* P. Franc. Combefis. Ord. Prædic.

(x) *Prima ad Cor. cap. 5. vers. 7.*

(y) *Nota 7. ad eam Orationem pag. 288.*

(z) *Orat. in S. Nativit. B. V. Deiparæ, pag. 456. & 458. tomi 2. Biblioth. GL. VV. PP.*

125. GEneratio B. Annæ, ipsa est Conceptio passiva B. Virginis. Hac ergo Conceptione, juxta S. Germanum, nihil est venerabilius. At qua ratione adeo *Venerabilis*, nisi quia Sancta fuit, & Immaculata? Præterea, cum B. V. *Prima primi Lapsus primorum Parentum Reparatio* dicitur; ipsam ab eodem Lapsu remotissimam fuisse significatur. Idem indicare videntur alia, quæ S. Germanus subtexit, B. Virginis elogia, ista præsertim: *Thronus Cherubicus, igneus, & sublimis, Regem Dominum exercituum sinu gestans.* Et: *Porta Cælorum, per quam solus Cælorum Dominus ingressus, nemine ante ipsum, vel post ipsum, abditum capiente accessum.*

TESTIMONIUM XVIII.

S. Johannes Damascenus, Scholasticæ Theologiæ Prodromus, Anno DCCXXXI.

Ob eatos Joachimi Lumbos, ex quibus prorsus Immaculatum semen fluxit! O praeclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis, ex ea auctus, atque formatus Fœtus Sanctissimus. (a)

126. HAnc S. Damasceni Sententiam, P. Vasquez (*b*) egregie illustrat. „ Quæ „ sane verba, *inquit*, nonnisi de Immaculata B. „ Virginis Conceptione intelligi possunt. Nam- „ que si B. Virgo in Peccato Originali, & im- „ munda concepta fuisset; qua, obsecro, ratio- „ ne, *prorsus immaculatum semen* Joachimi vo- „ cari posset; *& Fœtus* ipse non solum *auctus*, „ sed etiam *formatus Sanctissimus* appellaretur? „ Certe verba hæc plane denotant primùm, „ Semen ipsum, quodammodo fuisse mundatum, non quod vere Sanctificationis capax „ esset; (sic enim sanctificari, aut immaculatum fieri non potuit;) sed quia futurum erat, „ ut ex privilegio, Fœtus inde formatus, sine „ Peccato conciperetur; sic enim & ipsum Semen quodammodo, & extrinsece sanctificatum dici potuit. Si autem B. Virgo in Peccato conciperetur, neque hoc modo immaculatum vocari posset. Deinde significant, B. „ Virginem conceptam in Gratia, sine Peccato, „ hoc ipso, quod dicitur *formatus Fœtus Sanctissimus*, & non tantum, *auctus*. Nam si „ solum *auctus Sanctissimus* diceretur; non inepte „ referre quis posset ad tempus post ipsam animationem. „

SÆCULUM CHRISTI IX.

TESTIMONIUM XIX.

S. Paschasius Ratbertus, Abbas Corbejensis, Corbejæ veteris, Anno DCCCXX.

Quia tam solemniter colitur, (de B. Virginis Nativitate loquitur) *constat ex authoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est, subjacuit delictis; nec contraxit in utero Matris sanctificata, Originale Peccatum.* Et infra: *Beata Virgo, nisi in utero Matris sanctificata esset, minime Nativitas ejus colenda esset; nunc autem, quia ex authoritate Ecclesiæ totius veneratur, constat, eam ab omni Originali Peccato Immunem fuisse; per quam non solum maledictio Matris Evæ soluta est; verum etiam & benedictio omnibus condonatur.* (c)

127. NUper laudatus P. Vasquez (*d*) ab allegatione hujus Testimonii, (quod ipse putat S. Ildephonsi) abstinendum censet. Quia, inquit, sensus illorum verborum: *Nec contraxit in utero sanctificata Originale Peccatum*: non est, quod B. Virgo non contraxit simpliciter in utero Originale Peccatum, seu non illud incurrit; sed, quod cùm fuerit in utero sanctificata, non secum traxit, hoc est secum detulit, cum nasceretur, Originale Peccatum. Similiter alia verba: *Constat, eam ab omni Originali Peccato Immunem fuisse*: non de ipsa Virgine, aut ejus Conceptione, sed de ejus Nativitate, intelligenda esse ait.

128. Priorum verborum Interpretatio rejicitur: Tum quia jam dixerat Ratbertus, quod B. Virgo *Nullis quando nata est, subjacuit delictis.* Cùm ergo addidit, *Nec contraxit in utera sanctificata Originale Peccatum*; aliquid plus significasse videtur, quàm quod *non secum detulit, cum nasceretur Originale Peccatum.* Tum etiam quia verbum, *Contrahere*, nec apud Profanos, nec apud Sacros Scriptores, *Secum trahere*, aut *secum deferre*, significat. Quoad Profanos, lege istius verbi notiones varias *in Calepino Facciolati.* Quid sit contrahere, apud Sacros Scriptores, in præsenti materia; explicatum habes apud D. Thomam (*e*) in prima ratione dubitandi: *Illud contrahere dicimus, quod simul cum natura ex Origine trahimus.* Præterea D. Augustinus loquens de iis, qui nascuntur cum Originali Peccato, nunquam dixit, quod illud *contrahant*, sed quod illud *trahant.* (*f*) *Illo die* (scilicet Nativitatis) *traxit Originale Peccatum.* Et: *Ad mala certamina nascendo venerunt, trahentes Originale Peccatum.*

129. Po-

(a) *Orat. 1. de Nativit. DEI Genitric. V. M. pag. 330. ejus Operum.*
(b) *To. 2. in 3. par. disp. 117. cap. 4. n. 48.*
(c) *In Opusc. de Partu Virginis lib. 1. pag. 7. T. 12. Spicilegii* Lucæ Acherii, *edit.* Paris. an. 1675. *Et in lib. de Partu B. Virg. pag. 565. T. 12. Bibl. M. PP. Vide Act. II. n. 88. & seq. de Auctore hujus libri.*
(d) *Loco cit. cap. 3. n. 14. & seq.*
(e) *3. Parte quæst. 14. art. 3.*
(f) *Serm. 310. in Natali S. Cypriani, II. col. 1249. tomi 5. Et serm. 314. in Natali S. Stephani Martyr. I. col. 1260. ibid.*

129. Posteriorum verborum interpretatio non cohæret contextui. *Eam* dicit Ratbertus, sive Ildephonsus, *ab omni Originali Peccato Immunem fuisse*; de qua proxime dixerat: *Nisi in utero Matris sanctificata fuisset, minime Nativitas ejus colenda esset*; & de qua proxime etiam subjungit: *Per quam non solum maledictio Matris Evæ soluta est, verum etiam & benedictio omnibus condonatur.* Hæc autem, non de Nativitate B. Virginis, sed de ipsa B. Virgine intelligi debent.

130. Difficultas est, quòd Ratbertus suam Sententiam confirmet ex Festo Nativitatis B. Virginis, quod ab Ecclesia celebrari videbat. At qua ratione, ex tali Festo, Conceptionis etiam Sanctitatem colligeret?

131. Respondet P. Johannes Eusebius Nierimbergius, (*g*) Ildephonsum, (ut ipse putabat) loqui de integra B. V. Nativitate, a primæva sui formatione usque ad egressum ex Utero: quia olim in ipso Festo Nativitatis B. Virginis, celebrabatur etiam ejusdem Conceptio: quod pluribus argumentis probare conatur.

132. Solidior responsio est, Ratbertum quidem ex celebratione Festi Nativitatis, primo & per se colligere *a Posteriori*, ipsius Nativitatis Sanctitatem, ac Puritatem; hinc vero tacite etiam inferre Conceptionis Sanctitatem, & Puritatem. Quia nimirum eodem titulo *a Priori*, quo B. Virgo nata est absque Originali Peccato, debuit quoque concipi absque Originali Peccato; quem titulum indicat illis verbis: *Per quam non solum maledictio Matris Evæ soluta est &c.* Hæc enim maledictio non ad Nativitatem tantum, sed etiam, & potissimum ad Conceptionem nostram pertinebat.

133. Et sane non tam Nativitatis, quàm Conceptionis Marianæ Puritas, & Sanctitas ad Ratberti scopum faciebat. Quod enim in eo Tractatu demonstrare nititur, est, B. Virginem Immunem in Partu fuisse ab omnibus illis miseriis, & ærumnis, quibus subjacent cæteræ Mulieres. Hæc autem Immunitas non colligitur, nisi ex Immaculata, & Sancta B. Virginis Conceptione, per quam Immunis simpliciter fuit ab Originali Culpa, & Maledictione eam consequente. Et sic etiam idemmet Ratbertus argumentatur *pag.* 3. „ Ipsa Lex naturæ, sub qua nunc Mulieres concipiunt, & „ pariunt, ut ita dicam, vere non est Lex „ naturæ quodammodo, sed Maledictionis, & „ Culpæ: quoniam nisi Adam, & Eva primum peccassent, nemo deinceps nasceretur „ sub Culpa Peccati. MARIA autem, quia „ Benedicta, Culpam corruptionis non habuit, „ propterea CHRISTUM non in dolore, neque sub „ corruptione genuit. „ Et *pag.* 16. *Absit*, inquit, *per quam Maledictio Evæ soluta est, ut ipsa in Partu maledictionibus subjacuerit primæ damnationis.* Et pag. 23. *In qua vexilla virtutum micarunt, nullum Peccatum primæ Originis, ut cruciaretur, viguit.* Quid clarius desiderari potest, ut Ratbertum fidenter allegemus?

TESTIMONIUM XX.

S. Joseph, cognomento Hymnographus, Syracusanus, circiter Annum DCCCLXXX.

Mors, cujus præcipitem impetum reprimere nulla res potuit; ad te (B. Virginem affatur) *usque perveniens, immota stetit.* (*h*)

134. NOn hic certe agitur de morte Corporis; (hanc enim B. Virginem subiisse, constat) sed de morte Animæ, cujusmodi est Originale Peccatum. Istud ergo Peccatum, quod vitare nemo potuit, ad B. Virginem per viam carnalis generationis usque perveniens, velut attonitum stetisse dicitur, nec ultra ad inficiendam ejus Animam progredi potuisse.

135. Floruerunt etiam hoc Sæculo Gregorius Archiepiscopus Nicomediensis, & S. Petrus Argorum Episcopus, *Act. II. Art. III. Test. XLII. & XLIII.* a nobis allegati. Qui satis clarum pro Sanctitate Marianæ Conceptionis Testimonium dederunt, hoc ipso, quod eam Conceptionem, & Festum ipsius elegantissimis Orationibus exornarunt.

SÆCULUM CHRISTI X.

TESTIMONIUM XXI.

Johannes Geometra, circ. Annum DCCCCLXXX.

Gaude, concretum sublimi corpus Olympo,
Et vitii nostri crimine, Virgo carens.
Gaude, quæ Christo corpus mortale dedisti:
Gaude primævi libera labe Patris. (i)

136. QUis non miretur, in tam obscuro Sæculo, tam clarum pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione Testimonium extitisse? Hunc Johannem inter Scriptores incertæ ætatis collocat Bibliotheca Max. PP. Sed Hippolytus Marracius *Tomo I. Biblioth. Marianæ pag.* 731. ipsum *anno* 980. assignat. A Marracio non multum discrepat Casimirus Oudinus *col.* 615. *Tomi* 2. conjiciens, Geometram claruisse anno 1050.

(g) *In Operibus Parthenicis, de perpetuo objecto Festi Concept. c.3. & in Exceptionib. Conc. Trid. ca.* 10.

(h) *In Menæis Græc. die* 16. *Januarii Ode* 3. *Canone* 2. *de Cathedra S. Petri Antioch. in Theotocio, apud* Wagner. *num.* 97. *pag.* 260.

(i) *Hymno* 3. *in Virginem Deiparam, pag.* 472. *To.* 27. *Biblioth. M. PP.*

SÆCULUM CHRISTI XI.

Testimonium XXII.

S. Petrus Damianus, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, Anno ML.

Caro enim Virginis, ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit; sed singularis Continentiæ Puritas in Candorem Lucis æternæ conversa est. (k)

137. AB hoc Testimonio allegando avertere nos conatur Lampridus (*l*) auctoritate Dionysii Petavii, (*m*) ajentis: *De Originali, ut opinor, Macula non loquitur, verum de vitiis, quæ Adami Posteros inficiunt.* Quid dicam Lampridio? Laudo Petavium, in hoc laudo, cujus in verba non juravi. Quæ porro sunt, castigate loquendo, Adæ maculæ, in omnes ejus Posteros transfusæ? Non aliæ profecto, nisi ipsum Originis Peccatum, & qui inde dimanat, Fomes concupiscentiæ, unde vitiorum illuvies in Humanum Genus irrumpit. Verba quoque Damiani sequentia ab omni prorsus macula B. Virginem Immunem significant. Duas alias Damiani Sententias, Piæ Sententiæ adstipulantes, *Vide Act. II. n.* 104. & *ad n.* 334.

Testimonium XXIII.

S. Anselmus, Cantuariensis Episcopus, Anno MLXXXI.

I. Sententia.

Si Hieremias, qui in gentibus erat Propheta futurus, in vulva est sanctificatus; & Præcursor Domini Johannes, spiritu ex utero Matris est repletus; quis dicere audeat, totius Sæculi Propitiatorium; mox in suæ Conceptionis exordio, Spiritus Sancti gratiæ illustratione destitutum &c. A servitute igitur omnis Peccati libera fuit, quæ olim Peccatorum Propitiatori Aula, in qua, & ex qua personaliter Homo fieret; Spiritus Sancti præsentia, & operatione construebatur.

II. Sententia.

Ille Assertor puræ veritatis &c. Omnes Homines in Adam peccasse, *fatetur. Vera utique Sententia, & cui contradici, nefas esse pronuntio. Sed cùm eminentiam Gratiæ in te considero; sicut te, non intra omnia, quæ facta sunt, inæstimabili modo intueor; sic nec lege aliorum in tua formatione demetitam fuisse opinor, singulari, & humano intellectui impenetrabili, divinitatis virtute, ab omni Peccati adjunctione liberrima.*

III. Sententia.

Angelis aliis peccantibus, Bonos a peccatis servavit; & Fœminam, Matrem suam mox futuram, ab Aliorum peccatis exortem servare non valuit? In æternitate Consilii sui fixum statuit, Eam Dominatricem, & Reginam fore Angelorum: Et nunc inferiorem Angelis natam, in consortium acceptam esse credemus omnium Peccatorum? Existimet hoc, & argumentis suis probet, qui vult. Ego, donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentiâ Dominæ nostræ posse dici; quæ dixi, dico; quæ scripsi, non muto.

IV. Sententia.

De Domina nostra, quam in tantum culmen prædestinavit, & extulit Divina Potentia, quam tot prærogativis ditavit cuncta disponens DEI Sapientia, quam sibi Matrem elegit ad mundo subveniendum, Ipsa omnium Salvandorum ineffabilis DEI Misericordia; dicere, Morte Peccati, quæ per invidiam Diaboli occupavit Orbem terrarum, in suo Conceptu prægravari..... animus evitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet.

138. TAm argumentosæ, tam luculentæ pro Illibato DEI Genitricis Conceptu Sententiæ, decerptæ sunt ex Libro, seu Tractatu D. Anselmi, Cantuariensis Archiepiscopi, *De Conceptione Passiva B. Mariæ Virginis.* Qui liber, etsi non omnino integer, & absolutus, extat *a pag.* 142. editionis Lugdunensis anni 1630. Operum S. Anselmi, curatæ, & illustratæ a nostro Theophilo Raynaudo. Sed opus est, ut hunc librum S. Anselmo vindicemus, sicuti Actione III. *a n.* 59. eidem vindicavimus Epistolam de Festo Conceptionis B. V. Mariæ.

Vindicatio Libri S. Anselmi, Cantuar. Episcopi, de Conceptione passiva B. Mariæ V.

139. HUnc librum, post Raynaudum, S. Anselmo adscribunt, quicunque editionem Operum S. Anselmi, ab eo adornatam laudant, & sinceram habent: P. Philippus Labbe Dissertatione prima, Guillelmus Cave, (*n*) PP. Henschenius, & Papebrochius. (*o*) Ejusdem opinionis fuerat P. Antonius Possevinus, (*p*) alios secutus, qui, ut ait, *facere aliquam fidem possunt, quoniam Angli, de Anglicanis, seu de propinquis Normannis Authoribus, certius aliquid nosse potuerunt.*

140. At

(k) *Serm.* 41. *de Assumpt. B. Virginis pag.* 113. *tomi* 2.
(l) *Cap.* 24. *pag.* 193.
(m) *Lib.* 14. *de Incarnat. cap.* 2. *n.* 5. *ubi eam Sententiam S. Ildephonso attribuit.*

(n) *In Historia Litteraria pag.* 542.
(o) *Prænotato* 7. *ad Vitam S. Anselmi, pag.* 866. *tomi* 2. *Sanctor. Aprilis.*
(p) *Tomo* 1. *Appar. V.* Anselmus Cantuariensis, *pag.* 94.

140. At vero Gabriel Gerberon, post Johannem de Turrecremata, (q) librum hunc D. Anselmo adjudicare nititur, (r) quem sectatur Natalis Alexander. (s) Argumenta Gerberonis (quibus etiam utitur Alexander) primo loco solvemus, dein Turrecrematæ; & ex ipsa solutione apparebit, quanta cum probabilitate hic liber D. Anselmo adjudicetur.

141. Argumentum I. Liber iste in paucissimis tantum Mss. Codicibus Operum S. Anselmi reperitur, in aliis innumeris deest.

142. Solvitur. Sex quoque libri Operis imperfecti D. Augustini contra Julianum, in uno, vel altero dumtaxat Ms. Cod. novè reperti sunt. (t) Et tamen nemo dubitat, illos esse germanissimum D. Augustini Fœtum. Cæterum non tam pauca sunt Mss. in quibus noster liber continetur. Ipsemet Gerberon duo profert Mss. Cluniacense, & Corbeiense; & tria nominat Anglicana, unum CCLXXI. Bibliothecæ Mertoni, alterum XXII. Bibliothecæ Lincholniensis, & tertium CCCXXXVIII. Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ. Similiter Petrus de Alva, (u) memorat tria Mss. antiquissima, in Bibliothecis Parisiensibus reperta, & quatuor in Anglicanis.

143. Sed & Johannes Bacho, gravis & antiquus Theologus Anglus, hunc Anselmi librum, se in pluribus locis observasse testatur. (x) „ Hunc librum, *inquit*, vidi in multis locis, & „ ponitur in libro, qui est de Vita B. Virginis, „ qui vocatur *Magnum Mariale*. Incipit autem „ liber Anselmi de Conceptione, sic: *Principium, quo salus Mundi processit, mihi considerare volenti, occurrit hodierna Festivitas de* „ *Conceptione Mariæ Matris DEI &c.* „ Et rursus: „ Istum librum inveni primò in Domo „ Fratrum Minorum Cantabrugen, (*al.* Cantabrigiæ) & postea inveni Parisiis eumdem „ tractatum in manu unius communis Stationarii. Incipit liber sic: *Principium, quo salus* „ *Mundi &c.* „

144. Argum. II. Huic libro contradicit indubitata Doctrina ejusdem S. Anselmi in libro, *Cur DEUS Homo*, præsertim *cap.* 16.

145. Solv. Istud in primis falsum esse, ostendimus *Art. præced. a nu.* 24. Potius verum est, quod huic libro maxime consonat indubitata Doctrina ejusdem D. Anselmi in libro *de Conceptu Virginali &c. cap.* 18. quam expendimus *Act. II. a n.* 336.

146. Deinde nec novum, nec mirum est, Sacros Doctores, decursu temporis doctiores factos, in posterioribus suis Operibus, quod antea docuerant, tacite, vel expresse revocare. Hujus rei notissimum exemplum habemus in libris Retractationum D. Augustini; cujus est insignis illa Sententia: (y) *Sicut laudabile est, a vera Sententia non moveri, ita culpabile, persistere in falsa: Quam nunquam tenere, prima laus est; secunda, mutare: ut aut ex initio vera permaneat, aut mutatâ falsâ, vera succedat.* Idem S. Augustinus hanc mutationem obiter notat in D. Hieronymo, cui scribit: (z) *Origenem, & Didymum reprehensos abs te lego in recentioribus Opusculis, & non mediocriter, nec de mediocribus quæstionibus; quamvis Origenem mirabiliter ante laudaveris.* Et S. Gregorius Nazianzenus, epistola II. ad Cledonium, (a) de se rationem reddit, cur *Vitalis Fidem, quam litteris consignatam edidit, prius quidem probaverit, nunc vero repudiaverit.* Quamvis ergo Anselmus in contraria Sententia prius fuisset, mirum non est, quod postea, Revelatione Abbatis Helsini admonitus, Piam defendere Sententiam sit aggressus.

147. Arg. III. Baronius ipse in notis ad Martyrologium Romanum VI. idus Decembris, memorato istoc Anselmi libro, subdit: *Sed, an ejus sit, a multis merito ducitur in controversiam, cum habeat multa, quæ eidem Auctori repugnent, ut notat Johannes Turrecremata, in Tractatu de veritate Conceptionis BB. Virginis, par. VI. cap.* 3. *par. XII. cap.* 9. *&* 10.

148. Solv. Si hujusmodi Nota Baronii sit, non pluris hac in re facienda est ejus auctoritas, quam auctoritas Turrecrematæ, ad quem ipse se refert; ut recte observat Raynaudus. (b) Nec est, cur Petri Galesinii, Protonotarii Apostolici, (qui ante Baronium, Martyrologium Romanum edidit, notationibus illustratum, & Gregorio XIII. nuncupavit) notationem aliam ad eandem diem VIII. Decembris, non præferamus, quæ ita se habet: (c) *Conceptio longe ante Sixtum IV. profecto celebrata apparet ex iis, quæ S. Anselmus scripsit &c.*

149. Vere tamen Notam illam Baronii non esse, arbitramur. Tum quia non invenitur in Martyrologio Romano, quod ipsemet cum suis Notis edendum curavit Romæ, anno 1586. & Sixto Papæ V. inscripsit; nec in altero exemplari, quod, eodem vivente Baronio, Venetiis editum est anno 1597. typis Marci Antonii Zalterii. Sed utrobique post narratam celebrem illam Abbatis Helsini Revelationem, hæc tantum *loc. cit.* subjiciuntur: *Ex quibus omnibus satis compertum habetur, ejusmodi celebritatem in Anglia primum celebrari cœptam, eidemque favisse S. Anselmum, qui & de Conceptu Virginali egregium edidit Commentarium.* Quibus verbis potius indicat Baronius, S. Anselmum aliquid scripsisse pro Sanctitate Marianæ Conceptionis. In tribus dumtaxat Martyrologiis,

(q) *In Tract. de Verit. Concept. B. V. par.* 12. *cap.* 10. *fol.* 255.
(r) *In Censuris præviis ad singula Opera S. Anselmi, Censurâ libri de Concept. B. V.*
(s) *Tomo* 6. *Histor. Eccles. cap.* 6. *de Scriptorib. Eccles. Sæculi* 11. *&* 12. *pag.* 512.
(t) *V. Præfationem PP. Benedictinor. in secundam partem tomi* 10. *Operum S. Augustini, circa finem. Qui & aliquot Sermones D. Augustini recenter inventos; tomo* 5. *Sermon. S. Augustini ediderunt, ut in fine Præfat. ad eum Tomum notant.*
(u) *In* Nodo indissolubili &c. *Nodo* 2. §. 2. *pag.* 221. *edit.* Bruxell. an. 1661.
(x) *In lib.* 4. *Sentent. distinct.* 2. *quæst.* 3. *art.* 3. *pag.* 309. *& quæst.* 13. *post partic.* 7. *pag.* 763. *edit.* Cremon.
(y) *Lib.* 3. *contra* Cresconium. *cap.* 3. *col.* 437. *tomi* 9.
(z) *Epist.* 82. (*al.* 19.) *ad* Hieronymum, *col.* 199. *tomi* 2.
(a) *Quæ est orat.* 52. *pag.* 746. *tomi* 1. *edit.* GL. Paris. an. 1630.
(b) *In Criticis Sacris, Erotemate* 10. §. 2. *de libris suppositiis, lit. A. n.* 192. *pag.* 271. *tom.* 11.
(c) *In Notationibus, pag.* 235. *edit.* Mediolanensis an. 1578.

quæ post mortem Baronii, hoc est post annum 1607. edita sunt, Venetiis an. 1620. Romæ an. 1630. & Parisiis an. 1645. eam Notam, a Gerberone objectam, observare potuimus.

150. Tum etiam quia Nota ipsa tanto Viro, Baronio, se prodit indignam. Quinam sunt illi multi, a quibus hic Anselmi liber ducitur in controversiam, nisi soli Piæ Sententiæ Adversarii? Et quænam sunt illa multa in eo libro, quæ Anselmo repugnare videntur; nisi una de Immaculata Conceptione Sententia? Quam frustra Turrecremata, & in tot locis citatur? In solo *cap.* 10. *partis XII.* & Piam Sententiam impugnans, eam rem tractat. Præterea quid opus erat, corrigere, quod in priore Martyrologii editione de S. Anselmo notatum fuerat: *Qui & de Conceptu Virginali egregium edidit Commentarium?* Numquid hic Commentarius non est indubitatus Anselmi Fœtus? Demum si D. Anselmum Sanctitati Marianæ Conceptionis constanter repugnasse, detexit Baronius; cur intactum reliquit, quod ante observaverat his verbis: *Ex quibus omnibus satis compertum habetur, ejusmodi celebritatem in Anglia primum celebrari cœptam, eidemque favisse S. Anselmum?*

151. Arg. IV. Ipse quoque Tractatus, suæ integritati, ac puritati redditus, se post Anselmi tempora editum protestatur; ab ipso sermonis exordio declarans, quod multis jam locis tùm festiva erat Solemnitas Conceptionis; quod priscis temporibus frequentiori usu celebraretur, dum pura simplicitas vigebat; quod perspicacia, & examinatio modernorum quorumdam, qui Sæculari, & Ecclesiastica dignitate, divitiarumque abundantia præeminebant, hanc Solemnitatem, quasi ratione vacantem sustulerit, & redegerit in nihilum: quodque caritas simplicium de tantæ Festivitatis abolitione gemeret. *Hæc autem*, (inquit Gerberon) *non Anselmi, sed Bernardi atas tulit.* Unde Johannes Mabillon (*d*) censet, librum istum ab alio quopiam scriptum statim post illam epistolam Divi Bernardi ad Lugdunenses.

152. Solv. Fateor, istæc omnia cum Anselmi ætate stare non posse. Verum nec cum ætate Bernardi, nec cum alia quavis ætate stare possunt. Nam, quæso, quinam fuerunt isti, *Sæculari, & Ecclesiastica dignitate, divitiarumque abundantia præeminentes, quorum perspicacia, & examinatio &c.* Num Bernardus, qui Epistolam illam adversus Festum Conceptionis ad Lugdunenses scripsit? Num Mauritius, Parisiensis Episcopus, qui non multo post Bernardum, hoc est circ. an. 1175. vetuisse fertur, ne Parisiis celebraretur Festum Conceptionis? Neutrum profecto *Sæculari dignitate, divitiarumque abundantia præeminentem fuisse* novimus. Præterea quando, & ubi *Solemnitas Conceptionis sublata est, & redacta in nihilum?* Nec Bernardus obtinuit, ut Ecclesia Lugdunensis ab ea Solemnitate cessaret; nec Mauritius extra Parisios exauditus est. Potius eodem Sæculo XII. Conceptionis Festum in Anglia, in Normannia, in Belgio, in Germania, atque in ipsa Gallia propagatum est, ut ostendimus Act. III. a *n.* 79.

153. Quid ergo dicemus? Narratio ista, imperitissimi est Hominis, & ideo Auctori hujus libri adscribi non debet, sed additita censenda est. Nam quamvis reperiatur in illo Tractatu *de Conceptione B. Virginis*, quem ex Mss. Cluniacensi, & Corbeiensi edidit Gerberon, non tamen reperitur in illo, quem edidit Raynaudus. Nec etiam veteres Theologi, qui ex hoc Anselmi libro plurimas collegerunt Sententias, ad probandam Conceptionem Virginis Immaculatam; istius narrationis mentionem ullam fecerunt: ut patet in Johanne Bacone locis citatis, Francisco Martini, (*e*) & Bernardino de Bustis. (*f*) Certe Baconius, qui Anglicana, & Parisiensia Mss. viderat, nedum plura capita, sed & ipsum hujus libri exordium describit; (*g*) nihil tamen ejusmodi refert, etsi Festum Conceptionis prolixe tractet.

154. Insuper, illius fabulosæ narrationis additamento resecato, libri hujus series, & structura, integra, & salva consistit. Sic enim apud Raynaudum apte continuatur oratio: „ Principium, quo salus Mundi processit, mihi considerare volenti, occurrit hodierna Festivitas, quæ de Conceptione BB. Matris DEI MARIÆ multis in locis recolitur: (*scilicet in Anglia, in Normannia, in Hispania, & in tota Ecclesia Græca.*) Tantorum enim bonorum consummatio, quæ per ipsam Domini Matrem toti Creaturæ provenerunt, videtur admonere mentem humanam pietatis affectu, exordium suum considerare &c. „ Non ergo hic liber Anselmo suppositus est, sed illa narratio est huic Anselmi libro supposita. Lege Honoratum a S. Maria, (*h*) ubi ex ipsis Criticis severioribus ostendit, propter hujusmodi additamenta, male cohærentia, repudiandos non esse Veterum libros: *Aliàs* (ut apud ipsum arguit Simonius) *majorem librorum partem explodere oporteret; cum paucissimi sint, qui alienam manum aliquando non fuerint experti.*

155. Argumentum V. Gerberonis Raynaudum singulariter tangit, conjicientem *in Syntaxi* I. Part. Opusc. S. Anselmi, Festum Conceptionis, consilio & auctoritate S. Anselmi, dum Lugduni exularet, in Ecclesia Lugdunensi fuisse institutum. Quod & nos falsum putamus: quia Bernardus in ea Epistola, quam circa annum 1140. ad Canonicos Lugdunenses scripsit, indicat, Conceptionis Festum eo tempore ab illis celebrari cœpisse: cum tamen Anselmus, aliquot annis post suum in Angliam reditum, obierit an. 1109. Id solum conjecimus *Act. III. num.* 88. Canonicos Lugdunenses ad celebrandum Conceptionis Festum permotos ex illa D. Anselmi Epistola ad Episcopos Angliæ, quæ forte per id tempus ad ipsos pervenerit.

156. Ex

(d) *In Notis ad epist.*174. *D. Bernardi Notâ* 138. *col.* LXI.

(e) *Tract.*5. *de Immaculata Deiparæ Concept. apud* Bonamspem *Rat.*43. 44. 45. 46. 47. *Cod. ms. Collegii Romani Rat.* 55. 56. 57. 58. 59.

(f) *Parte* 1. *Marialis, Serm.*4. *de Concept. B.V.* 1. *par. Serm. fol.* 17.

(g) *In lib.*4. *Sentent. dist.*2. *quæst.* 3. *art.*3. *pag.* 309.

(h) *Differtat.* 3. *Art.* 6. *pag.* 290. *tomi* 1.

156. Ex quinque Turrecrematæ argumentis, Primum, Secundum, & Quartum, soluta manent. Tertium autem, quod petebatur ex veterum Scholasticorum silentio; revincitur Testimoniis Petri Aurelii, (*i*) Petri Aquilani, (k) Johannis Baconii, & Francisci Martini *loc. cit.* & aliorum, qui hunc Anselmi librum pro Pia Sententia laudarunt. Quintum denique desumptum ex relatione cujusdam ex Anglia Dominicani Baccalaurei, ajentis, hunc librum non haberi in Anglia, tanquam librum Anselmi, eadem facilitate negatur, qua asseritur: cum præsertim contra stet Baconius, & ipse Anglus, sed multo antiquior.

157. Age vero duo hæc Turrecrematæ argumenta sic ulterius refellamus, ut simul eumdem librum D. Anselmi fuisse, commonstremus, duobus allegatis ex Anglia Scriptoribus, qui prope D. Anselmi tempora floruerunt. Unus est Robertus Capito, anglice Grosthead, italice Grossa-Testa, Lincholniensis Episcopus, sub Archiepiscopatu Cantuariensi; (*l*) qui circa annum 1140. maxime claruit, & Librum conscripsit, cujus titulus: *De Conceptione, & Excellentia B. Mariæ secundùm Anselmum, Meditationes duæ:* Quem librum asservari Ms. cum reliquis ejus operibus Cantabrigiæ in Bibliotheca SS. Trinitatis, Ecclesiæ Westmonasteriensis testatur Henricus Warthonus Anglus *Tomo II. Angliæ Sacræ, pag* 344. apud Guillelmum Cave, item Anglum, (*m*) & Casimirum Oudinum. (*n*) In hoc autem libro, Robertum defendere Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem; & ipse titulus indicat, & colligitur ex antiquis Theologis, Petro Aureolo, & Petro Aquilano citatis, qui Auctorem istum sub nomine Grossa-Testæ, sive Lincholniensis, tanquam notissimum Piæ Sententiæ Assertorem allegant: ut & postea fecerunt Bernardinus de Busto *ser. IV. de Concept. B. V. par.* 3. & Catharinus *in disp. pro Immacul. Concept. ad S. Synod. Trid. col.* 72. Alter est Nicolaus, Monachus S. Albani in Anglia: qui circiter annum 1170. pro Immaculata DEI Genitricis Conceptione epistolam scripsit ad Petrum Cellensem, (ut infra videbimus) verisimiliter instructus doctrinâ S. Anselmi, cujus & phrases imitatur, epistolam illam claudens his verbis: *Quod dixi, dixi; quod scripsi, scripsi.* (*o*) Recole *Act. III.* a *num.* 60.

SÆCULUM CHRISTI XII.

TESTIMONIUM XXIV.

Rupertus, Abbas Tuitiensis, Anno MCXIX.

Ineffabile itidem est, quod de Carnis (Christi) *generatione, recte hic* (Isa. LIII. 8.) *dictum intelligitur*, Quia abscissus est de Terra Viventium. *De Terra, inquam, non morientium, sive mortuorum morte Peccati, qua omnes in Adam mortui sunt, sed Terra Viventium, idest de Terra Virgine, per Sanctum vivificata Spiritum, abscissus est.* (p)

158. HOc loco aperte negat Rupertus, Terram Virgineam, hoc est B. Virginem MARIAM, fuisse terram *Mortuorum*, *morte Peccati, qua omnes in Adam mortui sunt.* Quo autem alio clariori modo asserere poterat, B. Virginem non contraxisse ex Adamo Originale Peccatum?

TESTIMONIUM XXV.

Hervæus, patria Cenomanensis, Ord. S. Benedicti, Monachus Dolensis, sive Burgidolensis, Anno MCXXX.

Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta Matre DEI, sive Originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo, quod justum est. (q) Et alibi: (*r*) *Maria ex Adam, mortua propter peccatum, nisi divinitus exempta fuisset: & Caro Domini ex Maria, mortua propter delenda peccata.*

159. LUce clarior est prior Sententia. Posterioris Sententiæ sensus non est, quod B. Virgo reipsa divinitus exempta fuerit a morte Corporis: (hoc enim est certò falsum) sed quod exempta fuerit, ne eam mortem subiret propter Originale Peccatum, a quo fuit divinitus præservata.

160. Utraque Sententia desumpta est ex Commentariis in Epistolas D. Pauli, quæ D. Anselmo adscripta sunt in utraque editione Coloniensi Operum S. Anselmi. Sed jam constat, ea Commentaria non esse S. Anselmi, sed Hervæi, quo nomine in antiquiore editione Parisiensi

 anni

(i) *In lib.* 3. *Sentent. dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. *pag.* 379. *edit.* Rom. an. 1605.
(k) *Ibid. quæst.* 1. *pag.* 332.
(l) *De hoc Auctore V.* Ant. Possevinum *tom.* 3. *Apparatus verbo*, Robertus Lincholniensis, *pag.* 151.
(m) *In Hist. Litt. pag.* 629.
(n) *Tomo* 3. *de Script. Eccl. col.*148. *& seq.*
(o) *V. apud* Cellensem *epist.* 23, *lib.* 6. *pag.* 879. *col.*2. *tomi* 23. *Biblioth. M. PP.*
(p) *Lib.*2. *in* Isaiam *fol.* 325. *pag.* 2. *edit.* Coloniens. an. 1534.
(q) *In Exposit.* 2. *epist. ad Corinth. ca.* 5. *pag.* 223. *col.*2. *tomi editi* Coloniæ an. 1545. *sub hoc titulo:* D. Anselmi Enarrationes in omnes Pauli Epistolas: *& pag.* 196. *col.* 2. *tom.*2. *Oper. S. Anselmi edit.* Coloniens. an. 1612. *ex Recens.* Joh. Picardi.
(r) *Pag.* 53. *col.* 1. *prioris editionis; & pag.* 48. *col.* 1. *poster. edit.*

anni 1544. inscribuntur. Hervæum istum, credidit Bellarminus fuisse Hervæum Natalem Britonem, Ord. Prædic. Magistrum Generalem, qui claruit anno 1320. Alii vero cum P. Philippo Labbe, (s) & Guillelmo Cave (t) verius censent, esse Hervæum supra nominatum, qui circiter annum signatum claruit; ut aperte colligitur ex quadam Epistola encyclica Monachorum Burgidolensis Abbatiæ, de Vita, & Scriptis istius Hervæi. (u)

TESTIMONIUM XXVI.

Auctor Sermonum super Antiphonam, *Salve Regina*, circiter Annum MCXXXV.

Libanus Mons, qui dicitur Dealbatio, altam præ omnibus signat Innocentiam tuam. Innocens fuisti ab Originalibus, & Actualibus Peccatis: Nemo ita, præter Te. Unde auctoritas Augustini: Cum de peccatis agitur, nullam de B. Maria volumus fieri mentionem: ex eo enim majorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni, *inquit*, parte, *hoc est ex parte Originalis, & ex parte Actualis &c.* (x)

161. INnocens ab aliquo crimine non dicitur is, cui crimen illud sit condonatum; sed qui illud nunquam commisit. Sicut ergo hic Auctor B. Virginem innocentem asserit ab Actualibus Peccatis, quia nullum unquam ex iis peccatis admisit; ita & innocentem appellat ab Originali Peccato, quia nunquam illud contraxit: ut verum sit, quod ex D. Augustino affert, & exponit, B. Virginem vicisse *ex omni parte Peccatum, hoc est ex parte Originalis, & ex parte Actualis.* Nec obstat, quod inferius dicat, B. Virginem *in Utero Matris suæ ab Originalibus absolutam Peccatis.* Siquidem absolutus a Peccato non tantum dicitur is, qui ab eo, quo ligatus fuerat, solvitur; verum etiam qui, cum illud non patraverit, innocens declaratur. In quo sensu Lucretia apud Titum Livium (y) dixit: *Ego me, etsi peccato absolvo, supplicio non libero.*

162. Verum est, quod hic Auctor quædam argumenta subjicit, quæ Nativitatis potius, quam Conceptionis Innocentiam, ac Sanctitatem probare videantur. At nihilominus sic tandem concludit: *Cum igitur tam claræ Auctoritates Divinæ tuam ab utero testentur Innocentiam, quis ultra dubitet, Sanctam, & Immaculatam huic Mundo progenitam.* Non ait, *Natam*, non, *ortam*, non, *editam*, sed, *progenitam*: quod verbum nonnisi Conceptionem signat.

163. R. P. Franciscus Bivarius (z) operose contendit, eos quatuor sermones super *Salve Regina*, D. Bernardi esse; fidemque appellat vetustissimorum Codicum. At quinam sint isti Codices antiquissimi, nondum scimus. In sola editione Antuerpiensi anni 1609. Sermones illos D. Bernardo attributos vidimus. In aliis vero antiquioribus, Lugdunensi an. 1520. Parisiensi an. 1540. & altera item Parisiensi anni 1602. iidem sermones D. Bernardo constanter abjudicantur, & inter supposititia rejiciuntur: quod in sua novissima editione & præstitit, & ostendit Cl. V. Johannes Mabillon, (a) cum *ob stili, & genii maximam diversitatem, tum ob frequentes Poetarum citationes, quibus S. Bernardus rarius uti solet.*

164. Idem Mabillon in indice secundi Voluminis, P. Eusebius Nierimbergius, (b) P. Theophilus Raynaudus, (c) & Casimirus Oudinus (d) Sermones illos adscribunt cuidam Bernardo Archiepiscopo Toletano, qui claruisse dicitur anno circiter 1090. ad hoc inducti ex Testimonio cujusdam Juliani Petri, Archipresbyteri S. Justinæ, narrantis in suo Chronico, (quod editum est Parisiis anno 1628.) *num.* 607. D. Bernardum, Toletanum Archiepiscopum suum *scripsisse Sermones quinque super Salve Regina, qui Domino Bernardo Claravallensi Abbati falso inscribuntur &c.* At Rerum Hispanicarum scientissimus, Nicolaus Antonius, in sua Bibliotheca veteri Hispana (e) clarissime ostendit, Chronicon istud esse recens commentum, & fictitio Auctori suppositum. Firmitas Piæ Sententiæ, (ut in simili ajebat Baronius) *procul abhoret, ut instar Æsopi corniculæ, adscititia, quærat, cum pulchrior sua fulgeat simplex veritas nuditate.*

TESTIMONIUM XXVII.

B. Ogerius, sive Oglerius, Abbas Lucedii, Ord. Cisterc. in Diœcesi Vercellensi, circ. Annum MCL.

Non est in Filiis Hominum, magnus, vel parvus, tanta præditus Sanctitate, nec tantæ religionis privilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter Matrem Immaculati Agni, peccatum non facientis, sed peccata Mundi tollentis; de qua, cùm de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere quæstionem. (f)

165. Ver-

(s) *Tomo 2. Dissert. de Script. Eccles. V.* Hervæus.
(t) *In Historia Literar. ad an.* 1130. *V.* Hervæus.
(u) *Extat hæc Epist. pag.* 514. *tomi 2. Spicilegii Dacherii.*
(x) *Serm. 4. col.* 731. *volum. 2. Operum S. Bernardi edit.* Mabillon.
(y) *Lib. 1. sub finem, pag.* 13. *edit.* Venetæ *an.* 1566. *ex Recens.* Aldi Manutii.
(z) *In Libello, cui titulus:* Bernardus vindicatus, §. 10.
(a) *In Præfat. ad eos Serm. pag.* 722. *volum. 2.*
(b) *In Dissertat. Epistolicis pro Immac. Concept. B. V. epist.* 15. *pag.* 388. *Oper. Parthenicor.*
(c) *De Justa, & Injusta Confixione Libror. partic.* 1. *erotemate* 10. *pag.* 272. *col.* 2. *tomi* 11.
(d) *Tomo 2. de Scriptorib. Ecclesiast. ad an.* 1100.
(e) *To. 2. lib. 7. cap. 8. & seq. a pag.* 24.
(f) *Serm. 13. ex quindecim de Cœna Domini, seu de verbis Domini in Cœna, col.* 640. *tomi* 5. *Operum S. Bernardi edit. cit.*

165. VErba hæc, me tacente, clamant Immaculatam Deiparæ Conceptionem; & D. Augustinum, similiter clamantem inducunt. Unde merito Mabillonius in *Præf.* ad laudati Auctoris Sermones, notat: *In Sermone XIII. Luculentus est locus pro Immaculata Conceptione.*

166. Opus istud insigne Sermonum *de Cœna Domini*, olim D. Bernardo tribuebatur. Sed jam huic nostro Ogerio vindicant, præter Johannem Hostrium, & Johannem Cardinalem Bona, Theophilus Raynaudus, (*g*) Casimirus Oudinus, (*h*) & Johannes Mabillonius; id eruentes ex veteri Codice Abbatiæ Stafardæ Diœcesis Salutiensis. Annum signavi, quem ipsi assignat Oudinus, a quo non dissentit Mabillonius, dicens, eum vixisse, vel ipso tempore S. Bernardi, vel saltem aliquanto post.

167. Unde habemus, ipsa fere Bernardi ætate, non ignobiles Scriptores, Piam Sententiam clarissime tradidisse: Quibus addere possumus Robertum Capitonem, seu Grossa-Testam, Episcop. Lincolniensem, *n.* 157. laudatum.

Testimonium XXVIII.

Petrus Comestor, Ecclesiæ Trecensis Decanus, Magister Historiæ Scholasticæ nuncupatus, Anno MCLX.

Quid autem est, Gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI, (*Psal.* 86. 3.) *si nostræ infirmitati similia dicuntur, quæ magis pudenda, quam gloriosa dici potuerunt? Oportuit ergo, eam ab ipso fundamenti primordio, præ cæteris aliquod dignitatis sortiri privilegium &c. Quod si ita est, Fratres, ut Christus ab Adam solam naturam, & nullam prorsus Culpam susceperit; verisimile est, ut & Mater Christi solam Carnem, & nullam penitus Culpam a Parentibus contraxerit; præsertim cum una, & eadem Caro sit Matris, & Filii, & qualis Agnus, talis & Mater Agni &c.*

168. HÆc, & plura alia habet ad idem argumentum Petrus Comestor, in quodam Sermone *de Conceptione Virginis Mariæ*, sic incipiente: *Conceptionem B. V. Mariæ corde, & voce &c.* De quo Sermone vide quæ diximus supra. (*i*) Tritemius inter Comestoris Opera recenset, (*k*) *de Laudibus S. Mariæ* lib. I. Et in hoc, ait Molanus in Ms. *Bibliotheca Sacra*, apud Aubertum Miræum, (*l*) Comestorem opinari, „ MARIAM sine Peccato conceptam esse ex particula seminis, quæ ex Adamo „ per omnes generationes incorrupta descenderit. „

169. Pro se quoque Comestorem allegat Turrecremata, (*m*) Sermone *de Nativitate B. V.* cujus initium; *Primo tempore alleviata est Terra Zabulon.* At Sermonem istum, nullibi apparentem, commentitium esse, pluribus indiciis probat P. Alva. (*n*)

Testimonium XXIX.

Ecbertus, primùm Schonaugiæ Monachus, dein Abbas S. Florini in Episcopatu Trevirensi, Anno MCLXX.

De lignis vero Sethim condita est Arca, in qua Thuribulum, Manna, & Virga sunt recondita: quia licet Maria de Patrum Natura, per peccatum vitiatâ duceret originem, praelecta tamen per Spiritum Sanctum, & præservata ad purum, Deum nobis obtulit, & Hominem. (*o*)

170. HOc loco prætereundum non fuit tam præclarum de B. Virginis præservatione Testimonium, quamvis *Act. I. n.* 93. jam allegatum. Ejus Auctori annum assignavimus, quem assignat Oudinus. (*p*)

Testimonium XXX.

Nicolaus, Monachus S. Albani in Anglia, circ. Annum MCLXX.

Virginis ipsius Animam pertransivit gladius, non solum olim in Filii passione; sed etiam nuper, in Conceptionis suæ condemnatione.

171. NOn extat Epistola, in qua hæc verba primò posuit Nicolaus, scribens ad Petrum Cellensem. Sed eadem referuntur ab ipso Petro Cellensi, in sua responsione *ad Nicolaum Monachum S. Albani*; (*q*) & repetuntur ab ipso Nicolao in alia Epistola ad Cellensem: (*r*) ubi hunc suum loquendi modum de Virgine Beata, & Gloriosa, quem Cellensis reprehenderat, similibus Scripturarum locutionibus defendit.

172. Porro Nicolaum in ea prima Epistola ex instituto defendisse Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, plane deprehenditur, cum ex verbis relatis, tum ex duabus sequentibus Epistolis. Scribit Cellensis ad Nicolaum: *Totum, te expendis in laude Virginis, & ego quid? Impen-*

(g) *Loco cit. n.* 202. *pag.* 275. *& n.* 232. *pag.* 291.
(h) *Loco cit. ad eundem* an. *col.* 1416.
(i) *Act.* 1. *sub n.* 115. *in citat. lit.* x.
(k) *De Scriptor. Eccles. n.* 50. *pag.* 275. *& seq. Par.* 1. *Oper. Historic.*
(l) *In Scholiis ad librum* Henrici Gandavensis, *de Scriptor. Ecclesiast. cap.* 32. *pag.* 169. *Bibliotheca Ecclesiasticæ septem Veterum.*
(m) *Parte* 6. *cap.* 26. *fol.* 117.
(n) *In Sole Veritat. n.* 242. *pag.* 667.
(o) *Serm. de B. Maria Virg. n.* 11. *pag.* 695. *tom.* 5. *Oper. S. Bernardi.*
(p) *Tomo* 2. *col.* 1548.
(q) *Lib.* 6. *Epistolar. epist.* 23. *pag.* 879. *col.* 2. *tomi* 23. *Biblioth. M. PP.*
(r) *Lib.* 9. *Epistolar.* Petri Cellensis, *epist.* 9. *pag.* 902. *col.* 2. *ibid. & vide pag.* 903. *col.* 1.

Impendo plane, & expendo, & superimpendo: Tu contendis honorare Conceptionem, & ego Prædestinationem &c. Ad Cellensem vero Nicolaus: *Quid senseram de privilegio singularis integritatis in Virginum Virgine, scripseram, & metam ibi fixeram.* Cumque Bernardum putaret Nicolaus hac in parte sibi contrarium, *Sic*, inquit, *veneror B. Confessorem Bernardum, ut laudem, & amem ejus Sanctitatem, qui nec amem, nec laudem ejus præsumptionem in Matris Domini Conceptionem.*

173. Refert præterea Nicolaus, tanquam rem ab ipsis Cistercienfibus acceptam, S. Bernardum cuidam Fratri Converso in Clarævallensi Monasterio apparuisse, niveis indutum vestibus, sed furvâ maculâ in pectore notatum; & de ea interrogatum respondisse: *Quia de Dominæ nostræ Conceptione scripsi non scribenda, signum purgationis meæ, maculam in pectore porto.* Quod idcirco factum censet Nicolaus, *Ut totius Cisterciensis Capituli discretio deprehenderet, eum velle suum errorem damnari, & Virgineæ Conceptionis gloriam prædicari.*

174. Hanc sane visionem, in Anglia falso jactatam esse, & a Nicolao nimia credulitate receptam, facile mihi persuadeo. Ast, quod aliqui dicunt, in odium S. Bernardi fuisse ab ipso Nicolao confictam, probare non possum. Falsum quippe est, quod ii cum Bivario censent, (*s*) Nicolaum hunc nostrum, illum eundem esse Nicolaum Clarævallensem, D. Bernardi prius Scribam, & familiarem, deinde proditorem, ac desertorem; de quo ipse queritur Epist. 284. & 298. ad Eugenium.

175. Multa sunt, quæ unum Nicolaum ab altero aperte discriminant, ut observat Joh. Mabillon. (*t*) Nicolaus noster Anglus erat, & Benedictæ Professionis Monachus in celebri Monasterio S. Albani, Angliæ Protomartyris; nec erat Petro Cellensi notus, nisi per Epistolas, ut ex utriusque Epistolis liquet. Alter Nicolaus, Gallus erat, & in Monasterio Clarævallensi, Cisterciensis Professionis olim Monachus, ac Petro Cellensi, perinde ac D. Bernardo, familiaris; nec post defectionem suam, in Angliam abiit, sed in Italiam profugit, & vagus vixisse perhibetur, ut tradit Oudinus. (*u*) Præterea mirum est, quod Cellensis in tot suis ad Nicolaum Epistolis, ejus proditionis, ac defectionis mentionem nullam fecerit, qua illum suspectum redderet in iis, quæ in D. Bernardum scribebat. Demum in ipsismet Cellensis Epistolis hi duo Nicolai discernuntur: Quædam enim, *Nicolao Monacho S. Albani*; aliæ, *Alii Nicolao*, inscribuntur, ut observat in notis Sirmondus.

176. Planissime Nicolaus hic noster idem esse videtur cum *Nicolao a S. Albano, Anglo, Monacho S. Benedicti*, quem P. Possevinus memorat (*x*) *scripsisse de Conceptione Beatissimæ Virginis libros duos*; & de quo Johannes Pitseus ad annum 1140. hæc refert: (*y*) „ Ad probandam Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, nonnunquam disceptationes habuit, „ & efficaces rationes, validaque argumenta ad „ hanc Sententiam corroborandam indagavit: „ super qua re tandem scripsit, & Hugoni ad „ S. Remigium Abbati dicavit *de Conceptione* „ *B. Mariæ Virginis* libros duos, sic incipientes: *Sæpe numero dulcissimæ Fraternitati.* „

TESTIMONIUM XXXI.

Petrus, primo Abbas Cellensis, dein S. Remigii, & postea Episcopus Carnotensis, circ. Annum MCLXX.

Credo, dico, assero, & juro, Beatissimam Virginem nostram, in æterna Prædestinatione, singulari privilegio munitam, nec a sua Conceptione in aliquo violatam; sed semper mansisse, & permansisse Illibatam. (z)

177. Illud, *A sua Conceptione*, idem hoc loco valet, ac, *In sua, & post suam Conceptionem.* Quemadmodum aliquem dicimus, Cæcum a nativitate; & David (*a*) ait: *A Solis ortu usque ad occasum laudabile Nomen Domini.* His porro verbis ad laudatum Nicolaum scriptis, significare voluit Petrus, se cum illo non contendere de Sanctitate, & Innocentia Marianæ Conceptionis; sed tantum de hujus Festi celebratione, a qua abstinendum esse putabat, quia nondum erat tale Festum a Sancta Sede Apostolica institutum; ut ex aliis ejusdem Petri verbis clarius ostendimus *Actione III. n.* 90. & *seqq.*

Alia etiam fuit inter Petrum, & Nicolaum controversia de Fomite Concupiscentiæ, an aliquando fuerit in B. Virgine; qua de re actum est in Apparatu *n.* 99.

SÆCULUM CHRISTI XIII.

TESTIMONIUM XXXII.

B. Petrus Paschasius, Ord. B. Mariæ a Mercede Redempt. Captivor. Episcopus Giennensis, & Martyr. Anno MCCLXX.

I. SENTENTIA.

Oportet igitur intelligere, & credere..... quod hæc præfata Virgo est ea, de qua Proverbia Salo-

(s) *In S. Bernardo vindicato, lib.* 1. §. 3. *a pag.* 25.
(t) *In Præfat. ad Tomum* 3. *Operum S. Bernardi, num.* 36. 46. & 49.
(u) *Tomo* 2. *de Scriptor. Ecclesiast. ad an.* 1150. *col.* 1439. & *seq.*
(x) *Tomo* 2. *Apparat. pag.* 478. & *pag.* 501.
(y) *Tomo* 1. *de Rebus Anglicis &c. par.* 2. *in Catalogo Scriptor. ad an.* 1140. *pag.* 208. *edit.* Parisiens. an. 1619.
(z) *Lib.* 9. *Epistolar. epist.* 10. *ad* Nicolaum Monach. S. Albani *pag.* 904. *col.* 2. *tomi* 23. *Bibl. M. PP.*
(a) *Psal.* 112. *verf.* 3.

Salomonis loquuntur, *quod* ante omnem Creaturam *fuit electa*, *ut Mater DEI esset. Ergo prædicta Virgo fuit omni tempore in Gratia Dei. Unde cùm venit plenitudo temporis*, *hanc Conceptionem Deus per Angelum Gabrielem revelare constituit*, *& hoc per Gratiam specialem*; *& voluit reservare (forte* præservare*) ab Originali*, *quod mortale erat*, *& ab omni alia deturpationis injuria*, *& hoc per specialem Gratiam operatus est Deus*, *tanquam qui ab Ea Carnem assumpturus erat*, *qui decorus &* Speciosus forma præ Filiis Hominum, *futurus erat.*

ALTERA SENTENTIA.

Si ergo V. Maria labem Originalis Maculæ, (cujus gravitatem prius expenderat) *attraxit*, *dicendum esset*, *quod aliquo tempore fuit in ira DEI: quod nec dici*, *nec credi debet*; *sed potius*, *quod ante Conceptionem ejus*, *& postea in Gratia sui existeret*, *& amore.* (hoc est semper a DEO dilecta, & apud ipsum Gratiosa) *Et hoc fecit Deus*, *& potuit facere per specialem Gratiam: sicuti fecit in tribus Pueris*, *qui in fornacem ignis missi sunt comburendi..... & evaserunt ab igne*, *quin illis inhæreret corporis deturpatio. Quanto ergo magis Virgo Maria*, *per Deum electa*, *quæ conceptura*, *& paritura erat Filium ejus*, *ab omni Macula tam Originali*, *quam Mortali*, *& Veniali præservata? Propter hoc itaque ait Scriptura:* Sicut Lilium inter spinas &c. *Et alia Scriptura dicit:* Tota pulchra es &c. *(b)*

178. Nihil est hoc Testimonio illustrius, seu sententias perpendas, & argumenta; seu Auctorem ipsum spectes, doctrina non minus, quam sanctitate clarissimum, & Sanctor. Thomæ, ac D. Bonaventuræ fere æqualem. Qui opus istud, *de Mysteriis*, *& Sanctitate B. M. V.* postquam, per triginta annos, Theologiæ, aliarumque Scientiarum fuisset magisterio perfunctus, dum Granatæ a Mauris Captivus detineretur, fere septuagenarius conscripsit, ut ipse præfatur. Hoc opus fuit primo excusum Barchinone anno 1492. dein verò unà cum aliis ejusdem B. Petri operibus editum est Matriti anno 1676. cum approbatione Sacræ Rituum Congregationis, & Clementi Papæ X. nuncupatum. Cujus editionis exemplar in hoc Regno Siciliæ forte unicum, commodatum accepi per aliquot dies a R P. Provinciali Fratrum Discalceator. Ord. de Mercede.

179. P. Franciscus de Salinas, Soc. Jesu Theologus, in sua ad hanc operum B. Paschasii editionem censura, & approbatione, prima illa verba: *Oportet intelligere*, *& credere*, referens ad subsequentem doctrinam de Immaculata B. Virginis Conceptione, multus est in exponenda voce illa, *Credere*, ne dicatur B. Paschasius proposuisse eam doctrinam, tanquam de fide necessariò credendam. Eruditam expositionem laudo, sed supervacaneam censeo. Illud enim, *Oportet credere*, refertur dumtaxat ad hoc, quod *B. Virgo ante omnem creaturam fuit electa*, *ut Mater Dei esset.* Hinc vero infertur: *Ergo prædicta Virgo fuit omni tempore in gratia Dei &c.*

180. In vita ipsius B. Paschasii, suis operibus præfixa, narratur, quod cum Parisiis ageret, ob legationem Nicolai Papæ IV. circa annum 1290. Illibatam DEI Genitricis Conceptionem e suggestu ad populum, frequens peroravit, cælesti B. Virginis Visione idcirco muneratus. Dicitur quoque in ejus Officio Ecclesiastico: (c) *Mariam semper Virginem in instanti Conceptionis*, *scriptis*, *& ore Immaculatam*, *defendere Primus haud dubitavit.* Primus scilicet, vel quoad publicas illas Conciones, vel in Ordine suo, in quo nemo unquam repertus est, qui hanc B. Petri doctrinam non sit secutus; ut late ostendit R. P. Fr. Damianus Estevan. *(d)*

Ad hoc Sæculum spectabant, duo Ecclesiæ Sanctæ Doctores, D. Thomas, & D. Bonaventura. Sed cum Theologorum Scholasticorum nomine insignes sint, ad propriam istorum classem eorum Testimonia remittimus.

SÆCULUM CHRISTI XIV.

TESTIMONIUM XXXIII.

Venerab. Engelbertus, Abbas Admontensis Monasterii in Germania, Ord. S. Benedicti, Anno MCCCXXX.

Cum igitur ista tria, *scilicet Generatio per Naturam*, *& Vivificatio per Animam*, *& Sanctificatio per Gratiam*, *habeant se ad invicem ordine consequenti*, *secundùm prius*, *ac posterius*; *Conceptionem vero B. Virginis non festivet Ecclesia*, *nisi ratione Sanctificationis ipsius Virginis per Gratiam*; *consequens est*, *quod Ecclesia non festivet Conceptionem Seminalem Materiæ: quia tunc Fœtus nondum est in utero Vivificatus*, *& per consequens nec Sanctificatus. Sed illa Conceptio*, *quam festivat Ecclesia erit potius Conceptio Animæ*, *& Gratiæ. Quia Sanctificatio non fit*, *nisi per infusionem Gratiæ*, *quæ præexigit infusionem Animæ: ita*, *quod infusio Gratiæ simul tempore fiat cum infusione Animæ*; *licet infusio Gratiæ*, *naturali consequentia*, *sit posterior infusione Animæ.* (e)

181. Hunc Auctorem anno designato collocavi: quia licet Possevimus (*f*) floruisse dicat

(b) *In Opusculo de Mysteriis*, *& Sanctitate B. M. V. contra Judæos*, *prænotato*, Biblia parva. *Titulo* 23. *de Matris Dei Virginitate n.*71.*pag.*361. *edit.* Matritensf. an.1676. *ex Typographia* Bernardi a Villa-Diego, Cruciatæ, & Divini Officii Typographi.

(c) *Quod ex concessione* Benedicti XIII. *recitatur ab Ordine S. Mariæ de Mercede*, *lect.* 6.

(d) *In Opere*, *cujus Tit.* Symbolum Conceptionis Mariæ &c. *impresso* Matriti, an.1728. *lib.* 4. *Tit.* 7. §. 7.

(e) *In Tract. de Gratiis*, *& Virtutibus B. M. V. par.*4. *cap.*3. *a col.*703. *tomi* 1. *Thesauri Anecdotorum.*

(f) *Tomo* 1. *Apparatus pag.* 437.

dicat an. circit. 1340. Pezius tamen, ejus editor, (g) obiisse ait anno 1331. Quæ retulimus, dicta sunt ab Engelberto pro responsione ad has quæstiones: „ Utrum Conceptio ipsius Virginis dici possit Sancta, sive sanctificata? Et utrum sit ab Ecclesia publice celebranda, & in die illa, in qua consueta est celebrari, hoc est, sexto Idus Decembris? „ In hac autem responsione clarissime docet, infusionem Gratiæ in B. Virgine fuisse simul tempore cum infusione Animæ; ac proinde Conceptum Marianum in eodem instanti reali, quo primùm animatus est, fuisse sanctificatum: cujusmodi certe sanctificatio est præservatio ab Originali Peccato. Solum vult Engelbertus, infusionem Gratiæ, naturali consequentia, hoc est naturâ, fuisse posteriorem infusione Animæ: sicuti quævis qualitas, etiam innata, est naturâ posterior rei substantiâ.

182. Eandem doctrinam inferius (h) inculcat Engelbertus his verbis: „ Sciendum, quod secundùm communem sententiam Sanctorum, & Doctorum, B. Virgo successive tribus gradibus Sanctificationis, usque ad summum purificata, & mundata, & sanctificata fuerit. Primò in utero, quæ Sanctificatio per Gratiam simul facta fuit tempore cum infusione Animæ, & vivificatione Conceptus; & hæc abstulit Originalem Culpam, & Maculam, per infusam Gratiam &c. „ Ecce iterum Engelbertus, B. Virginis *Sanctificationem in utero per Gratiam, factam fuisse*, ait, *simul tempore cum infusione Animæ*. Quid porro est *simul tempore*, nisi in uno, eodemque instanti reali temporis? Illa autem verba: *secundùm communem sententiam Sanctorum, & Doctorum:* potuit Engelbertus referre ad trinam B. Virginis Sanctificationem; & potuit etiam referre ad hunc primæ Sanctificationis modum. Scribebat enim post Scotum, a quo tempore Pia Sententia cœpit esse communis, ut vidimus *Act. III.* a *n.* 382.

183. Non discernens Valdesius (i) Naturæ *Posterioritatem* a *Posterioritate* temporis; (V. Act. II. num. 163.) Engelbertum in Contraria potius Sententia fuisse, contendit, & sic arguit: „ Engelberti verba sunt: *Sanctificatio non fuit, nisi per infusionem Gratiæ, quæ præexigit infusionem Animæ. Infusio Gratiæ Naturali consequentia est posterior infusione Animæ.* Ergo Engelbertus infusam prius Animam credit, ac propterea Originali Macula consperşam, deinde sanctificatam. „ Sed hujus suæ argumentationis fallaciam videat ipse in hac alia simillima: *Lux, quæ Solis qualitas est, præexigit Solem, & naturali consequentia est posterior ipso Sole*; (ut enim idem Engelbertus a Valdesio laudatus generatim ait: *Subjectum oportet accidenti præexistere tempore, vel natura, vel utroque.) Ergo prius fuit Sol, quàm lux, ac propterea prius tenebris involutus, deinde lucidus effectus.* Quid tibi videtur de hac consecutione?

184. Ipse etiam Editor hujus Tractatus, (k) bona fide credens, Engelbertum, contrariam secutum fuisse Sententiam, Lectorem monet: *Quod si Engelbertus nunc vivens, adeo vulgatam, constantemque Doctorum de Immaculata Dei Parentis Conceptione consensionem videret, in eorum sine dubio sententiam, vir honoribus Beatissimæ Virginis tantopere deditus, manibus, ut ajunt, pedibusque concederet.* Ad id credendum, fortasse permotus est illis verbis, *Purificata, Mundata, Sanctificata:* et: *Abstulit Originalem Culpam.* Sed jam ostendimus *Act. II.* a *num.* 155. hæc, & similia verba, in re præsenti ab Antiquis usurpata, intelligi commode posse, immo & debere de Purificatione, Mundatione &c. quæ præveniat, non quæ supponat maculam. Quod potiori jure sentiendum est de Engelberto, cujus mens clarissime patet ex his verbis intermediis: *Quæ Sanctificatio per Gratiam, simul facta fuit tempore cum infusione Animæ &c.* Si ergo nunc viveret Engelbertus, non Sententiam, sed verba mutaret, quæ videret ab Adversariis in alienum sensum detorqueri; & pro illis vocibus, *Purificata, seu Mundata, & Abstulit*, subrogaret, *præservata, & impedivit.*

185. Medio hoc Sæculo claruit B. Petrus Thomæ, Ord. Carmel. Episcopus Pacensis in Hispania, & dein Latinus Patriarcha CP. quem fuisse unum ex præcipuis Immaculatæ Conceptionis Assertoribus, librumque composuisse de hoc argumento, plurimi, & graves Scriptores indubitanter tradunt: Bernardinus a Busto, (l) Antonius Possevinus, (m) Johannes Baptista Lezana, (n) Marcus Antonius Allegre de Casanate, (o) Joseph Maria Fornari, (p) Johannes Baptista Ricciolius, (q) Johannes Bollandus. (r) At cum hujus Sancti Scriptoris Opera lucem nondum aspexerint, nullum ex ipso Testimonium proferre valemus.

Testi-

(g) *In Dissertatione Isagogica ad eum Tomum I. pag.* LXII.
(h) *Ibid. cap. 6. col.* 708.
(i) *Epist.* 17. *pag.* 226.
(k) *In eadem Dissert. Isagogica cit. pag.* LXIII. *n.* 6.
(l) *Serm. 4. de Concept. B. V. par. 3. fol. 16. col.* 1.
(m) *Tomo 3. Apparatus pag.* 76.
(n) *Tomo 4. Annalium Carmelitar. ad an.* 1332, *pag.* 558.
(o) *In Paradiso Carmelitarum ad an.* 1366.
(p) *In Anno Memorabil. Carmelit. ad diem 29. Januarii pag.* 210.
(q) *Tomo 3. Chronologiæ, in 2. Indice Personar. Insign. post Christum pag.* 272.
(r) *In Actis Sanctor. Januarii, tom. 2. ad diem 29. Tract. prævio* §. 4. *n.* 33.

Testimonium XXXIV.

S. Brigitta, (*vulgò Brigida*) Vidua, Nericiæ olim Princeps in Regno Sueciæ, Anno circiter MCCCLXIII.

I. Revelatio.

Ego sum Regina Cœli &c. Ego volo tibi dicere, quàm dulciter ipse Filius meus dilexit Corpus, & quàm dulciter Animam meam &c. Facto autem Corpore meo, DEUS a Divinitate sua Animam creatam, immisit Corpori, & mox Anima cum Corpore sanctificata est, quam Angeli custodiebant, & servabant die, ac nocte. Cum autem Anima sanctificaretur, & Corpori conjungeretur, tanta Matri meæ advenit lætitia, ut impossibile esset dictu. (s)

II. Revelatio.

Pater loquitur: *Vas illud, de quo dixi tibi, Maria, Filia Joachim, Mater Humanitatis Christi, fuit. Ipsa enim fuit Vas clausum, & non clausum: Clausum Diabolo, & non Deo &c. Fuit Vas mundum, & non mundum: Mundum vero fuit, quia tota pulchra, & tanta immunditia non inveniebatur in ea, ubi cuspis acus infigeretur. Sed non mundum fuit, quia de radice Adæ processit, & de Peccatoribus nata est; licet sine Peccato concepta, ut Filius meus de Ea sine Peccato nasceretur.* (t)

III. Revelatio.

Mater Dei loquitur: *Sicuti volenti jejunare &c. Per similem modum fuit conjunctio Parentum meorum, quando Ego concepta fui. Et Veritas est, quod Ego concepta fui sine Peccato Originali, & non in Peccato: quia sicut Filius meus, & Ego nunquam peccavimus; ita nullum conjugium fuit, quod honestius esset, quam illud, de quo Ego processi &c.* (u)

IV. Revelatio.

Mater Dei loquitur: *Quando Pater meus, & Mater &c. Bene ergo aurea hora fuit Conceptio mea &c. Sed scito, quod Conceptio mea non omnibus nota fuit. Quia voluit Deus, quod sicut ante Legem scriptam, præcessit Lex Naturæ, & electio voluntaria Boni, & Mali; & postea veniret Lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus: sic placuit Deo, quod Amici sui pie dubitarent de Conceptione mea, (scilicet Immaculata) & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas elucesceret in tempore præordinato.* (x)

186. Descriptæ Revelationes, clarissimæ sunt Piæ Sententiæ Attestationes. Nec movere debet adverbium illud, *Mox*, quod est in prima Revelatione. Ibi enim idem significat, ac in eodem instanti, ut verba sequentia declarant: *Cum autem Anima sanctificaretur, & Corpori conjungeretur.*

187. Secunda Revelatio, expositio est quinque Ænigmatum Revelationis XIII. Hæc porro Ænigmata, tanquam divinitus proposita, tacito S. Brigittæ nomine, a Maria Regina Castellæ, Alphonso Tostato, Episcopo Abulensi, remissa sunt, ut ea dissolveret, & explanaret: quod ipse præstitit, librum scribendo, cujus titulus, *Paradoxa quinque.* Est autem admiratione dignum, quod Tostatus, Ænigma illud: *Fuit Vas mundum, & non mundum:* de B. Virgine, & eodem fere modo exposuit. (y) Ut infra videbimus, cùm Tostatum inter Theologos allegabimus.

188. Ut tertiæ Revelationis clarior appareat sensus, adverte, per illud additum, *& non in Peccato*, non denotari Originale Peccatum, quippe quod prioribus verbis jam erat exclusum a passiva B. Virginis Conceptione: sed Peccatum Actuale, quod obrepere interdum solet in activa Generatione Parentum. Hoc enim est, quod a Parentibus B. Virginis excludit ratio adjuncta: *Quia sicut Filius meus &c.*

Ponderatio Revelationum S. Brigittæ.

189. Plura sunt, quæ istarum Revelationum Auctoritatem, speciatim, & generatim commendant. I. Expressam DEI Revelationem, non merum Instinctum præ se ferunt, ut patet ex ipsarum initiis: *Ego sum Regina Cœli &c. Pater loquitur: Mater DEI loquitur.* Quid autem intersit inter Instinctum, & expressam Revelationem, ab Angelico Doctore discamus. (z) „ Mens, *inquit*, Prophetæ dupliciter instruitur: uno modo per expressam Revelationem: alio modo per quendam Instinctum; quem interdum, etiam nescientes, humanæ mentes patiuntur &c. De his ergo, quæ expresse, per Spiritum Prophetiæ, Propheta cognoscit, maximam certitudinem habet; & pro certo habet, quod hæc sunt divinitus sibi revelata &c. Sed ad ea, quæ cognoscit per Instinctum, aliquando sic se habet, ut non plane discernere possit, utrum hæc cogitaverit aliquo Divino Instinctu, vel

per

(s) *Lib. 1. Revelation. cap. 9. pag. 14. edit.* Romanæ an. 1606. *castigatæ, & Notis illustratæ a* Consalvo Duranto. *Et fol.* XII. *col. 4. antiquioris edit.* Nurmbergensis, anni 1517. *curatæ ab ipsis Patribus primi Monasterii Ss. Mariæ, & Brigittæ; quæ editio authentica esse perhibetur.*

(t) *In Expositione Revelationis 13. in fine libri 5. pag. 472. & fol.* CI.

(u) *Lib. 6. cap. 49. pag. 547. col. 1. & fol.* CXV. *col. 4.*

(x) *Eod. lib. 6. cap. 55. pag. 559. col. 1. & fol.* CXVIII. *col. 2.*

(y) *Paradoxo 1. cap. 21. fol. 5. col. 1. & cap. 102. fol. 21. col. 1.*

(z) *Secunda secundæ Partis quæstion. 171. artic. 5. in Corp.*

„ per spiritum proprium. Non autem omnia, „ quæ cognoscimus Divino Instinctu, sub „ certitudine Prophetica nobis manifestantur „ &c. „

190. II. Non semel, nec uno tempore sunt prolatæ; sed pluries, & diversis temporibus repetitæ, eandem veritatem aliis, atque aliis verbis confirmant. Quod non contingeret, nisi a Divino Spiritu essent profectæ; juxta ea, quæ sapienter observat Magnus Gregorius: (a) *Aliquando*, inquit, *Prophetæ Sancti*, *dum consuluntur*, *ex magno usu prophetandi*, *quædam ex suo spiritu proferunt*, *& se ex Prophetiæ spiritu dicere suspicantur. Sed quia Sancti sunt*, *per Spiritum Sanctum citius correcti*, *ab eo*, *quæ vera sunt*, *audiunt*, *& semetipsos*, *quia falsa dixerint*, *reprehendunt.* Cujus rei exemplum adducit in Natan Propheta *lib.* 2. *Reg. cap.* 7. *ver.* 3. *& seqq.*

191. III. Revelationes omnes S. Brigittæ, (inter quas superius allegatæ certo continentur) sub tribus Summis Pontificibus, Gregorio XI. Urbano VI. & Bonifacio IX. in duobus Generalibus Conciliis, Constantiensi, & Basileensi, a pluribus Cardinalibus, Episcopis, aliisque Pietate, & Doctrina conspicuis Viris, diu, multumque discussæ sunt, subindeque laudatæ, & approbatæ. Quorum approbationem tandem confirmavit Bonifacius IX. in Bulla Canonizationis S. Brigittæ, (b) his verbis: *Hæc generosa Vidua per Gratiam Sancti Spiritus promeruit*, *Multis*, *eorum cogitationes*, *& affectiones intimas*, *& gesta secretissima*, *propalare*; *& Visiones*, *ac Revelationes varias videre*, *& audire*, *ac Spiritu Prophetico multa prædicere*, *quorum nonnulla effectu completa fuere*, *prout hæc*, *& alia in ejus Revelationum Volumine plenissime describuntur.*

192. IV. Ipsemet Johannes de Turrecremata, (qui fuit unus e destinatis a Concilio Basileensi ad examen Revelationum S. Brigittæ) eas omnes, & singulas non solum approbavit, verum etiam doctissimo *Defensorio* (c) communivit. In cujus Defensorii Prologo, recitatis illis verbis, quæ Ozias Princeps Sacerdotum, & Presbyteri Judithæ dixerunt: (d) *Omnia*, *quæ locuta es*, *vera sunt*; *& non est in Sermonibus tuis ulla reprehensio &c.* statim subdit: „ Hæc verba possunt convenientissime, secundum allegoricam intelligentiam, adaptári Gloriosæ, „ ac Famosissimæ Nobili Viduæ S. Brigittæ de „ Regno Sueciæ, ex patre Principis Ecclesiæ, „ videlicet, Summi Pontificis, & Dominorum Prælatorum, ac aliorum Virorum, „ Scientia, & Auctoritate insignium. Qui articulos ejus examinantes, & omnibus pio „ studio decursis, & intellectis, nihil, quod „ Sacræ Scripturæ adversum, aut bonis moribus sit, invenientes, Testimonium dantes „ veritati, dicere intelligantur verba proposita, „ scilicet: *omnia*, *quæ locuta es*, *vera sunt* „ *&c.* „ Tum ex iisdem Scripturæ verbis quinque signa, sive argumenta eruit: *Per quæ*, inquit, *arguitur*, *& ostenditur verisimiliter*, *quod Revelationes librorum B. Brigittæ a Spiritu Divino emanaverunt*, *& processerunt.*

193. Atque hinc colligere mihi videor, Johannem de Turrecremata, post discussas, & approbatas S. Brigittæ Revelationes, conscriptumque earum Defensorium; sententiam, quam adversus Immaculatam Deiparæ Conceptionem, in suo Tractatu *de Veritate Conceptionis B. Virginis*, latissime propugnaverat; tandem retractasse. Quia, cum non sit verisimile, quod ipse non legerit, vel non intellexerit, quas pro Pia Sententia Revelationes adduximus; de iis quoque locutus videtur, cùm de omnibus omnino S. Brigittæ Revelationibus pronuntiavit, quod *vera sunt*, *& a Spiritu Divino emanaverunt*, *& processerunt.*

194. Sed quid ad infirmandam talem, tantamque S. Brigittæ Revelationum Auctoritatem, Cajetanus opponit? (e) *Sancta Brigitta*, inquit, *canonizata est tempore schismatis*, *quo nullus habebatur certus*, *& indubitatus Papa*, *a Bonifacio in sua obedientia IX.*

195. Valde miratus sum, hæc scribi a Sapientissimo Viro. Bonifacius IX. etsi tempore Schismatis sedit, agnitus semper est ab Ecclesia tanquam Legitimus Papa, omnesque ejus Constitutiones tanquam veri, & indubitati Pontificis, sunt receptæ. Unde ea ipsa Bulla Canonizationis S. Brigittæ, a Bonifacio IX. edita, laudatur in Lectionibus Breviarii Romani, pro Festo ejusdem Sanctæ, ad diem VIII. Octobris. Præterea Martinus V. [qui post Schisma, in Œcumenico Constantiensi Concilio electus est Pontifex] anno 1418. sui Pontificatus II. Bullam edidit, qua *ad Puriorem*, ut ait, *conscientiarum serenitatem*, illam Decessoris sui Bonifacii Bullam plenissime approbavit, & confirmavit. Utramque Bullam profert (f) Turrecremata, ut & ex hoc titulo, quod S. Brigitta *approbatæ Sanctitatis est in Ecclesia DEI*, Revelationes ipsi factas, Divinas esse concludat.

TESTIMO-

(a) *Lib.* 1. *in* Ezechielem, *hom.* 1. *n.* 16. *col.* 1180. *tomi* 1. *edit. Benedict.*

(b) §. 39. *hujus Bullæ*, *quæ edita est die* 7. *Septembris* an. 1391. *est V. in Ord. & extat pag.* 226. *tomi* 1. *Bullarii* Cherubini.

(c) *Hoc Defensorium*, *idem* Turrecremata, *jam* S. R. E. Cardinalis, *rogatus a Patribus*, *& Fratribus Ordinis S. Salvatoris in Regno Sueciæ*, anno 1446. *in authentica forma promulgavit*; *ut apparet initio Romanæ editionis.*

(d) Judith. *cap.* 8. *ver.* 28. *& seq.*

(e) *Tomo* 2. *Opusculor. Tract.* 1. *de Conceptione B. Virginis cap.* 5. *pag.* 140. *col.* 2.

(f) *Cap.* 5. *dicti Defensorii.*

Testimonium XXXV.

Idiota, sive Raymundus Jordanus, Canonicus Regularis, Anno MCCCLXXXI.

Tota pulchra es in tua Conceptione, ad hoc solum effecta, ut Templum esses DEI Altissimi &c. Tuæ gloriosæ Animæ nihil unquam adfuit turpitudinis, vitii, aut peccati, & nihil defuit Spiritualis Gratiæ, & Virtutis. (g) Et infra: *Tota pulchra es Virgo Gloriosissima, non in parte, sed in toto: & macula Peccati, sive Mortalis, sive Venialis, sive Originalis non est in Te, nec unquam fuit, nec erit: sed adest tibi omnis Gratia naturalium Bonorum, spiritualium Charismatum, & Cœlestium Donorum.* (h)

196. Utraque Sententia sua se luce illustrat. Sed reddenda est ratio, cur istum Auctorem, hoc tempore, & hoc loco adducamus. Possevinus quidem censuit, (i) Idiotam floruisse post octingentesimum Domini annum. Similiter Bellarminus, eundem Auctorem circa annum 902. scripsisse putavit, aitque ejus Opera extare in Bibliotheca SS. PP. Tomo V. editionis secundæ. At P. Theophilus Raynaudus, qui primus hujus Auctoris proprium nomen, & cognomen detexit, deprehendit quoque tempus, quo scripsit, quod & nos designavimus. (k)

197. Locum nihilo minus huic Auctori dedimus in præsenti Actione: quia etsi nec Sancti titulo decoretur, nec jam inter duodecim priorum Sæculorum Patres censeatur; non erat tamen Vir piissimus, & tam clarus Piæ Sententiæ Assertor, ab antiqua sua possessione deturbandus, qua ante Raynaudum fruebatur, ut sub Idiotæ nomine, tanquam unus ex Patribus haberetur ab omnibus, & citaretur; ita ut ejus Opera Margarinus Bignæus in sua Bibliotheca VV. PP. reposuerit, sub hac inscriptione: *Viri Sancti, Contemplationum libri quinque.*

SÆCULUM CHRISTI XV.

Testimonium XXXVI.

S. Vincentius Ferrerius, Valentinus, Ord. Prædic. Vir Apostolicus, & sui ævi Thaumaturgus. An. CCCCIX.

Quinta Conceptio [B. Virginis] *est Maternalis, quando Beata Anna in utero suo sancto ipsam concepit: & de ista fit hodie solemnitas. De nullo Sancto fit Festum Conceptionis, nisi Christi, & Virginis Mariæ. De Virgine autem fit triplici ratione: 1. Quia fuit impetrata digne: 2. Quia fuit sanctificata alte: 3. Quia fuit conservata firme.* Cur autem fuerit sanctificata alte, infra sic exponit. *Quia, non quando debuit nasci, nec in ultimo die, nec hebdomada, nec mense, sed in eodem die, & hora, formato Corpore, & Animâ creatâ, quia tunc fuit Rationalis, & Capax Sanctificationis, fuit sanctificata.* [Et aliquibus interjectis] *Quando enim Corpus Gloriosæ Virginis fuit organizatum, & lineatum, & Anima conjuncta Corpori per creationem, TUNC Altissimus sanctificavit Tabernaculum suum.* (l)

198. Tria in his verbis sunt observanda. Primò S. Vincentius plusquam ducentis annis ante Decretum Gregorii XV. non *Sanctificationem*, sed ipsam B. Virginis *Naturalem Conceptionem* pro objecto Festi Conceptionis, ab Ecclesia celebrati, designavit. *De ista*, inquit, *fit hodie Solemnitas.* 2. Festum Conceptionis Mariæ æquiparat Festo Conceptionis Christi; & de illa ait celebrari Festum, *quia fuit sanctificata alte.* 3. Exponens quid sit, *fuisse sanctificatam alte*, docet, nil aliud expectatum fuisse ad Sanctificationem Virginis, nisi quod Ipsa fuerit rationalis, & capax Sanctificationis; quam quidem capacitatem B. Virgo habuit in ipso primo instanti Creationis, & Infusionis Animæ. Et ad hoc clarius explicandum, subjungit: *Quando Corpus Gloriosæ Virginis fuit organizatum, & Anima conjuncta Corpori, TUNC*, hoc est eodem temporis momento, *sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus.*

199. Quod si tanquam proprium S. Vincentii, de Conceptione B. Virginis sermonem, accipere velis, quem S. Antoninus Florentinus describit; (m) in illo etiam eandem doctrinam reperies. Distinguuntur ibi sub finem tres Sanctificationes ante Nativitatem: una, *Cum Puer egreditur ex Utero Matris:* altera, *cum Proles est adhuc in Utero tota:* tertia, *quæ dicitur esse in puncto, quasi post Creationem, & Infusionem Animæ.* Prima tribuitur Hieremiæ, secunda Johanni, tertia B. Virgini. Illud autem, *in puncto*, nil aliud denotare potest, nisi punctum Creationis, & Infusionis Animæ: quod vero additur, *quasi post Creationem, & Infusionem Animæ*, clare designat *Posterioritatem Naturæ*, quæ non proprie, sed *quasi* Posterioritas est.

Duo alia S. Vincentii Ferrerii, non minus illustria, pro Immaculata B. Virginis Conceptione Testimonia ponderavimus *Actione I. num.* 27. *& num.* 106.

(g) *In Contemplationib. de V. Maria; cap. 2. nu. 1. pag. 536 edit. suor. Operum* Lugdun. an. 1632. *curatæ, & illustratæ* a P. Raynaudo.

(h) *Ibid. num. 4. pag. 538.*

(i) *Tomo 2. Apparatus pag 91.*

(k) *V. ejus Præfationem ad librum* Idiotæ *inscriptum*, Oculus mysticus, *editum* Lugduni an. 1641.

(l) *Sermone de Conceptione B. Mariæ, pag. 19. & seq. 3. Par. suorum Sermonum de Sanctis, edit.* Lugdun. an. 1558. *& fol. 7. col. 2. alter. edit.* Lugdun. an. 1539. *& fol. 6. col. 2. edition.* Venetæ an. 1496.

(m) *Tomo 1. Summæ, Tit. 8. cap. 3. fol. 98. col. 3. edit.* Lugdun. an. 1530.

Testimonium XXXVII.

S. Bernardinus Senensis, Ord. Seraphici, JESU Nominis prædicatione Insignis. Anno MCCCCXXXVIII.

Licet dicatur [Matth. xi. 11.] *quod* inter Natos Mulierum non surrexit major Johanne Baptista ..... *Christus cavet se extra* (forte, *clare se extrahit*,) *& Virginem Gloriosam occulte, si bene adverteris suum eloquium; quia dixit*, Non surrexit: *quia nullus dicitur se levare, seu surgere, qui non cecidit. Sed quia Christus non cecidit in aliquo peccato Conceptionis, nec actionis, & similiter B. Virgo; ideo non sunt in illa regula, quia non ceciderunt modo jam dicto. Ideo non dicuntur surgere, sicut omnes cæteri Homines, qui ceciderunt, & cadunt ab Adam citra, per Peccatum Originale.* (*n*)

200. HOc argumento nonnulli usi sunt apud Rubionem (*o*) ad probandam B. Virginis Præservationem a communi Lapsu Originalis Peccati. Quia nimirum si cecidisset, & postea surrexisset, comprehenderetur in ea Christi Sententia: *Inter Natos Mulierum non surrexit major Johanne Baptista:* & sic ipsa non esset major Johanne Baptista; quod falsissimum est. Non ergo B. Virgo fuit una ex illis, qui surrexerunt; & consequenter nec una ex illis, qui per aliquod Peccatum ceciderunt.

201. Allegati Testimonii fidem non elevat, quòd desumptum sit ex Sermonibus Tomi IV. Operum S. Bernardi; quos ex Concionibus, Patavii habitis a S. Bernardino, excepit, & collegit Daniel de Purgiliis JC. Patavinus. Nam quamvis hic Exceptor, & Collector quædam de suo in iis Sermonibus adjecerit; ea tamen facile internoscuntur, ut in eodem Sermone cit. apparet ex illis verbis: *Et dum pridie essem in Monasterio Carceris &c. dixit mihi Danieli de Purgiliis, si bene percepi &c.* Cæterum S. Bernardinus Librum conscripsit de Immaculata DEI Genitricis Conceptione; quem memorat Possevinus *Tom. I. pag.* 223. & se, dum esset Senis, vidisse, ac perlegisse, testatur Vir piissimus Bernardinus de Bustis. (*p*)

Testimonium XXXVIII.

S. Johannes Capistranus, ejusdem Ordinis, S. Bernardini Discipulus, & in causa Nominis JESU, Romæ Patronus, Anno MCCCCXL.

Hæc Albertus. Cui circa subjectam materiam, ad propositum Papæ, assentio, & adhæreo; licet de Conceptione B. Virginis Ordo meus aliter sentiat. De quo passu alibi dixi, scilicet in Tractatu de Conceptione B. Virginis. *Patet igitur ex prædictis, quod solus DEUS per Naturam est Impeccabilis: per Gratiam autem, præter Christum, soli Virgini Mariæ concessum est, omnino fuisse Impeccabilem.* (*q*)

202. SUbjecta materia erat de *Peccabilitate Papæ*, pro qua S. Capistranus Albertum Magnum citaverat in *quarto Compendii Theologiæ*. Et quia ibi Albertus aliquid indicabat de B. Virginis Originali Peccato; idcirco noster Sanctus monet: *Licet de Conceptione B. Virginis &c.* Utinam extaret apud nos tam eximii Viri Tractatus iste, quem ipse commemorat!

203. Cum hæc scriberem, anno 1746. die XXIX. Junii, Sanctorum Catalogo a Regnante Pontifice Benedicto XIV. solemni ritu adscriptus est S. Petrus Regalatus, Ord. Minor. primævi rigoris Regulæ Seraphicæ Instaurator. Qui vitæ austeritate, & ingentibus miraculis refulsit in Hispania, eodem prorsus tempore, quo S. Bernardinus Senensis, & S. Johannes Capistranus, Divini Verbi prædicatione claruerunt in Italia. Nec minor fuit S. Regalati Pietas erga Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem; cujus titulo insignitas, & cultui dicatas voluit duas sacras Ædes a se erectas in Cænobiis de Aquilera, & de Abrojo: ut refertur in Compendio ejus Vitæ, occasione Canonizationis edito Panormi eodem anno 1746. quod præ manibus habui.

(n) *Serm. 49. in die Martis post Pascha; qui dicitur esse* de Amore Glorioso, *par. 1. pag. 272. col. 1. tomi 4. edit.* Venetæ, an. 1591. *curatæ, & illustratæ a* Fr. Petro Rodulpho, Episcopo Senogalliæ.

(o) *In lib. 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. sub initium fol. 16. col. 3. edit.* Paris. an. 1518.

(p) *Parte 1. sui Marialis, serm. 4.* de Concept. *B. Virg. par. 3. Sermonis, fol. 16. col. 4. edition.* Lugdun. an. 1525.

(q) *In Tract. de Papæ, & Concilii auctoritate, Par. 1. tertiæ partis principalis, fol. 66. col. 1. Partis primæ tom. 13. Tractatuum Juris, edit.* Venetæ, an. 1584.

TESTIMONIUM XXXIX.

S. Laurentius Justinianus, Primus Venetiarum Patriarcha An. MCCCCXL.

I. SENTENTIA.

Hæc est Originalis pœna Delicti, [de fomite concupiscentiæ loquitur] *a qua nemo, quamvis eximia polleat Sanctitate, liber extitit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine, exceptis dumtaxat mediatore DEI, & Hominum, Homine Christo Jesu, & ipsius Matre, sub Peccati lege sunt conditi: unde Propheta voce omnium gemens, ait:* Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c. (*r*)

II. SENTENTIA.

Nemo ab ipso Mundi initio, usque ad temporis plenitudinem; dumtaxat Mediatore, ejusque Genitrice exceptis; Jugum dominationis ejus [agit de Jugo Diaboli, per Adæ Peccatum nobis impositio] *evasit*. (*s*)

III. SENTENTIA.

Quis hujus Virginis Gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namque sui Conceptione, in benedictionibus præventa dulcedinis, atque a damnationis aliena Chirographo, prius est sanctificata, quàm nata &c. Erat plane, sicut a Carnis colluvione Immunis, ita & ab omni Peccati Labe extranea &c. (*t*)

IV. SENTENTIA.

Peccatum Originale illud esse dicitur, quod nec ab Opere, nec a Natura, sed contrahitur ex vitio, & priorum transgressione Parentum; transfunditurque in Carnem, & in Animam: In Carnem quidem materialiter, & originaliter; in Animam vero formaliter; tanquam in subjectum. Ab hoc quippe Originali Debito nullus excipitur, præter Illam, quæ genuit Mundi Salvatorem. Unde gemens Propheta ajebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c. (*u*)

204. TOt, & tam illustribus hujus Sanctissimi Patriarchæ Sententiis, nihil est, quod adjiciam. In Commendationem dumtaxat Auctoris refero, quæ in Lectionibus R. Breviarii, ad diem V. Septembris, ejus Festo consecratam, quotannis recitamus: *Libros etiam cœlestem Doctrinam, ac Pietatem spirantes, Grammaticæ pene rudis, conscripsit.* Et sane, quis non miretur, B. Laurentium tam apte, & castigate loqui de Originali Peccato, qui nunquam Theologicas Scholas adierit?

TESTIMONIUM XL.

Ven. Dionysius a Richel, Professione Carthusianus, Doctor Ecstaticus nuncupatus. Anno MCCCCL.

MARIA ergo dignissima, supernaturaliter, & per Angelicam prænuntiationem, atque divinam promissionem, est concepta Sancta, & nata: præsertim, cum ejus Conceptio, ac Nativitas ab Ecclesia tam solemniter, ut dignum est, celebrentur. Istud quoque, ut allegatum est supra, [art. 6.] *Felicissima Virgo Maria legitur Sanctæ Brigittæ revelasse.* (*x*)

205. INter Scholasticos, insignes Piæ Sententiæ Defensores, recensendus erit Ven. Dionysius Carthusianus: sed *Vir Doctissimus, & Sanctissimus*, [ut eum appellat Bellarminus] qui plurima egregia Opera, præter Scholastica, conscripsit, in hunc etiam Sanctorum Hominum consessum introduci meruit. Titulum ei *Venerabilis* tribuimus, quem ipsi attribuunt nostri Bollandistæ, (*y*) quamvis aliqui *Sanctum* appellent.

SÆCULUM CHRISTI XVI.

TESTIMONIUM XLI.

S. Thomas a Villanova, Ord. Eremit. S. Augustini, Archiepiscopus Valentinus. Anno MDXXX.

Decuit, Matrem DEI esse Purissimam, sine Labe, sine Peccato. Unde non solum, quando Puella, sed quando Parvula, Sanctissima; & in Conceptione Sanctissima. Non enim decebat, Sanctuarium DEI, Domum Sapientiæ &c. Aliquam in se Labem habere. Propter quod, antequam Anima illa Sanctissima infunderetur, plene fuit Caro illa mundata ab omni Fœce, & Labe; & Anima, quando infusa est, nullam habuit ex Carne, neque contraxit Labem Peccati. Sicut scriptum est Psalmo LXXV. 3. Factus est in pace locus ejus: *id est Domus Divinæ Sapientiæ sine omni fomite Peccati formata est.* (*z*)

(r) *Lib. de Casto Connubio Verbi, & Animæ; cap. 7. circa medium, pag. 153. col. 2. primæ edit.* Lugdun. an. 1628.
(s) *In Fasciculo Amoris cap. 7. versus finem, pag. 239.*
(t) *Sermone de Annuntiat. B. M. V. sub initium, pagin. 409.*
(u) *Lib. de Perfection. Gradibus (quem jam Senex, in Episcopatu composuit) cap. 1. ad medium, pag. 704. col. 1.*
(x) *Lib. 1. de Laudibus Gl. V. Mariæ; art. 8. fol. 268. pag. 1. tomi 1. ejus Operum Minorum, edit.* Coloniens. an. 1532.
(y) *To. 2. Martii ad diem 12. pag. 245.*
(z) *Parte 2. suarum Concionum, Concione 3. de Nativit. B. V. Mariæ, pagin. 337. edition.* Roman. an. 1659.

206. His verbis S. Thomas a Villanova, B. Virginem, non solum absque Originali Peccato, verum etiam absque omni fomite Peccati conceptam fuisse declarat. Unde confirmatur quod in Apparatu *num.* 100. dicebamus, Peccati fomitem in B. Virgine nec ligatum, nec proprie extinctum, sed nunquam omnino fuisse; quippe quæ *sine omni fomite Peccati formata est.* Pulchre observant aliqui, hunc Sanctum Virum, mirabili Divinæ Providentiæ dispositione, eodem anno 1518. Sacro Ordini Eremit. S. Augustini nomen dedisse, quo, bis Apostata, Martinus Lutherus ab eodem Ordine, & ab Ecclesia Catholica turpissime defecit.

Testimonium XLII.

S. Franciscus Borgia, Ill. Soc. Jesu Præpositus Generalis, Anno MDLXV.

Considerandum est, quam æquum fuerit, ut ille, a quo Parentes honore afficere jubemur, eundem & ipse Genitrici exhiberet. Ea de re privilegio, nulli alteri puræ Creaturæ concesso, donandam fuisse decuit, nempe Conceptionis in Gratia. Siquidem eo frustrari, magnæ indecentiæ verteretur: cum DEI Filium a Matre, aliquando Dæmonis jugo per Peccatum mancipatâ, natum veraciter dici posset. Et sic supplices cum Ecclesia Dominum orabimus: Ut sicut eam ab omni Labe præservavit &c. (*a*)

207. Tam perspicua, & argumentosa hujus nostri Sanctissimi Patris Sententia, Explanatore, aut Commendatore non eget. Recitat autem S. Borgia Orationem, repertam in Officio proprio Conceptionis, per Sixtum IV. instituto; quia nondum prodierat Breviarium Romanum reformatum a S. Pio V. cui noster Sanctus erat apprime carus.

Testimonium XLIII.

S. Ludovicus Bertrandus, Ord. Prædic. Occident. Indiarum Apostolus. Anno MDLXX.

Hodie nostra Mater Ecclesia festivitatem Conceptionis Virginis Sacratissimæ, multiplici colit applausu: tempore scilicet, quo Sacratissima illius Anima, e mente Omnipotentis egressa, Corpori, jam operâ Parentum genito, infundebatur &c. Quoniam autem in hac infusione, quando Anima Corporis possessionem primùm adivit, nullius Peccati Originalis sorde fuit conspurcata, cui reliquorum Animæ in primo momento, quo Corporis Contubernium agnoscunt, infeliciter subjiciuntur: Ideo jure optimo de Beatissimæ Virginis Conceptione Festum celebramus. Hæc sane Domina singulares prærogativas, ac cumulatissima privilegia in die suæ Conceptionis recepit, quorum primum est, maximum Gratiæ beneficium, qua in sua Conceptione ab Originali Labe præservata fuit &c.

208. Hæc, & plura alia pro Pia Sententia scripsit, & prædicavit S. Ludovicus Bertrandus, in quodam Sermone de *Purissima Conceptione B. Virginis*, habito Valentiæ, in ea verba: *De qua natus est Jesus.*

209. Edidit hunc Sermonem P. Eusebius Nierembergius, (*b*) ipsius Autographum nactus apud Illustrissimum Dominum Michaelem Baptistam de Lanuza, in Regno Aragoniæ Regium Consiliarium, & Protonotarium: cui, Nepoti suo, Ven. Hieronymus Baptista de Sellan de Lanuza, Ord. Præd. Episcopus Albaracinensis, S. Ludovici, olim in moribus Discipulus, multa ejusdem Sancti Manuscripta reliquerat. Petrus de Alva testatur, (*c*) se ab eodem Nobili Viro Michaele de Lanuza obtinuisse *Exemplum authenticum* laudati Sermonis. Itemque Jacobus Echard (*d*) *plura S. Ludovicum scripsisse*, refert, *servarique per Hispanias, & Valentiæ latere etiamnum inedita.*

SÆCULUM CHRISTI XVII.

Testimonium XLIV.

S. Franciscus Salesius, Episcopus Genevensis, Anno MDCXV.

Cum Sapientissimus, Omnipotens, & Optimus DEUS præparare sibi Matrem deberet secundùm cor suum, Redemptionem suam ei applicatam voluit instar remedii præservativi; ne Peccatum, quod de generatione in generationem transfundebatur, ad eam perveniret. Sic itaque excellentiori modo Christi Mater redempta fuit, ut quamvis Originalis Culpæ Torrens, eodem impetu, quo cæteras Adæ Filias obruerat, in hujus Sacratæ Dominæ Conceptionem rueret; adventans tamen non ultra progressus est, sed stetit. Quemadmodum Josue tempore stetit olim Jordanis. (Josu. III. 16.) *Eodem quippe respectu, quo fluvius ille, transitum Arcæ fœderis reveritus, aquas suas cohibuit; Originalis Illuvies Sanctioris Tabernaculi Æterni Fœderis præsentiam verita, ac reverita, suas undas retraxit. Hac igitur ratione captivitatem omnem removit Deus a sua Gloriosa Genitrice; cui gemini status Humanæ Naturæ felicitatem contulit, omnimodam videlicet Innocentiam, quam primus Adam perdiderat; & excellentem Redemptionem, quam ei secundus Adam acquisierat.* (*e*)

210. Pul-

(a) *Lib. 6. Meditationum in Evangelia &c. Medit. 9. par. 2. pun. 3. pag. 244. edit. omnium ejus Operum* Bruxellensis an. 1675.

(b) *In Exceptionib. Concil. Trident. cap. 24. §. 2. pag. 203. Oper. Parthenicorum.*

(c) *In Sole Veritatis, pag. 198.*

(d) *Tomo 2. ad an. 1581. quo hic Sanctus obiit, pagin. 263.*

(e) *In Tractatu de Amore DEI, par. 1. lib. 2. cap. 6. pag. 105. edit.* Venetæ an. 1664.

210. PUlcherrima hac Sententia præsenti Actioni coronidem imponimus; quam integram referre, visum est, ne Pius Lector tam præclaris sensibus fraudaretur. Quanti vero facienda sint S. Francisci Salesii Opera, habemus ex ejus officio Ecclesiastico, (f) in quo legimus: *Suis etiam scriptis, cælesti Doctrina refertis, Ecclesiam illustravit; quibus iter ad Christianam perfectionem tutum, & planum demonstrat.* Habemus & ex Bulla Canonizationis, (g) ubi Alexander VII. ejus Caritatem enarrans, ait: *Ex hujus Charitatis Officina Volumina prodierunt, quorum documentis irrigata Populorum, ac Nobilium Virorum pectora, affluentem Evangelicæ Vitæ messem pepererunt.* Sed & librum *de Amore Dei*, *Aureum* appellabat Alexander.

ANACEPHALÆOSIS.

211. QUi legerit apud Melchiorem Canum, (h) *Sanctos omnes, qui in ejus rei mentionem incidere, uno ore asseverasse, B. Virginem in Originali Peccato conceptam:* vel apud Cardinalem Cajetanum, (i) *Nullum Sanctorum inveniri, dixisse contrarium:* vel apud Valdesium, (k) *exquisivisse se in scriniis Patrum, & ne unum quidem reperisse* Piæ Sententiæ Assertorem: mirabitur procul dubio, quod in præsenti Actione tam pauca pro Adversa Parte, tam multa pro Pia Parte, Patrum, ac Sanctorum, singularia, & expressa Testimonia produxerimus; ac fortasse suspicabitur, nos & inde vera occultasse, & hinc falsa supposuisse.

212. Sed admirationem, & suspicionem paulisper cohibeat, donec nostræ Fidei periculum faciens, patienter excutiat, an ullum pro Parte Contraria singulare Testimonium, vel a Cano indicatum, vel a Cajetano, Lampridio, aliisve productum, prætermisimus; & an aliquod, pro Pia Parte, spurium, aut suppositium Testimonium adduximus. Ideo namque exactissimas locorum omnium citationes dedimus. Præterivimus quidem Ambrosii, Chrysostomi, Eusebii Emisseni, Remigii, Maximi, & Erardi Testimonia, a Cajetano allegata. Sed jam ostendimus *Actione II. num. 6. & seqq.* ejusmodi Testimonia, vel depravata, vel supposititia esse.

213. Non itaque pro Adversa Parte allegari ab Adversariis potuerunt singularia Patrum, & Sanctorum Testimonia, [generalia ipsemet Cajetanus respuenda monet] nisi tredecim omnino. Quorum nonnulla supposititia deprehenduntur, alia contrariis eorundem Sanctorum Testimoniis infringuntur, alia (uno excepto S. Antonini Florentini) congruæ expositioni patent. Unde non immerito dixit Card. Bellarminus in Voto sæpe laudato, quod pro Contraria Sententia, *vix unus, aut alter Sanctus inveniatur*; quodque in iis, quos Turrecremata, & Capreolus, & Cajetanus allegant; *vix unus locus inveniatur, qui convincat.*

214. Nos vero, quatuor supra quadraginta Patrum, & Sanctorum, tam Veterum, quàm Recentiorum, a quarto Sæculo, usque ad Sæculum nobis proximum, singularia pro Pia Parte allegavimus Testimonia. Quorum pleraque adeo perspicua sunt, ut nulla indigeant declaratione. Cæterorum sensus, etsi non ita obvius, brevi adhibita explicatione, intelligenti satis apparet.

215. Liceat ergo nobis Actionem hanc, vehementi illa D. Augustini adversus Julianum peroratione, concludere. (l) *In quorum conventum te introduxerim, conspice. Hic est Mediolanensis Ambrosius &c. Hic est &c. Hic sunt, & ceteri, quorum te movere debeat tanta consensio &c. Ecce non Ego unus, sed tot, & tam Sancti, eruditique Doctores tibi pro me, vel mecum, proque omnium nostrum, & tua ipsius, si sapis, salute* (dicam ego, *Pietate*) *respondent. Non tibi, sicut calumniaris,* (dicerem ego, *imaginaris*) *solum Populi murmur opponimus, quamquam & ipse Populus &c. Sed ecce, quò te introduxi, conventus istorum Sanctorum non est multitudo popularis: non solum Filii, sed & Patres Ecclesiæ sunt, de quibus prædictum est:* (Ps. 44. 17.) Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii &c. *Ex qua Filii generati sunt, ut hæc discerent, ejus Patres facti sunt, ut docerent.*

(f) *In 6. lectione Divini Officii pro ejus Festo ad diem 29. Januarii.*

(g) §. 15. *hujus Bullæ num. 170. editæ* anno 1665. *quæ extat a pag. 413. tomi 5. Magni Bullarii edit.* Lugd. an. 1697.

(h) *Lib. 7. de Locis, cap. 1. fol. 217. pag. 1.*

(i) *In Tract. de Concept. B. Virg. cap. 5. n. 80. pag. 140.*

(k) *Epist. 14. pag. 192.*

(l) *Lib. 1. contra* Julianum, *cap. 7. nu. 30. & seq. col. 515. & seq. n. 10.*

ACTIO SEPTIMA.

SCHOLASTICORUM THEOLOGORUM, ET ACADEMIARUM

TESTIMONIA.

PROLUSIO.

1. SUPEREST, ut post Sanctorum Patrum Testimonia, Scholasticorum quoque Theologorum, [qui illis in instruenda Ecclesia successerunt] Testimonia utrinque allegata proferamus, & excutiamus. Davidica illa verba (a) *Pro Patribus tuis, nati sunt tibi Filii:* Remigius Antissiodorensis, IX. Sæculi Auctor, sic exponit: (b) *Ne quis ideo putaret, Ecclesiam Christi non esse crescendam, quia non supersunt Apostoli, & primi Prædicatores; subsequitur:* Pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii: *quia pro Apostolis nati sunt Gregorius, Augustinus, & cæteri plures.* Nos autem, ob eandem rationem, addere merito possumus: *pro Gregorio, Augustino, & cæteris Sanctis Patribus, nati sunt Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, & reliqui Scholastici:* qui hodieque clarent, ut omni tempore Magistros habeat Ecclesia, a quibus in sana Fidei, ac Morum doctrina Fideles Populi erudiantur: *ut non circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia Hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ephes. IV. 14.

2. Theologiæ Scholasticæ laudes, utilitatem, ac munus ab ipso Sixto Papa V. discamus in Bulla *Triumphantis*, (c) qua S. Bonaventuram, inter Sanctos Ecclesiæ Doctores reponit. „Divino, *inquit*, illius munere, qui solus dat „spiritum Scientiæ, & Sapientiæ, & Intel„lectus; quique Ecclesiam suam per Sæculo„rum ætates, prout opus est, novis beneficiis „auget, novis præsidiis instruit, inventa est a „Majoribus nostris, eruditissimis Viris, Theo„logia Scholastica &c. Et hujus quidem tam „salutaris Scientiæ cognitio, & exercitatio „quæ ab uberrimis divinarum Litterarum, „Summorum Pontificum, Sanctorum Pa„trum, & Conciliorum fontibus dimanat, „semper certe maximum Ecclesiæ adjumen„tum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas „vere, & sane intelligendas, sive ad Patres „securius, & utilius perlegendos, & explican„dos, sive ad varios errores, & hæreses dete„gendas, & refellendas. His vero novissimis „diebus &c. sane Catholicæ Fidei Dogmati„bus confirmandis, & Hæresibus confutandis „pernecessaria est. Et profecto rem ita se ha„bere, ipsimet Veritatis inimici sunt Judices, „quibus Theologia Scholastica maxime est „formidolosa.„ Cætera legant, qui Theologiam Scholasticam, *quia ignorant, blasphemant.* Judæ 10.

3. Theologiam Scholasticam tanti semper fecit Ecclesia, ut, post natam Scholam, [inquit Canus (d)] si quas Hæreses condemnavit, siqua de Fide, & Moribus decreta tulit, in utrisque, Scholasticorum subsidio, & diligentia usa sit, & vehementer adjuta. Quod & pluribus exemplis demonstraverat olim Baconius: (e) *Modus*, ajebat, *Curiæ Romanæ est, quod Ecclesia ea, quæ in dubium, vel errorem versa fuerint, & per Theologos exquisite disputata fuerint, & determinata, eorum Sententiam Decreto, & Statuto confirmet. Ut patet de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, cap. *Damnamus &c.* Et inde inferebat, *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudini consonum esse, Festum Conceptionis B. Virginis generaliter statuere per totam Ecclesiam celebrandum.*

4. Quantum habeat virium ad faciendam fidem, argumentum ex Theologorum Scholasticorum auctoritate desumptum; tribus conclusionibus exponit Canus. (f) I. *Theologorum Scholasticorum, etiam multorum, Testimonium, si alii contra pugnant Viri Docti; non plus valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum, vel gravior etiam Auctoritas comprobavit.* II. *Ex Auctorum omnium Scholasticorum communi Sententia, in re quidem gravi, usque adeo probabilia sumuntur argumenta, ut illis refragari, temerarium sit.* III. *Concordem omnium Theologorum Scholæ, de Fide, aut Moribus, Sententiam contradicere, si Hæresis non est, at hæresi proximum est.* Quarum conclusionum duas posteriores extendendas esse ad communem, sive concordem omnium Theologorum, quantumvis Juniorum, Sententiam; ipsius Cani argumentis evincimus.

5. Pro

(a) *Psal.* 44. *vers.* 17.
(b) *Comment. in hunc locum pag.* 1131. *col.* 2. *tomi* 16. *Biblioth. Max. PP.*
(c) *Ex Constit.* 76. *extat tomo* 2. *Bullarii Cherubini, a pag.* 470. *V. pag.* 472. *col.* 1.
(d) *Lib.* 8. *de Locis Theolog. cap.* 4. *conclus.* 3. *fol.* 242. *pag.* 2.
(e) *In lib.* 4. *Sententiar. dist.* 2. *quæst.* 4. *art.* 3. *pag.* 316. *col.* 2. *edit.* Cremon.
(f) *Lib.* 8. *cit. cap.* 4. *fol.* 239. *& seqq.*

5. Pro secunda Conclusione arguit Canus ex Concilio Viennensi Generali, quod celebratum est anno 1311. sub Clemente V. ubi (g) Patres, relatis duabus Theologorum contrariis opinionibus circa infusionem Gratiæ, & Virtutum in Baptismo Parvulorum, *Nos*, inquiunt, *opinionem secundam, quæ dicit tam Parvulis, quàm Adultis conferri in Baptismo informantem Gratiam, & Virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum Modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, Sacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Modernorum ergo Theologorum communis opinio fidem fecit Concilio, illudque inclinavit, ut definiret, hujusmodi opinionem esse eligendam; quamquam ea de re magna fuerit olim inter ipsos Theologos controversia, ut liquet ex Epist. Innocentii III. ad Arelatensem Archiepiscopum: (h) *Aliis*, inquit, *asserentibus, per virtutem Baptismi Parvulis quidem Culpam remitti, sed gratiam non conferri: nonnullis dicentibus, dimitti Peccatum, & Virtutes infundi, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam.*

6. Pro tertia Conclusione argumentatur Canus ex illis CHRISTI verbis: (i) *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Quæ*, inquit, *non modo ad Antiquos Theologos, hoc est Apostolos, referebat Christus, sed ad Doctores etiam in Ecclesia futuros, quandiu pascendæ essent oves in Scientia, & Doctrina.* Unde infert quod, *& qui Theologos Juniores, antiquis succedentes, despicit, hic Christum quoque ipsum despiciat, necesse est.* Idque confirmat ex Auctore *Operis imperfecti* super Matthæum, (k) qui ait: *Cum audieris aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba illum, qualis est circa suos Doctores: si enim illos, cum quibus vivit, sustinet, & honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset: si autem suos contemnit; si cum illis vixisset, illos contempsisset.* Et relatis Pauli verbis ad Ephes. IV. 11. *Et ipse dedit quosdam Apostolos &c.* concludit: *Quandiu Ecclesia fuerit, ad divinam procurationem pertinebit, ut ii, qui in Ecclesia Sacræ Doctrinæ Doctores habentur, tanquam a Deo dati, veritatem in fide teneant, ne Populus, Parvulorum more, circumferatur.*

PONTIFICII JURIS PERITORUM TESTIMONIA RECUSANTUR, ETSI PIÆ PARTI NON DESUNT.

7. PLures ex Adversariis, non Theologorum modo, sed etiam Juris Pontificii Peritorum Testimonia in hanc causam inducere laborant, de iisque non parum gloriantur; ut videre est in Turrecremata, (l) & Bandello. (m) Glossam quoque illam magni faciunt, (n) in qua dicitur, *Festum Conceptionis B. Virginis, celebrandum non esse; quia in Peccatis concepta fuit, sicut & cæteri Sancti, excepta unica Persona Christi.*

8. Verum hujusmodi Testimonia a præsenti Causa, quæ tota Theologica est, removeri debere arbitramur. De Juristarum Glossis jam audivimus *Act. III. num.* 264. a D. Thoma, *Inconsonum, & derisibile videri, quod Sacræ Doctrinæ Professores Juristarum Glossulas in auctoritatem inducant.* Ibi etiam indicavimus, plures ab aliis notatos in re Theologica Glossatorum errores. In quorum specimen, Glossam illam memoro in Cap. *Noli meis. dist. IX. de Scriptis D. Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum* dicentem, quod *Hodie jubentur omnia teneri usque ad ultimum jota; ut inf. 15. dist. cap. ultimo.* Hoc, quam falsum sit, nemo non videt; cum in multis, Patres inter se discordent. Sed & *l. cit. dist.* 15. de sola Epist. Dogmatica S. Leonis Papæ ad Flavianum, Gelasius Papa loquitur, cùm ait: *Cujus textum quispiam, si usque ad unum jota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit; anathema sit.* Ejusmodi Glossatorem pluribus insectatur Alphonsus de Castro, (o) & sic tandem concludit: *Ecce quales sunt Decretorum Glossatores, quibus tanta fides adhibetur.*

9. Non equidem Juris Interpretum, & Peritorum Auctoritati quicquam derogare volumus, sed proprios dumtaxat iis limites præscribere, quos optime præscripsit Melchior Canus, (p) in hunc fere modum. Ubi agitur de moribus, & ritibus Ecclesiasticis, de officiis Ministrorum Ecclesiæ, de pœnis a jure impositis, & aliis similibus, quæ Legibus, ut ajunt, positivis disponuntur; Juris Canonici Interpretum, & Peritorum Auctoritas potissimum attendenda est, eorumque communis, & concors Sententia, Theologo magnam fidem facere debet. Quia, ut peritissimis quibusque in arte sua fidem habere opus est, ita juris Pontificii prudentibus in his, quæ propria sunt illius facultatis, non credere, erit temerarium.

10. At vero in iis, quæ ad Catholicam Fidem aliquo modo pertinere videntur, vel ex Fidei principiis resolvenda sunt; [qualis profecto est causa præsens] Juris Pontificii Interpretum, sive Peritorum Auctoritas, Theologo usui esse non potest: quin immo illorum Juris Canonici Titulorum expositionem, qui de Fide decernunt, Legis Peritus a Theologo mutuari debet; quod nisi faciat, in multis offendat, oportet. Quia

(g) *Refertur Clement. unica* de Summa Trinitate, & Fide Catholica, *ad finem.*

(h) *Cap.* 3. Majores, *de Baptismo, & ejus effectu* §. Illud vero.

(i) Lucæ *cap.* 10. *vers.* 16.

(k) *In cap.* 23. Matthæi *vers.* 29. *& seq. Homil.* 45. *in edit. Gl.* Cl.V. Bernardi de Montfaucon, *pag. exc. tom.6. oper. S. Joh. Chrysostomi, cui perperam istud opus tribuitur, cum potius sit Hominis Ariani, vel saltem ab aliquo Ariano interpolatum. V. Diatribam ejusdem* Montfaucon §. *6. & 7. pag.* VII. *tomi citati.*

(l) *Toto cap.* 36. *Partis sextæ.*

(m) *Toto cap.* 19. *primæ Partis.*

(n) *In cap.* 1. Pronuntiandum, *dist.* 3. *de Consecratione, V.* Nativitas.

(o) *Lib.* 1. *adversus Hæreses cap.* 7. *f.* 17. *pag.* 1. *edit.* Antverp. an. 1565.

(p) *Lib.* 8. *de Locis Theologicis, cap.* 7. *concl.* 1. *&* 3. *a fol.* 253.

Quia Principia, unde Concilia, & Pontifices ad quæstiones Fidei definiendas procedunt, propria sunt Theologicæ facultatis; cujus est cognoscere, quæ a Deo revelata sunt in sacris Literis, & Traditionibus Apostolicis; quæque his consequentia, vel repugnantia sunt. In hujusmodi ergo rebus, ad Fidem spectantibus, sacrorum Canonum intelligentia, non a Juris Prudentibus, sed a Theologis petenda est.

11. Sed ne quis putet, hæc a nobis ideo insinuata esse, quòd Pia Sententia Juris Peritorum auctoritate sit penitus destituta; nonnulla illorum Testimonia, qui in ea facultate præcipui fuerunt, hìc obiter referre non gravabor.

12. Franciscus Zabarella, Archiepiscopus Florentinus, & S. R. E. Cardinalis, qui claruit anno 1407. (q) *Adde*, inquit, *Festum Conceptionis B. Virginis. De hoc altercatio. Glossa* [loc. cit.] *dicit non esse celebrandam Conceptionem, quia fuit concepta in Originali: quod tenent FF. Prædicatores: Alii, quod immo sine Originali, quod tenent FF. Minores; quod videtur Ecclesia recepisse, faciendo Officium de Conceptione.*

13. Nicolaus Tudeschius, ex Abbate Maniacensi, Archiepiscopus Panormitanus, Juris Canonici peritissimus, qui nomine vel Abbatis, vel Panormitani, vel Abbatis Panormitani, citari solet, & anno 1430. claruit; (r) agens de Festo Conceptionis B. Virginis, & similiter referens altercationem inter FF. Minores, & FF. Prædicatores: *Sed credendum est*, inquit, *Deum ab hac obligatione*, [scilicet contrahendi Originalis Peccati] *absolvisse a principio B. Virginem, ex qua debebat Carnem assumere. Et hæc opinio mihi placet, tanquam pia, & rationabilis.* Et infra: *Et audio, quod hanc opinionem Ecclesia approbaverit, unde hodie sit Festum celebre de Conceptione in qualibet Ecclesia.* Quibus verbis fortè indigitat Basileense Concilium, cui ipse bis interfuit. V. quæ de hoc Doctore diximus *Act. IV. num.* 41. *& seq.*

14. Robertus Gaguinus, Ordin. SS. Trinitatis de Redemptione Captivor. Minister Generalis, in Academia Parisiensi Pontificii Juris Interpres, cum etiam insignis Theologus fuerit, duas conscripsit integras lucubrationes *de Puritate Conceptionis B. Mariæ V.* unam soluta oratione, quam *Cunctis B. Mariæ Veneratoribus* obtulit; alteram, elegiacis adscriptam numeris, adversus Vincentium Bandellum, quam anno 1497. Academiæ Parisiensi nuncupavit. Utraque extat in nostra Bibliotheca hujus Collegii Panormitani, sub eodem volumine colligata cum Opusculis Judoci Clichtovei, edit. Paris. an. 1498.

15. Martinus de Alzpicueta Navarrus, Divini, Humanique Juris consultissimus, qui circa annum 1550. scribebat, Commentario in septem distinctiones de Pœnitentia. *Potest quis*, inquit, *quod ego facio, firme credere, Virginem Matrem, Redemptionis, & Munditiæ humanæ quodammodo initium, a Labe etiam Originali fuisse Immunem; ut latius pridem dixi contra Glossam ibi in cap. I. de Consecratione dist. III. &c.* (s) Hoc autem posterius Navarri Opus desideratur a nobis.

16. Didacus Covarrubias, & Leyva, Segoviensis Episcopus, [cui, in Concilio Tridentino, Decreta *de Reformatione* formandi, cura demandata est, & de quo Discipulo multum gloriabatur Navarrus;] (t) referens Leonis Papæ X. privilegium, suspendentis in Hispania Interdictum pro Festo Conceptionis B. Virginis, subjungit: (u) *Cui privilegio accedunt multa, quæ de Immaculata Conceptione V. Mariæ Doctissimi, ac Sanctissimi Viri scripserunt, defendentes, eam Conceptionem fuisse absque labe Originalis Peccati; quæ opinio probata fuit in Concilio Basileensi &c.* Et infra: *Quæ in re illud sit constantissimum, maxima cum veneratione, ex Ecclesiæ instituto, Festivitatem illam quolibet anno celebrari, & celebrandam esse, quod constat in Extravag. Sixti IV.*

17. Ex quibus paucis Testimoniis colligitur, quod quamvis Antiquiores Juris Pontificii Prudentes, illius Glossæ ductum veluti gregatim sequentes, Contrariam Sententiam non tam docuerint, quam indicaverint: qui tamen a Sæculo XV. scribebant, vel communem Ecclesiæ sensum reveriti, vel Theologicis etiam sacris initiati, Glossam illam abjecerunt, Piamque Sententiam propugnarunt.

Magistri Petri Lombardi Sententia exponitur.

18. Petrus Lombardus, Magister Sententiarum appellatus, quòd Sanctorum Patrum Sententias collegerit, & aptissimo ordine disposuerit; medio Sæculo XII. claruit, cujus ævi Scriptores Ecclesiastici, Patrum nomine censeri solent. Sed & Scholasticorum Theologorum Dux, ac Magister habitus est, in cujus Libros quatuor Sententiarum Scholastici retro omnes, suos Theologicos Commentarios conscripserunt. Cum ergo Lombardus, & extra Sæculum Scholasticum sit, & ad Sæculum Scholasticum pertineat; non abs re erit, ea, quæ de præsenti materia scripsit, & quibus hujus controversiæ agitandæ occasionem Scholasticis præbuit, hoc loco plene discutere.

19. Initio Distinctionis III. libri tertii: *Quæritur*, inquit Magister, *de Carne Verbi, an priusquam conciperetur, obligata fuerit Peccato: Et an talis fuerit assumpta a Verbo?* Et statim respondet: *Sane dici potest, & credi oportet,*

(q) *Comment. in lib.* 2. *Decretal. Tit. de* Feriis, *cap.* Conquestus, *fol.* 20. *col.* 2. *edit.* Venetæ, ann. 1602.

(r) *Prima Parte Comment. in idem caput lib.* 2. *Decretal. fol.* 162. *col.* 4. *edit.* Venetæ, an. 1582.

(s) *Distinct.* 7. *in cap.* 4. Si quis autem, *n.* 74. *pag.* 855. *tomi* 2. *ejus oper. edit.* Rom. an. 1590. *& pag.* 329. *Commentar. in tres posteriores distinctiones de Pœnitentia, edition.* Lugdun. an. 1569.

(t) *V. ejus laudes apud* Nicolaum Antonium *tom.* 1. *Partis posterior. Biblioth. Hispanæ pag.* 212.

(u) *In cap.* Alma Mater, *Tit. de* Sententia Excommunicationis, *par.* 2. §. 5. *n.* 2. *pag* 471. *tomi* 1. *suorum Oper. edit.* Venetæ, an. 1604.

tet, juxta Sanctorum attestationis convenientiam, ipsam prius Peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis Caro: sed Spiritus Sancti operatione, ita mundatam, ut ab omni Peccati contagione Immunis uniretur Verbo. Mariam quoque totam, Spiritus Sanctus in eam praeveniens, a Peccato prorsus purgavit, & a Fomite Peccati etiam liberavit, vel Fomitem ipsum penitus evacuando, ut quibusdam placet, vel sic debilitando, & extenuando, ut ei postmodum peccandi occasio nullatenus extiterit &c.

20. Deinde quod de B. Virgine dixerat, confirmans, ait: *Quod autem Sacra Virgo ex tunc ab omni Peccato Immunis extiterit; Augustinus evidenter ostendit in lib. de Natura, & Gratia, inquiens:* Excepta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de Peccato agitur haberi volo quaestionem &c. *Illa autem Virgo singularis praeventa est gratiâ, atque repleta, ut ipsum haberet Ventris sui fructum, quae ex initio habet universitas Dominum; ut illud, quod nascebatur ex propagine primi Hominis, tantummodo generis, & non criminis originem duceret.*

21. Tandem, ut explicet Magister, *Quare Levi dicatur decimatus in Abraham, & non Christus, cum in lumbis Abraham uterque fuerit secundum materialem rationem &c.* Laudat haec D. Augustini verba: (x) *Secundum quippe rationem seminalem illam ibi fuit Levi: qua ratione per concubitum venit in Matrem, secundum quam rationem non erat ibi Christi Caro; quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariae Caro &c.*

22. Exposita Petri Lombardi doctrina Magistro Gualtero, sive Waltero, Priori Coenobii S. Victoris Parisiensis, qui eodem Saeculo claruit circ. annum 1180. maxime displicuit, quòd CHRISTI Domini, & B. Virginis Carnem Originali Peccato obnoxiam faceret. Hic enim Gualterus, [referente Carolo Duplessi d'Argentiè, Doctore Sorbonico, & Episcopo Tutelensi, (y)] quatuor libros composuit, *Contra quatuor Franciae Labyrinthos*, nempe Petrum Abaëlardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum, & Petrum Pictaviensem: qui libri asservantur Mss. in Bibliotheca ejusdem Coenobii S. Victoris. (z) Libri tertii contra Petrum Lombardum, capitis duodecimi argumentum est: *Quod nulla prorsus debet haberi quaestio de Sancta DEI Genitrice, quandocumque de Peccatis agitur.* Et Capitis XIII. argumentum est: *Quod Christum arguat de Peccato, qui Carnem Verbi vel obnoxiam, vel mundatam dicit quoquo modo.*

23. Itaque Gualterus, ut observat laudatus Duplessis, (a) in crimen vocat Magistrum, quod loco citato dicat, eam Carnem, quam Verbum in Utero Virginis assumpsit, *Peccato obnoxiam fuisse, sicut reliquam Virginis Carnem.* In quibus dictis duos errores contineri contendit, quasi Petrus Lombardus Carnem a Verbo assumptam, & reliquam Virginis Carnem Originali Peccato subjiciat. Haec Gualteri, insignis suo aevo Theologi, & pene aequalis, in Petrum Lombardum censura, satis esse posset ad retundendam, si forte contrariam, illius Auctoritatem.

24. Eandem Petri Lombardi doctrinam vehementius, longo post tempore, insectatus est Judocus Clichtoveus, (b) censens, illam *Apertum continere Errorem, Impietatem sonare, Irreverentiam in Christum, & Sacram ejus Matrem, nec non Irreligiositatem.* Quia nimirum » Ponit Sacratissimam CHRISTI Carnem, in » MARIA Virgine prius fuisse obnoxiam Peccato, » & ipsam B. Virginem per adventum Spiritus » Sancti in eam, cum esset conceptura Filium, » a Peccato fuisse mundatam. Quorum utrumque piae aures, & in DEUM, Sanctamque » Virginem devotae, abhorrent prorsus, ac respuunt, & idcirco supra dicta ejus Sententia » [ut & nonnullae aliae ejusdem assertiones] a » Schola Theologica non recipitur, sed publice exploditur. Si enim Spiritus Sanctus in » Gloriosam Virginem, post Angeli Annuntiationem, & Virginis consensum superveniens, » eam (ut ait) a Peccato prorsus mundavit; » ergo ante hujusmodi adventum Spiritus in » eam, ipsa Peccato subjacuit, etiam cum Angelus colloquium habuit ad eam, & caelestia edocuit mysteria. Quomodo igitur Angelus ipse eam salutans, perhibet esse plenam » gratia? An potest hujusmodi gratiae plenitudo, simul in eadem consistere cum sorde » Peccati? » Et caetera, quae ex Angelica Salutatione deducit.

25. At vero Duplessis, post relatam Gualteri censuram in Lombardum; hunc defendere, & cum Pia Sententia conciliare conatur. *Gualterum*, inquit, *laudo, quod Immaculatam B. Virginis Conceptionem defendat: Sed Sententiam Magistri Petri Lombardi perperam interpretatur.* Tum recitatis illis Magistri verbis: *Quaeritur de Carne Verbi, an priusquam conciperetur, obligata fuerit Pecato &c.* » In hoc, » *inquit*, loco de Carne, a Verbo assumpta, » antequam assumeretur, Magister differit; » tantumque intelligit, humanam hujusmodi » Carnem, in suo genere si consideretur, obnoxiam fuisse Originali Peccato; sed non in » ea singulari forma, quam sine ullo virili » concubitu assumpsit &c. Quod autem de » Conceptione Virginis per concubitum ibi dicitur, tantummodo probat, Carnem MARIAE Virginis, coitu Viri generatae, obligatam fuisse ad contrahendum Peccatum Originale. Sed Magister non dicit, Originale

(x) *Lib. 10. de Genesi ad litter. cap. 20. num. 35. col. 270. par. 1. tomi 3. quae a nobis relata sunt Act. II. ante num. 58.*

(y) *In Collectione Judiciorum de Novis Erroribus, sub* annum 1179. *pag.* 114. *tomi* 1. *edit.* Parisiensis, *an.* 1728.

(z) *Horum librorum summa capita recenset idem Duplessis: eosdem libros memorat etiam* Casimirus Oudinus *ad an.* 1170. *col.* 1562. *tomi* 2.

(a) *Loco cit. in 3. observatione ad tertium librum* Gualteri *pag.* 117.

(b) *Lib. 2. de Puritate Concept. B. M. V. cap. 15. fol. 52. pag. 2. & seq.*

„ nale Peccatum re vera, & in effectu a Virgi-
„ ne contractum fuisse: singulari enim privile-
„ gio Divinæ Gratiæ, talis effectus, remanen-
„ te obligatione, impediri potuit: remque hoc
„ modo gestam fuisse, ex dictis Magistri patet,
„ quia laudat hæc S. Augustini verba: *Exce-*
„ *pta V. Maria &c.* „

26. Laudo & ego hanc Duplessis interpretationem; sed explanatam desidero arduitatem illorum verborum: *Mariam quoque totam, Spiritus Sanctus in eam præveniens, a Peccato prorsus purgavit.* Hanc enim purgationem a Peccato, sub ipso Dominicæ Incarnationis tempore, peractam fuisse, plane indicat Magister, ut ex toto contextu patet: cum etiam verba illa Divi Augustini ad hoc adducat, ut probet, *quod Sacra Virgo ex tunc ab omni Peccato Immunis extiterit.* Quod quidem, sive de Originali, sive de Actuali Peccato intelligas, nisi in benignum sensum trahatur, absurdissimum est, & jure a Clichtoveo sugillatum.

27. Itaque ut Magistrum defendamus, dicere oportet, quod eatenus MARIAM tunc a Spiritu Sancto purgatam, & Immunem dixerit ab omni Peccato; quatenus, etsi semper fuerit Munda, & Immunis ab omni Peccato; hæc tamen Munditia, & Immunitas tunc fuit manifestata, cum Spiritu Sancto superveniente, Filium DEI concepit, cujus Conceptionis gratiâ ab omni Peccato meruit præservari. Quia, ut ad similem Sententiam respondet Alexander de Hales: (c) *Dicitur res tunc fieri, cùm innotescit: & aliqua alia res non ita bene probaret istam Præservationem, sicut Conceptio Filii Dei.* Lege P. Johannem de Ulloa, (d) qui ex D. Augustino, & ex pluribus Scripturæ locis confirmat hanc regulam exponendi Scripturas: *Sic plerumque Scriptura loquitur, ut, quod semper est, tunc fieri dicatur ab aliquo, cùm in eo cognosci cœperit.*

28. Cæterum de Petro Lombardo non multum solliciti esse debemus. Nam *quamvis* (ut ait Bellarminus) *Magister appelletur, tamen Discipuli ejus Viri acuti, & docti non omnia probant, quæ Magister docuit.* Viginti sex articulos Petri Lombardi recenset Duplessis *loco citato pag.* 118. qui ab ejus Interpretibus improbati sunt Parisiis circa annum 1300. sub hoc titulo: *Isti sunt articuli, in quibus Magister Sententiarum non tenetur communiter ab omnibus.* Et Matthæus Paris ad annum 1179. (e) describit litteras Alexandri Papæ III. ad Willelmum, Senonensem Episcopum, in quibus mandat, *Ut ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri, quondam Parisiensis Episcopi, qua dicitur, quod Christus secundum quod Homo, non est aliquid, omnino intendat &c.*

TESTIMONIA EX UTRAQUE PARTE ALLEGANDA PRÆFINIUNTUR.

29. A Sæculo igitur CHRISTI XIII. quod primum Scholæ Theologicæ assignatur, utramque Testimoniorum seriem inchoamus, sed non usque ad præsens Sæculum perducimus, ne infinitum nobis negotium assumamus. Partis Adversæ seriem duobus tantum prioribus Scholæ Sæculis claudimus. Quia post Sæculum Scholasticum secundum, CHRISTI XIV. non alios fere est invenire Scholasticos, alicujus nominis, Adversarios nisi solos, (etsi non omnes) Sacri Ordinis Prædicatorum Magistros, Johannem Capreolum, Turrecrematam, Bandellum, Vincentium, Cajetanum, Spinam, & quosdam alios similes. Piæ Partis seriem ad tria Sæcula dumtaxat protendimus. Quia post Sæculum Scholasticum tertium, CHRISTI XV. quotquot fere Theologi scripserunt, Piam Sententiam propugnant; adeo ut ipsemet Cajetanus, anno 1515. scribens, Capite V. sui Tractatus fateatur, *Doctores, tenentes B. Virginem esse præservatam* (ab Originali Peccato) *esse numero infinitos, si ad Modernos spectemus.* Et Martinus Lipenius Tomo II. Biblioth. Realis Theolog. V. *Mariæ Conceptio Immaculata*, Intra Sæculum XVII. centum, & triginta septem Auctores recenset, qui peculiares Libros, seu Tractatus pro ejusmodi Conceptione typis impressos ediderunt.

30. Præterea Adversæ Partis Fautores contenti esse debent, quod ex illis duobus prioribus Sæculis, eos dumtaxat seligamus Scholasticos, qui Primores sunt, vel Primoribus accedunt; & de quibus, ex visis ipsorum operibus, certum judicium ferre potuimus. Similiter Piæ Partis studiosis displicere non debet, quod ex tribus prioribus Sæculis, nonnisi illos, qui alicujus sunt nominis, nobisque comperti, & explorati, allegemus. Non enim in Testimoniorum numero, sed in sinceritate, ac delectu, hujus operæ pretium collocavimus.

31. Quamobrem hic quoque monemus, quod in Prolusione Actionis II. monebamus, producta nimirum a Vincentio Bandello Testimonia, non esse attendenda. Nam & hoc etiam loco Bandellum, in referendis Auctorum Sententiis, sæpe falli, vel fallere, deprehendimus; quantumvis ipse, solitâ suâ confidentiâ, *Eas fere omnes in proprio fonte vidisse*, se jactet *cap. 26. fol. 36. pag. 1.* Falsitates aliquot memoro.

32. Albertus Magnus *in lib. 3. Sent. dist. 3. art. 4. pag. 26. Tomi 15.* scripsit: *B. Virgo non fuit sanctificata ante Animationem: & qui dicunt oppositum, est hæresis condemnata a B. Bernardo, & a Magistris omnibus Parisiensibus.* Bandellus *cap. 23. fol. 28. pag. 2.* eundem Albertum ibidem ita

(c) *Par. 3. Summæ, quæst. 9. membro 3. art. 2. fol. 32. col. 3. & 4.*

(d) *In libro, cui titulus:* Quinque Decades Regularum pro intelligentia S. Scripturæ, *Regula 3. Decadis 4. nu. 16. pag. 191. edit.* Tirnaviæ an. 1717.

Locus autem S. Augustini est lib. 83. Quæstion. qu. 69. n. 4. col. 56. & seq. tomi 6.

(e) *In Historia Anglicana majori, in* Henrico III. *pag. 95. & seq.*

ita ſcribentem inducit: *Dicimus, B. Virginem contraxiſſe Originale Peccatum, nec fuiſſe ſanctificatam ante Conceptionem, nec in Conceptione, ſed poſt Conceptionem. Dicere autem oppoſitum, eſt hæreſis &c.* Idem vitium incurrit in Citatione Alexandri de Hales: Quod enim Alexander 3. *P. Sum. Q. 9. membr. 2. ar. 1.* ait de Conceptione B. Virginis ſecundum Carnem; Bandellus *cap. 24. fol. 32. pag. 1.* transfert ad Conceptionem B. Virginis ſecundum Animam.

33. Hannibaldus, ſive Annibaldus, unus fuit Annibaldenſis Romanus, iſque ex Ordine Prædicatorum S. R. E. Cardinalis, qui ex magnis D. Thomæ Commentariis in libros Sententiarum, breves Commentarios compilavit, ipſi D. Thomæ olim attributos, ſub titulo *Scripti ſecundi in libb. Sent.* (V. Poſſevinum *Tomo II. pag. 5.* & Jacobum Echard. *Tomo I. pag. 261. & ſeqq.*) Ex hoc autem uno, duos Annibaldos creavit Bandellus, alterum Ordin. Ciſtercienſis, alterum Ordinis Prædic. Nam *cap. 22. fol. 27. pag. 2.* inter Doctores Ordinis Ciſtercienſis, primum citat *Annibaldum in 3. ſent. diſt. 3.* ita dicentem: *B. Maria non fuit ſanctificata ante infuſionem Animæ, nec in inſtanti infuſionis Animæ; quia tunc Originale Peccatum contraxit, aliter enim non fuiſſet redempta: ſed pie credi poteſt &c.* Poſtea vero *cap. 28. pag. 2.* inter Doctores ſui Ordinis citat *Annibaldum Romanum Cardinalem in 3. ſent. diſt. 3.* ſic ſcribentem: *B. Virgo Maria fuit concepta in Peccato Originali: ideo non fuit ſanctificata ante infuſionem Animæ, nec inſtanti infuſionis, ſed poſt infuſionem.* Et quod magis mirere, neque hæc, neque illa verba reperiuntur in Commentariis unius veri Hannibaldi *in 3. librum Sentent. quæſt. unica, art. 1.* qui extant *Tomo XIV. Operum D. Thomæ fol. 82.*

34. Eandem geminationem fecit Bandellus *cap. 21. fol. 26. pag. 2.* in Richardo Rodulpho, Archiepiſcopo Armacano, & Primate Hiberniæ, Oxonienſis Gymnaſii olim Cancellario. Sic enim primo citat: *Idem tenet Dominus Armacanus, Epiſcopus Hiberniæ in 3. Sent. diſt. 3. ſic dicens &c.* & deinde: *Idem tenet Magiſter Ricardus Rodulphi de Hibernia, Cancellarius Univerſitatis Oxonienſis, in 2. Sent. qu. 7. art. 2. ſic dicens &c.* Quod autem ſub his nominibus, unus & idem Auctor deſignetur, omnes vel leviter eruditi norunt. V. Poſſevinum in *Apparatu Sacro, Tomo 3. pag. 131.* Has, & alias citationes falſas, quas in Bandello deteximus, ſi animadvertiſſet Bartholomæus Medina, non eum ut *Fideliſſimum, & Diligentiſſimum* Scriptorem laudaſſet, *in 3. par. quæſt. 27. art. 2. pag. 364. col. 2. tomi 2.*

35. Demum, quod ad Academias, ſeu Studiorum Univerſitates attinet, in quibus ſunt Florentiſſimi Scholaſticorum Theologorum Cœtus; duo præfari oportet. Primum eſt, nullum ex illis Teſtimonium pro Adverſa Parte allegari poſſe. Quod enim legitur apud Bandellum. [f] *Univerſitas Pariſienſis, tempore quo Doctoribus clariſſimis florebat, determinavit, hæreticum fore, tenere, B. Virginem non fuiſſe conceptam in Peccato Originali*: eſt unum ex Bandelli figmentis, ad quod comprobandum falſo citantur *Albertus Magnus in 3. Sent. Guillelmus Altiſiodorenſis in 3. lib. Sum. ſuæ, & Johannes de Poliaco in Quodl. tertio.* Quid ibi dixerit Albertus, jam vidimus. Quæ vero adverſus Piam Sententiam ſcripſerunt Altiſiodorenſis, & de Poliaco, latiſſime refert Joannes de Turrecremata, *Parte VI. cap. 28. fol. 117. pag. 2. & ſeq.* & nihil in eis de Univerſitate Pariſienſi legitur. V. & Petrum de Alva in Sole Veritatis *n. 104. a pag. 438. & num. 184. a pag. 548.*

36. Alterum eſt, omnes Academias, quotquot hodie in Orbe Catholico vigent, pro Pia Parte allegari merito poſſe; ut agnovit Bartholomæus Medina, qui loco a nobis cit. *Act. III. num. 438.* ajebat: *Suffragantur huic Sententiæ omnes Univerſitates ſtudiorum, in quibus Viri Docti, & Magiſtri ſequuntur hanc Sententiam, & maxime Schola Pariſienſis, reliquarum Parens, & Magiſtra.* At paucarum hic duntaxat antiquiorum, & celebriorum Academiarum, ſacramento firmata Teſtimonia producimus. Inter eas Societatem JESU poſtremo loco recenſere, ut conſentaneum, ſic & licitum mihi eſſe arbitratus ſum. Societas quippe noſtra, *Apertis ubique locorum, ad juventutem erudiendam in litteris, ac pietate, gymnaſiis*, (lect. 6. Offic. S. Ignatii) Academia quædam eſt univerſalis, toto Orbe Terrarum diffuſa; quæ Summorum Pontificum privilegio, Regibuſque annuentibus, Alumnos ſuos, doctrinæ inſignibus ornandi pollet facultate.

[f] *Par. 1. in Reſponſ. ad Rationem 11. fol. 67. pag. 2.*

ARTICULUS I.

Theologorum Scholasticorum Testimonia, ab Adversa Parte allegata.

SÆCULUM SCHOLASTICUM PRIMUM, CHRISTI XIII.

TESTIMONIUM I.

Alexander de Hales, Ordinis Minorum, Anno MCCXLV.

37. PRo Contraria Sententia passim allegatur antiquissimus hic Scholasticus; sed ubinam illam, saltem expresse, tradiderit, non invenio. Tertia parte suæ Summæ Theologicæ [g] *de Sanctificatione* B. Virginis quinque inquirit. I. An B. Virgo *ante Conceptionem*, fuerit sanctificata? II. An *in Conceptione?* III. An *post Conceptionem, ante infusionem Animæ?* IV. An *post Animæ infusionem, in Utero Matris?* V. A *quibus fuit sanctificata?*

38. Ad I. respondet: *B. Virginem non fuisse sanctificatam ante Conceptionem in Parentibus.* Et addit: *Immo necesse fuit, quod in generatione sua contraheret peccatum a Parentibus.*

39. Utrumque nos admittimus, & quod non fuerit sanctificata in semine, vel in Parentibus, & quod in generatione sua, hoc est ex vi suæ generationis carnalis, contraxit peccatum a Parentibus non quidem in re, & *formaliter*, sed in causa, & *radicaliter*. Ut enim idem Halensis alibi docet, [h] *Peccatum non dicitur esse in carne formaliter, sed causaliter: quia in carne est, unde postea contrahit Anima Peccatum.*

40. Ad II. respondet: *Beatam Virginem in sua Conceptione sanctificari non potuisse:* & inter arguendum ait: *B. Virginem conceptam fuisse in Peccato: quia secus non fuisset obligata Peccato, nec habuisset reatum Peccati; ac proinde non indiguisset Redemptione per Christum: quia Redemptio est propter obligationem ad Peccatum, & ad reatum Peccati.*

41. Loquitur hoc loco Halensis de Conceptione Seminali, quæ præcedat tempore infusionem Animæ, ut ex seq. Art. patet; in qua certe Conceptione Beata Virgo sanctificari non potuit. Quod autem ait, B. Virginem conceptam fuisse in Peccato, non intelligit de Peccato, quod fuerit in ipsa Virgine; tunc enim non erat, nisi Caro, quæ non est capax Peccati; sed intelligit de causa Peccati, quæ erat in libidine Generantium. Quod totum etiam patet ex his, quibus hunc Articulum concludit: *Conceptio dicit commixtionem, quæ est in principiis seminalibus Viri, & Mulieris: quæ commixtio fit per naturam.... a parte autem illius commixtionis est libido; & propter hoc dicit Bernardus: quomodo Peccatum non fuit, ubi libido non defuit?* Conceptam ergo dicit B. Virginem in Peccato, non *formaliter*, sed *causaliter*, seu in debito. Et hoc est, quod probat argumento deducto ex indigentia Redemptionis, ad quam sufficere obligationem ad Peccatum apertissime significat.

42. Ad III. respondet: *Dicendum, quod Caro ante Animationem nullo modo potest sanctificari.* Quod quidem in omni Sententia verissimum est.

43. Ad IV. respondet: *Concedendum est, quod Gloriosa Virgo ante suam Nativitatem, post infusionem Animæ in suo Corpore, fuit sanctificata in utero Matris suæ.* Pro hac Conclusione arguit ex Festo Nativitatis, sicuti nos arguimus ex Festo Conceptionis. Et laudat verba illa S. Anselmi: *Decebat, ut illius Hominis Conceptio de Matre Purissima fieret, ea puritate, qua major sub DEO nequit intelligi:* quæ & nos laudamus. Et sicut ipse subjungit: *Sed si non esset purificata, & sanctificata in utero, intelligeretur major puritas in Johanne, & Hieremia, quàm in Virgine.* Ita nos quoque subjungimus: *Sed si ab initio suæ Creationis non esset Immunis ab omni Peccato, intelligeretur major puritas in Angelis Sanctis, quàm in Virgine.* Denique quemadmodum ipse respondet ad Epistolam D. Augustini ad Dardanum, (de qua in Apparatu. *num.* 123. & 125.) & ad silentium Scripturarum; similiter & nos respondemus.

44. Ea dumtaxat verba, *Post infusionem Animæ*, speciem contrarietatis habent. At hæc verba ambigua sunt, & æque signare possunt *Posterioritatem* Temporis, ac Naturæ, ut sæpe notatum est. Halensis autem sola Naturæ *Posterioritate* contentus esse videtur: tum quia contra Sanctificationem B. Virginis in ipsa infusione Animæ, nihil prorsus opponit; cum neque de hujusmodi Sanctificatione ullam moveat quæstionem: tum quia prima Parte Summæ, [i] (ad quem

[g] *Quæst.* 9. *membro* 2. *art.* 1. 2. 3. 4. & 5. *a fol.* 29. *col.* 3. *edit.* Venetæ, an. 1575.

[h] *Prima Parte Summæ, quæst.* 11. *membro* 3. *fol.* 19. *col.* 3. & 4.

[i] *Quæst.* 11. *Membro* 3. *fol.* 19. *col.* 3. & 4.

quem locum ipse se remittit initio hujus Articuli) DEUM per inhabitantem Gratiam non posse esse in Carne, nisi post infusionem Animæ, his argumentis evincit. Quia, *prius est, esse, quàm bene esse: sed Anima quantum ad esse perficit Corpus, Gratia vero quantum ad bene esse: ergo necesse est, prius animari Carnem, quàm sit susceptiva Gratiæ.* Rursus: *Sicuti se habet Gratia ad Naturam, ita se habet Vita Gratiæ ad Vitam Naturæ: sed impossibile est, quod Gratia sit, nisi præexistat Natura: ergo nec Vita Gratiæ poterit existere, nisi præexistat Natura.* Quæ quidem argumenta solam Naturæ posterioritatem concludunt, ut consideranti patet.

45. Ad V. denique respondet: *Credo firmiter, quod B. Virgo in prima Sanctificatione, quantum ad suam Personam, ita purgata fuit, & a Peccato, & a Fomite, pro ut dicit pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum, quod nihil in Persona sua remansit purgandum.*

46. In his quoque verbis, quibus B. Virgo dicitur *Purgata a Peccato*, aliquid sonare videtur, quod innuat contractum ab Ea Peccatum. Sed, cum Halensis in præcedentibus Articulis ne verbum quidem ullum habeat de *formaliter* contracto a B. Virgine in sua Animatione Peccato, sed tantum de Peccato *causaliter* contracto in sua prima Conceptione, ut jam observatum est: non incongrue Sanctificatio, & Purgatio ista intelligi potest a Peccato, non jam contracto, sed contrahendo, nisi per Gratiam præventa fuisset. Sicut enim intelligitur Redemptio præservativa, ut idem Halensis indicavit: ita intelligi potest Purgatio præservativa, ut ostendimus *Act. II. n.* 165. & 169. Manet ergo conclusum, apud Halensem, nihil Piæ Sententiæ, saltem expresse, contrarium reperiri.

TESTIMONIUM II.

Albertus Magnus, Ord. Prædicat. Ratisponensis Episcopus, Anno MCCL.

47. DE Sanctificatione B. Virginis plura inquirit Albertus in Librum III. Sent. Distinct. 3. Sed tria sunt, quæ huc spectare posse videntur. [k] I. *An B. Virgo sanctificata sit in utero, vel ante uterum?* II. *An in utero ante Animationem, vel post?* III. *An post Animationem, vel ante Nativitatem, vel post?*

48. Respondet ad I. *Nec B. Virginem, nec quemlibet alium posse sanctificari in Parentibus.* Hoc autem probat, tum quia in Parentibus potius est causa traducendi Peccatum in Prolem; tum quia nemo fuit in lumbis Patrum secundum Animam, sed secundum Carnem, quæ non est susceptibilis Gratiæ. Nihil autem istorum Piam Sententiam tangit.

49. Respondet ad II. *B. Virginem non fuisse sanctificatam ante Animationem:* & oppositum dicit esse *Hæresim condemnatam a B. Bernardo, & a Magistris omnibus Parisiensibus.* Quod similiter probat, tum quia, sicuti Caro non est susceptibilis Peccati, ita nec Gratiæ; tum quia Corpus, nonnisi per Animam, sanctificatur. Et nihil etiam hic sonat contra Piam Sententiam.

50. In solutione argumentorum duas alias affert causas, cur DEUS voluerit, Eam prius animari. Quia, inquit, aliter liberatione, quantum ad Animam, non indiguisset; & quia Sententia illa, *Morte moriemini*, de utraque morte in propagatione intelligitur. Sed utraque causa referri potest ad debitum contrahendi Peccatum ex vi generationis. Hoc enim debitum B. Virgo secundùm Animam non incurrisset, si ejus Caro ante Animationem fuisset sanctificata; & ideo quantum ad Animam liberatione non indiguisset, ut videbimus in D. Thoma.

51. Respondet ad III. *Dicendum, quod ante Nativitatem ex utero sanctificata fuit; sed quo die, vel qua hora, nescire quemquam Hominem, nisi per revelationem: nisi, quod probabilius est, quod citò post Animationem conferatur, quam longe expectetur.*

52. Et in hac Responsione videri potest Albertus innuisse Beatam Virginem prius contraxisse Originale Peccatum in Anima, & postea fuisse sanctificatam. Quia verba illa: *Sed probabilius est, quod citò post Animationem &c.* non ita facile intelligi posse videntur, de sola posterioritate Naturæ. Profertur & alius Alberti locus Art. VIII. ubi agens de Immunitate Beatæ Virginis ab Actuali Peccato, ad quoddam D. Augustini Testimonium respondet: *In Carne vivere sine Peccato contracto, & facto, solius Filii DEI est: Sed B. Virgo contraxit Peccatum prius, & postea sanctificata fuit.* Illud vero de Peccato contracto tantum in debito, intelligi non incongrue potest. Hoc enim debito in B. Virgine semel admisso, salva consistit CHRISTI prærogativa, qui nec Peccatum, nec Peccati debitum contraxit.

53. Habemus ergo, Albertum Contrariam Sententiam non propugnasse, sed ad summum obiter indicasse. Et num æquum tibi videtur, propter unum, aut alterum verbum, Alberti Magni auctoritatem contra Piam Sententiam exaggerare?

TESTIMONIUM III.

S. Thomas Aquinas, Ordinis Prædicatorum, Anno MCCLXV.

54. NIhil frequentius auditur, & nihil facilius creditur, quia & nihil clarius, superficie tenus, apparet; quàm Angelicum Doctorem, pluribus in locis, contractum a B. Virgine Originale Peccatum, tam generatim, quam singulatim tradidisse. Et ego quidem ab hac communi opinione non recederem, nisi, geminis præeuntibus, fidissimis D. Thomæ Interpretibus, Seraphino Capponi a Porrecta, [l] & Johanne

[k] *Art.* 3. 4. & 5. *a pag.* 25. *tom.* 25. *edit.* Lugdun. *an.* 1651.

[l] *In Elucidationib. litteralib. in* 2. *var. Summæ D. Thomæ, super quæst.* 27. *art.* 2. *a pag.* 217. *tomi* 4. *edit.* Patavinæ *an.* 1698.

Johanne a S. Thoma [m] Ordinis Prædicat. Magistris, a Jacobo Echard. plurimum commendatis; [n] in ipsa D. Thomæ doctrina veluti Clavim invenissem, ad opertum S. Doctoris sensum recludendum, Piæ, & Ecclesiasticæ Sententiæ minime contrarium.

55. PRIMO Divus Thomas nullibi quæstionem instituit singulariter, & directe: *Utrum B. Virgo contraxit Originale Peccatum?* Sed tantum universaliter, his, vel similibus verbis: *Utrum Peccatum primi Parentis transeat per originem in omnes Homines?* Ut patet in omnibus locis, in quibus ex instituto agit de Originali Peccato. [o] Rursus, nusquam D. Thomas quæstionem movet: *Utrum B. Virgo fuerit sanctificata in ipso instanti Animationis?* Sed tantum: *Utrum fuerit sanctificata ante Nativitatem ex utero*, vel *ante Animationem*? Hoc etiam patet ex iis locis, in quibus ex instituto agit de B. Virginis Sanctificatione. [p]

56. Disserit autem potissimum D. Thomas de B. Virginis Sanctificatione ante Animationem, eamque excludere satagit. Quia virtute hujusmodi qualiscunque Sanctificationis, B. Virgo, in quantum Persona singularis, & producta, non haberet debitum incurrendi Peccatum, nec indigeret gratiâ Redemptionis; sed tota gratia fieret, vel Parentibus, vel Semini, vel Carni ante Animationem; ut ipsemet D. Thomas animadvertit his verbis: [q] *Nec potest dici, quod non hac Redemptione indiguerunt, quia præstitum fuit eis, ut sine peccato conciperentur: quia illa Gratia facta est Parentibus, ut in eis Vitium Naturæ sanaretur, quo manente, sine Originali Peccato generare non possent; vel ipsi Naturæ, quæ sanata est. Oportet autem ponere, quod quilibet personaliter Redemptione Christi indigeat, non solum ratione Naturæ.*

57. SECUNDO D. Thomas, ubicunque asserit, vel generatim, quod nemo, præter solum CHRISTUM, concipiatur absque Originali Peccato; vel etiam nominatim, quod B. Virgo concepta sit in Originali Peccato, seu contraxerit Originale Peccatum; constanter utitur ratione, desumpta ex universali indigentia Redemptionis Christi. Quod ut palam fiat, Sancti Doctoris locos omnes, primùm generales, dein singulares recensemus.

58. Loci generales sunt I. In lib. IV. Sentent. Dist. 43. quæst. 1. Art. 4. „ Est erroneum dicere, quod aliquis sine Peccato Originali concipiatur, præter Christum: quia ille, qui sine Peccato Originali conciperetur, non indigeret Redemptione, quæ facta est per Christum: & sic Christus non esset omnium Hominum Salvator. „

59. II. In lib. 2. Sentent. Dist. 31. quæst. 1. art. 2. „ Necessarium est, omnes, qui ex Adam generantur, per viam coitus, Peccatum Originale contrahere. Ratio ex dictis accipi potest. Quia nimirum ille, qui non est Peccato obnoxius, Redemptione non indiget. Si ergo esset aliquis, qui non in Peccato Originali nasceretur, præter Christum; inveniretur aliquis, qui Redemptione facta per Christum non indigeret; & sic Christus non esset Caput omnium Hominum: quod non est conveniens secundum Fidem. „ Et hic observa, non dixisse S. Doctorem: *Qui Peccatum non habet*, sed: *Qui non est Peccato obnoxius, Redemptione non indiget.*

60. III. Primâ secundæ quæst. 81. art. 3. „ Secundum Fidem Catholicam firmiter est tenendum, quod omnes Homines, præter solum Christum, ex Adam derivati, Peccatum Originale ex Adam contrahunt: alioquin non omnes indigerent Redemptione, quæ est per Christum, quod est erroneum. „

61. IV. In quæstionibus disputatis de Malo, quæst. 4. art. 6. „ Erroneum est dicere, quod aliqui seminaliter ab Adam deriventur, absque Originali Peccato: Sic enim aliqui essent Homines, qui non indigerent Redemptione facta per Christum. „

62. Loci singulares sunt I. In lib. 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. art. 1. „ Sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem Animæ: Quia gratiæ capax nondum erat. Sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per Gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne Culpam Originalem incurreret: Christus enim hoc singulare in Humano Genere, habet, ut Redemptione non egeat, quia Caput nostrum est; sed omnibus convenit, redimi per ipsum. Hoc autem esse non posset, si alia Anima inveniretur, quæ nunquam Originali Macula fuisset infecta: & ideo nec B. Virgini, nec alicui, præter Christum, hoc concessum est. „

63. Tertia Parte quæst. 27. ar. 2. Et sic quocunque modo ante Animationem B. Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam Originalis Culpæ, & ita non indiguisset Redemptione, & Salute, quæ est per Christum &c. Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium Hominum, ut dicitur prima ad Timot. „ *Et in responsione ad secundum:* „ Si nunquam Anima B. Virginis fuisset contagio Originalis Peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est Universalis omnium Salvator &c.

64. III. Quodlibeto VI. quæst. 5. ar. 7. „ Alioquin, si hoc (*idest non includi in universitate illorum, qui in Adam peccaverunt,*) alteri conveniret, quàm Christo, non indigeret Christi Redemptione; & ideo non tantum debemus dare Matri, quod subtrahat aliquid honori Filii, qui est Salvator omnium Hominum. „

65. IV. Opus-

[m] *Cursus Theologici tomo 1. in 1. par. Tract. prævio de Approbat. & Auctoritate Doctrinæ D. Thomæ, disp. 2. art. 2. a pag. 157. edit.* Coloniæ Agripp. an. 1711.

[n] *Tomo 2. ad ann. 1614. pag. 392. & ad ann. 1644. pag. 538.*

[o] *In lib. 2. Sent. dist. 31. quæst. 1. ar. 2. & Prima secundæ, quæst. 81. art. 3.*

[p] *In lib. 3. Sent. dist. 3. quæst. 1. art. 1. & tertia Parte, quæst. 27. art. 1. & 2.*

[q] *In lib. 4. Sent. dist. 43. qu. 1. art. 4. ad 3. primi quæsiti.*

65. IV. Opusculo 2. quod est *Compendium Theologiæ*, cap. 224. „ Oportuit, quod (B. Virgo) cum Peccato conciperetur, utpote quæ „ ex utriusque sexus commixtione concepta fuit „ &c. Similiter etiam, quia si cum Peccato „ Originali concepta non fuisset, non indigeret per Christum redimi; & sic non esset „ Christus Universalis Hominum Redemptor „ &c. „

66. Tertio D. Thomas optime novit, atque probavit duplex Redemptionis genus: Alterum, quo quis a Peccato jam contracto, vel commisso liberetur, & eruatur: alterum, quo a Peccato, cui contrahendo, vel committendo erat obnoxius, ne in illud incidat, præservetur. Nam 2. 2. *qu.* 106. *art.* 2. laudat illa D. Augustini verba, a nobis laudata *Act. I. num.* 64. „ Gratiæ tuæ deputo, & Misericordiæ tuæ, quod „ peccata mea, tanquam glaciem solvisti. Gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala: quid enim non facere potui, qui etiam „ gratuitum facinus amavi? Et omnia mihi „ DIMISSA esse fateor; & quæ mea sponte „ feci mala, & quæ, te duce, non feci: „ & reliqua ibi videnda. Quibus D. Thomas addit hæc alia verba, quæ sequuntur in Augustino: „ Et ideo tantundem, imo amplius te diligat „ (Innocens;) quia per quem me videt, tantis „ peccatorum meorum languoribus exui, per „ eum, (*hoc est per Christum Redemptorem*) „ se videt, tantis peccatorum languoribus non „ implicari. „

67. Rursus ipse D. Thomas *loco cit.* in *lib.* 4. *Sent.* Ut quis in se ipso vere diceretur liberatus, seu redemptus a Peccato per CHRISTUM; satis esse putavit, vel quod in Peccatum re ipsa inciderit, vel quod debitum incurrerit incidendi in illud. „ Liberari autem, *inquit*, a malo, „ vel a debito absolvi non potest, nisi qui debitum incurrit, vel in malum dejectus est: „ & ita non possent omnes fructum Dominicæ „ Passionis in seipsis percipere, nisi omnes debitores nascerentur, & malo subjecti. Unde „ dimissio debitorum, & liberatio a malo non „ potest intelligi, quod aliquis sine debito, vel „ immunis a malo nasceretur, sed quia cum debito natus, postea per gratiam CHRISTI liberatur. „

68. Atque hinc, (ait Magister Seraphinus a Porrecta) „ per necessariam sequelam patet, B. „ Thomam novisse hoc, scilicet, quod B. Virgo, etiamsi nunquam actualiter incurrisset „ maculam Originalis Peccati, indiguisset redimi per CHRISTUM a Peccato; & consequenter non tolleretur propter hoc a CHRISTO „ suum privilegium, scilicet, quod sit Salvator omnium Hominum. Salvasset enim etiam „ tunc Matrem suam a Culpa Originali, in „ quam utique de facto cecidisset, si ipse eam a „ tali casu non præservasset. „ Unde infert, illorum verborum 3. Partis cit. *Et sic quocumque modo &c.* altum sensum esse: *Si B. Virgo numquam incurrisset maculam Originalis Culpæ, nec fuisset in periculo incurrendi illam; non indiguisset Redemptione &c.*

69. Idem observat, & colligit Magister Johannes a S. Thoma. „ Ad liberationem, *inquit*, „ per CHRISTUM disjunctive postulat D. Thomas, vel Debitum, vel Culpam in eo, qui „ redimendus est. Ergo si sufficienter salvat D. „ Thomas Redemptionem per CHRISTUM in aliquo, qui solum nasceretur cum Debito, „ non amplius requirit, quando loquitur de „ Virgine, & infert pro inconvenienti, quia „ aliàs non indigeret Redemptione per CHRISTUM. Intelligit enim: non indigeret, si conciperetur sine Debito, & sine Peccato; non „ tamen, si conciperetur sine Peccato, dummodo conciperetur cum Debito in Persona: „ & quoties D. Thomas infert, quod non indigeret Redemptione, ly non indigeret, est, „ quia includitur etiam Debitum: hoc enim, „ si datur, sufficit ad indigentiam Redemptionis. „

70. Sed & ipsemet Card. Cajetanus locum illum universalem citatum ex Prima Secundæ: *Secundum Fidem Catholicam &c.* similiter exponit in Comment. *Si Peccatum*, inquit, *Originale, vel in actu, vel in necessitate habendi illud, quis non incurreret; non egeret Redemptione: sed si omnes obnoxii sunt Peccato Originali, sufficit ad indigentiam Redemptionis &c.* Quam doctrinam & alibi repetit: [r] *Oportet*, inquit, *aut quod habeat Peccatum, vel quod sit in procintu, seu periculo habendi Peccatum, quisquis eget salvari a Peccato &c.* Non est autem ulla vel apparens ratio, cur eodem modo exponendi non sint cæteri loci singulares, in quibus D. Thomas ex indigentia Redemptionis probat, B. Virginem contraxisse Originale Peccatum.

71. Ex iis omnibus, evidenter (ni fallor) concluditur, totam D. Thomæ doctrinam in hac materia, salvam, & integram consistere, etiam si negemus, B. Virginem re ipsa contraxisse Originale Peccatum, dummodo admittamus, fuisse in ea debitum contrahendi illud. Quia, ut ex prænotatis constat, ubicunque S. Thomas definite docet, B. Virginem conceptam esse in Originali Peccato, vel contraxisse Originale Peccatum; constantissime id probat, quia secus non indiguisset CHRISTI Redemptione. Cum ergo ad indigentiam Redemptionis satis esse putaverit, necessitatem, seu debitum contrahendi Peccatum; (ut jam sui Discipuli fatentur,) doctrina ista D. Thomæ intelligenda est de Peccato a B. Virgine contracto, sive in re, sive tantum in debito. Quod debitum in Persona B. Virginis, ut omnino adstrueret, multus fuit in improbanda B. Virginis Sanctificatione ante Animationem.

72. Tria sunt, quæ huic interpretationi obstare videntur. I. D. Thomas *loc. cit. in* 3. *sent.* aperte docet, B. Virginem, nec ante infusionem Animæ sanctificatam fuisse, *nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per Gratiam, tunc sibi infusam conservaretur, ne Culpam Originalem incurreret.* II. *Loco cit.* 3. *partis* ita concludit: *Unde relinquitur, quod Sanctificatio B. Virginis fuerit post ejus Animationem*: & simili-

[r] *Comment. in* 3. *part. quæst.* 27. *art.* 2. §. Ad hujus evidentiam.

similiter *loc. cit.* Compendii Theologiæ : *Unde post infusionem Animæ credendum est, eam sanctificatam fuisse.* III. *Loco cit.* Quodlibeti 6. ait, *Romanam Ecclesiam, & plurimas alias, considerantes, Conceptionem Virginis in Originali Peccato fuisse; Festum Conceptionis non celebrare.* De aliis autem Ecclesiis, id Festum celebrantibus monet, *Celebritatem illam non esse referendam ad Conceptionem, ratione Conceptionis, sed potius ratione Sanctificationis in Utero.* Hæc autem de solo Peccati Originalis debito intelligi non possunt. Solum enim debitum Peccati non obstaret, quominus ipsa Conceptio fuerit Sancta, proindeque ratione sui celebranda.

73. Respondemus ad primum cum Johanne a S. Thoma, Angelicum Doctorem verba illa in 3. Sentent. *Nec etiam in ipso instanti infusionis &c.* postea vel suppressisse, vel explicasse. Suppressit quidem *loco cit.* 3. *Partis*, ubi solum docet, quod *Sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante ejus Animationem*; atque concludit: *Et sic quocunque modo B. Virgo ante Animationem sanctificata fuisset, nunquam incurrisset Originale Peccatum*, (utique nec in re, nec in debito) *& ita non indigeret Redemptione per Christum.* Quod, negato tam peccato, quàm debito, consequens est. Explicavit autem *loco cit. in* 4. *Sentent.* quod ad liberationem, & Redemptionem sufficit vel peccatum ipsum, vel solum peccati debitum in propria Persona. Non pauci suspicantur, verba illa, *Nec etiam in ipso instanti infusionis*, quæ nusquam alibi apud D. Thomam reperiuntur; esse laciniam textui assutam. V. Fr. Petrum de Alva. [s]

74. Ad secundum respondemus cum Seraphino a Porrecta, quod sicuti ex Philosopho. [t] *Prius*, dicitur duobus modis, *Prius natura*, & *Prius tempore*: ita, *Post*, dupliciter accipi potest, *Post natura*, & *Post tempore.* Quæ quidem prioritas, vel posterioritas secundum Naturam, hoc est secundum ordinem causalitatis, non excludit consociationem temporis, ut constat. Utrovis autem modo sumpsit ibi S. Doctor illud *Post*, quasi diceret: *Unde relinquitur, quod Sanctificatio B. Virginis fuerit post ejus Animationem, posterioritate aliqua, vel temporis, vel saltem naturæ.* Quod verissimum est: quia licet simul tempore fuerint, B. Virginis Animatio, & Sanctificatio; cum tamen subjectum proprium Gratiæ Sanctificantis, sit Creatura Rationalis; semper infusio Gratiæ Sanctificantis secundum Naturam est posterior infusione Animæ.

75. Hanc esse legitimam expositionem hujus textus, evincitur. Tum quia idem S. Doctor *loco cit.* Compendii Theologiæ, *fol.* 39. *col.* 3. *Tomi* XVII. eandem Conclusionem, quod scilicet B. Virgo *post infusionem Animæ sanctificata fuit;* inde colligit, quia *Gratia Sanctificationis per prius in Anima radicatur, nec ad Corpus potest pervenire, nisi per Animam.* Hæc autem ratio solam naturæ posterioritatem infert. Tum maxime quia, nisi textum illum intelligeremus de posterioritate Naturæ, vel temporis; ineptam illationem S. Doctori affingeremus. Ex eo namque, quod Sanctificatio B. Virginis non fuit prius tempore ad Animationem, (quod solum probaverat D. Thomas) perperam infertur, quod fuerit determinate posterius tempore ad Animationem. Dari enim potest medium inter hæc duo extrema, nempe quod fuerit simul tempore cum ipsa Animatione. Quemadmodum in Angelis Sanctificatio fuit simul tempore cum prima ipsorum Creatione, etsi posterius Natura ad eam Creationem: ut alibi [u] tradit idem S. Doctor, de posterioritate naturæ intelligens quemdam D. Augustini locum.

76. Card. Cajetanus in Commentario aliter tueri conatur rectitudinem illius illationis D. Thomæ, dicens, quod *hujus opinionis* (mediæ) *Auctor non meminit, quia tempore suo non erat adinventa.* Sed ratio ista & impar est, & manifeste falsa. Ipse D. Thomas *loco cit.* in 3. *Sentent.* eam opinionem rejecerat: & D. Bonaventura *loco citando (pag.* 35. *tom.* 5. *)* refert, quosdam eo tempore dixisse, *quod in instanti suæ Creationis fuit B. Virgini Gratia infusa, & in eodem instanti Anima est infusa Carni.*

77. Ad Tertium, laudati Magistri a Porrecta, & a S. Thoma fatentur, Angelicum Doctorem alicubi tradidisse, contractum reipsa a Beata Virgine Originale Peccatum, non tanquam rem certam, & exploratam, sed tanquam sibi visam magis probabilem, ea dumtaxat ratione, quòd Festum Conceptionis B. Virginis a Romana Ecclesia non celebrari, sed tantum tolerari videret. Unde inferunt, quod si D. Thomas vidisset, ipsam Romanam Ecclesiam Festum illud celebrare, & celebrandum præscribere, a conscientia sua, & reverentia Romanæ Ecclesiæ permotus, Sententiam illam nunquam pro magis probabili habuisset.

78. Hoc quidem satis esset, ut Angelici Doctoris Auctoritas adversus Piam Sententiam hoc tempore allegari non posset, quo Festum Conceptionis, ex præcepto Sedis Apostolicæ, ab Universa Ecclesia tam solemniter colitur. Sed verius censeo, nullibi D. Thomam Contrariam tradidisse Sententiam: quia nullibi non utitur ratione illa desumpta ex indigentia Redemptionis.

79. Profert Seraphinus a Porrecta ex *loco cit.* 3. Partis, in Responsione ad 2. hæc verba: *B. Virgo contraxit quidem Originale Peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur:* & ponderat verbum illud, *Mundata.* Ast cùm D. Thomas responsionem illam sic ordiatur: *Si numquam Anima B. Virginis fuisset contagio Peccati Originalis inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator &c.* hic quoque de inquinamento Peccati Originalis, in re, vel in debito contracti loquitur; atque adeo de emundatione a Peccato, contracto, vel contrahendo. Ut enim agnovit S. Thomas Redemptionem præservantem a Malo, ita & emundationem præservantem a Macula. Similiter *loco cit.* Quodlibeti, (quem laudat Johannes a S. Thoma)

[s] *In Sole Veritatis, num.* 296. *a pag.* 808.
[t] *In lib. de Post-Prædicamentis, cap. de* Priori.
[u] *Prima parte quæst.* 62. *art.* 3. *V. Act. II. num.* 163.

ma) ut probet S. Doctor, *B. Virginem conceptam fuisse in Originali Peccato*; ad eandem rationem sibi familiarem tandem recurrit: *Alioquin non indigeret Christi Redemptione.* Indeque concludit, Conceptionem B. Virginis, *vel non esse celebrandam, vel non ideo celebrandam esse, quia fuerit sine Peccato Originali concepta, sive quòd in sua Conceptione fuerit Sancta.*

80. Respondeo igitur ad difficultatem propositam, D. Thomam Conceptionis Festum accepisse pro Festo Conceptionis secundùm Carnem, tempore præcedentis ad Animationem; (quemadmodum idem Festum sumpsit ejus Collega S. Bonaventura, mox laudandus, & ejus primarius Discipulus Ægidius Romanus *quodlibet.* 6. *quæst.* 5.) a qua Conceptione constanter exclusit omnem Sanctificationem, ut salvaret in B. Virgine indigentiam Redemptionis in propria Persona. Et ideo merito conclusit, tale Festum vel non esse celebrandum, vel non esse referendum ad Conceptionem, ratione Conceptionis, sed potius ratione Sanctificationis in utero, quæ contigit posteriùs tempore, vel natura ad Animationem.

81. Colligitur hoc ex *loco citato* 3. *Partis*, ubi Festum Conceptionis, tertio loco sibi opponit, ad inferendum, *quod* (B. Virgo) *in ipsa sua Conceptione fuerit Sancta*; *& ita, quod ante Animationem fuerit Sanctificata.* Si Conceptio hìc sumeretur pro Animatione, ex hoc, quod B. Virgo in ipsa Conceptione, idest Animatione, fuerit Sancta, non inferretur, quod ante Animationem fuerit sanctificata. Quamobrem cùm in responsione ad istud argumentum, ait: *Nec tamen per hoc, quod Festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua Conceptione fuerit Sancta*: de Festo loquitur Conceptionis secundùm Carnem; & ideo subjungit: *Sed quia quo tempore sanctificata fuerit, ignoratur,* (quia nimirum ignoratur, quo tempore fuerit animata) *celebratur Festum Sanctificationis ejus potius, quam Conceptionis, in die Conceptionis ipsius.* Nempe die VIII. Decembris, quo die sola B. Virginis Conceptio secundùm Carnem contigisse credebatur. Immo verisimile est, quod S. Thomas universim nomen Conceptionis, cum Alexandro de Hales, sumpsit pro Conceptione secundùm Carnem. Nam sæpe Conceptionem secernit ab Animatione; [x] & *Carnem*, sive *Corpus B. Virginis*, *conceptam*, sive *conceptum*, ait *in Originali.* [y]

TESTIMONIUM IV.

D. Bonaventura, Ord. Minor. S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Albanensis, Anno MCCLXV.

82. Hic unus est inter quatuor primores Scholasticos, de quo fateri cogimur, Contrariæ Sententiæ Propugnatorem fuisse *in lib. III. Sent. dist.* 3. *art.* 1. [z] Sed juvat nosse modum, quem tenuit in præsenti quæstione de Sanctificatione B. Virginis; & discutere oportet, an aliis etiam in locis eandem Sententiam tradiderit.

83. Quæst. I. quærit: *An Caro Virginis sanctificata fuerit ante Animationem?* Negat hoc Seraphicus Doctor, cum ob alia argumenta, tum maxime ob Auctoritatem D. Bernardi in Epistola ad Canonicos Lugdunenses, quam de Conceptione ante Animationem intelligit, ut alibi diximus.

84. Agit etiam hoc loco S. Bonaventura de Festo Conceptionis B. Virginis, cujus Festi Cultores *non omnino*, ait, *laudare audeo:* tum propter Auctoritatem D. Bernardi, tum maxime propter illud generale Documentum, quod *Statuta universalis Ecclesiæ de Sanctorum celebritatibus, omnia fundata sunt super Sanctitatem &c.* Loquitur autem S. Doctor de Festo Conceptionis secundùm Carnem, ut perspicuum est ex ipsa ejus Conclusione: *Si ergo Sanctitas non fuit in Virgine ante Animæ infusionem, non videtur usquequaque securum, Conceptionis illius etiam solemnitatem celebrare.* Quamobrem frustra, (ni dicam imperite) Fr. Angelus Rocchensis hanc ibi notam marginalem apposuit: *S. Doctori de Festo Conceptionis, sic suo tempore opinari licuit, quando scilicet res in dubium vertebatur; nunc vero jam inde a Pontificatu Sixti IV. in Universali Ecclesia celebratur &c.* Nunquid enim ex Institutione Sixti IV. Ecclesia celebrat Conceptionem B. Virginis ante Animationem, quam hìc merito improbat S. Doctor?

85. Quæstione II. S. Bonaventura, clariùs præ Cæteris tangens punctum præsentis controversiæ, inquirit: *Utrum Anima B. Virginis sanctificata fuerit ante Originalis Peccati contractionem?* Pro utraque parte auctoritates, & argumenta proponit, & utriusque etiam partis argumentis responsionem adhibet. Et meo quidem judicio, affirmantis Sententiæ argumenta magis promovere videtur. Ipse vero Sententiæ neganti adhæret, quia illa sibi tunc videbatur *Communior, & rationabilior, & securior.* Nullum autem est caput, unde D. Bonaventuram rationaliter exponere possimus de Peccato contracto tantùm in debito, ut exposuimus D. Thomam. Nam aperte negat, Gratiam datam fuisse Animæ B. Virginis in primo instanti suæ Creationis, qua impediretur Culpa Originalis, etsi id possibile fuisse dicat; ut patet in responsione ad quintum, & sextum argumentum. Et in responsione ad quartum ait, quod *ponere causam sine effectu, vel effectum sine causa, non convenit, neque decens est.*

86. Argumenta, quibus S. Bonaventura probat, Sententiam illam esse *rationabiliorem, & securiorem*; rediguntur ad Pœnalitates hujus vitæ, quas B. Virgo passa est, ad infectionem Carnis,

[x] *Loco cit. in lib. 3. Sent. dist. 3. q. 27. art. 1. ad 4. & q. 33. art. 2. in Titulo.*
[y] 3. *Parte q. 14. art. 3. ad 1. & q. 31. art. 7. in Argum.*
Sed contra:
[z] *A pag. 33. tomi 5. ejus Oper. edit. Romanæ an. 1596.*

nis, contractam ex naturali generatione, ad generalia dicta Scripturæ, & SS. Patrum, & ad dignitatem CHRISTI Redemptoris. Quæ omnia in decursu hujus causæ plane dissoluta sunt.

87. Asserit autem S. Bonaventura, eandem Sententiam esse *Communiorem*; quia, inquit, *Omnes fere illud tenent, quod B. Virgo habuerit originale.* Sed in iis *fere omnibus*, saltem non includi Alexandrum de Hales, nec D. Thomam, jam ostendimus. Quod vero addit: *Nullus autem invenitur dixisse, de his, quos audivimus auribus nostris, Virginem Mariam a Peccato Originali fuisse Immunem.* De illis dumtaxat Scholasticis intelligendum est, quos ipse Parisiis disputantes audierat auribus suis. Nam plures, ante, & circa tempus S. Bonaventuræ, Scriptores Immunitatem B. Virginis ab Originali Peccato docuisse; abunde demonstravimus *Act. VI. Art. II.*

88. Memoratus Fr. Angelus Rocca a Camerino, Ord. S. Augustini, Curator editionis Romanæ Operum S. Bonaventuræ, in nota marginali ad ejus Sermonem II. *de B. V. Maria*, inferius allegandum, asseveranter ait, Doctorem Seraphicum, *Multis aliis in locis opinionem, in librum tertium Sententiarum affirmatam, omnino, & constanter defendere.* Quinam sint loci isti, Fr. Angelus non designat. Tres, post diligentem inquisitionem, apud D. Bonaventuram locos inveni, qui forte possent ab illo proferri.

89. Primus est in Opusculo, cui titulus, *Speculum B. Mariæ Virginis*, ubi Lectione XI. [a] leguntur hæc verba: „ Quia CHRISTUS nec conceptus, nec natus in Peccato fuit, ideo bene „ hic dicit, (*Job. cap. 3. ver. 9.*) *Quod nox ista* „ *lucem non vidit.* Quia vero B. Virgo in Peccato concepta fuit, sed sine Peccato nata, in „ Peccato orta non fuit, ideo non Auroram, *sed* „ *ortum Auroræ dicitur nox ista non vidisse.* Hoc „ est contra illos, qui ipsam non solum sine Peccato natam, sed etiam sine Peccato conceptam dicunt; contra quos D. Bernardus ait „ &c. „

90. Si hæc verba forent S. Bonaventuræ, non difficilem expositionem haberent de Conceptione Seminali, & de Peccati debito inde contracto. Auctor enim se remittit ad D. Bernardum, cujus Auctoritatem S. Bonaventura unice allegavit ad probandum, B. Virginem sanctificari non potuisse in sua prima Conceptione ante Animationem, ut nuper vidimus. Et præterea in eodem Opusculo [b] Beata Virgo *ab omni væ Culpæ Immunissima fuisse* dicitur; nec non *Immunis non solum a triplici væ Culpæ Actualis, sed etiam a triplici væ Originalis miseriæ.*

91. At Opusculum istud non est nostri S. Bonaventuræ Ord. Min. sed alterius Bonaventuræ Baduarii Patavini, Ord. Eremit. S. Augustini, subsequentis Sæculi Scriptoris; sub cujus nomine prodiit impressum Augustæ anno 1476. Uti censent post Molanum, P. Theophilus Raynaudus, [c] Auctor Appendicis ad Hist. Litter. Guillelmi Cave, [d] & Casimirus Oudinus, [e] qui late probat, dictum Opusculum nostro S. Bonaventura esse plane indignum: quam sane indignitatem præseferunt verba hæc, quæ ibi leguntur: [f] *Nunquam Maria Deum in utero concepisset, si idem uterus contra Deum crapulosus fuisset, & si uterus ille mero æstuasset; cùm venter mero æstuans cito despumet in libidinem &c.*

92. Alter locus est *in Compendio Theologicæ veritatis.* Et hoc Opusculum ad dubia ut minimum Seraphici Doctoris Opera rejiciendum est: ut ab ipso Editore rejectum est in Appendicem Tomi VII. a *pag.* 731. & censet etiam Waddingus in lib. de Scriptoribus Ord. Minor. quos laudat Oudinus. Sed neque in hoc Opusculo expressum aliquid invenitur contra Piam Sententiam. Solum enim dicitur, [g] primæ Sanctificationis Marianæ primus effectus fuisse *Remotio*, sive *Expiatio Originalis Culpæ.* Quæ verba congrue possunt intelligi de Culpa, *non quæ infuit, sed quæ infuisset*: ut exponuntur in secundo sermone nuper indicato.

93. Tertius locus est in Opusculo *de Ecclesiastica Hierarchia.* Hoc quidem Opusculum fatemur esse S. Bonaventuræ, sed nihil hinc efferri potest contra Piam Sententiam, præter unum verbum ambiguum, *Depurata*: quod ex ibidem adjunctis, *de Depuratione præservativa* recte intelligitur. Cum enim S. Doctor dixisse, [h] quod Beata Virgo *per Sanctificationis Gratiam in utero materno extitit ab Originalis Culpæ fœditate depurata, & ad susceptionem Verbi Vitæ, antequam nasceretur disposita, & præordinata*: Hanc rationem affert: *Nam quæ ab æterno prælecta est, & prædestinata in DEI Scientia, ut ad tantam gloriam assumeretur; in utero materno a Spiritu Sanctificante PRÆVENTA est, & sanctificata, ut in tempore præfixo Mater DEI fieri mereretur.*

94. Sunt qui cum P. Raynaudo, [i] & P. Nierimbergio [k] arbitrantur, S. Bonaventuram, D. Thomam, & alios quosdam Veteres Scholasticos, adversus Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, (cui alioquin in corde suo, favebant) dum Parisiis degerent, scripsisse, ob Decretum Mauritii Episcopi Parisiensis, quo eam Sententiam sub pœna excommunicationis propugnari vetuit.

95. Verum de hujuscemodi Decreto non satis liquet. Nam Gulielmus Episcopus Antisiodorensis, initi Sæculi XIII. Scriptor, (quem Raynaudus citat) apud Johannem de Turrecremata [l] solum refert, quod *Mauritius Episcopus Parisiensis prohibuit, ne Festum de Conceptione* B. Virgi-

[a] *Parte 2. Opusculor. pag. 468. col. 1. tomi 6.*
[b] *Lectione 1. pag. 451. & Lect. 2. pag. 452. col. 2.*
[c] *De Libris Supposit. Erotem. 10. §. 2. litt. B. pag. 277. tomi 11.*
[d] *Ad* Annum 1377. *pag. 50.*
[e] *Dissert. speciali de Operib. S. Bonavent. cap. 11. n. 25. col. 409. tom. 1.*
[f] *Lect. 4. pag. 457. col. 1. sub finem.*
[g] *Lib. 4. cap. 4. pag. 875. col. 2. tom. 7.*
[h] *Par. 3. Opusculor. & hujus Opusc. par. 4. cap. 7. pag. 291. col. 2. tom. 7.*
[i] *In Pietate Lugdun. in fine §.* Theologi Galli &c. *pag. 282. col. 2. & seq. tom. 8.*
[k] *In Exceptionib. Conc. Tridentini, cap. 19. pag. 183. Oper. Parthen.*
[l] *Parte 6. cap. 28. fol. 117. pag. 2.*

B. Virginis celebraretur in Ecclesia Parisiensi. Quod si aliud Mauritii Decretum magis expressum contra Piam Sententiam, Antisiodorensis retulisset, illud utique adnotare non praetermisisset Turrecremata. Verisimile autem est Mauritium, qui clarebat anno 1163. [*m*] vetasse Festum Conceptionis ob Epistolam D. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses, quae scripta est circ. annum 1140.

96. Cum igitur Festum illud Conceptionis B. Virginis, a D. Bernardo reprobatum, esset Festum Conceptionis secundùm Carnem, & sic illud intelligerent D. Thomas, & D. Bonaventura, ut ex dictis constat; Decretum istud Mauritii, impedimento esse non poterat, quominus illi, praesertim jam diu vita functo Mauritio, docerent Parisiis Immaculatam B. Virginis Conceptionem secundùm Animam. Et reipsa eam aperte docuit D. Thomas in *lib.* 1. *Sentent. dist.* 44. *quaest. unica art.* 3. ut videbimus Art. seq. Immo Magister Gualterus, vivente adhuc Mauritio, Petrum Lombardum reprehendit, quod B. Virginem Originali Peccato subjecerit, ut dictum est *num.* 22. *& seq.*

97. Quod vero addit Raynaudus, istud Mauritii Decretum viguisse usque ad annum 1346. quo per contrarium Decretum est rescissum; eoque tempore *liberum non fuisse Lutetiae, Parti Conceptionis Puritatem asserenti, adherere:* (nisi sit error in notis) est aperte falsum, ut videbimus in Raymundo Lullo, Scoto, Aureolo, Mayrone; qui certe (ut alios praeteream) multo ante annum 1346. Piam Sententiam Lutetiae propugnarunt.

Testimonium V.

Henricus Goetales a Gandavo, Archidiaconus Tornacensis, Doctor Solemnis appellatus, Anno MCCLXXXIII.

98. IN suo egregio Quodlibetorum Opere, quodlibeto xv. quaest. xiii. [*n*] quaerit: *Utrum Conceptio Virginis Mariae sit celebranda, ratione Conceptionis?* Et hac occasione copiose differit de prima B. Virginis Sanctificatione. Ibi sane docet, quod *Anima B. Virginis in Conceptione sua, Sancta esse, aut sanctificari non potuit: quia secundùm Animam, Virgo concepta fuit in Peccato Originali, & erat Filia irae, sicut & caeteri.* At hoc ex generali quadam Augustini Sententia [*o*] praesumit potius, quàm discutiat. Quod potissimum contendit, est, *Virginem Mariam sanctificatam fuisse statim post instans suae Conceptionis; ut nonnisi in transitu, & per instans indivisibile infecta fuerit Peccato Originali.*

99. Argumentum, quo id probat, est hujusmodi: „ Sicut enim, ut dicit Anselmus, *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub DEO nequit intelligi, illa Virgo niteret*; sic decens „ erat, ut eam tali puritate quantocius fieri posset, (*Deus*) praeveniret. Hoc enim indicium „ fuit summi amoris, quem DEUS habebat ad „ Virginem, dicente Augustino in sermone, „ quo supra: [*p*] *Ostendit ipse prius amorem, quem habuit erga Virginem, & amorem, quo nullum putamus esse majorem.* Et quia con„ stat, quod majoris amoris indicium, seu ma„ jus indicium magni amoris fuit, eam dotare „ cito, & quàm primùm dotari potuit, quàm „ diutius expectare. Si ergo sanctificari po„ tuit, & mundari a Peccato, ut nonnisi per „ instans, sive momentum, in macula Origina„ lis Peccati fuerit, recta ratione determinante, „ (ut mihi videtur) hoc pie sentiri potest. „

100. Nihil nobis in isto argumento mutandum est, ut pro consecutione illa: *Si ergo sanctificari potuit, & mundari &c.* hanc aliam aeque validam subrogemus: *Si ergo B. Virgo sanctificari potuit in ipso primo instanti infusionis Animae, & praeservari a Peccato, ut nunquam reipsa in macula Originalis Peccati fuerit; recta ratione determinante, hoc pie sentiri potest:* addo, *& debet.*

101. Pergit deinde Gandavensis, ut absolute concludat, ex principiis physicis prolixe, & operose defendere, quod *bene fuit possibile secundum naturam, Virginem vere, sicut caeteros puros Homines, in instanti, quo concepta est Homo &c. Peccatum Originale contraxisse, & in illo nonnisi per illud instans permansisse.* At nos ex principiis theologicis facillime demonstravimus in Apparatu *n.* 165. quod fuit possibile, secundùm Deum, Virginem vere, sicut caeteros Homines, in instanti, quo concepta est Homo &c. ex vi suae Conceptionis Peccati Originalis debitum contraxisse, & nihilominus Gratia DEI praeveniente, ab ipso Originali Peccato incurrendo praeservatam fuisse. Quod quidem ita perspicuum est, ut nemo jam ex cordatioribus adversariis, id possibile fuisse negat.

102. Confirmat suam Sententiam Henricus his verbis, quae censet esse D. Augustini Serm. de Virginis Nativitate: *Sed haec* (B. Virgo) *mox ut in Mundum, per humanae generationis lineam, venit, tanta omnis boni virtute, atque constantia perfecte resplenduit; ut eam ipsa Sapientia DEI vere dignam judicaret &c.* [*q*] Quibus addit haec alia: [*r*] *Puella de propagine nata Adae; de peccatrice progenie orta, subito versa vice maledictionis Evae, Benedicta praedicatur super omnes Mulieres.*

103. Et in utrisque verbis ponderat Henricus illa adverbia, *Mox*, & *Subito*, subditque: „ Nec exponat aliquis illud, quod dicit Au„ gustinus,

[m] *Vide* Aubertum Miraeum *in Scholio ad cap.* 14. *lib. de Scriptor. Ecclesiast.* Henrici Gandavensis, *pag.* 164. *Bibliothecae Ecclesiast. edit.* Antverp. an. 1639.

[n] *A folio* 544. *edit.* Paris. an. 1518. *& V. fol.* 586. *pag.* 1. *&* 2.

[o] *Tract.* 4. *in* Johannem, *num.* 10. *col.* 316. *& seq. par.* 2. *tom.* 3.

[p] *Sermonem citas de B. Virginis Assumptione, quem apud D. Augustinum non inveni, nequidem in Appendice tomi* 5.

[q] *Reperiuntur haec verba apud* Eadmerum, *lib. de Excellentia V. Mariae, cap.* 9. *pag.* 140. *edit.* Gerberonianae *Oper. D. Anselmi; & sunt a nobis allegata Act. II. ad n.* 341.

[r] *Ibid. cap.* 3. *pag.* 136. *col.* 2.

„ gustinus, *Mox*, & *Subito*, sic, idest post breve tempus, in quo fuit in Originali Peccato. Hoc enim non videtur mihi pium sentire de Virgine, sed Natura potuit sustinere, quod solùm per momentum in Originali fuerit. Ego autem in præmissis de Virgine, nisi quod pium, ac dignum visum est, sentire non potui; & salvo privilegio CHRISTI, qui solus ex semine mundo, sine Originali conceptus est Homo; taliter in Utero privilegium Virginis super cæteros Homines esse sentio, quod licet in Peccato Originali concepta sit Homo ex semine immundo; in illo tamen nonnisi per momentum permanserit. „

104. Quàm belle hæc omnia, quibus allegatum Testimonium illustrat Henricus, converti possunt ad sensum Immaculatæ Conceptionis! Nam & illud, quod dicitur, *Subito*, & *Mox*, exponi recte potest pro eodem primo instanti reali, (etsi pro posteriori naturæ) quo B. Virgo *per humanæ generationis lineam venit in mundum.* Et Semen immundum, ex quo B. Virgo concepta esse dicitur, ac singulare privilegium CHRISTI, sustinere potuerunt, quod B. Virgo solum debitum contraxerit Originalis Peccati, ut & nostri Adversarii fatentur. Quæ cum ita sint, quis non videat, hunc Auctorem tam Antiquum, tam Doctum, ita Contrariæ Sententiæ adhæsisse, ut Piam Sententiam argumentando concluderet?

TESTIMONIUM VI.

Richardus de Media Villa, seu Mideltonus, Ord. Minorum, Anno MCCXC.

105. QUamvis Richardus in *lib.* 3. *Sentent. dist.* 3. [s] more Antiquorum, quæstionem directe non instituat de Sanctificatione B. Virginis in ipsa sui Animatione, sed tantum: *Utrum Caro Virginis fuerit sanctificata, antequam animata?* In Conclusione tamen hujus quæstionis aperte dicit, quod *Anima B. Virginis ex sui unione ad illam Carnem (* infectam *) Peccatum Originale contraxit:* & ad hoc adducit auctoritatem D. Anselmi ex lib. 2. *Cur Deus Homo*, & D. Augustini *super Genesim.* Idem inculcat in respons. ad secundum, & ad tertium. Fatendum ergo est, Richardum in Contraria Sententia tunc fuisse.

106. Sed non diu mansit Richardus in ea Sententia, ut videbimus. Immo hoc ipso in loco, quædam habet, quæ Piæ Sententiæ non parum faveant. In ea responsione ad 2. ait, quod post *Puritatem, soli Homini-Deo debitam*; *Puritatem Matrem ejus decuit habere maximam.* At Puritas soli Homini-Deo debita, non tantum excludit omne Peccatum, verum etiam omne Debitum, & periculum Peccati. Decuit ergo, Matrem ejus talem habere Puritatem, quæ excluderet omne Peccatum, etsi non debitum, & periculum Peccati. Item quæst. sequ. B. Virginem sanctificatam fuisse, antequam de utero esset nata, probat *Auctoritate Ecclesiæ, quæ Solemnitatem ejus* (scilicet Nativitatis) *solemnizat.* Ait vero, de hujusmodi Sanctificatione nihil esse in sacris litteris consignatum, *Ut nobis detur intelligi, quod tantæ excellentiæ est, esse Matrem DEI; quod habito expresse hoc testimonio; de ejus Sanctificatione, antequam nasceretur, rationabiliter non potuit dubitari.* Quæ duo æque promovere possunt Sanctificationem B. Virginis in sua Conceptione.

TESTIMONIUM VII.

Ægidius Columna Romanus, Ord. Eremit. S. Augustini, Archiepiscop. Bituricensis, Anno MCCXCII.

107. B. Virginem, in sensu præsentis quæstionis, in Originali Peccato conceptam fuisse, sic aperte tradit pluribus in locis [t] Ægidius; ut non sinat nobis, id interpretari de Peccato tantum in Debito. At vero argumentum, quo perpetuò utitur ad id probandum, non nisi solum Debitum concludit. Ita namque arguit dist. 29. [u] *Ipsa Virgo Beata, licet effugisset omne Peccatum Actuale &c. Non tamen effugit Peccatum Originale; quia secus non fuisset membrum Christi: nam in tantum sumus membra Christi, in quantum per suam Gratiam liberat nos a Peccato Originali, vel Actuali.* Dist. 31. [x] *Fuerunt aliqui, qui B. Virginem voluerunt excludere ab Originali Peccato: sed hoc erat B. Virgini derogare, non erat, commendare: erat enim dicere, quod B. Virgo non fuisset membrum Christi, & quod non fuisset redempta a Christo.* Eidem rationi insistit *Quæst.* 20. *quodlibetali.* [y] Quod autem hujusmodi argumento solum debitum concludatur, jam satis, superque vidimus in D. Thoma, cujus alioquin Ægidius, addictissimus Discipulus, & acerrimus Defensor fuit.

108. Præterea Ægidius hoc pro Pia Parte argumentum sibi opponit: „ Circa Originale Peccatum potest intelligi, quod aliquis se habeat tripliciter, vel quod non possit contrahere, nec contrahat; vel quod possit contrahere, & contrahat; vel medio modo, quod possit contrahere, & non contrahat. In primo gradu est CHRISTUS &c. In alio gradu sumus nos &c. Si igitur B. Virgo est supra nos, & infra CHRISTUM, habuit se medio modo, quod potuit contrahere, & non contraxit. Immo cum iste modus se habendi, sit sub DEO, idest infra DEUM, & infra CHRISTUM: & cum sit iste modus intelligibilis, non niteret

[s] *Art.* 1. *quæst.* 1. & 2. *pag.* 26. & *seq. to.* 3. *edit.* Brixiensis *ann.* 1655.

[t] *In lib.* 2. *Sentent. dist.* 29. 30. & 31. & *Quodlibeto* 6. *quæst.* 20.

[u] *Quæst.* 2. *art.* 2. *dub.* 4. *laterali*, *pag.* 385. *col.* 2. *par* 2. *edit.* Venet. an. 1581. *ex recens.* Fr. Angeli Rocchensis

[x] *Quæst.* 1. *art.* 2. *pag.* 447.

[y] *Fol.* 92. *a col.* 2. *edit.* Venetæ 1504.

„ teret B. Virgo illa Puritate, quam sibi attri-„ buit Anselmus, nisi habuisset hunc modum.„

109. Responsio autem, quam adhibet Ægidius, nullius est valoris. Negat enim, tale medium esse possibile, quia, *quicumque concipitur, vel concipitur via naturæ ex semine virili; & tunc potest contrahere, & de necessitate contrahit Originale: vel concipitur supra naturam, & opere divino, & tunc nec potest contrahere, nec contrahit.* At vero, quæ impossibilitas in hoc, quod quis via naturæ, ex semine virili concipiatur; & tamen per Gratiam DEI specialem præservetur, ne reipsa contrahat Originale Peccatum, cui contrahendo, ex vi talis Conceptionis erat obnoxius? Alia Ægidii loca ponderat P. Alva. [z] ex ejus Commentariis in *lib.3. Sententiar. dist.3. quæst.* 1. *art.* 1. *&* 2. Sed cum hæc Commentaria apud nos non extent, ab iis citandis, & discutiendis supersedeo.

SÆCULUM SCHOLASTICUM SECUNDUM, CHRISTI XIV.

Testimonium VIII.

Durandus a S. Portiano, Ord. Prædic. Episcopus Meldensis, Anno MCCCXX.

110. Insignis hic Scholasticus, loco consueto *in lib. III. Sentent. dist.* 3. [*a*] hanc quæstionem proponit: *Utrum B. Virgo indiguit Sanctificatione?* Pro cujus responsione, duplicem distinguit Sanctificationis indigentiam: Alteram, ut habeatur Gratia ad elevandam dumtaxat, & perficiendam naturam: quo modo, inquit, B. Virgo indiguisset Sanctificatione, si non fuisset concepta in Originali Peccato. Ateram vero, ut habeatur Gratia ad tollendam aliquam culpam, & simul elevandam naturam. Cumque hoc modo non indigeant sanctificatione, nisi qui commiserunt aliquam culpam, vel contraxerunt; idcirco quærit: *An B. Virgo Peccatum Originale contraxit?*

111. Tum, dilucide explicata Sententia negante, ejusque argumentis breviter indicatis; Sententiam affirmantem eligit, quam sic exponit: *Quamvis B. Virgo potuerit a Peccato præservari, non decuit tamen, quod præservaretur, ut præservata non fuit.* Quod non decuit, probat: quia singularis Conceptio Christi de Spiritu Sancto, *debuit habere istud singulare privilegium*; & quia secus *Puritas Virginis, Puritati Christi æquata fuisset.* Quod vero non fuit præservata, colligit ex quibusdam generalibus Scripturarum, & Patrum Testimoniis. Quibus argumentis, & auctoritatibus abunde a nobis satisfactum est.

112. Favet nihilominus multis modis Durandus Piæ Sententiæ. Nam I. demonstrat, potuisse B. Virginem ab Originali Peccato præservari. *Quemadmodum enim,* inquit, *a principio fecisset DEUS, si voluisset, quod Adam peccante, illi, qui nati fuissent ab eo, nullum peccatum contraxissent, sicut peccata Proximorum Parentum non transeunt in Filios; ita a generalitate illa, qua nati ab Adam contraxerunt Originale Peccatum, potuisset, & adhuc posset de potentia absoluta excipere, quem vellet.* II. Ultro fatetur, *quod si B. Virgo Peccatum Originale contraxisset, potuisset tamen vere dici redempta a DEO, pro eo quod in radice sua, ex natura suæ Conceptionis, obligata erat ad incurrendum Peccatum, nisi fuisset a DEO præservata.* III. Agens *quæst.* 3. de liberatione B. Virginis a Fomite, Purgationem, de qua loquitur S. Damascenus, sic intelligit, *ut non fuerit purgatio a Peccato Originali, nec a Peccato Actuali, quod jam inesset, sed fuit a Peccato Veniali, quod inesse poterat.* IV. Denique adstruens *quæst.* 4. Immunitatem B. Virginis ab omni Actuali Peccato; ea argumenta producit, quæ facillime aptari possunt ad probandam etiam Immunitatem ab Originali Peccato.

Testimonium IX.

Alvarus Pelagius Hispanus, Ord. Min. Episcopus Silvensis in Lusitania, Anno MCCCXXV.

113. Hunc Auctorem, (de quo tantopere gloriantur Adversarii) cum Pia Sententia conciliare conatur P. Alva. [*b*] Nos potius ipsius in Piam Sententiam importunam, audacem, falsamque censuram arguere intendimus.

114. Et primo quidem importune ingerit Pelagius quæstionem de maculata B. Virginis Conceptione *lib. II. de Planctu Ecclesiæ cap.* 52. [*c*] ubi dogmatica tantum controversia erat cum Begardis, contendentibus, *posse Hominem in præsenti vita, tantum, & talem gradum perfectionis acquirere, quo reddetur penitus impeccabilis.* Quid enim ad hanc quæstionem proderat scire, an B. Virgo in sui Conceptione contraxerit, vel non contraxerit Originale Peccatum?

115. Deinde in Piam Sententiam, ejusque Assertores multa falsò, & audacter jactat. „ Licet, *inquit*, quidam novi Theologi, a sensu „ Ecclesiæ recedentes communi, tenere contra, indevoti revera Dominæ, ei tamen de„ voti cupientes apparere, nitantur; eam quo„ dammodo sic DEO, & suo Filio comparan„ tes. Quorum nova opinio, & phantastica, „ sit a Fidelibus cancellata, quæ Sanctificatio„ nem Virginis negat, contra id, quod tenet „ Ecclesia, ipsam Sanctificationem (*corr.* sanctificatam) fuisse &c. Si enim in Peccato O„ riginali, quod contrahitur in Animæ infusio„ ne, &c.

[z] *In Sole Veritatis, veris.* 4. *a pag.* 239.

[a] *Quæst.* 1. *fol.* 187. *a* 2. *col. & V. qu.* 3. *n.* 12. *fol.* 189. *col.* 3. *& quæst.* 4. *eod. fol. col.* 4. *edit.* Lugd. an. 1560.

[b] *In Sole Verit. verit.* 14. *pag.* 265.

[c] *Fol.* 110. *col.* 2. *&* 3. *edit.* Venetæ, an. 1560.

„ ne, &c. Non fuisset concepta, Sanctifica- „ tio necessaria non fuisset, sicut nec in CHRI- „ STO. „

116. Falsum porro est illud, quod omnes antiqui Theologi Contrariam Sententiam teneant; ut supra indicavimus, & infra ostendemus. Magis falsum, quod B. Virginem ab Originali Culpa Immunem asserentes, ipsam DEO, & suo Filio comparent; ut toties declaratum est. Falsissimum, quod hæc Sententia necessitatem Sanctificationis Beatæ Virginis negat, ut luculenter demonstravimus *Actione II.* a *num.* 156. Illud vero audax, quod sensus, & cultus Immaculatæ Conceptionis B. Virginis sit erga ipsam devotio falsa, & affectata. Audacius autem, quod ipsa Pia Sententia, tot alioqui Sanctorum Testimoniis, & validissimis argumentis firmata, nova, & phantastica opinio sit. Audacissimum denique, postulare, & veluti jubere, ut eadem Pia Sententia *sit a Fidelibus cancellata.*

117. Nemo sane ex Adversariis, Pelagio vel anterioribus, vel æqualibus, tam abjecte de Pia Sententia loquutus est, quàm hic devius Magni Scoti Discipulus; nihil reveritus doctissimos alios sui Ordinis Magistros, Petrum Aureolum, Franciscum de Mayronis, Johannem Bassolium, qui paulo ante ipsum scripserunt, & Piam Sententiam fortiter asseruerunt. Sed quod mirum, quod Pelagius hæc contra Piam Sententiam scripserit; qui in sermone habito coram Johanne XXII. prolixe peroravit pro Sententia, quæ paulo post damnata est ab Ecclesia, de differenda Animabus justis Visione Beata usque ad extremum Judicii diem; uti refert Waddingus. [d]

TESTIMONIUM X.

Nicolaus Liranus, Ord. Minor. Anno MCCCXXV.

118. HUnc Auctorem, ex suis Commentariis, sive Postillis, (ut vocant) in universa Biblia celeberrimum, pro se allegat Turrecremata, [e] & ex ejus Comment. *in cap. I.* Lucæ hæc verba profert *: Prius venerat Spiritus Sanctus super Virginem, adhuc in utero Matris existentem, eam ab Originali Peccato purgando, (ut communius dicitur) vel secundum alios, a Peccato Originali præservando.* Additque hæc alia verba ex Prologo super Matthæum*: Bene dicitur Christus alter Homo, quia fuit alter ab omnibus aliis Hominibus: quia omnes alii processerunt de radice Peccati; iste autem solus Innocens, per quem alii sunt redempti, secundum quod subditur ad Rom. 6.* (corr. 5.) *sicut per unius Hominis inobedientiam &c.*

119. Sed æquiori jure Liranus pro Pia Parte allegari posset. Nam quod attinet ad priora verba, aliter se habent in duabus accuratis editionibus Venetis anni 1588. & anni 1603. [f] videlicet, *Eam ab Originali purgando, ut communiter dicitur; vel secundum alios, ut communiter etiam dicitur, a Peccato Originali præservando.* De alia verborum istorum variatione Turrecrematam arguit P. Alva, [g] sed immerito. Posteriora autem verba (quæ non in *Prologo super Matthæum*, sed in *Præfatione in quatuor Evangelistas* [h] reperiuntur) generalia sunt, & generales Patrum Sententias imitantur, ac proinde eodem modo exponenda.

120. Cæterum Liranus alibi [i] B. Virginem ab omni Peccato Immunem asserit: *Si accipiatur*, inquit, *iniquitas pro Peccato quocunque, sic generaliter omnes dicuntur iniqui, excepto Homine Christo, & B. Virgine.* Et alibi etiam [k] B. Virginem a communi lege Originalis Peccati signanter excipit. Nam referens quamdam expositionem illorum verborum*: Nos qui vivimus, qui residui sumus &c.* subjungit*: Sed hæc expositio primo deficit in hoc quod dicit, aliquos sine morte ad immortalitatem transire: quia omnes descendentes ab Adam, præter Christum, & Matrem ejus, incurrunt Originale Peccatum, cujus pœna est mors, & ideo omnes solvent debitum mortis.* Ita legitur in laudatis editionibus Venetis, cum hac nota in margine: *Ecce B. Virginis Immunitas ab Originali Peccato.* Et ita etiam legi testatur P. Alva [l] in omnibus editionibus antiquis, præter Antverpiensem anni 1634. in qua deesse ait, illam particulam, *& Matrem ejus.*

TESTIMONIUM XI.

Petrus a Palude, seu Paludanus, Burgundus, Ord. Prædic. Patriarcha Hierosolym. Anno MCCCXXX.

121. IN *lib. 3. Sent. dist. 3.* [m] præsentem quæstionem eodem modo proponit, & eodem fere modo resolvit, quo Durandus a S. Portiano. Quare non diffitetur, quod si Beata Virgo Peccatum Originale non contraxisset, adhuc potuisset vere dici redempta a CHRISTO*:* & ultro admittit, ac probat, *quod de potentia absoluta DEUS potuerit B. Virginem ab Originali Peccato præservare*: & probabilem etiam agnoscit hanc Præservationis Sententiam cum solum dicat: *De potentia ordinaria,*

[d] *Lib. de Scriptor. Ord. Minor. V.* Alvarus Pelagius; *pag.* 15.

[e] *Parte 6. cap. 31. fol. 122. pag. 1.*

[f] *Biblior. Sacror. cum Glossa Interlin. ordinar. &* Nicolai Lirani *postillis, litt.* M. *fol. 125. col. 2. prior. edit. & n. 5. col. 686. poster. edit. tom. 5.*

[g] *Veritate 226. pag. 636. col. 1.*

[h] *Quæ est initio ejusd. tomi 5. fol. 2. prior. edit. & col. 8. poster. edit.*

[i] *In cap. 4. lib. 3.* Esdræ *litt. y. fol. 272. col. 3. prior. edit. & col. 1430. poster. edit. tom. 2.*

[k] *In cap. 4. Epist. 1. ad Thessalonic. litt. O. fol. 111. col. 4. prior. edit. & col. 653. poster. edit. tom. 6.*

[l] *Loco cit. pag. 637. col. 1.*

[m] *Quæst. 1. art. 1. a fol. 19. col. 3. & V. fol. 21. col. 1. & 2. edit.* Paris. an. 1517.

naria, *& de facto videtur probabilius*, *quod non potuit præservari*, *nec fuit præservata.* Unde Paludano difficile non fuit mutare Sententiam, ut ipsum revera mutasse, ostendimus *Act. III. num.* 416. *& seq.*

122. Favet præterea hoc loco Paludanus Piæ Sententiæ, quatenus multis argumentis contendit, Festum Conceptionis B. Virginis celebrari non posse, si hæc Conceptio Originali Peccato fuit infecta: quæ argumenta indicavimus *Act. III. num.* 162. Ratio denique Paludani pro Immunitate B. Virginis ab Actuali Peccato, (n) æque probat Immunitatem ab Originali. Quia sicuti, (ut ipse arguit) *Opprobrium est Filio*, *habere Matrem malæ vitæ*; ita & habere Matrem infectæ Originis, juxta illam Ezechielis exprobationem: (o) *Radix tua*, *& Generatio tua de Terra Chanaan.*

TESTIMONIUM XII.

Johannes Bacondorpius, sive Baco, vel Baconius, Anglus, Carmelita, Doctor Parisiensis, Anno MCCCXXXV.

123. NEgare non possumus, Baconium *Comment. in lib. II. Sentent. dist.* 30. *quæst. un. art. II.* (p) Contrariam tradidisse Sententiam: quippe Docentes, quod *B. Virgo Originalem Culpam non contraxit de facto*, *tamen habuit necessitatem contrahendi*; refellere conatur, cùm pluribus S. Augustini Sententiis adversus Pelagianos, tum vulgaribus aliquot rationibus, quarum præcipua est indigentia Redemptionis: quamvis Artic. III. defendat, *de Potentia DEI absoluta potuisse B. Virginem ab Originali Peccato præservari.*

124. In istum dumtaxat Baconii locum fortasse incidit Antonius Lampridius; (q) qui eum laudat, tanquam unum ex insignibus Piæ Sententiæ Adversariis. Constat vero, Baconem alibi, (r) priori retractata Sententia, Piam Sententiam copiosissime tueri; ut articulo sequenti ostendemus. Addit Lampridius, Baconem ibi *Petrum quidem Aureolum sibi opponere*; *nihil vero de Johanne Duns Scoto habere*: *tum ipsum*, *opinionem hanc appellare Hæresim adulatoriam*, *& nimis devotam.*

125. At Lampridius hunc ipsum Baconis locum attente non legit; ubi *eod. art. II. fol.* 189. *col.* 3. *edit.* Venetæ an. 1526. qua usus est Lampridius, citatur etiam Scotus, his verbis: *Scotus 3. lib. dist. 2. respondet aliter &c.* Et nec aliam consuluit castigatiorem Operum Baconis editionem, Cremonensem anni 1618. jussu prioris Generalis Ordinis, curatam a Johanne Chrysostomo Marasca, S. Theolog. Doctore ejusd. Ord. In hac enim editione nihil prorsus legitur de *Hæresi adulatoria*, Quæ sane censura Baconio videtur prorsus indigna: tum quia insueta, & dissona, quasi B. Virgo adulatione tangi possit: tum quia nimis audax contra tot insignes sui ævi Theologos, Scotum, Aureolum, Mayronem, Bassolium, Rubionem, Scotellum, Argentinam, aperte stantes pro Pia Sententia.

TESTIMONIUM XIII.

Richardus Rodulphus, Oxoniensis Gymnasii in Anglia Cancellarius, deinde Archiepiscopus Armachanus, & totius Hiberniæ Primas, Anno MCCCL.

126. HUnc Auctorem sub corrupto nomine Armatharii, Primatis Hiberniæ, *in lib. III. Sent. dist.* 3. allegat Turrecremata, (s) sed nulla ipsius verba refert, Testimonio tantum innixus *Magistri Johannis*, *qui hanc materiam*, inquit, *studiose solicitavit in hoc Sacro Concilio.* Et subjungit: *Quod vero dicitur*, *quod ipse Armathetanus* (en aliam nominis corruptionem) *retractaverit in sermone*, *qui incipit*, Sapientia ædificavit sibi domum; *quousque hoc condigna attestatione*, *quæ fidem faciat sufficientem in judicio universalis Synodi*, *demonstretur*, *nullo modo est credendum.*

127. Si Turrecremata credendum non vult affirmantibus Armachani retractationem; nec etiam nobis credendum est dicto istius Johannis, de Monte Nigro nuncupati, Armachanum pro Contraria Sententia referentis; quem in Basileensi Concilio publicum, & declaratum Piæ Sententiæ adversarium fuisse novimus. (t) Cæterum condignam attestationem, quam postulat Turrecremata, exhibemus, etsi non titulo retractationis, nec in sermone, quem ipse nominat. Thomas Waldensis, Anglus, Ordin. Carmelit. Scriptor Insignis, qui prope id tempus claruit, de Armachano testatur, (u) sermonem habuisse, incipientem *Ave*, de Conceptione B. MARIÆ Virginis, Avenione, in Conventu Carmelitarum, anno Domini 1342. Cujus sermonis hæc verba profert: *Annon merito dicimus illi*, Ave, *quæ sic erat illustrata virtutibus in Origine? Utique hanc illustrationem in suo ortu hic Sanctus*, *ac peculiaris*, *& antiquus Ordo suus Carmelitarum prætendit in habitu: qui hoc Festum ipsius singulariter solemnizat*, *candorem habitus sui*, *ut existimo*, *prudenter*, *ac devote referens ad hoc factum.*

(n) *Quæst. 2. art. 4. fol. 26. col. 3. sub initium.*
(o) *Cap. 16. vers. 3.*
(p) *A pag. 642. col. 2. tom. 1. edit.* Cremonens. an. 1618.
(q) *Cap. 24. pag. 202.*
(r) *In lib. 4. Sent. dist. 2. quæst. 3.*
(s) *Parte 6. cap. 28. fol. 118. (per err. 112.) pag. 1.*
(t) *V. lib. 6. Controvers. Histor. Conceptionis*, *a P.* Thoma Strozzi S. J. *descriptæ*, *cap. 3. & 4.*
(u) *Tomo 3. de Sacramentalibus*, *cap. 89. fol. 170. col. 3.* edit. Venetæ, an. 1571.

TESTIMONIUM XIV.

Gregorius ab Arimino, seu Ariminensis, Ord. S. Augustini Prior Generalis, & Doctor Parisiensis, Anno MCCCL.

128. COmmentario *in lib. II. Sent. a dist.* 30. *q.* 2. *art.* 1. (x) non dubitans, potuisse B. Virginem concipi sine Peccato Originali, solum quærit: *An de facto fuerit sine illo concepta?* Et sic modestissime respondet: *Absque præjudicio melioris Sententiæ, & salvâ semper reverentiâ Matris DEI, dicendum mihi videtur, eam fuisse cum Originali Peccato conceptam.* Non placuit Bandello (y) hæc Ariminensis pia modestia, & ideo illum allegans, priora verba penitus abstulit, & pro, *Dicendum mihi videtur*, substituit intrepidum, *Dico.*

129. Probat Ariminensis positionem suam generalibus Sacræ Scripturæ, D. Augustini, & D. Ambrosii Sententiis, quibus addit argumentum petitum ex capite Redemptionis, & Testimonium D. Anselmi *lib.* 2. *Cur Deus Homo.* Tum contrariis argumentis respondere conatur. Sed in ejus responsione ad tertium Scoti argumentum, res est notatu dignissima.

130. Scotus apud Ariminensem arguebat hoc hacto: *Christus immediatiùs fuit Reparator ab Originali, quam ab Actuali; quia necessitas Incarnationis Christi communiter assignatur ex Peccato Originali. Sed supponitur communiter, quod ipse ita fuit Mediator perfectus respectu Mariæ, quod præservavit eam ab omni Actuali. Igitur &c.*

131. Respondet Ariminensis, istius argumenti virtutem esse in hac consequentia: *Christus præservavit Virginem ab omni Actuali Peccato: igitur ab Originali.* Et de hac consequentia ait, quod *si accipiatur determinate de his, qui usu discretionis, & liberi arbitrii, potiti sunt, concedenda videtur secundùm Augustinum lib.* 5. *contra Julianum.* (*cap.* 15. *num.* 57.) Cujus verbis allegatis, subjungit: *Ex his patet, quod Augustinus de Christo infert, quod si habuisset Peccatum Originale, etiam fecisset Actuale: & econtra vult sequi: Non fecit Actuale, igitur non habuit Originale.* Unde tandem colligit Ariminensis, quod si *B. Virgo, secundum attestationem Sanctorum, habuit Originale Peccatum; consequenter concedendum esse videtur, quod aliquod etiam aliquando habuit Actuale, licet nullum Mortale; & sic esset illud antecedens negandum.* Videns tamen Ariminensis istius consequentis absurditatem, veluti se corrigens, ait: *Hoc tamen absque assertione, & injuria reverentiæ suæ, sic dubitative dixerim.*

132. Ex quibus liquet, quid hodie diceret Ariminensis, animadvertens declaratam jam a Tridentino Traditionem Ecclesiæ de Immunitate B. Virginis ab omni Actuali Peccato. Annon addictissimus iste D. Augustini Discipulus, ejus principiis inhærens, ex hac Immunitate certo inferret Immunitatem ab Originali Peccato? Generalia autem illa Scripturarum, ac Patrum Testimonia exponeret, & intelligeret *Secundum legem communem*: sicut ipse postea (z) intelligi posse concedit, illam Augustini consequentiam, ex Peccato Originali arguentis Actuale Peccatum. Idem præsumitur de Ariminensi, si vidisset Festum Conceptionis B. Virginis ab Universa Ecclesia celebrari, perinde ac Festum Nativitatis. Nam Art. II. Sanctificationis B. Virginis in Utero, *sufficientem probationem esse, ait, quia Ecclesia Universalis celebrat ejus Nativitatem: quod non faceret, si cum Peccato nata fuisset &c.*

TESTI-

(x) *A fol.* 103. *edit.* Venetæ *an.* 1503. *& V. fol.* 104. *col.* 1.

(y) *Cap.* 25. *fol.* 34. *pag.* 2.

(z) *Art.* 3. *fol.* 104. *col.* 2. *vers. finem.*

ARTICULUS II.

Theologorum Scholasticorum Testimonia, a Pia Parte allegata.

SÆCULUM SCHOLASTICUM PRIMUM, CHRISTI XIII.

TESTIMONIUM I.

Alexander de Hales, Ord. Minor. Doctor Irrefragabilis nuncupatus, Anno MCCXXXV.

133. DOctissimum hunc Virum inter Piæ Sententiæ Defensores recensere, suadent multi graves, & antiqui Scriptores, Johannes Baco Carmelita, (*a*) Franciscus Martini ejusd. Ordin. (*b*) Gulielmus Vorrilongus, (*c*) Ven. Dionysius Carthusianus, (*d*) Pelbartus Osualdus, (*e*) Michael a Carcano, sive a Mediolano, (*f*) & alii apud Alvam. (*g*) Qui, Alexandrum de B. Virginis Immaculata Conceptione librum scripsisse, ferunt. Iis adhærent Scriptorum Ecclesiasticorum Nomenclatores, P. Philippus Labbe, (*h*) Johannes Pitseus, (*i*) & P. Lucas Waddingus. (*k*)

134. Quod autem aliqui referunt, Alexandrum, repentini, & recurrentis morbi miraculo admonitum, contrariam, quam docuerat in Summa, revocasse Sententiam; non facile crediderim: cum nihil in ea Summa inveniatur, quod Piæ Sententiæ palam adversetur, ut supra ostensum est. Verius censeo, eo morbo correptum Alexandrum, non quòd B. Virginis Immunitatem ab Originali Peccato negaret, sed quòd Festum Conceptionis ejus nollet admittere, putans illud esse Festum Conceptionis seminalis. Quemadmodum Johannes de Segovia (*l*) refert: „ Alexandrum de Hales in suo Ma„ riali, *lib. 3. cap. ult.* (*m*) narrare, se singulis „ annis die VIII. Decembris morbo vexatum „ fuisse, eo quod opinatus ipse, & cæteris „ persuadere conatus, diem illam non esse in „ Festis numerandam, decrevisset illam habere „ velut Professtam, & a publicis non feriari „ Scholis. „

TESTIMONIUM II.

S. Thomas Aquinas, Ordinis Prædic. Doctor Angelicus, Anno MCCLXV.

QUinque ex D. Thoma pro Pia Parte allegari solent Sententiæ: quarum tres priores sunt certò legitimæ; duæ posteriores, controversæ.

135. Prima Sententia, eaque clarissima, est: (*n*) *Puritas intenditur per recessum a contrario, & ideo potest aliquod creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione Peccati inquinatum sit: & talis fuit Puritas B. Virginis, quæ Peccato Originali, & Actuali Immunis fuit: fuit tamen sub DEO, in quantum erat in Ea Potentia ad peccandum.*

136. De sinceritate hujus Sententiæ D. Thomæ nullus restat dubitandi locus. Sic enim legitur tam in editione peculiari Commentar. D. Thomæ in libros Sent. Lugdunensi anni 1520. recognita per F. Lambertum Campestrem Ord. Præd. *fol.* 349. *col.* 2. *Tom. I.* quam in editione universali omnium Operum D. Thomæ, seu Romana anni 1570. a F. Vincentio Justiniano, S.R.E. Card. & a F. Thoma Marriquez, S. Pal. Apostolici Mag. ejusdem Ordinis, sub Pio V. adornata; seu Veneta, anni 1593. seu Antuerpiensi anni 1612. curata per F. Cosmam Morelles ejusdem Ord. *to.* 6. *fol.* 136. *col.* 2. vel *fol.* 1. *col.* 1.

137. Fr. Petrus de Bergomo in *Concordantiis Dictorum, & Conclusionum D. Thomæ*, (*o*) ut huic tam luculento Testimonio tenebras offundat, multa tentat, quæ vel inepta se produnt, vel eò tandem recidunt, ut verbum illud, *Immunis*, accipiatur, non pro Immunitate perpetua, & præservante, sed pro Immunitate, Originalis Peccati deletionem subsequente.

138. Hæc exspositio aperte refellitur: Primo D. Thomas B. Virginem æque ab Originali, ac

(a) *In lib. 4. Sent. dist. 3. quæst. 4. art. 2. versus finem.*
(b) *Ratione 92. pag. 366. & Rat. 99. pag. 367. apud* Bonaspem, *loco cit.*
(c) *In lib. 3. Sent. dist. 3. fol. 168. col. 2. versus finem:*
(d) *In lib. 3. Sent. dist. 3. pag. 35. in fine, & initio seq.*
(e) *Lib. 4. Stellarii, 1. Par. art. 3. fol. 82. col. 3.*
(f) *In Sermonario duplicato, serm. 7. fol. 16. col. 4. edit.* Venetæ an. 1496.
(g) *In Sole Veritatis, num. 12. pag. 261.*
(h) *Tomo 1. pag. 687.*
(i) *De Scriptoribus* Angliæ, *ad* annum 1245. *pag.* 316.
(k) *De Scriptor. Ord. Minor. V.* Alexander de Hales.
(l) *Est octavum ex miraculis, quæ narrat* Segovia *in calce sui Operis, cit. Act. IV. num.* 53.
(m) *Hujus Operis, post* Henricum Willot, *meminerunt* Marracius *in Biblioth. Mariana, &* Fr. Lucas Waddingus, *in lib. de Scriptorib. Ord. Minorum.*
(n) *In lib. 1. Sentent. dist. 44. quæst. unica art. 3. ad 3.*
(o) *Post Tabulam Auream in omnia Opera D. Thomæ; Dub. 370. fol. 12. edit.* Rom. ad. 1571.

ab Actuali Peccato Immunem dicit: Immunem autem dicit ab Actuali Peccato, immunitate perpetua, & præservante, ut constat. Deinde B. Virginis Puritatem ea solum ratione *sub Deo esse*, ait, *in quantum erat in Ea potentia ad peccandum.* At B. Virginem re ipsa incurrisse Originale Peccatum, plus certe est, quàm potuisse peccare. Demum hoc verbum, *Immunis*, non in alio sensu aliis in locis accipit S. Doctor, nisi ad significandam Immunitatem perpetuam, & præservantem: ut cùm dixit: (*p*) *Virginitas hoc importat, quod Persona, cui inest, Immunis sit a concupiscentiæ adustione.* Et cùm in subjecta materia loquens, (*q*) ait: *Aut igitur Caro sanctificata fuit ante Animationem, vel saltem in ipso instanti Infusionis Animæ, gratiam suscepit, per quam Immunis a Peccato esset.* Profecto quis unquam ex Adversariis, Discipulis D. Thomæ, concessit, B. Virginem *Immunem* ab Originali Peccato fuisse?

139. Quamobrem aliqui Thomistæ non renuunt fateri cum Johanne Capreolo, (*r*) D. Thomam hoc loco præservationem B. Virginis ab Originali Peccato tradidisse; sed ajunt, postea mutasse Sententiam, aliisque in locis contrarium docuisse. Idem censuerunt Curatores editionis Romanæ, qui Bergomensis concordantias non curantes, ad marginem hujus Textus hanc notam apposuerunt: *Et oppositum istius 3. Par. Sum. q.* 27. *art.* 1. (corr. Art. II.) Quæ nota etiam legitur in editione Veneta, & Antuerpiensi.

140. Verum, quod aliis in locis contrarium non docuerit D. Thomas, abunde monstratum est Art. præced. a *num.* 55. Et hoc etiam RR. PP. Dominicani hujus Regiæ Urbis agnovisse videntur, dum aliquot ab hinc annis Imaginem quandam Immaculatæ Conceptionis papyraceam delineari, & excudi fecerunt, atque in Populum sparserunt; quæ (ut observavi) rosis quindecim, totidem veluti *Rosarii* mysteriis, circumcincta, infra exhibet S. Patriarchæ Dominici stemma, & supra pro lemmate habet hæc verba: *Talis fuit Puritas B. M. V. quæ Peccato Originali, & Actuali Immunis fuit.* D. Thom. *in* 1. *Sent. dis.* 44. *art.* 3. *ad* 3.

141. Secunda Sententia: (*s*) *Augmentum Puritatis est secundum recessum a contrario, & quia in B. Virgine fuit depuratio ab omni contrario, ideo pervenit ad summum Puritatis; sub Deo tamen, in quo non est aliqua Potentia deficiendi, quæ est in qualibet Creatura, quantum in se est.*

142. In laudatis editionibus ad marginem præcedentis loci, merito citatur hic locus, tamquam illi consonus: nam & hìc D. Thomas, exceptâ solâ potentiâ deficiendi, astruit in B. Virgine depurationem ab omni contrario, hoc est recessum ab omni Peccato; & ideo dicit, B. Virginem pervenisse ad summum Puritatis sub Deo, in quo non est aliqua Potentia deficiendi.

143. Tertia Sententia: (*t*) „Fecit ergo Summus Artifex in ostentationem pleniorem artis suæ, speculum unum, clarissimo (*scilicet Angelico*) clarius, Seraphino tersius, & purius; & tantæ Puritatis, ut purius intelligi non posset, nisi DEUS esset, Personam scilicet Gloriosissimæ Virginis; de quo (*Speculo*) Anselmus: *Decebat, ut illius Conceptio Hominis de Matre Purissima fieret, ea Puritate, qua major sub Deo nequit intelligi.* „

144. Ecce D. Thomas, sibi concors, confirmat hoc loco, quæ antea dixerat de summa B. Virginis Puritate, omnem puræ Creaturæ Puritatem excedente. Quibus conformia sunt hæc alia, quæ scripsit Comm. in Psalmos: (*u*) *Sed in Christo, & Virgine Maria, nulla omnino macula fuit.* Et rursus: (*x*) *In Sole posuit Tabernaculum suum: idest Corpus suum posuit in Sole, idest in B. Virgine quæ nullam habuit obscuritatem Peccati.*

145. Quarta Sententia: *B. Virgo excedit Angelos quantum ad Puritatem. Quia B. Virgo non solum erat pura in se, sed procuravit Puritatem in aliis. Ipsa enim Purissima fuit, quantum ad Culpam: quia nec Originale, nec Mortale, nec Veniale Peccatum incurrit.*

146. Multi sunt graves Auctores, (*y*) etiam ex Ordine Prædicatorum, (*z*) qui hanc Sententiam allegant ex Opusculo D. Thomæ in Salutationem Angelicam; (*a*) quamvis in iis, quæ præ manibus habemus, editis exemplaribus, ea verba, *nec Originale*, desiderentur; sed verisimile est, in antiquis manuscriptis Codicibus non defuisse. Tum quia si deessent, ratio D. Thomæ non concluderet, B. Virginem Angelos excedere quantum ad Puritatem: siquidem Angeli Sancti nec Originale, nec Mortale, nec Veniale Peccatum reipsa incurrerunt: undecunque proveniat, quod Originale non incurrerint. Tum etiam quia Johannes de Segovia circa annum 1437. ante inventam Typographiam, coram Patribus Concilii Basileensis, laudatam Sententiam pro Immunitate B. Virginis ab Originali Peccato fidenter allegavit: nec ipse Turrecremata (*b*) eam S. Thomæ obfirmate abjudicavit, sed potius exponere conatus est, dicens, per ea verba, *non incurrit Originale*, significari, *Nativitate ex utero illud non traxit.* Cujus expositionis improprietatem, nemo non animadvertit.

147. Quinta Sententia: *Ipse solus, & singularis est, qui non subjacet Maledictioni Culpæ. Unde.... Eccl.* (VII. 29.) Virum de mille unum reperi, *scilicet Christum, qui esset sine omni Peccato:*

(p) 2. 2. *quæst.* 152. *art.* 1. *corp.*
(q) *In lib.* 3. *Sent. dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 1. *in* 3. *arg. contr.*
(r) *In lib.* 3. *Sent. dist.* 3. *quæst. unica pag.* 24. *col.* 1. *edit.* Venet. an. 1588.
(s) *In lib.* 1. *Sent. dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 4. *fol.* 57. *col.* 1. *ejusd. tomi* 6.
(t) 2. *Par. Opusculor. opusc.* 61. *de Dilectione* DEI, *& Proximi, cap.* 27. *de Dilect. Dei, in* 10. *gradu Amoris, fol.* 89. *col.* 2. *tom.* 17.
(u) *In Psal.* 14. *fol.* 14. *col.* 4. *tom.* 13.
(x) *In Psal.* 18. *fol.* 22. *col.* 1. *ejusd. tomi.*
(y) Michael a Carcano *sermone* 7. *cit. pag.* 16. Bernardin. de Bustis *serm.* 4. *de Concept. B. V. par.* 3. *f.* 16. *col.* 4. Ven. Petrus Canisius *lib.* 1. *de Maria Deipara, cap.* 6. *pag.* 45. *edit.* Ingolstad. an. 1583.
(z) Ambrosius Catharinus *in Disput. pro Immacul. Concept. B. V. ad Patres Concilii Trident. par.* 1. *col.* 61. *in fine, &* Vincentius Justinianus Antist. *in ult. Considerat.*
(a) *Est Opusculum octavum inter Opuscula* 1. *partis, fol.* 76. *tomi* 17. *edit.* Romanæ.
(b) *Parte* 12. *cap.* 15. *fol.* 260.

Peccato: Mulierem autem ex omnibus non inveni: *quæ omnino a Peccato Immunis esset, ad minus Originali, vel Veniali. Excipitur Purissima, & omni laude dignissima, Virgo Maria, quæ omnino a Peccato Immunis fuit, Originali, & Veniali.*

148. Citatur pro hac Sententia Commentarius D. Thomæ in Epistolam ad Galatas *cap. 3. lect. 6.* In quo quidem Commentario, juxta editionem Romanam, & alias subsequentes, ea B. Virginis exceptio non reperitur; reperitur autem in multis antiquioribus editionibus, cum hac Nota in margine: *Vide hic, esse de mente S. Thomæ, nullum Beatam Christi Matrem habuisse Peccatum, etiam Originale.* Octo hujusmodi editionum diversa exemplaria (quæ aut ipsemet legi, aut alii, a me rogati per Epistolas, legerunt, & retulerunt,) commemoro, indicatis locis, in quibus asservantur.

149. I. In Bibliotheca hujus nostri Collegii Panormitani, & in Archivo Monasterii S. Martini de Scalis, Ord. S. Benedicti, sex circiter passuum millibus Panormo distantis, necnon in Cœnobio Panormitano Tertii Ordinis S. Francisci, S. MARIÆ de Misericordia nuncupato: editum *Parisiis* anno 1541. *Ex Officina honesti Viri, Ambrosii Girault, sub signo Pellicani &c. adnotationibus illustratum, quibus antè nunquam, labore Fr. Jacobi Alberti Castrensis* (Ord. Præd.) *& a mendis non paucis repurgatum, ex vetustissimorum Codicum collatione, ac Sententiarum inspectione.* Et ab eodem Alberto dicatum *Johanni de Bus, Antistiti Meldensi, Conservatorique Privilegiorum Parisinæ Academiæ.* fol. 157. col. 1.

150. II. In Bibliotheca nostri Collegii Messanensis, nihil omnino a præcedenti differens, sed ex alia editum Officina, nempe: *Ex Officina honesti Viri Oudini Petit, sub signo Floris Lilii.*

151. III. In nostro Collegio Thermitano Himerensi, Diœcesis Panormitanæ, & in Bibliotheca PP. Capucinorum Messanæ, necnon Romæ in Bibliothecis, Barberina, & Conventus de Aracæli: editum Venetiis *apud Hieronymum Scotum* an. 1548. *Adnotationibus illustratum &c. labore, atque industria Fr. Jacobi Alberti Castrensis.* fol. 143.

152. IV. In nostro Collegio Mazarinensi, Diœcesis Syracusanæ: Parisiis *imprimi cœptum* anno 1538. & absolutum anno 1539. *Ex Officina modesti Viri Johannis Mace, Bibliopolæ adscriptitii, ad Templum D. Hilarii, sub signo scuti Britanniæ. A mendis non paucis repurgatum, ex variarum editionum, ac vetustissimorum Codicum Collatione.* fol. 156. col. 2.

153. V. In Archivo PP. Benedictinorum dicti Monasterii S. Martini de Scalis: editum *Parisiis, in via Jacobea, sub Sole aureo*, an. 1532. *A mendis non paucis repurgatum, ex variarum editionum, ac vetustissimorum Codicum collatione: Item labore diligenti mendis excussis, cura, & solicitudine spectab. Viri Nicolai Prævost.* fol. 141.

154. VI. In Bibliotheca nostri Collegii Syracusani, in cujus fine leguntur hæc verba: „ Finit „ explanatio S. Thomæ de Aquino, Ord. FF. „ Prædic. in omnes Epistolas B. Pauli Apostoli, „ labore diligenti, mendis excussis, Parisiis impressa, cura, & solicitudine Nicolai Prævost; „ impensis vero Ponceti le Proux, ejusdem „ Universitatis Bibliopolæ jurati. Anno a partu Virginis salutifero 1529. mense Februarii. „ *fol.* 141.

155. VII. In Bibliotheca PP. Recollectorum S. Francisci Paternarum, vulgo, *Pernas*, in Comitatu Avenionensi, sub hac inscriptione: *D. Thomæ Aquinatis &c. Commentaria, a mendis non paucis repurgata; ex variarum editionum, ac vetustissimorum Codicum collatione. Parisiis. Veneunt in Via Jacobea, sub Flore Lilii, apud Johannem Petit.* 1532.

156. VIII. In Bibliotheca PP. Observantium loci, vulgo dicti, *il Poggio*, Provinciæ Marchianæ, cum eodem titulo, sed *Parisiis, ex Officina modesti Viri Ponceti le Proux sub signo Lupi, via ad S. Jacobum* 1538. De istis exemplaribus, extra Siciliam extantibus, certior factus sum per schedam oculati Testis, R. P. Gravois, Minorum Observantium Diffinitoris Generalis, Româ ad me transmissam.

157. Ne promissæ sinceritati desim, non dissimulo, quædam alia mihi comperta veterum editionum exemplaria, in quibus illa B. Virginis exceptio desideratur. Primum reperitur in Monast. Benedictin. Montis Regalis prope Panormum: editum Bononiæ anno 1481. absque nomine Typographi, *Correctum, emendatumque summa cum diligentia, ac diligenti solicitudine per Fratrem Petrum de Bergomo, Ord. FF. Prædic. &c.*

158. Alterum in nostra Bibliotheca Collegii Panormitani, impressum Venetiis per Philippum Pincium Mantuanum, anno 1510. Curatore Fr. Matthæo Baccalaureo de Randatio, Siculo; Ord. Præd. III. In Archivo memorato S. Martini de Scalis, editum Venetiis anno 1533. ut habet ad calcem, Curatore Anonymo, qui *fol.* 164. ad marginem textus Ecclesiastæ adnotavit: *Hac auctoritate convincitur, B. Virginem habuisse Peccatum Originale.* Cum tamen D. Hieronymus (c) istius loci duos sensus efferat, ad Originale Peccatum nihil omnino spectantes. IV. Editum Venetiis, Typis Boneti Lucatelli Bergomensis, anno 1498. quod laudatus Gravois extare ait in Bibliotheca Minervæ. V. Ab Octaviano Scoto impressum anno 1540. sine loco impressionis, Curatore Fr. Vincentio Giacharo Lugien. Ordin. Prædic. quod a Parocho Græcorum exhibitum mihi fuit.

159. Verumtamen editiones illæ, in quibus legitur B. Virginis Exceptio, his aliis præferendæ videntur. Illæ namque Curatorem habent R. P. Fr. Jacobum Albertum Castrensem, non Franciscanum, sed Dominicanum, ac proinde minime suspectum: qui etiam fidem appellat *Vetustissimorum Codicum &c.* & cujus diligentiam in edendis D. Thomæ Commentariis in Epistolas S. Pauli, valde commendant Eruditi Nomenclatores Scriptorum Ord. Prædicat. (d) no-

(c) *Comm. in eum locum col.* 756. *& seq. tomi* 2.

(d) *Tomo* 1. *pag.* 331.

nominantes illam ipsam III. editionem Venetam anni 1548. Istæ vero editiones, suspectos habent Curatores, præsertim Fr. Petrum de Bergomo, notissimum Piæ Sententiæ Adversarium, cujus editio norma fuisse videtur cæterarum; & nullam attestantur *Vetustissimorum Codicum collationem.* Accedit, quod R. P. F. Claudius Frassen, Doctor Parisiensis, laudatâ ex D. Thoma illâ B. Virginis exceptione, subjungit: (e) *Ita ferunt omnia antiqua exemplaria mss. ut videre est Parisiis, in Bibliotheca tum Sorbonæ, tum Sancti Victoris, ut ego ipse propriis oculis legi.*

160. Monuit me laudatus P. Gravois, quod in Notis adjunctis Criticæ Domni Simon in Bibliothecam Domni Dupin *lib. 6. cap. 5.* mentio fiat cujusdam editionis Parisiensis anni 1549. quæ, cum B. Virginis exceptione careat, prænotatur tamen: *Adnotationibus illustrata, labore Fr. Jacobi Alberti Castrensis, & a mendis non paucis repurgata, ex vetustissimorum Codicum collatione, ac sententiarum inspectione &c.*

161. At, cum jam edita fuerint eadem Commentaria, B. Virginis exceptionem exhibentia, bis Parisiis anno 1541. & semel Venetiis anno 1548. *Adnotationibus illustrata, labore Fratris Jacobi Alberti Castrensis &c.* dicendum est, quod vel idem Jacobus Albertus, a Præfectis suis compulsus, (ut suspicatur Gravois) vel alius quispiam, ementito nomine, Commentaria illa absque B. Virginis exceptione, denuo typis mandari curaverit Parisiis.

162. Prætereo similem locum D. Thomæ in Epistolam Apostoli ad Romanos, quem laudat P. Eusebius Nierinbergius (f) testimonio innixus cujusdam Ferdinandi Guevara, & Adorno, Asturicensis Ecclesiæ Canonici. Quia hunc bonum Canonicum hallucinatum reor, quòd locum in Epistolam ad Galatas, tanquam locum in Epistolam ad Romanos, in Codice illo antiquo Biblioth. Sfortianæ, legere sibi visus sit.

163. Post hæc scripta, litteræ mihi Româ venerunt a P. Claudio Scipione Guerin S. J. uno ex Censoribus librorum nostræ Societatis, & Præpositi Generalis Theologis, (cujus eruditioni, & diligentiæ non parum debeo) datæ die 5. Maji an. 1747. quibus significatum est: „ Paucis ab „ hinc diebus in Vaticana Bibliotheca repertos „ esse sermones, hactenus ineditos, S. Tho„ mæ Aquinatis nomen præseferentes: in quorum „ uno perspicue admodum, non dicitur solum, „ sed etiam probatur, B. Virginem Mariam non „ contraxisse Peccatum Originale, sed ab ea „ labe fuisse prorsus Immunem. „ Si sermonis istius exemplum in tempore ad nos pervenerit, totum sermonem in calce hujus Operis exhibebimus; Criticis interim investigandum relinquentes, an sermones illi sint revera ejus, cujus nomen præseferunt.

164. Ex hactenus disputatis de mente D. Thomæ, illud certo colligi potest, Angelicum Doctorem, nec adeo confidenter, (ut vulgo fit) allegari debere pro Contraria Sententia; nec omnino irrationabiliter allegari posse pro Pia Sententia.

TESTIMONIUM III.

D. Bonaventura, Ord. Minor. Doctor Seraphicus, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Albanensis, Anno MCCLXV.

165. QUàm ingenue fassi sumus, S. Bonaventuram *Comm. in lib. 3. Sentent.* Contrariæ adhæsisse Sententiæ; tam constanter asserimus, eundem in aliis scriptis posterioribus Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem tradidisse; ex quibus tres Sententias proferimus.

166. Prima Sententia generalis, sed valde illustris, & expressa, est: (g) *Domina nostra tota.... fuit Purissima, omni carens penitus macula, tam in Corpore, quàm in Anima. Unde ipsi soli convenit illud:* Tota pulchra es: *In quo notat, omnem pulchritudinem habuisse Hominis. Sed addit:* Et macula non est in te: *in quo notat, Eam nullam maculam admisisse. Ut sic fuerit summe Pulchra, per omnis Boni præsentiam, & absque macula, per omnis Mali, & Culpæ absentiam. Et hoc est, quod dicit Anselmus;* Decebat &c.

167. Secunda Sententia peculiaris, & clarissima est: (h) *Domina nostra fuit plena Gratiâ præveniente in sua Sanctificatione: Gratia scilicet præservativa, contra fœditatem Originalis Culpæ, quam contraxisset ex corruptione Naturæ, nisi speciali Gratiâ præventa, præservataque fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab Originali Culpa Immunis, & Ipsa Mater Ejus, Virgo. Credendum est enim, quod novo Sanctificationis genere, in Ejus Conceptionis Primordio, Spiritus Sanctus Eam a Peccato Originali, non quod infuit, sed, quod infuisset, redemit, atque singulari Gratia præservavit.*

168. Tertia Sententia brevissima, sed non minus perspicua, est: (i) *Ad Nonam tres fructus attende: Mariæ mirabilem Conceptionem, absque inquinatione: Puellæ mirabilem educationem, in Templum oblatione; Virginis mirabilem Desponsationem, Joseph copulatione.*

169. Dictis Seraphici Doctoris addamus & Facta. Ut *Act. III. num.* 103. ex Annalibus, & Monumentis Minorum retulimus, S. Bonaventura cum esset Minister Generalis Ord. Minor. in Comitiis Generalibus Ordinis, quæ habuit Pisis an. 1263. Festum Conceptionis B. Virginis, in

(e) *Tom.* 8. Scoti Academici, *Tract.* 1. *disput.* 3. *art.* 3. *sect.* 3. *quæst.* 1. §. 5. *pag.* 22 . *edit.* Rom. an. 1720.

(f) *In Exceptionibus Concilii Tridentini cap.* 21. *pag.* 188.

(g) *Serm.* 1. *de B. V. M. in ea verba:* Suspice Cœlum &c. *Gen.* 15. 5. *vel* Job. 35. 5. *pag.* 387. *col.* 2. *tomi* 3. *ejus Operum. edit.* Rom. an. 1596.

(h) *Serm.* 2. *de ead. B. V. M. in ea verba:* Ave Gratia plena. *pag.* 389. *ejusd. tomi* 3.

(i) *Parte* 2. *Opusculor. de Contempl. seu de septem gradibus Contempl. inter Meditationes devotas, & pias per singulas Ferias, Feria* 2. *pag.* 440. *tomi* 6.

in toto Ordine Minorum, celebrandum præscripsit. Quo facto, Seraphicus Doctor, juxta principia a se tradita *dist. 3. quæst.* 1. & a nobis relata *Act. III. nu.* 158. satis ostendit, Sanctam se credidisse, & a Suis credi voluisse, B. Virginis Conceptionem, non utique secundùm Carnem, sed secundùm Animam.

Vindicatio Sermonis II. Divi Bonaventuræ, de B. Virgine Maria.

170. **F**R. Angelus Rocca a Camerino, Ord. Eremit. S. Augustini, qui editionem Romanam Operum S. Bonaventuræ curavit; in sua Præfatiuncula ad Tomum tertium Sermonum, de isto solo sermone solicitus, (unde Testimonium produximus, Immaculatæ Conceptionis) monet, *vel non esse legitimum partum hujus S. Doctoris, vel in eo, quod ad B. Mariæ Conceptionem sine Peccato Originali attinet, aliquid a quopiam Recentiore additum fuisse.* Etsi fatetur, *sermonem ipsum, cæteris in rebus, doctrinam, & stilum ejusdem S. Doctoris redolere.* Sed & illud parum esse ratus, in Nota, seu Scholio marginali ad eum locum, absolute pronuntiat: *Sermonem hunc B. Bonaventuræ non esse, omnino fatendum est.* Cur autem? Quia, inquit, *B. Virginem in Peccato Originali fuisse conceptam, cum B. Bernardo, cum D. Thoma, & Aliis B. Bonaventura in lib. 3. Sent. dist. 3. art. 1. q. 1. & 2. omnino tuetur: & ipse multis aliis in locis opinionem in lib. 3. Sentent. affirmatam, omnino, & constanter defendit.* In ipso etiam rerum Indice, V. *Maria sine Peccato Originali concepta*, Lectori mandat, ut hoc suum Scholion videat.

171. Ex quibus satis apparet, quam male animatus in Piam Sententiam fuerit Censor iste Rocchensis. Sed adhuc clarius ipse se prodit in editione, quam ante curaverat, quæstionum Ægidii Romani *in 2. lib. Sentent.* ubi ad singulos Ægidii locos Piæ Sententiæ Contrarios, notat in margine: *Virgo Maria fuit concepta in Peccato Originali*: & cæteros locos diligentissime citat. In alia insuper editione sua Romana anni 1590. Augustini Triumphi Anconitani, *in Salutationem, & Annuntiationem Angelicam*: Omnes ejusmodi locos Ægidii, D. Bonaventuræ, & etiam D. Bernardi, annotatos voluit ad lectionem *secundam quæstionis* 1. Vide *pag.* 314. *to.* 3. Bibliothecæ Virginalis.

172. Hæc Missa facientes, quanta falsa in illo Scholio dicat, videamus. Falsum est 1. D. Bonaventuram *omnino* tueri Contrariam Sententiam: hanc enim solùm ut *communiorem*, *rationabiliorem*, & *securiorem* amplectitur. Falsum 2. hanc Sententiam tueri *quæst.* 1. Ibi namque tantum agit de Sanctificatione B. Virginis ante Animationem. Falsum 3. eandem Sententiam tueri cum D. Bernardo. Nam auctoritatem D. Bernardi ibid. adducit, solum ut probet, B. Virginem ante Animationem sanctificari non potuisse. Falsum denique 4. eandem Sententiam *multis aliis in locis omnino, & constanter defendere.* Cum in sola *quæst.* 2. *dist.* 3. *in lib.* 3. *Sent.* opinionem contrariam defendat. Quæ quidem omnia evidenter constant ex dictis Articulo præcedente a *num.* 83.

173. Nihil ergo ex iis, quæ novus iste Criticus opponit, allegati Testimonii fidem infirmat. Sed & plura cæteroqui sunt, quæ suadeant, Testimonium hoc revera esse S. Bonaventuræ. Nam. I. Ipso fatente Rocchensi, laudatus sermo, S. Bonaventuræ doctrinam, ac stilum redolet. II. Eundem sermonem secundum ipse Sanctus Doctor memorat in tertio sequenti sermone, dicens: *Domina nostra omnia habuit dona Dei, quæ in cunctis aliis sunt divisa, sicut ostensum est in primis duobus sermonibus supra.* III. Idem Sermo integer invenitur in antiqua editione Sermonum D. Bonaventuræ, quæ facta est Basileæ anno 1502. ut testantur FF. Alva, & Frassen. (*k*) IV. Denique Clausula illa de Præservatione B. Virginis ab Originali Peccato, & optime cohæret cum tota textura, & dispositione sermonis; & consonat etiam aliis dictis, ac factis S. Doctoris, quæ paulo ante allegavimus.

174. Casimirum Oudinum prætereo, qui Sanctorum, Magnorumque Hominum labores, non ex ipsorum virtute, sed propria imbecillitate dimetiens; ex multis, variisque D. Bonaventuræ occupationibus ineptissime colligit, (*l*) dubitandum de omnibus Sermonibus, qui in tertio Tomo continentur, an illius sint. Similiter dubitare poterat de omnibus Sermonibus, qui in quinto Tomo operum S. Augustini continentur, an ipsius sint. Quippe Augustinus non minoribus, nec paucioribus distinebatur curis.

Testimonium IV.

Raymundus Lullus, Scholæ Lullisticæ Doctor Illuminatus, Anno MCCXC.

175. **I**N libro Quæstionum super quatuor Libros Sententiar. seu in Disputatione per modum Dialogi inter Ipsum, & Eremitam, *super aliquibus dubiis quæstionibus Petri Lombardi*; (*m*) proposita quæstione, *utrum B. Virgo contraxerit Originale Peccatum?* Partem negantem eligit, pluribusque argumentis stilo suo probat, ex quibus tria seligimus.

176. Argumentum I. „ Nisi B. Virgo dispo-
„ sita fuisset, quod Filius DEI de Ipsa Carnem
„ assumeret, scilicet, quod non esset corrupta,
„ neque in aliquo Peccato, sive Actuali, sive
„ Originali; Filius DEI ab Ipsa Carnem assu-
„ mere non potuisset: Cum DEUS, & Peccatum

Ee 4 „ in

(k) *In Sole Veritatis, pag.* 396. *In* Scoto Academico, *pag.* 214. *tom.* 8.
(l) *In Dissertat. de Scriptis S. Bonav. cap.* 9. *col.* 399. *tom.* 3.
(m) *In lib.* 3. *Sentent. cap.* 96. *fol.* LIII. *edit.* Venetæ *apud* Joh. Tacuinum *an.* 1507.

» in aliquo subjecto concordari non possent. »

177. Argum. II. „ Oportuit ergo, quod B. » Virgo fuisset concepta sine Peccato, ut sua » Conceptio, & Conceptio Filii sui invicem » relative se correspondeant; & ut inter ipsas » major similitudo, & concordantia esse posset, » & inter Filium, & Matrem major amor. »

178. Argum. III. „ Sicut ante Peccatum Ori- » ginale, Adam, & Eva fuerunt in innocen- » tia: sic quando incepit vere Recreatio per esse » B. V. Mariæ, & sui Filii, oportet, quod Ho- » mo, & Mulier fuissent in statu Innocentiæ » simpliciter, & continue, de principio usque » ad finem. »

179. Disputationem hanc, (n) edidit Raymundus Lullus Parisiis, anno 1290. ut in fine notatur his verbis: *Fuit finita præsens Disputatio Parisiis, Anno Christi* 1290. *In Octava Assumptionis.* Scilicet ante sexdecim circiter annos, quam Johannes Duns Scotus in Academia Parisiensi Piam Sententiam publice docuit, & egregie propugnavit; cujus proinde subtilis Doctoris Raymundus, Tertii Ord. S. Francisci Laicus, Parisiis veluti prodromus fuisse videtur.

180. In Catalogo Operum Raymundi Lulli, quem ex Nicolai Antonii Bibliotheca Hispanica exhibet noster Johannes Baptista Sollerius; (o) præter hanc Disputationem, recensetur Liber, *de Conceptione V. Mariæ, ab omni Culpa Immuni.* Qui hispanice simul, & latine editus est Bruxellis in 8. an. 1664. Domno Alphonso de Cepeda Interprete. Dubitat de hoc libro Nicolaus Antonius: sed præfatus de Cepeda, & noster Custorerius apud Sollerium, defendunt, ipsum esse legitimum Raymundi Lulli fœtum.

181. Non me latet, quid contra istum Raymundum Lullum scripserit Fr. Nicolaus Eymericus, Ord. Prædic. *in Directorio Inquisitorum:* (p) ubi centum Articulos erroneos ei adscribit; narratque, se adnittente, Gregorium Papam XI. (cujus & Bullam profert) ejusdem Lulli viginti volumina, ultra ducentos articulos erroneos, & hæreticales continentia, condemnasse, & comburi jussisse.

182. Verùm, etsi non pauci, Eymerico nimium fidentes, in damnanda Raymundi Lulli memoria convenerint; plurimi tamen de atroci injuria, enormique calumnia, Raymundi accusatores postulant; eumque *Illuminatissimum Doctorem, ac divinitus illustratum, Magnum Inventorem novæ docendi artis, organum, & tubam Spiritus Sancti, Fidei lampadem, & inclytum Christi Martyrem, apud Bugiam in Africa*: voce, ac scriptis palam, & publice prædicare non verentur.

183. Quod magis me movet, est, Bollandistas nostros, Raymundum Lullum in suis Actis Sanctorum reposuisse, propter solidissima argumenta, & illustria monumenta, quæ in Commentario prævio ad ejus vitam, (q) a laudato Sollerio deprompta, & expensa sunt; quibus sancti mores, & sana doctrina Raymundi Lulli egregie vindicantur. Et quod attinet ad opus a nobis citatum, in ejus exordio hanc legimus Raymundi Catholicam Professionem: *Illa, quæ in hoc libro dicere propono, volo, quod sic intelligantur in omnibus, salva Veritate, Reverentia, & Honore Ecclesiæ Romanæ Sacrosanctæ, cujus correctioni hæc, & omnia alia mea dicta submitto.*

184. P. Theophilus Raynaudus censet, (r) idcirco Raymundum nostrum apud quosdam tam male audivisse; quia huic Raymundo Lullo Seniori, apud Majoricenses Sanctimoniæ laude claro, suppositi sunt quidam libri reprobi alterius Raymundi de Terraga, sexaginta circiter annis illo posterioris: qui ex Judæo ad CHRISTI Fidem conversus, Raymundus Neophytus est appellatus; quique jussu Gregorii XI. an. 1372. examinatus, & gravium errorum convictus damnationi patuit, ejusque libri in ignem projecti sunt, & combusti. Hos duos Raymundos secernit etiam Franciscus Pegna in Commentario Directorii Eymerici. (s)

Testimonium V.

Richardus de Media Villa, sive Mideltonus Anglus, Ord. Minorum, Doctor Fundatissimus appellatus, Anno MCCXC.

185. Etsi in libros Sententiarum Contrariam Sententiam docuerit, ut vidimus: postea tamen in libro speciali *de Conceptione BB. Virginis*, Piam Sententiam Richardum propugnasse ferunt, Henricus Willottus *in Athenis Ord. Minor.* Lucas Waddingus (t) P. Antonius Possevinus, (u) & ex Anglis, Johannes Pithseus, (x) Guillelmus Cave, (y) & Balæus apud ipsum; aliique plures apud Petrum de Alva: (z) qui & refert quædam verba Richardi, allegata a Johanne Vitali, & Johanne Alano in suis *Defensoriis pro Immaculata Virginis Conceptione*, non longe a Richardi ætate conscriptis.

(n) *De qua vide* Lucam Waddingum *tom.* 3. *Annalium Minor. ad* annum 1315. *num.* 17. *pag.* 161.

(o) §. 13. *ejus Catalogi pag.* 704. *&* V. *pag.* 705. *&* 706. *tomi citandi.*

(p) *Parte* 2. *quæst.* 9. *a pag.* 255. *& quæst.* 26. *pag.* 311. *& seq. edit.* Venetæ an. 1607.

(q) *In Actis Sanctorum Junii, tom.* 5. *ad diem* 30. *a pag.* 623.

(r) *De Justa, & Injusta Confixione Libror. Partit.* 1. *Erotemate* 10. *lit.* R. *pag.* 293. *tomi* 11.

(s) *Parte* 1. *ad quæst.* 27. *Comment.* 52. *pag.* 315. *col.* 2.

(t) *De Scriptorib. Ord. Min. pag.* 305.

(u) *Tomo* 3. *Apparatus, pag.* 131.

(x) *Tomo* 1. *de Rebus Anglicis, par.* 2. *de Illustr. Scriptorib. Angliæ, ætate* XIV. *pag.* 386.

(y) *Ad* annum 1250. *pag.* 655.

(z) *In Sole Verit. verit.* 270. *pag.* 717.

SÆCULUM SCHOLASTICUM SECUNDUM, CHRISTI XIV.

TESTIMONIUM VI.

Johannes Duns Scotus, Ord. Minor. Doctor Subtilissimus nuncupatus, Anno MCCC.

186. IN Lib. III. Sententiar. dist. 3. quæst. 1. (a) quærit: *Utrum B. Virgo fuerit concepta in Originali Peccato?* Et primò, adductis quibusdam auctoritatibus pro Parte affirmante; harum potissimam, ex universali CHRISTI Redemptione desumptam, mirabiliter inflectit ad probandam partem oppositam, sic arguendo: „ Perfectissimus Mediator habet perfectissimum actum mediandi respectu alicujus Personæ, pro qua mediat: sed CHRISTUS est Perfectissimus Mediator; igitur CHRISTUS habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem respectu alicujus Personæ, respectu cujus erat Mediator: sed respectu nullius Personæ habuit excellentiorem gradum, quàm respectu MARIÆ; igitur &c. Sed hoc non esset, nisi meruisset, eam præservari a Peccato Originali. „

187. Id autem probat tripliciter: I. *per comparationem ad Deum, cui reconciliat:* quia non summe placaret CHRISTUS DEUM pro culpa Adæ, nisi præveniret, ne ab aliquo offenderetur. II. *per comparationem ad malum, a quo liberat:* quia nec summe liberaret a Malo, si ab aliquo istam pœnam gravissimam Originalis Peccati non avertisset: quod confirmat exemplo præservationis ab Actuali Peccato. III. *per obligationem Personæ, quam reconciliat;* quia Persona reconciliata non summe Mediatori obligaretur, nisi ab ipso summum Bonum obtineret, quod a Mediatore obtineri convenienter poterat; nempe ipsam Innocentiam, & Præservationem a culpa. Tum breviter, & dilucide duas alias rationes contrarias dissolvit.

188. Secundò, ad quæstionem respondet, DEUM facere potuisse, vel 1. quod B. Virgo nunquam fuerit in Peccato Originali; vel 2. quod tantum per unicum instans in eo fuerit; vel 3. quod in eodem fuerit per aliquod tempus. Primum autem sic declarat: „ Quia Gratia æquivalet Justitiæ Originali, quantum ad acceptationem Divinam, ut propter hanc Animæ habenti Gratiam non insit Peccatum Originale. Potuit enim DEUS in primo instanti illius Animæ infundere sibi Gratiam tantam, quantam alii Animæ in Circumcisione, vel Baptismo. Igitur in illo instanti Anima non habuisset Peccatum Originale, sicut nec habuisset, si postea fuisset baptizata. Et si etiam infectio Carnis fuit ibi in primo instanti; non fuit tamen necessaria causa infectionis Animæ: sicut nec post Baptismum, quando manet secundùm multos, & infectio Animæ non manet: aut potuit Caro mundari ante infusionem Animæ, ut in illo instanti non esset infecta. „

189. Tertiò subjungit: *Quid horum trium, quæ ostensa sunt, esse possibilia, factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, tribuere Mariæ.*

190. Quartò, ut hanc conditionalem propositionem, absolutam reddat, docet modum respondendi ad omnes auctoritates in oppositum. *Et ita*, inquit, *exponendæ sunt auctoritates: quod omnes naturaliter propagati ab Adam sunt Peccatores, hoc est ex modo, quo habent naturam ab Adam, habent, unde careant justitiâ debitâ, nisi eis aliunde conferatur: sed sicut posset* (DEUS) *post primum instans conferre ei gratiam, ita posset & in primo instanti.*

191. Quintò denique iterum luculentius dissolvit rationes omnes contrarias, initio positas: & ad primam de indigentia Redemptionis, respondet, quod „ MARIA maxime indiguisset CHRISTO, ut Redemptore: Ipsa enim contraxisset Originale Peccatum ex ratione propagationis communis, nisi fuisset præventa per Gratiam Redemptoris. Et sicut alii indiguerunt CHRISTO, ut per ejus meritum remitteretur eis Peccatum, jam contractum; ita illa magis indiguit mediatore, præveniente Peccatum, ne esset ab Ipsa aliquando contrahendum, & ne Ipsa contraheret. „

192. Quidam ex Adversariis, solum corticem illorum Scoti verborum, *Quid horum trium &c.* attendentes, jactitant, Scotum, vel non fidenter adhærere Piæ Sententiæ, ut indicat Lampridius: (b) vel solum tendere ad rem, ceu possibilem, non ad effectæ rei veritatem ostendendam; ut ajebat famosus ille Petrus Suavis Polanus, refutatus a nostro Cardinali Sfortia Pallavicino. (c) Sed & Bandello (d) videtur Scotus stare pro Contraria Sententia.

193. At vero constans fama quatuor sæculorum, & ipse S. Antoninus Archiep. Florentinus, (e) Scotum celebrant, tamquam primarium, & strenuissimum, inter Scholasticos, Piæ Sententiæ Assertorem; & jure quidem merito. Nam Scotus non tantum argumenta omnia Partis Adversæ luculenter dissolvit; verum etiam præcipuum illius argumentum, ex indigentia Redemptionis petitum, ita feliciter retorquet in Adversarios, ut ex eodem titulo Redemptionis Christi probet, B. Virginem ab Originali Labe præservatam fuisse. Præterea non tantum asserit, Præservationem hanc B. Virgini tribuendam

(a) *A pag. 91. partis primæ, tom. 7. edit.* Lugdun. an. 1639.
(b) *Cap. 1. pag. 10. & cap. 24. pag. 201.*
(c) *Parte 1. Histor. Conc. Trid. lib. 7. cap. 7. pag. 665. & seq. edit. latinæ.*
(d) *Prima Parte, cap. 24. fol. 34. pag. 1.*
(e) *Prima Parte Summæ, Tit. 8. cap. 2. fol. 97. col. 2. initio, edit.* Lugdun. an. 1530.

buendam esse, si Sacræ Auctoritati non repugnet; sed insuper, ipsam Sacræ Auctoritati nullo modo repugnare, clarissime demonstrat.

194. Demum idem Scotus in eundem *lib. III. Sentent. dist.* 18. *quæst. unica*, *num.* 9. *pag.* 400. *col.* 2. varios in Cœlo Sanctorum gradus recensens, absolute pronuntiat: „ Ibi sunt aliqui „ Beati, qui nunquam fuerunt inimici actualiter „ Peccato Actuali, ut multi Innocentes, ut patet de Parvulis baptizatis, & de multis Sanctis adultis, ut de Johanne Baptista, & aliis: „ sunt etiam multi alii, qui aliquando fuerunt „ inimici, supple, Peccato Actuali; ut mortaliter peccantes, & postea pœnitentes. Est etiam „ ibi B. Virgo, Mater DEI, quæ nunquam „ fuit inimica actualiter, ratione Peccati Actualis, nec ratione Peccati Originalis; fuisset tamen, nisi fuisset præservata. „ Num hæc verba solam possibilitatem astruunt? Num aliquam hæsitationem indicant?

195. Non dissimulo, in posteriori Scoti Scripto Parisiensi (Reportata Parisiensia vocant) *eodem loco cit.* (*f*) adverbium dubitandi reperiri. *Est & ibi Virgo Beata, quæ nunquam fuit inimica actualiter respectu peccati actualis, & forte nec pro Peccato Originali, quia fuit præservata, ut supra dictum est*, scilicet *dist.* 3. *q.* 1.

196. Sed in primis Scriptum Parisiense non fuit a Scoto ultimâ limâ expolitum, ut refert Waddingus in censura prævia Scripti Parisiensis. Deinde verisimillimum est, adverbium istud *Forte*, per subreptionem accessisse: tum quia laudatus Waddingus ibi testatur, multis mendis corruptum, exemplar Reportatorum antehac editum; & nullum se nactum esse vetustum exemplar, unde librum tertium hujus operis corrigeret, aut probaret: tum etiam quia si Scotus solum dubitanter diceret, B. Virginem absque Originali Peccato fuisse, non deberet asseveranter subjungere: *quia fuit præservata*, sed, *quia forte fuit præservata*.

197. Refert Waddingus, (*g*) Scotum Parisiis miram, atque solemnem de Immaculata DEI Genitricis Conceptione, disputationem habuisse, eo successu, ut ab Academia Parisiensi subtilis Doctoris nomen obtinuerit, eandemque Acamiam pellexerit ad jurandam Piæ Sententiæ tutelam. Sed istud, nullo antiquo, & authentico monumento comprobatum, fabulosum censet Natalis Alexander. (*h*) Magis fabulosum est, quod a Bandello fortasse deceptus, scribit P. Salazar, (cap. 42. ad Sæculum 14. pag. 391.) Scotum Magistris Parisiensibus persuasisse, ut censuram, quam, tempore Magni Alberti, contra Piam Sententiam tulerant, prorsus rescinderent. Hæc enim censura, merum Bandelli commentum fuit, ut vidimus *num.* 32. & 35.

198. Vera, eaque magna Scoti gloria est, quod Pia Sententia (ut observat P. Vasquez disp. 117. cit. cap. 2. ad finem) *a Scoti tempore, non solum apud Theologos Scholasticos, sed etiam apud omnes Christifideles ita percrebuit, & cum Hominum Sæculis inveteravit, ut nullus jam ab ea deduci, & dimoveri possit.*

TESTIMONIUM VII.

Petrus Aureolus de Verberia, Ord. Minor. Doctor Facundus dictus, Episcopus Aquensis, & S. R. E. Cardinalis, Anno MCCCXVII.

199. IN lib. III. Sentent. dist. 3. q. 1. (*i*) Art. 1. quærit: *Utrum B. Virgo concepta fuerit absque Originali Peccato?* Et adductis pro utravis parte auctoritatibus, (quibus potius, quam rationibus in hac quæstione inhærendum esse, ait) subjicit Auctoritates, quæ probant, ipsam non fuisse conceptam in Peccato Originali, præponendas videri aliis, in oppositum allegatis: quia istæ non sunt Auctoritates, multum solemnes, nisi loquentes in generali de communi lege; in illis vero fit specialis mentio de MARIA. *Sicut ergo*, inquit, *Privilegium derogat Juri communi, sic ultimæ Auctoritates, Primis.*

200. Art. II. eos rejicit, qui ajebant, B. Virginem fuisse sanctificatam in ipso Conceptionis instanti, & tamen contraxisse Originale Peccatum. Art. III. tres alios modos circa tempus Sanctificationis B. Virginis proponit, quos possibiles agnoscit. Et hic declarat, quomodo B. Virgo in primo suæ Conceptionis instanti sanctificari potuit, *non a culpa inexistente, sed a culpa, quæ poterat inexistere, vel inesse.* Quia potuit Deus creare Animam B. Virginis in Gratia, quamvis hæc erat illi indebita juxta Legem communem; sicuti potest Deus aquam producere cum calore, sibi indebito juxta Legem Naturæ.

201. Demum Art. IV. quærit: *Quid de facto tenendum sit de Conceptione B. Virginis?* Cui quæstioni respondet: *Aliqua sunt scita, & quædam necessariò credita, quædam pie credita: & sic pie teneo, & credo, quod B. Virgo non contraxit Originale.* Sed infra declarat, se eodem modo pie credere Immunitatem B. Virginis ab Originali, quo pie credit ejus Immunitatem ab Actuali Peccato. Generales autem Scripturarum, & Patrum Sententias de omnium Conceptione in Peccato, similiter exponendas esse dicit, sicut exponuntur generales Sententiæ de Nativitate, & de Vita omnium cum Peccato.

Noster Possevinus, (*k*) inter alia Petri Aureoli opera, quæ extare ait mss. in Conventu Sagiensi Custodiæ Normandiæ; recenset Librum, seu Tractatum de Conceptione B. MARIÆ. Idem refert Henricus Warthon, (*l*) apud quem hic Liber, seu Tractatus Tolosæ anno 1514. prodiisse dicitur.

(f) *Num.* 14. *pag.* 488. *col.* 2. *partis* 1. *tomi* 11. *ejusd. edit.*
(g) *Tomo* 3. *Annalium Ord. Minor.* ad an. 1304. *num.* 34. *pag.* 37. *& in vita Scoti, ejus operibus præfixa, cap.* 7. *pag.* 10. *& seq.*
(h) *Tomo* 7. *Histor. Eccles. cap.* 5. *art.* 1. *num.* 11. *pag.* 150.
(i) *A pag.* 379. *tomi* 2. *edit.* Romanæ, an. 1605.
(k) *Tomo* 3. *Apparatus pag.* 38.
(l) *Append. Hist. Litter.* Guillelmi Cave, *pag.* 16.

Testimonium VIII.

Franciscus de Mayronis, Ord. Minor. in Gymnasio Parisiensi Doctor Illuminatus appellatus, Anno MCCCXX.

202. Magnus hic Scoti Discipulus, primusque Institutor Sorbonici Actus (in quo per integrum æstivi temporis diem, ab uno Respondente, absque ullo Præsidis auxilio, contra multos opponentes disputatur) in suo alioqui brevissimo Commentario *in lib. III. Sentent. dist.* 3. *(m)* hanc materiam tam luculenter, & copiose tractat, ut exhaurire videatur.

203. Quæstione I. Art. IV. quærit: *Quando B. Virgo fuit sanctificata?* Et, breviter rejectis aliorum Sententiis, definit, *quod B. Virgo in primo instanti suæ Conceptionis*, (quamquam in posteriori signo naturæ) *fuit sanctificata*, & sic præventa, ne Peccatum Originale contraheret. Art. V. quærit: *Ubi B. Virgo fuit sanctificata?* Et respondet, *quod in Matris utero, & in quatuor veluti partibus principalibus*; scilicet: *in Carne, in Anima Vegetativa, in Anima Intellectiva, & in Volitiva.* Et hìc addit, infuisse B. Virgini, in Matris utero commoranti, non tantum habitus, sed etiam actus sanctificatos per acceleratum usum rationis; ut nos dicebamus in Apparatu *num.* 202. *& seqq.*

204. Quæstione II. Totum systema Piæ Sententiæ duodecim Articulis mirifice illustrat, atque confirmat; quorum summa capita hìc exhibemus. I. DEUS potuit Matrem suam præservare, ne contraheret Originale Peccatum. II. Hoc ipsum decuit. III. De facto Ipsam ab Originali præservavit. IV. Dici nihilominus potest, juxta locutionem Sanctorum, quod B. Virgo Peccatum Originale contraxit aliquo modo; quia nimirum quantum est de se contraxisset. V. Quod vere fuit redempta. VI. Quod vere fuit ab Originali Peccato purgata. VII. Quod fuit vere sanctificata. VIII. Quod habuit aliquam pœnam Peccati Originalis. IX. Quod suæ Immunitatis Privilegium fuit citra Privilegium Christi. X. B. Virginem fuisse sine Peccato Originali, non est contra Auctoritates Sacræ Scripturæ. XI. Nec contra determinationem Sanctæ Matris Ecclesiæ. XII. Neque contra dicta Sanctorum. Quæ omnia, & singula ita persequitur, ac multiplici auctoritate, & ratione demonstrat; ut nullum ingenuo Lectori scrupulum relinquere videatur.

Testimonium IX.

Johannes de Bassolis, seu Bassolius, Ord. Minor. Doctor Ornatissimus nuncupatus, Anno MCCCXXX.

205. Alter hic Scoti Auditor insignis, (quem ipse Scotus tanti faciebat, ut eo solo præsente, sufficiens adesse diceret Auditorium) Piam Sententiam pari studio, etsi non pari copia, tuetur *in lib. III Sentent. dist.* 3. *quæst.* 1. *(n)* Ubi primò accurate distinguens multiplices Conceptionis, & Peccati Originalis acceptiones; animadvertit, quæstionem esse de Conceptione, sumpta pro infusione Animæ; & de Peccato Originali, formaliter sumpto pro ipsa privatione Gratiæ. Tum Contrariam Sententiam cum suis fundamentis refert. Et subinde Conclusionem suam sic exponit: *Videtur mihi dicendum, quod Deus potuit, & decuit, hoc fieri, quod ipse præservaret Virginem, Matrem suam dulcissimam, ne Peccatum Originale contraheret in sua Conceptione; ita quod de facto B. Virgo Originale non contraxit.*

Testimonium X.

Gulielmus de Rubione, Hispanus, Ord. Minorum, Anno MCCCXXXIII.

206. In *lib. III. Sentent. dist.* 3. *(o)* Piæ Sententiæ in hunc modum adhæret: *B. Virginem non fuisse in Originali Reatu conceptam, sed ab ipso ex speciali Privilegio præservatam, pie, & probabiliter potest credi; licet, (ut videtur) non pertinaciter asseri.*

207. Primam, & potissimam hujus Conclusionis partem sic probat: „ Singulariter privilegiatam in suo Progressu, & in suo Egressu, rationabiliter credi potest, fuisse etiam privilegiatam in suo Ingressu, aliquo Privilegio speciali. Sed B. Virgo fuit multipliciter Privilegiata in toto suæ vitæ Progressu, ut apparet evidenter; & in ultimo Egressu, cùm creditur assumpta in Anima, & in Corpore. Ergo videtur etiam, Ipsam fuisse privilegiatam in suo Ingressu, videlicet in Conceptu. „ Idque confirmat auctoritate Ecclesiæ *sustinentis, diem Conceptionis Virginis, solemnizari*: & contraria quæque argumenta apte dissolvit.

208. Addit vero Rubionius eam clausulam; *licet non pertinaciter asseri*: quia superius contenderat, *Non esse sicut certum totaliter asserendum, B. Virginem fuisse sine Peccato Originali conceptam*: propterea quod, „ Omnes, *inquit*, „ rationes, quæ adducuntur, *(ad hanc „ certitudinem asserendam)* præsupponunt duo, „ quæ forsitan non sunt vera, esto quod communiter concessa. Primum est, quod Defectus

(m) *Quæst.* 1. *&* 2. *a fol.* 6. *edit.* Venetæ an. 1504.
(n) *Fol.* 27. *&* 28. *tom.* 2. *edit.* Parisiens. an. 1516.

(o) *Quæst.* 1. *V. a folio* 13. *col.* 3. *edit.* Paris. an. 1518.

„ fectus Originalis sit macula, seu Fœditas Spiritualis. Secundum, quod ex hoc sequitur, est, quod omnis Conceptus in Peccato Originali, sit in odio DEI. „

209. Sed contra, hæc duo verissima esse, jam certo constat ex Concilio Tridentino definiente, Peccatum Originale habere *veram*, & *propriam rationem Peccati*, & *inesse unicuique proprium*. In quo Rubionius ante Tridentinum scribens, lapsus est, dum ait], *Peccatum Originale non esse peccatum, ut peccatum proprie sumitur, & contra reatum distinguitur: sed esse reatum, seu obligationem alicujus ad pœnam damni, proveniens ex demerito, non proprio, sed alieno, videlicet primi Parentis*. V. quæ diximus in Apparatu *num.* 5. & *seqq.* & *num.* 27. Unde colligimus, Rubionium Piæ Sententiæ] firmius omnino adhæsurum fuisse, nisi falsa illa Peccati Originalis opinatione laborasset.

TESTIMONIUM XI.

Petrus de Aquila, seu Aquilanus, cognomento Scotellus, Ord. Minor. Episcopus Sancti Angeli. Anno MCCCXXXVII.

210. Spectatissimus hic Scoti Discipulus *in lib.* 3. *Sentent. dist.* 3. (p) proposita contraria opinione cum suis fundamentis; Piam Sententiam primò exponit: deinde probat auctoritate D. Augustini, D. Anselmi (cujus & librum peculiarem citat) Lincholniensis, & Richardi de S. Victore. Addit & multiplices rationes. Ac demum objecta Patrum testimonia, cæterasque difficultates breviter, & luculenter explanat.

TESTIMONIUM XII.

Johannes Bacondorpius, vulgo de Bacone, seu Baconius, Anglus, Ord. Carmel. In Academia Parisiensi Doctor Resolutus appellatus. Anno MCCCXL.

211. Loco consueto *in lib.* 3. *Sentent. dist.* 3. (q) dumtaxat quærit: *An B. Virgo potuit esse in Peccato Originali, per solum instans?* Et contra Henricum, id contingere non potuisse defendit. Sed *in lib.* 4. *Sentent. dist.* 2. (r) late versat hanc quæstionem: *Utrum B. Virgo concepta fuerit absque Peccato Originali?* Ubi Art. I. ostendit, *Secundùm Legem DEI statutam, & secundum ea, quæ in utroque Canone continentur; solum Christum excipi ab Originali Peccato.* Et Art. II. absolute statuit, solum CHRISTUM excipi, tam a Culpa Originali, quàm a necessitate contrahendi illam; quia solus CHRISTUS fuit conceptus de Spiritu Sancto, sine corporali concubitu, unde, secundum Legem statutam, trahit Homo necessitatem incurrendi Originale Peccatum. Ex quibus concludit, quod Mater CHRISTI de Lege statuta non potuit excipi omnino ab Originali Peccato, quin saltem causa contrahendi fuerit in ea.

212. Post hæc, Art. III. asserit, quod *Mox per privilegium speciale in hora Conceptionis*, (de Conceptione Carnis loquitur) *fuit causa*, & *necessitas contrahendi Originale in Matre DEI extincta; ut de jure privato illa in Animatione non contraheret Originale, quo notatur Culpa, & Macula in Anima.* Subditque: *Licet alibi attendens ad Jus commune, aliter dixerim.* Quibus verbis declarat, se hoc loco retractare Contrariam Sententiam, quam tradiderat in *lib. II. Sent. dist.* 30.

213. Hoc DEI Genitricis privilegium, præmissâ D. Augustini, & D. Anselmi generali Doctrinâ de B. Virginis singulari, & summa Puritate; probat Baconius I. Ex quibusdam S. Scripturæ locis, & potissimùm ex illo Genesis 3. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem &c.* quem egregie interpretatur, ut vidimus *Act. I. num.* 84. II. Ex pluribus Juris Canonici Textibus. III. Ex libro peculiari D. Anselmi de Conceptione B. Virginis, ex quo plures sententias, & rationes affert. Additque, ipsum Carnis B. Virginis Conceptum posse dici Sanctum, non *formaliter*, quia Carni non competit, esse subjectum Gratiæ; sed *ordinabiliter*, & *acceptabiliter*, quia erat ordinatus ad singularem, & summam Sanctitatem.

214. Demum Art. IV. quasdam difficultates diluit, contra Sanctitatem Conceptionis B. Virginis occurrentes. Et hìc declarat, illud, *MOX*, *intelligendum esse secundùm ordinem naturæ, non temporis; ut sic in eodem instanti secundum rem fuerit concepta sub necessitate contrahendi, & exempta: sicuti in eodem instanti materia est informis, & formata, & aër tenebrosus, & lucidus, salvo tamen ordine naturæ, non temporis.*

215. Eandem quæstionem versat Baconius *lib. III. Quodlibetor. quæst. XIII.* Quam sic proponit: (s) *Utrum solus Christus conceptus fuerit sine Peccato Originali?* Hoc loco Contrariam Sententiam primo aspectu tueri videtur. Nam Particulâ III. statuit, quod *B. Virgo, ut Filia Adæ Originale de facto contraxit.* Et Particulis IV. V. & VI. addit: *Dicere, quod B. Virgo fuit Privilegiata, ne de facto contraheret Originale, temerarium est, & contra Canonem Bibliæ; nec non contra Canonicas Sanctiones Decretorum, & Sedis Apostolicæ*; & demum *contra Sanctos.*

216. At vero Particulâ VII. se exponens, ait: *Quod quamvis contraxit Originale Peccatum, ut est Filia Adæ, & descendit per carnalem Generationem; tamen ut est prædestinata, & præordinata fuit Mater DEI, tenet Anselmus, quod non contraxit, in Tractatu, qui intitulatur de Conceptione B. Mariæ Virginis &c.* Quorum verborum sensus non est, quod B. Virgo sub

(p) *Quæst.* 1. *a pag.* 331. *edit.* Venetæ, an. 1584.
(q) *Quæst.* 2. *art.* 1. 4. & 5. *a pag.* 31. *tomi* 2. *edit.* Cremonens. an. 1618.
(r) *Quæst.* 3. *a pag.* 306. *ejusd. tomi*, & *edit.*
(s) *A pag.* 760. *tomi* 2.

ſub una conſideratione re ipſa contraxit, & ſub altera non contraxit Originale Peccatum: (jam enim vides, hoc eſſe impoſſibile, quin proſit diverſitas conſiderationum) ſed, quòd B. Virgo, ratione naturalis propagationis ex Adamo, debuerat contrahere Originale Peccatum; ſed, quia futura erat Mater CHRISTI, ex privilegio ſingulari illud non contraxit. Et ad hoc probandum ex citato S. Anſelmi libro multas iterum rationes profert.

217. In idem tendit *quæſt. XIV. ſequenti*, in qua ſic præfatur: *Ad honorem igitur Glorioſæ DEI Genitricis Mariæ, ego pauper Carmelita, Ord. B. Mariæ de Monte Carmelo, ac Cantuarienſis, ejus patrocinio confiſus, humiliter intendo, prædictum titulum, DEI gratia mediante, ſecundùm modulum inſufficientiæ meæ, declarare, interpretando dicta Doctorum Sanctorum, & ſpecialiter Venerabilis Anſelmi, circa hoc referendo &c.* Quibus explanatis monet, Feſtum inſtitui debere ſub hoc titulo: *Conceptio Dei Genitricis: quia*, inquit, *propter Originale dicunt alii, quod non debet celebrari &c. ſed licet per iſtam dictionem*, Conceptio, *innuatur Originale Peccatum, tamen per dictionem additam*, DEI Genitricis, *excluditur Originale Peccatum, ut probatum eſt par. VII. præced. quæſt. &c.*

218. Hallucinatus eſt ergo Launojus, (*t*) qui, lectâ dumtaxat quartâ illâ particulâ: *Dicere, quod B. Virgo fuit privilegiata, ne de facto contraheret Originale Peccatum, temerarium eſt &c.* Baconium allegat tanquam primarium Scoti Adverſarium. Nec minus hallucinatus videtur Valdeſius, (*u*) qui, ut Lampridium defendat, Baconium in ea ipſa *quæſtione* 3. *diſt.* 2. *in* 4. *Sent.* a nobis allegatâ *num.* 211. & 212. ſibi ipſi adverſari ſignificat; non attendens, Baconium ibi in I. & II. Art. loqui de debito Peccati *ſecundum Legem DEI ſtatutam*, Art. tamen III. de exemptione ab ipſo Peccato, *per Privilegium ſpeciale.* Quod vero ſubdit Valdeſius, *ejuſmodi concluſiones Baconii dubitationem alicui ingerere poſſe, iſne, an alius quiſquam poſt ejus mortem, Deiparam quoque a Culpa Originali de facto exemerit, laciniâ ejus ſcriptis adjectâ:* refutatione non indiget. Quis enim legens in Baconio tam uberes pro Immunitate B. Virginis ab Originali Peccato diſputationes, eas *laciniam adjectam* ſuſpicetur? Sed & Johannes Pithſeus (*x*) inter Opera Baconii, recenſet *De Conceptione Mariæ libros tres*, *Nondum erant abyſſi:* & iterum *de Conceptione librum unum*, *Conceptio Carnalis.*

TESTIMONIUM XIII.

Thomas de Argentina, natione Germanus, Theologus Pariſienſis, & Eremitarum S. Auguſtini Prior Generalis, Anno MCCCXLV.

219. COmment. in lib. III. Sentent. diſt. 3. (*y*) ſic propoſita quæſtione: *Utrum Virgo Glorioſa, quæ a Deo fuit præelecta, ut Filium Dei conciperet, fuerit concepta in Peccato Originali?* duas concluſiones ſtatuit: I. DEUS potuit Virginem Matrem præſervare ab Originali Culpa: II. Hoc congruum fuit, & Divinam Bonitatem decuit. Ex quibus colligit, quod *De facto Virgo Mater Dei ſine Peccato concepta fuit.* Quia inquit, *Illud, quod decet aliquem facere, & nullam habet de impotentia excuſationem; ſi hoc non facit, aliquo modo pro inconvenienti ſibi poterit imputari. Minimum autem inconveniens apud DEUM, eſt impoſſibile.* Inferiùs vero, poſt explanatas contrarias difficultates, idem Conſectarium infert ex Feſto Conceptionis, ſolemniter ab Eccleſia celebrato: Quandoquidem, ait, *Eccleſia Dei nullius Hominis celebrat Feſtum, niſi prout credit ſibi competere Sanctitatem, vel a Peccato Immunitatem.*

220. Illud quoque in Argentina laudandum, quod ex aſſerta B. Virginis præſervatione ab Originali Peccato, alibi (*z*) concludit, quod nos in Apparatu *n.* 100. dicebamus, ſcilicet Peccati fomitem in B. Virgine, non ligatum, aut extirpatum, ſed numquam ſimpliciter fuiſſe: Quia, inquit, *Fomes eſt quædam inordinata concupiſcentia appetitus ſenſitivi, ex Originali Peccato proveniens.*

TESTIMONIUM XIV.

Franciſcus Martini, natione Catalanus, Ord. Carmelit. Pariſienſis in Sacra Pagina Magiſter. Anno MCCCLXXVI.

221. PLenum, & laborioſum opus ſcripſit de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione, in ſeptem tractatus diſtributum. In quorum quinto CXXVII. argumenta, partim ab auctoritate, partim a ratione producit; etſi non omnia (ut aſſolet) juſti ſint ponderis. Hujus Operis, & Auctoris meminit cum laude P. Johannes Bapt. Lezana in Annalibus Carmelitar. (*a*) *Hac tempeſtate*, inquit, *clarus litteris, & doctrina erat Franciſcus Martini. Scripſit erudite, & docte de Conceptione B. Mariæ ſemper Virginis librum, quem ſeptem tractatibus complexus eſt &c.*

222. Centum ex illis argumentis exhibet P. Franciſcus Bonæſpei in libro, cui titulus: *Magni*

(*t*) *Præſcript.* 4. *de Conceptu B. M. V. pag.* 12. *tom.* 1.
(*u*) *Epiſt.* 10. *pag.* 122.
(*x*) *De Scriptoribus Anglicis, ad annum* 1346. *pag.* 453. *edit. cit.*
(*y*) *Quæſt.* 1. *art.* 1. *a fol.* 8. *tomi* 2. *edit.* Venetæ an. 1564.
(*z*) *Art.* 3. & 4. *fol.* 10. *col.* 1.
(*a*) *Tom.* 4. *ad annum* 1376. *num.* 4. *pag.* 691. & *ſeq. edit.* Rom. an. 1656.

Magni Prophetæ Eliæ Visio de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione &c. (*b*) Integrum autem Martini Opus asservatur Ms. in conclavi Bibliothecæ Collegii Romani Societ. Jesu; etsi tam minutis litterulis exaratum, tamque absonis, & insuetis compendiis refertum, ut vix aut ne vix quidem legi queat. Sed vicit solertia, & studium laudati P. Claudii Scipionis Guerin, qui ex isto Codice ms. excerpta quædam ad nos transmisit; monuitque, illas rationes, a Francisco Bonæspei descriptas, nec numero, nec ordine, & interdum etiam nec verbis, respondere argumentis, in ms. Codice Francisci Martini repertis.

223. Hunc itaque Scholasticum, tanquam eximium Piæ Sententiæ assertorem fidenter allegamus: & ex tot ejus rationibus hanc unam in medium afferimus, quæ in ms. Codice est XXI. & apud Bonamspem XVIII. „ Hæc opinio, quod Virgo MARIA non fuit concepta „ in Originali, semper crescit, & invalescit. „ Ergo vera est, & a nobis asserenda. Tenet „ consequentia ex modo loquendi Gamalielis „ (*Actorum V.* 38. *&* 39.) loquentis de Fide „ Christiana: *Si hoc sit ab Hominibus*, scilicet „ falsum, *non durabit*, *imo dissolvetur*, *si sit a* „ *DEO*, *durabit*, *& non poteritis dissolvere*, nec „ finaliter resistere. Et antecedens patet, quia „ hæc opinio continue crescit, & invalescit, non „ solum quoad plures status Religiosorum, im„ mo etiam quoad studia Parisiensia, & Angliæ, „ & quoad Populum in devotione, & Festivi„ tate hujus Solemnitatis. „

Testimonium XV.

Michael Ayguanus, olim Incognitus Carmelita nuncupatus, Carmelit. Generalis, & Doctor Parisiensis, Anno MCCCLXXX.

224. IN *III. Sent. dist.* 3. (*c*) quæstionem proponit: *Utrum Christi Virgo Mater unica, in Originalis Peccati fuerit concepta Macula?* Et tribus conclusionibus resolvit, quarum prima est: *In primo instanti sui temporis non potuit esse in Originali, & in Gratia.* (quod nos ostendimus in Apparatu a *num.* 147.) Secunda: *Per instans præcise non potuit sub Originalis esse Peccati Macula* (quod est contra Henricum Gandavensem.) Tertia: *Virgo Christi Mater unica non dicitur in Originalis Peccati Macula concepta.*

225. Conclusionem hanc triplici ratione probat, & confirmat exemplo immunitatis ab omni Actuali Peccato, etiam Veniali. Addit notissima D. Augustini, & D. Anselmi pro omnimoda B. Virginis Puritate, Testimonia. Et ad Auctoritates, quæ in contrarium adducuntur, generatim respondet, ita illas esse intelligendas, ut significent, B. Virginem fuisse conceptam in Originali, *Improprie*, *secundum causam*, *& in conceptu Seminis*; non tamen *proprie in conceptu Hominis contraxisse effectum talis Peccati.*

Testimonium XVI.

Petrus de Alliaco, seu Alliacensis, Archiepiscopus Cameracensis, & S. R. E. Cardinalis, Anno MCCCLXXXVIII.

226. IN duobus suis Opusculis, quæ extant, in librum III. Sententiarum, præsentem controversiam non attingit. Ast in Tractatu, quem Academiæ Parisiensis nomine, conscripsit adversus quasdam Johannis Montesoni propositiones, ab ea sacra facultate Theologica proscriptas; (*d*) satis expressit, quam alte de Pia Sententia sentiret. Patet hoc ex ea ratione, qua decimam Montesoni propositionem Auctor iste impugnabat, a nobis relata *Actione III. num.* 386.

227. In ea quippe ratione Alliacensis, de Sententia eximente B. Virginem ab Originali Peccato loquens, ajebat: *Quod multi Sancti, & Doctores Catholici tenent; & quod multi Summi Pontifices, & S. R. E. Cardinales, & alii Majores Prælati, & plures particulares Ecclesiæ, immo fere Universalis Ecclesia, aut ejus Major, & Sanior Pars, asserunt, & puplice dogmatizant; & ad ejus probationem tenent, Miracula esse facta, & in cujus commemorationem annuale Festum celebrant.* Cui rationi consonare videtur alia, qua idem Alliacensis undecimam ejusdem Montesoni propositionem impugnabat. (*e*) Hac de re infra redibit sermo, ubi de gestis Academiæ Parisiensis contra Montesonum, agemus.

SÆCU-

(b) *Disp.* 3. *dub.* 7. *a pag.* 341. *edit.* Antverp. an. 1665.
(c) *Quæst. unica*, *a pag.* 289. *edit.* Venet. an. 1622.
(d) *Multa ex hoc Tractatu describit* Natalis Alexander *tom.* 7. *Histor. Eccles. cap.* 3. *art.* 23. *sed ipsum integrum edidit* Carolus Dupleshs d'Argentré *tom.* 1. *par.* 2. *a pag.* 75.
(e) *Apud* Duplessis *pag.* 110. *apud* Alexandrum *pag.* 131.

SÆCULUM SCHOLASTICUM TERTIUM, CHRISTI XV.

Testimonium XVII.

Johannes Charlierius, a Vico Natali Gersonius appellatus, Academiæ Parisiensis Doctor, & Cancellarius. Anno MCCCCI.

228. Hic Vir *ingentis Doctrinæ, atque Pietatis*, (ut eum appellat Possevinus) pluribus in locis Piam Sententiam luculenter tradit, atque confirmat: In *Josephina*: (f) In Sermone *de Christi Nativitate*: (g) In Sermone *de Nativitate Glor. V. M.* quem habuit in Concilio Constantiensi. (h) Sed duo alii sunt loci potissimi, in quibus exponendis oportet diutius immorari.

229. Unus est, Sermo *de Conceptione B. Mariæ Virginis*, (i) in Ecclesia S. Germani habitus Parisiis, anno 1401. in ea verba Cant. *Tota pulchra es &c.* In cujus tertia parte quatuor considerationibus, planissimam sternit viam ad respondendum Sanctis Doctoribus, qui Contrariam Sententiam insinuare visi sunt.

230. Prima consideratio est: *Spiritus Sanctus interdum revelat Ecclesiæ, vel Doctoribus posterioribus aliquas virtutes* (lege *veritates*,) *vel expositiones S. Scripturæ, quas non revelavit eorum Prædecessoribus.* Hoc probat auctoritate D. Gregorii, a nobis allegati in Prolusione *Act. VI. n.* 3. Unde infert: *Quapropter dicere possumus hanc veritatem*, B. Mariam non fuisse conceptam in Peccato Originali, *de illis esse veritatibus, quæ noviter sunt revelatæ, vel declaratæ tam per miracula, quæ leguntur, quàm per majorem partem Ecclesiæ, quæ hoc modo tenet.* Quod exemplo explicat corporeæ Assumptionis B. Virginis in Cælum, & Festi Nativitatis ejusdem Virginis.

231. II. Consideratio: *Omni tempore Doctores in Sacra Scriptura instructi, auctoritatem habent exponendi & declarandi veritates, sicut habuerunt Doctores antiqui.* Quod probat exemplo novorum Prælatorum, qui similem habent auctoritatem antiquis, ad eorum Populum gubernandum, licet non talem habeant Sanctitatem. Unde similiter infert, *quod considerata multitudine Doctorum Novorum, & Prælatorum Ecclesiæ, qui dicunt, hanc opinionem veram esse &c. securius est sic tenere, quam oppositum &c.*

232. III. Consideratio: *Sancti Patres generaliter loquuti sunt de Domina nostra, & Aliis, in hac materia, volentes dare intelligere, quod sine privilegio speciali (quo non eguit Christus,) & secundum generales causas, Domina nostra habuisset Peccatum Originale, sicut Aliæ.* Et hic allegat D. Augustinum, & S. Anselmum, locis sæpe citatis, B. Virginem etiam expresse excipientes; quibus addit D. Thomam super Psalmos, a nobis allegatum.

233. IV. Consideratio: *Sancti Doctores in materia Fidem tangente, & Religionem Christianam, semper mature protesserunt, non cito determinando dubias veritates: ideo loquuti sunt in hac materia, magis inquirendo, quam determinando.* Et memoratâ Epistolâ S. Bernardi, subjungit: *Aliud autem est modo, quam tempore S. Bernardi. Nam veritas est magis elucidata, & celebratur hæc Solemnitas quasi per universam Romanam Ecclesiam, & alibi &c.* Omitto alium de Conceptione B. Virginis Sermonem, qui legitur apud Gersonem, (k) sed revera non videtur esse Gersonis.

234. Alter locus est Tractatus, seu Epistola Joh. Gersonii ad Fr. Joh. Bassandi, Provincialem Cælestinorum, *de Susceptione Humanitatis Christi*, scripta anno 1426. (l) Ubi inter plures veritates, quas proponit de Christo, aliquas inserit de B. Virgine, quarum duæ ad ejus Immaculatam Conceptionem spectant.

235. I. Veritas est num. 10. „ Christus voluit, dilectissimam Matrem suam dolores, & pœnalitates hujus vitæ destitutæ suscipere, nedum voluntarie pure, sicut suscepit, sed ex conditione naturæ viatricis, descendentis ab Adam, & cum necessitate contrahendi Originale Peccatum, sicut alii, per generationem Viri, & Mulieris concepti, nisi Gratia supernaturalis prævenisset casum in hoc Originalis Culpæ præcipitium &c.„ Et subjungit: *Veritas hæc probabili pietate cordis credi potest.* Quo loco diluit Gersonius difficultatem contrariam, sumptam ex pœnalitatibus hujus vitæ, quas B. Virgo passa est.

236. II. Veritas est num. 11. „ Christus præservando Matrem suam ab Originali, non ob hoc dedit Dignitatem æqualem sibi ipsi, etiam secundum Humanitatem Viatricem. Ratio; quia numquam Christus habuit necessitatem Originale Peccatum contrahendi, quia non descendit per naturalem propagationem. Propterea ratio desumpta ex hac æqualitate, quod Maria contraxit Originale, prorsus est invalida: similiter & altera, quod Maria non indiguisset Redemptione... Hoc, inquam, argumentum potius est ad oppositum: quia si Christus fuit omnium Perfectissimus Redemptor, mortem pro omnibus sustinens, decuit, quod Matrem perfectissime redimeret: hoc autem non potuit convenientius fieri, quam præservando, ne caderet, potius quam jam lapsam relevaret.„ Et statim subjicit: *Veritas hæc probabilis est, & pia; super quam mirum est, quod nonnulli volentes Virginem Benedictam super limites honorare; prædicant nihilominus, quod contraxit Originale, sicut unus, de quo infra.*

(f) *In* Josephina, *dist.* 7. *col.* 769. *paulo post initium*; *tom.* 4.
(g) *Col.* 941. *sub initium*, *par.* 3. *tomi* 3.
(h) *Considerat.* 2. *col.* 1349. *ejusd. Partis*, *& tomi.*
(i) *A col.* 1317. *ejusd. par.* 3. *tom.* 3. *& vide speciatim col.* 1330. *& seq.*
(k) *A col.* 1335. *ejusd. tomi* 3.
(l) *Extat a col.* 450. *tomi* 1. *ejus Operum*, *& V. col.* 451.

237. Quis fuerit iste *Unus*, in hoc tractatu non significat Gersonius. Videtur autem esse Joh. de Montesono, cujus XIII. propositio a facultate Parisiensi proscripta erat: *Magis est expressum contra Scripturam Sacram, Beatam Virginem non esse conceptam in Peccato Originali, quam asserere, ipsam fuisse simul Beatam, & Viatricem, ab Instanti suæ Conceptionis, vel Sanctificationis.*

238. Dupinus in Gersonianis (m) exponens Gersonii doctrinam de Præservatione B. Virginis ab Originali Peccato, subdit: *Quam tamen sententiam tradit, ut probabilem tantùm, & piam.* Hoc autem loco Dupinum *pura puta verba Gersonii laudasse* inculcat Lampridius. (n)

239. Falsus est Lampridius. Pura puta Gersonii verba sunt: *Veritas hæc probabilis est, & pia.* Et non habent adverbium illud, *tantùm*, quod, indicante Dupino, Lampridius additum voluit, sicut etiam opusculum illud Gersonii geminavit, citans primo librum *de Susceptione Human. Christi*, & hoc citato, subjungens: *Idem repetit in Epistola ad Johannem Bassandi &c.* cùm tamen liber ille non sit alius ab hac Epistola.

240. Dixit autem Gersonius de Pia Sententia, quod *sit veritas probabilis*; non quòd eam censuerit mere probabilem; (oppositum enim colligitur ex I. & IV. consideratione laudati Sermonis de Conceptione) sed ut eam distingueret ab aliis veritatibus, quas ibidem dixerat, *Certas de Fide, vel credendas de necessitate salutis &c.* Etenim etsi Piam Sententiam, ut certam habuit, non tamen certam credidit, certitudine Fidei Catholicæ. Et ideo etiam in quibusdam conclusionibus, (o) (quas frustra opponunt Dupinus, & Lampridius) Contrariam Sententiam adducit in exemplum propositionis, *quæ ex se, & ex jure penitus dubia est, an ad Fidem pertineat repugnanter.* Hoc est, an sit hæretica, vel hæresi proxima.

Testimonium XVIII.

Johannes de Segovia, in Academia Salmantic. S. Theologiæ Professor, Archidiaconus Ovetensis, & postea Episcopus Cæsariensis, Anno MCCCCXXXVI.

241. Strenuissimus, & felicissimus hic Piæ Sententiæ Propugnator in Basileensi Concilio, (ad quod Academiæ suæ nomine convenerat) pro notitia Patrum ejusdem Concilii, septem *Allegationes*, totidemque *Avvisamenta* (scilicet documenta) conscripsit: quibus quatuordecim miracula subjecit. Quæ omnia ex antiquis plurium Bibliothecarum Codd. Mss. magno labore, ac studio eruit R. P. Fr. Petrus de Alva, & Astorga Ord. Minor. Observant. de Immaculata B. Virginis Conceptione benemerentissimus; atque edenda curavit Bruxellis, typis, & sumptibus Balthasaris Vivien, anno 1664. dicavitque Eminentiss. Dom. Balthasari Moscoso a Sandoval, S. R. E. Cardinali, & Archiepiscopo Toletano.

242. In prima ex illis Allegationibus, *a pag.* 2. agit Segovia de Originali Peccato, rebusque aliis ad Causæ cognitionem spectantibus. In II. *pag.* 31. statuit, quod B. Virgo potuit ab Originali Peccato præservari, quod decuit, & quod debuit præservari. In III. *pag.* 70. probat, quod ab eo Peccato fuerit reipsa per DEI Gratiam præservata. In IV. *pag.* 124. hujus Præservationis modum, & possibilitatem declarat. In V. *pag.* 124. aliquas difficultates diluit, in hac materia Conceptionis Beatæ Virginis occurrentes. In VI. *pag.* 194. obviat generalibus argumentis Contrariæ Sententiæ; Piamque Sententiam comprobat ex Pietate Fidei, Sanctorum Testimoniis, & Theologorum auctoritate. In VII. *pag.* 283. respondet ad novem auctoritates Sacræ Scripturæ, totidemque rationes ab Adversa Parte productas.

243. Eadem ferme regerit, atque confirmat Segovia in *Avvisamentis a pag.* 391. De miraculis, quæ subnectit, aliquid diximus *Actione IV. a num.* 54. P. Strozzi (p) refert, Segoviensem suo illi operi tripartito adjecisse Officium Immaculatæ Conceptionis, quod postea Basileense Concilium approbavit. Sed in laudato volumine, Bruxellis impresso, hujusmodi Officium non extat, nec ullum ejus vestigium apparet in Actis Concilii Basileensis.

244. Qualis autem, & quantus vir fuerit Johannes de Segovia, a nullo certiùs, quàm ab Ænea Sylvio nosse possumus. (q) „ Johannes, *inquit*, „ Segobiensis, Homo Hispanus, moribus, & doctrina Illustris, qui, cùm Summos „ Theologos Præceptores doctrinâ æquaret, ab „ Amedeo, dum se Papam dixit, Cardinalatûs Eminentiam acceperat; & deinde Unioni consentiens, Nicolao Pontifice Maximo, „ Cardinalatûs dimisso titulo, Cæsariensi Ecclesiæ præfectus fuerat; in altissimis reconditus montibus, parvo Monasterio contentus &c." Eundem impense laudat idem Sylvius *lib.* 1. *de Gestis Concilii Basileensis.* (r) Et in hoc Concilio non semel (s) fit mentio Johannis de Segovia. Addit vero Onuphrius Panvinius *in Epitome Pontificum Romanorum*, (t) Johannem de Segovia a Nicolao V. fuisse denuo creatum Cardinalem, in tertia ordinatione Cardinalium.

TESTI-

(m) *Lib.* 4. *cap.* 1. §. 5. *pag.* CVIII. *tom.* 1.
(n) *Cap.* 11. *pag.* 78.
(o) *Conclus.* 3. *ex quibusdam Conclusionibus positis post Sermonem de Purificat. Mariæ Virgin. col.* 287. *par.* 2. *tom.* 2.
(p) *Par.* 2. *Histor. Conceptionis cap.* 3. *pag.* 12.
(q) *In Historia de Europa, cap.* 42. *pag.* 440. *sub finem.*
(r) *Pag.* 34. *sub initium, edit.* Basileens. an. 1571.
(s) *Sess.* 28. *col.* 363. *& sess.* 38. *in* 3. *Decreto sub fin. col.* 408. *to.* 17. *Concil.*
(t) *In* Amedeo, *dicto* Felice V. *pag.* 307. *&* 309. *& in* Nicolao V. *pag.* 314. *edit.* Venetæ, an. 1557.

Testimonium XIX.

Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis, Anno MCCCCXL.

245. Celeberrimus hic Doctor, *qui scibile discutit omne*, quamvis ex parum recta æstimatione gravitatis Originalis Peccati, quæstionis hujus momentum elevare studeat, ut notavimus in Apparatu *num.* 171. Piam tamen Sententiam sequitur, & sequendam docet. (*u*) *Fuit*, inquit, *Domina nostra omnis puritatis, & munditiæ Vas, nullius fœculentæ contagionis accessibus maculata .... quippe quam Dominus in eam superveniens, & ex ejus utero nasciturus, totaliter purificaverat, aut potius Puram creaverat &c. Ideo non fuit in Ipsa ulla macula Peccati actualis, mortalis, aut venialis &c. Fuit etiam a Peccati Originalis macula prorsus Immunis.* Quod infra sic ulterius probat: *Et quia in rebus dubiis, quod tutius, & favorabilius est, eligendum; & cum tutius sit, atque favorabilius, & sine præjudicio alicujus veritatis cognitæ, aut apparentis, Dominam nostram prorsus ab omni Originali Labe fuisse Immunem, quàm eam Originali Contagione asserere fuisse pollutam; recte eligere debemus asserere, Eam sine Originali Peccato fuisse conceptam.* Illud ipsum alibi repetit. (*x*)

Testimonium XX.

Nicolaus de Cusa, sive Cusanus, natione Germanus, Episcopus Brixinensis, & S. R. E. Cardinalis, Anno MCCCCL.

246. Vir iste, *Scientiis excultus pene omnibus*, (ut ait Possevinus) in egregiis suis libris *Excitationum*, Immaculatam B. Virginis Conceptionem non semel mirifice illustravit; ut patet ex duabus ejus Sententiis, quas hic subjicere non gravabor.

247. Prima est: (*y*) „Virgo Gloriosa, quum „ esset prædestinata ante Sæcula, ut ex ipsa re„ciperet DEI Filius Naturam Humanam, ut „ Dei Filius fieret Filius Hominis; ita concep„ta est, ut dignum ad hoc habitaculum fieret. „ Induere debuit Deus Humanitatem Mariæ: „ quare Humana Natura Virginis digna facta „ est ab initio. Nam etsi Ipsa concepta fuit ex „ virili semine, via propagationis ab Adam, „ & quantum ad sui initium indiguit Libera„tore; quia *in Adam*, nisi liberemur, aut „ præservemur, *omnes moriuntur*; ut in Chri„sto omnes, qui vivificantur, vivificentur: ta„men sicut Anima ejus rationalis nullo tem-

„pore fuit, antequam esset Corpori unita, ita „ Ipsa dum crearetur, Sancta creata fuit; sic „ etiam, quod nulla duratione fuit verum dice„re, Virginem fuisse sub Peccato. „

248. Altera Sententia est: (*z*) „Hoc cedit „ ad laudem DEI, & Virginis Mariæ Matris, „ quod Ipsa sub principatu Auctoris mortis, „ nullo unquam tempore fuit, in qua vita de„buit incarnari. Non indiguit Virgo Liberato„re, qui Ipsam absolveret a Sententia in Adam, „ & Posteros ejus, ex voluptate Carnis lata, „ cui nunquam subjacuit: quia prævenit succur„rere misericordia, electæ Matri Misericordiæ. „ Qui concipitur, & nascitur liber, non indi„get Liberatore a servitute, in qua nunquam „ fuit. Præliberatorem enim Virgo sanctifi„cata habuit, cæteri Liberatorem, & Postlibe„ratorem. Christus enim sic omnium Libe„rator, quod & Virginis Liberator, & Præ„liberator &c. „

Testimonium XXI.

Guillelmus Vorrilongus, Ordinis Minorum, Anno MCCCCL.

249. In librum III. Sentent. dist. 3. (*a*) Quæstionem suadendo proponit: *Utrum in Conceptione Matris Dei. Purissimæ ab omni Peccato, infusa, fuerit Sanctificatio?* Hoc est, utrum in ipsa sui Conceptione sanctificata fuerit? Et more consueto, exposita, probataque Sententia Præservationis B. Virginis ab Originali Peccato; Ipsam Sanctificatam dicit: I. In Carne, ante Animæ infusionem, a corruptione quadam vitiosa. II. In Animæ infusione, ne Peccatum contraheret Originale, per Gratiam tunc ei collatam. III. In alicujus Virtutis usu, & executione: *Non enim*, inquit, *dubitandum, si Johannes Baptista in adventu Christi usum habuit virtutis; quod hoc Mariæ fuerit denegatum.* Quærit insuper Vorrilongus: *Quid prælegisset Maria in naturalibus constituta, aut cadere in Peccatum Originale, aut privari visione Dei, si unum oportuisset?* Et laudat Franciscum Mayronem respondentem, *Quod elegisset, privari Visione DEI: quia non est tantum malum, quantum odium Dei, quod incurritur in Peccato Originali.*

250. Henricus Warthonus (*b*) refert, tantâ Vorrilongum eruditionis famâ percrebuisse, ut cum acerrima inter Franciscanos, & Dominicanos controversia de Sanguine Christi, jam diu mota, vigeret; Romam accitus fuerit, qui Ordinis sui partes coram Pio II. Pontifice tueretur. Hanc Controversiam Historice tractat Waddingus Tomo VI. Annalium ad annum 1462. Theologice vero, P. Suarez *Tomo II. in 3. Par. disp.* 47. *sect.* 3.

(u) *In Paradoxis, paradoxo* 1. *cap.* 21. *fol.* 5. *col.* 1. & 2.
(x) *Cap.* 101. *fol.* 21. *col.* 1.
(y) *Lib.* 5. *in ea verba;* Cœli, & Terra transibunt: *pag.* 499. *edit.* Basileens. an. 1565.
(z) *Lib.* 8. *in ea verba:* Sicut lilium inter spinas: *pag.* 617. *ejusd. edit.*
(a) *A fol.* 167. *col.* 4. *edit.* Venetæ, an. 1496.
(b) *In Append. ad Hist. Lit.* Guilel. Cave *ad an.* 1450. *pag.* 109.

Testimonium XXII.

Nicolaus de Orbellis, seu Orbellus, Andegavensis, Ord. Minor. Anno MCCCCLV.

251. IN Compendio super Sententias (in quo elegantiora Doctoris Subtilis dicta summatim complectitur) *lib. 3. dist. 3.* (*c*) proposita quæstione: *Utrum B. Maria Virgo fuerit concepta in Peccato Originali?* Et Affirmante Sententia cum suis fundamentis exposita; Negantem amplectitur, *pluribus* (ut ait) *miraculis, cælitus revelatam, ac in Concilio Basileensi roboratam*; quam insuper Patrum auctoritate, ac ratione confirmat, atque a contrariis argumentis defendit. Hunc Orbellum mirifice commendat Bosius *Lib. VI.* apud Possevinum *Tomo II. pag.* 489.

Testimonium XXIII.

Ven. Dionysius a Richel, natione Belga, Professione Carthusianus, Doctor Ecstaticus appellatus. Anno MCCCCLV.

252. IN Lib. III. Sentent. dist. 3. (*d*) inquirit: *Utrum Gloriosissima Virgo fuit sanctificata, antequam concepta, ita quod nunquam subjacuit Culpæ Originali?* Intelligit autem de Sanctificatione, non quæ tempore præcesserit Conceptionem, sed quæ B. Virginem prævenerit, ne in sua Conceptione Originale Peccatum incurreret. Et perquam diligenter expositis opinionibus Alexandri de Hales, Bonaventuræ, Richardi a Mediavilla, S. Thomæ, & Scoti; in hæc verba, (quæ integre referenda sunt) tandem concludit.

253. „ Veruntamen, quidquid in hac re sit „ sentiendum, non disputationibus contentiosis, „ sed determinatione Ecclesiæ Catholicæ, (cui „ obedire tenemur) est inquirendum. Quæ in „ novissimo Concilio Universali (Basileense in„ telligit) finem his dissensionibus imposuit, & „ dignissimam DEI Matrem, in sua Concep„ tione, ab omni Originali Labe, per præve„ nientem Gratiam, a Summo Capite CHRISTO „ ortum habentem, præservatam; atque ideo „ Festum de Ea sub nomine Conceptionis, & „ non Sanctificationis, esse celebrandum, de„ terminavit, sicut & hodie celebrat. Ita etiam „ Ordo noster Carthusiensis observare videtur. „ Hoc & mihi magis pium apparet, & rationa„ bile. Horremus enim, Mulierem, quæ caput „ Serpentis erat contritura, quandoque ab eo „ contritam; atque Diaboli Filiam fuisse, Ma„ trem Domini fateri; insuper & Dominam An„ gelorum, Servam fuisse Peccati; atque amantissimam DEI Patris Filiam, quandoque fuisse „ Filiam Iræ. Auctoritates, & rationes in con„ trarium adductæ facile possunt solvi. Nam „ constat, Purissimam Virginem a multis Sacræ „ Scripturæ regulis, quæ universaliter promun„ tur, fuisse exemptam &c. Nec alicui hoc mi„ rum videatur, cum piissimus Filius nihil omi„ sisse credendus sit, quod ad optimæ Matris „ suæ honorem spectabat, sicut ipse jusserat ho„ norare Parentes &c. „

254. In quibus verbis recte observat Catharinus disputat. de Immaculata Concept. ad S. Synod. Trident. col. 68. Dionysium, *infinitæ propemodum lectionis, insignisque pietatis Virum*, non sola Basileensis Synodi Auctoritate motum fuisse, quasi captivasset intellectum in obsequium Fidei; sed & rationes ad Piam Sententiam corroborandam, hoc loco afferre irrefragabiles.

Testimonium XXIV.

Jacobus de Valentia, Ord. Eremit. S. August. Episcop. Christopolitanus, sive Chrysopolitanus, Anno MCCCCLXVIII.

255. IN suis Biblicis Commentariis, quæ (ut ait Sixtus Senensis) *scholastico explanationis genere*, conscripsit, bis præsentem quæstionem pro dignitate versat, Piamque Sententiam ex instituto propugnat. Semel Commentario in Psalmum XLV. ubi versiculos illos: *Fluminis impetus lætificat Civitatem DEI &c.* a nobis allegatos *Actione I. Art. II. Test. XI.* de B. Virgine, tamquam *de prima, & principali Cive Civitatis DEI, proprie & principaliter* intelligens, (*e*) *DEUS*, inquit, *Altissimus sanctificavit, & lætificavit, & flumine Gratiarum ornavit* Virginem Matrem suam, *in primo Instanti sui esse, & Animæ Creationis, & Infusionis &c.* ibidem relata *n.* 107. Quam expositionem aliis Scripturæ locis illustrat.

256. Et iterum Explanatione in Canticum B. Virginis, *Magnificat*, ad ea verba: *Quia fecit mihi magna, qui potens est.* (*f*) Ubi inter hæc magna primo loco enumerat *Singularem Prædestinationem*, qua B. Virgo fuit ab æterno prædestinata ad Gratiam Sanctificationis, ut in primo instanti suæ Creationis esset Sancta, & Immaculata, & Filia DEI adoptiva, & Sponsa CHRISTI, & sic esset apta, ut postea fieret Mater DEI. Et secundo loco, *Singularem Sanctificationem*, qua B. Virgo in tempore, per Gratiam prævenientem, & præservantem ipsam ab Originali Peccato, fuit sanctificata, & gratificata in principio suæ Creationis, & Conceptionis.

257. His expositionibus non contentus Valentia, utrobique Scholasticam Disputationem annectit,

(c) *Post tertiam partem Voluminis, cui folia numeris signata non sunt, edit.* Pariiens. an. 1520.

(d) *Lib. 3. quæst. 1. a pag. 34. & signanter pag. 39. col. 1. edit.* Coloniens. an. 1535.

(e) *A fol. 146. edit.* Lugd. an. 1540. *& a pag. 363. edit.* Venetæ, an. 1568.

(f) *A fol. 444. edit.* Lugd. *& a pag. 1101. edit.* Venetæ.

annectit, in qua idem argumentum copiose, & erudite tractat; multa etiam de Justitia, & Peccato Originali, ac de CHRISTI Redemptione præfatus. Omnia persequi non est otium. Juvat tamen scire ex priori loco, quid respondeat ad Augustinum dicentem, quod nemo sit liber a Peccato, præter CHRISTUM. „ Differentia est, *inquit*, „ inter Liberum, & Liberatum. Nam „ Liber respicit Personam, & Naturam simul: „ & sic solus CHRISTUS est *inter mortuos liber:* „ quia nec fuit obligatus in Persona, nec in Natura in Adam; & hoc probat ibi Augustinus. „ Sed quia Virgo MARIA fuit obligata in Natura, sed fuit liberata, per Gratiam prævenientem, in Persona; ideo non potest dici „ libera, sed liberata. „ Scire etiam juvat ex posteriori loco, Valentiam existimare, quod Præservatio B. Virginis ab Originali labe, *potest expresse, & probabiliter deduci ex Sacra Scriptura utriusque Testamenti.* Ex Novo Testamento allegat Salutationem Angelicam; & ex Veteri, verba illa Genesis: *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem &c.* quem locum egregie, & luculenter explanat, ut vidimus *Actione I. n.* 85.

TESTIMONIUM XXV.

Gabriel Biel, natione Germanus, in Tubincensi Academia Publicus, & Diuturnus Theologiæ Professor. Anno MCCCCLXXX.

258. *COmment. in lib. III. Sent. dist.* 3. (*g*) ad quæstionem: *Utrum Virgo Maria Mater DEI, fuit aliquando maculata Originali Peccato?* quibusdam præmissis, respondet: *Beatissima Genitrix DEI, Virgo Maria, ab omni Originalis Peccati contagio fuit penitus præservata.* Hoc potissimùm probat Auctoritate Ecclesiæ, *quæ major est*, inquit, *auctoritate cujuscumque Sancti, saltem post Canonicos Scriptores.* Quia I. Ecclesia statuit, Festum Conceptionis, per universum Mundum generaliter esse celebrandum. II. In Concilio Basileensi determinatum est, quod sine Originali Peccato concepta sit: III. Sixtus Papa IV. *Historiam de hoc Festo*, (Officium intelligit Nogarolicum) *sua ordinatione editam, in qua expresse continetur, sine Originali conceptam, repetitis vicibus approbavit.*

259. Et hinc excusat Veteres quosdam, contrarium opinantes: *Quoniam*, ait, *eorum tempore, nulla determinatio vel Concilii, vel Apostolicæ Sedis facta fuit. Nec Festivitas illa generaliter tunc fuit per Orbem celebrata. Quæ si præcessissent, haud dubium, quin promptissime suæ opinioni cessissent.* Glossam vero illam *in cap. Pronuntiandum*, parvipendit, *Quia*, inquit, *limites suæ facultatis excessit: Non enim est Juristarum, de Originali Peccato disputare, sed Theologorum.*

260. Non solum autem Gabriel hoc loco Piam Sententiam scholastice propugnavit, verum etiam oratorie illustravit in quatuor disertissimis de Immaculata B. Virginis Conceptione Sermonibus, qui una cum aliis ejus Sermonibus de *Festivitatibus Christi, & Gloriosæ Virginis Mariæ*, editi sunt Hagenoæ anno 1520. & extant *a folio* 299. *ad* 306.

TESTIMONIUM XXVI.

Pelbartus Osualdus de Temesvar, Ord. Minorum, Anno MCCCCLXXX.

261. HUjus Auctoris deest nobis opus Theologicum, inscriptum: *Aureum Sacræ Theologiæ Rosarium, juxta quatuor Sententiarum libros quadripartitum*; commendatum a Possevino *Tomo III. pag.* 29. Suppetit vero aliud ipsius insigne opus, sub hoc titulo: *Stellarium Coronæ Gloriosissimæ Virginis.* Cujus liber quartus, totus est *de Immaculata Conceptione Mariæ.* (*h*)

262. In hoc igitur libro Pelbartus, Parte prima, (quam dicit esse *per modum Probationis*) Articulo III. B. Virginis Præservationem ab Originali Peccato, duodecim Testimoniis evincit. Quorum I. appellat *Legis Divinæ*, sive *Mosaicæ.* II. *Legis Propheticæ.* III. *Legis Evangelicæ.* IV. *Legis Ecclesiasticæ.* V. *Legis Canonicæ.* VI. *Legis Civilis.* VII. *Legis Philosophicæ.* VIII. *Legis Poëticæ.* IX. *Legis Mahometicæ.* X. *Legis Doctoricæ.* XI. *Legis Rationis Theologicæ.* XII. *Revelationis Mirificæ.* Parte secunda, quam vocat *per modum Elucidationis, & Declarationis*; Art. I. septem quæstiones ad plenam Originalis Peccati notitiam spectantes, resolvit. Art. II. septem difficultates, contra B. Virginis ab Originali Peccato Immunitatem occurrentes, diluit Art. III. Immaculatam B. Virginis Conceptionem septem rationibus demonstrat. Quarum primam vocat *Honorificationis: 2. Veræ Dilectionis: 3. Suffragationis: 4. Cavendæ Offensionis: 5. Vitandæ Ultionis: 6. Viæ Securioris: 7. Fructificationis.*

TESTIMONIUM XXVII.

Ambrosius Spiera, sive Spera, Tarvisinus, Ord. Servor. B. Virginis, Anno MCCCCLXXX.

263. NOn sunt publica luce donata Commentaria, quæ in libros Sententiarum *hic Vir sua ætate insignis*, conscripsit; (V. Possevinum *pag.* 74. Tomi I.) Extant tamen in Bibliotheca Virginali ejus Sermones *pro Sabbatis de B. V. M.* eruditione, doctrina, & pietate referti. In uno ex his Sermonibus (*i*) agit *de Puritate Virginis, quantum ad Originale Peccatum.* Ubi declaratâ Originalis Peccati naturâ,

(*g*) *Quæst.* 1. *a pag.* 43. *edit.* Brixiensis, an. 1574.
(*h*) *A folio* 80. *edit.* Venetæ, an. 1586.

(*i*) *Pro Sabbato Dom.* 4. *Quadrag.* 32. *in ordine, Considerat.* 2. *Conclus.* 2. *a pag.* 163. *tom.* 1. *dictæ Bibliothecæ Virginalis.*

naturâ, & propagatione; atque propositis utriusque Sententiæ argumentis; conclusionem suam sic exponit, ut eam simul persuadeat.

264. „ De Lege, *inquit*, communi debuit „ Virgo concipi in Peccato Originali. Et sic „ Illi primæ opinionis intelligunt; nullam enim „ legem specialem in Virgine consideraruntur: „ quia forte non curarunt, cum esset dubium, „ ne adhuc aliquid oppositum haberent: aut „ quia DEUS talibus noluit adhuc tale revelare secretum. Voluit enim Deus, ut tales „ Sancti prius illuminarentur ad cognoscendam „ Virginis conditionem secundum communem „ legem, & ostenderent in eorum scriptis celeberrimam Spiritus Sancti Sanctificationem „ a Culpa, quam contrahere debebat secundum „ legem communem. Sed postquam DEUS „ revelavit grande secretum, videlicet, quod „ licet verum esset, quod illi Sancti dixerunt, „ quod Virgo de communi lege debuerit esse „ subjecta Peccato; ipse voluit, propter Filii „ sui dignitatem, eam ab omni Culpa præservare. Inde Propheta ait Ps. XXVIII. *Revelavit Dominus condensa, & in Templo ejus* „ *omnes dicent gloriam.* Quoniam, ut mox patefacta est talis Benedicta Conceptio, in Ecclesia DEI facta est lætitia magna, & Officium pulcherrimum de ea institutum; & tandem plura sunt inde miracula consequuta &c. „

Testimonium XXVIII.

Marsilius Inghen, sive ab Ingen, Doctor Clarissimus, Inclyti Studii Heidelbergensis Institutor. Anno MCCCCXC.

265. DUobus in locis præsentem quæstionem agitat: *in librum II. Sent. quæst.* 20. *& in lib. III. Sent. quæst.* 4. (k) & utrobique asserit, *Animam Virginis nunquam fuisse sub macula Originalis Culpæ.* Priori loco arguens ex Festo Conceptionis, *Non toleraret*, inquit, *Ecclesia* (multo minus præciperet) *ut Festum fieret debitrici mortis æternæ, pro eo tempore, pro quo fuit debitrix.* Et ad silentium Sacræ Scripturæ respondet: *Dicat mihi aliquis, ubi præservatam eam memorat Sacra Scriptura in Partu; & ego dicam, ubi eam præservatam exprimit in Conceptu.* Posteriori loco explanat, B. Virginem dici sanctificatam in primo Instanti suæ Creationis, *Non quòd prius fuerit non Sancta, & postea Sanctitas sibi addita; sed, quòd in illo Instanti fuerit Sancta condita.* Et subjungit: *Si dicatur, quod Sanctificatio præsupponat esse; dicendum est, quod non oportet, Sanctificationem præcedere esse, tempore, sed bene natura.*

Testimonium XXIX.

Johannes Trithemius, Abbas primùm Spanheiemensis, dein Herbipolensis, Vir sui Ævi Eruditissimus. Anno MCCCCXCIV.

266. QUamquam Trithemius Historici, & Philologi potius, quam Theologi laude claruerit; hoc tamen loco audiri meretur Vir Piæ Sententiæ addictissimus, ob celebre illud, ac diuturnum litterarium certamen, quod in defensionem Immaculatæ Conceptionis, gloriose sustinuit cum quodam Wigando Cauponis Ord. Prædicat. in Cænobio Francofordiensi.

267. Scripserat Trithemius librum de laudibus S. Annæ, in cujus Cap. VII. de Purissima Conceptione DEI Genitricis Sermo erat. Hujus capitis doctrinam per litteras impugnare aggressus est præfatus Wigandus. Atque hinc [refert ipse Trithemius (l)] „ Ortum est grande „ litterarium inter eos bellum, quod ferme per „ biennium inter eos duravit. Mox enim adversus Wigandum plures Viri doctissimi, defensores Marianæ Puritatis, metro scripsere, & „ prosa; librum Trithemii, & sensum ejus de „ Conceptione ejus Purissima defensantes. Biennio tamen elapso, concordia inter Trithemium, „ & Wigandum facta est per Rectorem Universitatis Coloniensis &c. ita quod Wigandus opinionem suam contrariam Purissimæ „ Conceptioni Mariæ, & Trithemii opusculo, „ abjuravit, veniamque temeritatis suæ petere „ ab ipso Trithemio compulsus fuit. Nihilominus P. P. Prædicatores postea in Curia Romana sub Alexandro Papa VI. contra Trithemium impetrare, & laborare conati sunt: sed „ nihil profecerunt &c. „

Testimonium XXX.

Ægidius Delphius, Anno MCCCCXCVII.

268. POëtam postremo loco allegamus, sed qui simul Theologus fuit, & Theologice de *Conceptionis Virgineæ Puritate*, integrum poëma composuit; quod Federico de Baden, Episcopo Trajectensi dicavit. (m) In cujus specimen, pauculos versus describimus.

Posse Deum, dubitat nemo, tam magna: nec asseres,
Cur ita noluerit. Jam restat, ut esse putemus,
Exhibuit Gnatus, Genitrici gratus, honorem,
Quem potuit. Genitum sic perderet, immo probatur:
Carnem etenim Christi, Carnem liquet esse Parentis;
Atque Pio Gnato fieri Genitricis honorem.

APPEN-

(k) *Art.* 3. *fol.* 316. *& Art.* 1. *fol.* 373. *& seq. edit.* Argentinens. an. 1501.

(l) *In Chronico Monast. Spanhemiensi n.* 5. *a pag.* 405. *part.* 2. *Operum Historicorum, edit.* Francoford. an. 1601.

(m) *Extat hoc Poëma in nostra Bibliotheca, sine loco, & tempore, & nomine Typographi, Opusculis,* Clichtovei, & Gaguini adnexum.

APPENDIX

SÆCULI SCHOLASTICI III.

269. IN Prolusione Sæculum Scholasticum III. Piæ Partis Allegationi præstituimus: sed non finit observantia, insigniores Immaculatæ Conceptionis Assertores, qui ante medium Scholastici Sæculi IV. claruerunt, omnino reticere, quin saltem eorum nomina, & locos indicemus; ut hujusmodi Assertorum non solùm numerum, quem fatetur Cajetanus, sed & auctoritatem commonstremus.

270. I. Anno 1505. Jacobus Almainus, Illustris Doctor Parisiensis, in suis Aureis Opusculis in *lib. III. Sent. dist.* 3. *quæst.* 1. §. 2. *fol.* 2. *edit.* Parisiens. 1517.

271. II. Anno 1510. Johannes Major, Adyngtonanus, celebris Theologus Parisiensis, *in lib. III. Sentent. dist.* 3. *a fol.* 7. *col.* 4. *tomi II. edit.* Parisiensis 1528.

272. III. Anno 1515. Petrus Galatinus, Ord. Minor. Artium, & Theologiæ Doctor, *lib. VII. de Arcanis Catholicæ Veritatis &c. a cap.* 2. *ad* 11. *a fol.* 212. *edit.* Orthonæ Maris 1518. qui *cap.* 5. adducit ipsius Mahometis testimonium.

273. IV. Anno 1517. Johannes Fischerius, Episcopus Roffensis, S. R. E. Cardinalis, & Martyr in Anglia gloriosus, in *Confutatione Assertionis Lutheranæ*, contra Articulum XVII. Lutheri, *col.* 490. & *Comment. in Psalmum III. Pœnit. par. prima col.* 1494. *edit.* Wirceburgi 1597.

274. V. Eodem anno, Johannes Eckius, unus e primis, qui Luthero, & coram disputando, & scriptis libris se opposuit, *Tomo III. Homiliarum de Sanctis*, Homilia II. & IV. in die Conceptionis B. M. V. *a fol.* 18. & *a folio* 24. *pag.* 2. *edit.* Parisiens. 1549.

275. VI. Eodem item anno, Judocus Clichtoveus, Doctor Parisiensis, acerrimus Lutheranæ Hæresis insectator, in duobus integris libris de *Puritate Conceptionis B. M. V.* contra Vincentium Bandellum a Castro Novo, edit. Parisiens. 1517.

276. VII. Anno 1521. Johannes Driedo, a Turnhout, in Academia Lovaniensi Sacræ Theologiæ Professor, *lib. III. de Ecclesiasticis Scripturis, & Dogmatibus, Tract. II. cap.* 4. *a fol.* 148. *pag.* 2. *editionis* Lovaniens. 1543. & *lib. I. de Gratia, & libero Arbitrio, tract.* 3.

277. VIII. Eodem anno, Johannes Lanspergius Carthusianus, Pius æque, ac Doctus Auctor, Tomo II. Sermonum *de Sanctis*, Serm. *in Solemnitate Conceptionis B. M. V. a pag.* 53. *edit.* Coloniens. 1609.

278. IX. Anno 1527. Franciscus Titelmanus, unus de primis in Capucinorum Ordinem aggregatis, *cujus* (ut ait Bellarminus) *omnia Scripta, etiam philosophica, miram pietatem spirant*: elucidatione in Evangelium S. Johannis, *cap.* 2. *fol.* 10. *pag.* 2. *edit.* Parisiens. 1541.

279. X. Anno 1530. Albertus Pius, Carpotum Comes, doctrina non minus, quam genere illustris, libro IX. *in Locos lucubrationum variarum Desiderii Erasmi:* qui liber est *de Præconiis, Titulis, & Innocentia Deiparæ Virg. f.* 129. *pag.* 2. *edit.* Venet. an. 1531.

280. XI. Anno 1536. Ludovicus Blosius, Abbas Lætiensis, Auctor piissimus, in *Sacello Animæ fidelis, Parte III. cap.* 5. *a n.* 1. *a pag.* 209. *edit.* Ingolstad. 1726.

281. XII. Anno 1540. Aloysius Lippomanus, Episcopus Methonensis, Vir doctissimus, & eruditissimus, *Catenâ in Genesim, cap. XV. fol.* 192. *pag.* 2. *edit.* Parisiens. 1546.

282. XIII. Cornelius Mussus, ex Ordin. Minor. Episcopus Bitontinus, (cujus non semel magna cum laude meminit Cardinalis Pallavicinus in *Historia Conc. Trid. lib.* 5. *cap.* 17. & *seq.* & *lib.* 8. *cap.* 4.) Commentario in Epistolam ad Romanos, *cap.* 5. *pag.* 255. *edit.* Venetæ 1588. Hujus tanti Viri disertissimam de Immaculata DEI Genitricis Conceptione Oratiunculam, præterire non debemus, qua huic Articulo coronidem imponimus, claudendis etiam Scripturis idoneam.

„ Ut Adæ Filia, non inficior, quod omnino & „ ipsa cum reliquis omnibus meruit immunditiâ illâ (*Originalis Peccati*) coinquinari. At „ in Scripturis Sanctis non lego eam Adæ Filiam. Lego eam DEI Matrem, *de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Lego „ eam plenam Gratiâ: *Ave Gratia plena.* Lego eam DEI Comitem individuam: *Dominus tecum.* Lego eam simpliciter Benedictam: *Benedicta tu in Mulieribus.* Lego „ eam ab omnibus generationibus glorificatam: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes Generationes.* Lego, in ea *Magna fecisse eum, qui potens est.* Cum his omnibus conferens Peccatum Originale, Maculam, Reatum, Fomitem, Pœnam Æternam, DEI „ Iram, & Odium; horret auris pia, & religiosa dicere, in Matre DEI, quæ invenit „ Gratiam apud DEUM, quæ salutem Mundo peperit, quam laudant Astra Matutina, „ cum qua est Dominus, cui Magna fecit „ Omnipotens; hanc tantam, vel per instans, „ Labem fuisse &c. „

ARTICU-

ARTICULUS III.

Academiarum Testimonia, a Pia Parte allegata.

TESTIMONIUM I.

Academia, & Sacra Facultas Parisiensis. Statutum, Publicatum Anno MCCCCXCVII.

I. „ CUM multas, Majores nostri, fortissimi, ac strenuissimi Catholicæ Fidei Milites, nascentes variis temporibus Hæreses, nullis unquam laboribus, nullis periculis deterriti, sacris suis disputationibus oppresserint: in illos tamen errores, qui Immaculatæ, & Gloriosissimæ DEI Genitricis, perpetuæque Virginis MARIÆ laudem, & dignitatem violare visi sunt; peculiari quodam sancto, perfectoque odio vehementius insurgendum, acriusque sibi pugnandum semper judicarunt. Quandoquidem eam contumeliam ad Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, & utrumque Parentem piissimum, maxime pertinere arbitrabantur. Quod enim Ecclesiasticus 3. *cap.* de Patre scribit, de Matre quoque verissimum est, ac de utroque Parente interpretandum: *Non glorieris*, inquit, *in contumelia Patris tui. Non est enim tibi gloria, ejus confusio: Gloria enim Hominis, ex honore Patris sui, & dedecus Filii, Pater sine honore.*

II. „ Cum itaque, proximo Sæculo, quæstio de Puritate Conceptionis Felicissimæ DEI, & Domini nostri JESU CHRISTI Genitricis MARIÆ, solito frequentius agitari cœpisset, Spiritu Sancto scilicet ejus rei veritatem aliquando propalari volente; diligentius utriusque partis libratis rationibus, primum pro tempore suum prudentissime suspenderunt judicium. Demum in eam partem inclinatiores, quæ Virginis Gloriæ, & Puritati adstipulari videbatur, ita eorum vanissimam temeritatem disputando confutaverunt, qui citra efficacem probationem, Virginem in Originali Peccato fuisse conceptam, obstinate contendebant; ut contrariam quæstionis partem, quæ Virginem, dum conciperetur, speciali DEI munere, ab Originali Macula fuisse Immunem affirmat, & Pietati Fidei, & Rectæ Rationi, & Scripturis Divinis valde quadrantem decernerent.

III. „ Quæ Sententia, paucos post annos, in Sacro Basileensi plenario Concilio, post longam ejus quæstionis disputationem, gravissimamque deliberationem, Spiritu Sancto inspirante, placuit; ut eam tandem doctrinam, quæ Beatissimam DEI Genitricem MARIAM, cùm conciperetur, ab omni prorsus Peccati Originalis labe, speciali, singularique DEI Gratia, fuisse liberam, asseruerit, & docuerit; *tanquam Piam, Ecclesiastico Cultui, Fidei Catholicæ, Rectæ Rationi, & Scripturæ Sacræ Consonam, ab omnibus Catholicis approbandam, amplectendam, & tenendam*, diffinierit: contrariamque assertionem deinceps doceri, defendique, sub interminatione Divini Judicii, vetuerit. Quod sanctum Synodi Decretum, cùm omnium Ecclesiarum, tùm etiam totius Populi Christiani judicio, consensu, ac religione comprobatum, confirmatumque videamus; non possumus quorumdam vanam superbiam, temerariam, insanamque obstinationem non admirari, non indigne, molesteque ferre: qui hoc nostro adhuc tempore, ejusmodi Piam, & Religiosam Doctrinam, Universalis Synodi, & Ecclesiæ (quæ juxta CHRISTI promissionem, errare non potest,) judicio, auctoritateque probatam; aut oppugnare, aut in dubitationem revocare non verentur, implacabile, impiissimumque bellum adversus Piissimæ DEI Genitricis eximiam dignitatem gerentes.

IV. „ Quorum furori, ut alacrius, fortiusque occurramus, atque resistamus, pro nostra professione, ordine, & gradu, Majorum nostrorum vestigia sequentes, universi tertiò congregati, post multam, gravem, & maturam deliberationem; in ejus Piissimæ Doctrinæ, quæ Benedictissimam DEI Matrem ab Originali Peccato, DEI singulari dono, fuisse præservatam affirmat, quamque jam pridem veram credidimus, & credimus, defensionem, ac propugnationem, speciali sacramento conjuravimus, Nosque devovimus. Statuentes, ut nemo deinceps, Sacro huic nostro Collegio adscribatur, nisi se hujus Religiosæ Doctrinæ Assertorem, strenuumque Propugnatorem semper pro viribus futurum, simili juramento profiteatur. Quod siquis ex nostris (quod absit) ad Hostes Virginis transfuga, Contrariæ Assertionis, (quam falsam, impiam, erroneam judicamus) spretâ, non nostrâ tantum, sed Synodi, & Ecclesiæ, quæ proculdubio summa est, auctoritate, patrocinium quacunque ratione suscipere ausus fuerit; hunc honoribus nostris omnibus privatum, atque exauctoratum, a Nobis, & consortio nostro, velut Ethnicum, & Publicanum procul abigendum decernimus.

V. „ Vos ergo appellamus, & convenimus Reverendi Pontifices, Ecclesiarum CHRISTI Patres, Pastores, & Duces, nobiscum Virginem Sanctissimam DEI Matrem, & omni laude dignissimam, ab Originali Peccato, DEI singulari dono, fuisse præservatam, credite, prædicate, prædicantesque vestra benedictione, opibusque juvate: & per JESU CHRISTI Misericordiæ Viscera, ejusque Matris Intemeratæ Virginis Charitatem obtestamur, ita pro vestro Officio, & Divina Auctoritate, nostris, imo potius Divæ MARIÆ „ Hosti-

„ Hostibus fortiter resistite, vestris eos finibus abjicite, & mulctatos expellite, ut religiosa Populi Christiani in Gloriosissimam DEI Genitricem, unam Humani Generis Spem, Patronam, & Matrem, Devotio, Pietas, & Charitas in dies magis, ac magis foveatur, augeatur, accendatur. Rem proculdubio Pientissimo ejus Filio, Domino nostro, & Redemptori JESU CHRISTO facturi gratissimam, atque jucundissimam; & huic quoque, cujus curam geritis, Populo fructuosissimam. „

Datum Parisiis apud S. Mathurinum pro prima Congregatione, 3. die mensis Martii, Anno Domini 1496. pro secunda Congregatione die 6. ejusdem mensis, & pro tertia Congregatione apud Augustinenses in loco Capitulari, die Jovis 9. ejusd. mensis Martii, post Missam de Conceptione, per Juramentum celebrata; publicatumque die 23. mensis Augusti, Anno 1497. apud S. Mathurinum in Congregatione per Juramentum super hoc specialiter facta; ac disputatione Sorbonica ejusdem mensis die 26. assistentibus Domino Rectore Universitatis Parisiensis, Reverendiss. in Christo Patre Archiepiscopo Bituricensi, Episcopis septem, cum pluribus Abbatibus, Consiliariis Regiis, & quampluribus Doctoribus tam in Decretis, quàm in Medicina, cum Domino Decano, & Magistris ejusd. Facultatis super hoc deputatis, & Baccalaureis, cum maxima multitudine Studentium; de mandato ejusdem Decani, per me Henricum Bertrandi Presbyterum, in Artibus Magistrum, Notarium publicum, & ejusd. Facultatis principalem Bidellum, lectum, & pronunciatum. Juraveruntque tam in praecedentibus, quàm in aliis Congregationibus ejusdem Facultatis, centum & duodecim Doctores ejusdem Facultatis, stantes in dictis Determinatione, & Statuto. (n)

Signatum, H. Bertrandi.

OBSERVATIONES.

283. Nihil est hoc, tam celebris, & tam antiquae Academiae (quae Mater est caeterarum) Testimonio, luculentius, nihil solemnius, magnificentius nihil. Nisi quod censuris illis *Impietatis*, & *Erroris* adversus Contrariam Sententiam, obiter ibi latis, abstinendum nobis est; ipsâ etiam hodie probante Parisiensi Facultate, ut testatur unus ex Parisiensibus Doctoribus, Natalis Alexander, *tom. 3. Historiae Ecclesiast. dissertat.* 16. *§.* 21. *pag.* 537.

284. Laudati statuti edendi occasionem refert, qui eadem tempestate scribebat, Johannes Trithemius (*o*); etsi de Statuti tempore, & Doctorum numero nonnihil variet. „ Eodem, *inquit*, „ anno (1497.) quidam Doctor Parisiis fuit, „ Ordin. Praedic. nomine Johannes, Homo temerarius, & praesumptuosus, qui in die Conceptionis Purissimae semper Virginis, DEI Genitricis, (ut mos est illorum Hominum) in Oppido quodam Deppae, Rothomagensis Dioecesis, publice in Ambone praedicavit, BB. V. MARIAM, purgatam ab Originali Macula, & non praeservatam. Ex qua praedicatione scandalum grande in Populo fuit exortum: quia omnes ferme hodie, (praeter paucos Praedicatores) credunt, sentiunt, & praedicant, DEI Genitricem, omni laude dignissimam, Originali nunquam subjacuisse Peccato, sed praeservatam semper. Unde citatus ad Universitatem Parisiensem, propositiones suas erroneas, & falsas XV. die mensis Septembris publice revocare, & abjurare compulsus fuit, cum juramento, quod nunquam aliter de Conceptione B. MARIAE semper Virginis sentire, credere, aut praedicare velit, quàm praefata Universitas determinavit. Sequenti autem diem, hoc est XVII. mensis Septembris congregati sunt apud S. Mathurinum in Civitate Parisiensi, octoginta duo Sacrae Theologiae Professores, Viri doctissimi: & omnes in eadem Universitate de rigore promoti, in praesentia totius Universitatis, uno ore, unâque Sententiâ statuerunt, & determinarunt, quod nemo deinceps praefatae Universitati adscribatur, nisi se &c.

285. Idem factum fusius narrat Illustrissimus Carolus Duplessis d'Argentré Doctor Sorbonicus, & Episcopus Tutelensis; (*p*) aitque ex Johannis Veri propositionibus unam fuisse: *Beata Virgo Maria fuit purgata ab Originali Culpa:* & hanc, Universitate Parisiensi mandante, in Congregatione solemni, ab eo revocatam, tanquam *Falsam*, *Impiam*, *& piarum aurium offensivam*, *a Devotione Fidelium de Immaculata Conceptione Gloriosissimae Virginis Mariae Matris Domini nostri Jesu Christi retractivam*, *cultui Ecclesiastico*, *Rectae Rationi*, *Sacrae Scripturae*, *& Fidei dissonam.*

286. Caeterum multo antea Parisiensis Academia Piae Sententiae tutelam susceperat, ut fertur in ipso statuto. Teste laudato Duplessis, (*q*) in Historia Universitatis Parisiensis, *Tomo IV. pag.* 599. haec consignata leguntur: „ Anno 1384. plurima in Universitate Parisina valde memoranda contigerunt. Quorum unum est de Peccato Originali B. Virginis. Quidam enim e Dominicanis ausus est palam, & publice asserere, B. Virginem conceptam fuisse in Peccato Originali, more Posterorum Adae. Haec Propositio, ut nova, & insolita, Academicorum animos excitavit, & commovit, qui a temporibus Beati Bernardi constanter illam ab omni labe, etiam Originalis Peccati, exemptam sustinuerunt. Itaque indictis a Magistro de Marsono Rectore Comitiis

(n) *Extat hoc Statutum apud* Natalem Alexandrum *T. 7. Hist. Ecclesiast. cap. 5. art. 1. pag. 150. & seq. Et magis integrum apud* Carolum Duplessis d'Argentré. *Tom. 1. Collectionis Judiciorum de Novis Erroribus, par. 2. ad an. 1496. pag. 333. edit.* Parisiens. an. 1728. *descriptum e primo Regesto Censurar. S. Facult. Paris. fol. 148.*

(o) *In Chronico Monasterii* Sponheimensis *ad an. 1497. pag. 409. par. 2. Operum Historicor. edit. supra citata.*

(p) *Loco cit. ad an. 1497. a pag. 336. & eod. primo Registro ms. Censurar. fol. 151.*

(q) *Loco cit. ad an. 1384. pag. 60.*

„ mitiis generalibus, damnata est Propositio „ Dominicani, tanquam scandalosa, & erronea: tantaque fuit ob eam rem Dominicanorum turbatio, ut per plures dies præ pudore & metu omnino publico abstinuerint &c. „ Hoc habuit initium gravis illa Contentio Academicorum, & Dominicanorum, quæ plus centum annis agitata est in Scholis. „

287. Subinde Facultas Theologica Parisiensis, anno 1387. die VI. mensis Julii, solemni ritu proscribens quatuordecim Johannis de Montesono, Ordin. Præd. Propositiones, quatuor ex illis scilicet X. XI. XII. & XIII. quibus significabatur: *B. Virginem non contraxisse Originale Peccatum, esse expresse contra Fidem, vel contra Sacram Scripturam:* pronuntiavit esse revocandas *tanquam falsas, scandalosas, & piarum aurium offensivas, & præsumptuose assertas.* Quas censuras, eodem anno die XXIII. mensis Augusti, Episcopus Parisiensis per juridicam Sententiam confirmavit, easque Propositiones, sub pœna excommunicationis, sustineri prohibuit. Cùm autem Montesonus ab hac Sententia ad Clementem, in sua obedientia Papam VII. Avenione sedentem, provocasset; Parisiensis Academia Petrum Alliacensem cum tribus aliis Theologiæ Magistris Avenionem delegavit; qui & orationibus coram Pontifice habitis, & editis scriptis Academiæ causam egregie, & invicte peroravit. Diuturnas, & gravissimas turbas, quæ exinde in Montesoni sodales, & defensores sunt excitatæ, curiosus Lector ab aliis ediscat. (r)

288. Censet Natalis Alexander, (s) *tunc liberum fuisse Sacræ Facultatis Alumnis, de ista quæstione in utramque partem disputare, modò Piam Opinionem nullâ censurâ afficerent.* Quia in censura X. Propositionis, Sacra Facultas subjungit: *Non obstante probabilitate quæstionis, Utrum Beata Virgo fuerit concepta in Peccato Originali.*

289. At verbis istis Sacra Facultas significare duntaxat voluit, censuram a se latam, firmam, & ratam esse, quantumvis probabilis foret opinio, astruens re ipsa in B. Virgine Originale Peccatum. Quid vero ipsa senserit de hac opinione, satis declaravit, cum tribus ante annis, (ut modo dicebamus) damnavit *tanquam Scandalosam, & Erroneam*, Propositionem Dominicani asserentis, *B. Virginem conceptam fuisse in Peccato Originali, modo Posterorum Adæ.* Ex iis quoque tam multis, quæ, Parisiensis Universitatis nomine, Petrus Alliacensis scripsit adversus quatuor illas Montesoni propositiones, (t) colligitur, qualis tunc esset ejusdem Universitatis animus erga Piam Sententiam. Recole quæ protulimus *Actione III. num. 386. & hac Actione num. 227.* Accedit, quod in Gersonianis citatis *pag. VIII.* narrat Dupinus, nempe *Dominicanos, ut iram in se conceptam* (ex defensis scilicet Montesoni propositionibus) *lenirent, coactos esse Festum Conceptionis cum Aliis in Gallia celebrare, & de Conceptione Virginis silere, nec amplius eam in Peccato conceptam, publice docere. Id observantibus quietem datam, & Ecclesiasticorum Officiorum exercendorum licentiam concessam.* Ipsam ergo simplicem assertionem de B. Virgine in Peccato concepta, Universitas Parisiensis doceri tunc non ferebat.

290. Tam vetus, & tam ardens Academiæ Parisiensis studium in tuenda Pia Sententia, posterioribus temporibus deferbuisse imaginatur Lampridius. (u) „ Facultas, *inquit*, Parisiensis, quæ Sæculo XV. ac præcipue vigente „ Basileensi Concilio, adeo fervida fuit in tuenda Scoti Sententia &c. æstum illum jamdiu deposuit, agnovitque & in ista controversia, quantum præstet, non tantum Auctoritas, sed & Sapientia Romanæ Ecclesiæ, „ quæ Decretum Concilii Basileensis &c. expunxit, & pro nihilo habuit. Ita vero ab eo „ fervore declinavit, ut nullam creavit Johanni „ Launojo molestiam, qui circiter an. 1675. librum edidit, mihi minime visum, sed, ut „ ajunt, temerarium adversus eandem Sententiam. „

291. Plena falsitatibus imaginatio, & vanissimæ innixa conjecturæ. Ut jam vidimus, non Sæculo dumtaxat XV. & vigente Basileensi Concilio, sed & multo ante Facultas Parisiensis fervida fuit in tuenda, non Scoti, sed Ecclesiæ fere universæ Sententia. Immo Basileensis Concilii determinationem prævivit potius, quàm subsequuta est. Deinde nec Romana Ecclesia expunxit, & pro nihilo habuit Basileense Decretum, ut ostendimus *Actione IV. n. 60. & seq.* Nec unquam Facultas Parisiensis a Basileensi Decreto recessit. Ut enim sua, & nostra ætate testatur Natalis Alexander: (x) *Facultas Parisiensis doctrinam de Immaculata Deiparæ Conceptione, iisdem verbis profitetur, suosque jurare meritò jubet, quibus illam Concilium Basileense declaravit.* Demum, quod Facultas Parisiensis a pristino suo fervore, in tuenda Pia Sententia nunquam declinaverit, ex iis, quæ nostris etiam temporibus egit, aperte dignoscitur.

292. Cùm anno 1696. aliquot censuras tulisset in librum, cui titulus: *Mystica Civitas DEI &c.* a Sor. Maria Jesu Agradensis Monasterii conscriptum, & Gallice editum Massiliæ anno 1695. priusquam censuras illas exponeret, palam contestata est, & declaravit, *Stare se determinationi Majorum suorum de Conceptione Immaculatæ Virginis Mariæ, videlicet, quod in sua Conceptione præservata fuit ab Originali Labe &c.* (y)

293. Item *in Comitiis generalibus, celebratis die quinta Novembris anni 1736. requirente dignissimo D. Syndico, placuit* (Academiæ Parisiensi

(r) *V.* Natalem Alexandrum *tomo 7. Hist. Eccles. cap. 3. art. 23. a pag. 128.* Carolum Duplessis *tomo 1. par. 2. ad* an. 1387. *a pag. 61. & a pag. 132. Appendicem tomi 1. Operum* Gersonis, *a col. 693. &* Gersoniana *ibid. a pag. VII.*

(s) *Tomo citato, a pag. 151.*

(t) *V. illa apud* Duplessis *loco cit. a pag. 107. & apud ipsum* Alexandrum *loco cit. pag. 130. & seq.*

(u) *Cap. 9. pag. 66.*

(x) *Tomo 8. Histor. Eccles. dissertat. 8. art. 5. num. 11. pag. 546. col. 2.*

(y) *Refert* Duplessis *ad* an. 1696. *pag. 151. tomi 3.*

Parisiensi) *antiquum Sacræ Facultatis Decretum circa determinationem ab ipsa latam de Conceptione Immaculata Virginis Mariæ, mandari typis, & hujusce Decreti exemplaria non solum singulis Magistris, sed etiam Baccalaureis, & Candidatis distribui.* In Comitiis autem generalibus habitis die secunda Maji, ejusdem anni, eadem Parisiensis Academia decreverat, *Missam solemnem* [de Immaculata B. Virginis Conceptione] *celebrari quotannis, impensis Sacræ Facultatis apud Sorbonam, horâ decimâ matutinâ,* [hoc est duabus horis ante Meridiem] *die proxime Festum Conceptionis subsequente non impedita, quò facilius plures Magistri huic Sacro solemni possint interesse.* Quæ, ut extracta *ex Registris Sacræ Facultatis Parisiensis*, una cum antiquo illo Statuto, exhibentur in quodam folio, typis impresso, & legitime subscripto: *Ita est.* HEVISSANT, *Sacræ Fac. scrib.* Quod folium penes nos est.

294. Quòd vero Parisiensis Academia nullam Launojo molestiam creaverit, plures potuerunt esse causæ. 1. Ne Crabronem istum litterarium irritaret: 2. Quia liber ille vel post Launoji mortem prodiit, ut censet Dupinus, (z) vel saltem suppressò ejus nomine primùm vulgatus est, ut ex Launoji Editore colligitur. (a) 3. Jam Launojus anno 1648. aliis de causis e Navarrico Collegio expulsus fuerat. (b) Sane Launojus in illo libro (c) non tam Piam Sententiam, quàm ipsam Parisiensem Facultatem maledico dente carpit. Non defuit tamen in Gallia, qui eundem Launoji librum egregie confutaret. Is fuit M. Trevetus, Parochus Gonnecurtii, Diœcesis Rothomagensis; cujus Opus in epitomen redactum extat in Monumentis Trevoltiensibus mensis Septembris, anni 1709. *Art.* 123. *à pag.* 1641.

TESTIMONIUM II.

Academia Coloniensis.

Statutum,

Editum Anno MCCCCXCIX.

I. „ MAgistri nostri, Sacræ Theologiæ Professores, congregati per Schedulam, „ cautam Congregationis continentem, ita sua „ Vota, & deliberationes constituere decreverunt, ut viderentur imitari Magistrum nostrum, Summæ Pacis Auctorem, & ut pax, „ & tranquillitas non solum in Capitibus, sed „ in singulis Membris ejusdem Facultatis firmius persisteret. In primis inspexerunt Extravagantem Beatiss. Patris nostri, Sixti „ Papæ, quæ incipit: *Sixtus &c. Grave nimis gerimus &c.* quam Constitutionem, sicut tenebantur, ita, sicut Filii obedientes, „ cum omni devotione acceptarunt. Insuper „ habentes reverentiæ oculum ad solemnes, „ & approbatos Doctores nostræ Facultatis, „ qui attendentes, Festum Conceptionis in „ Ecclesia solemniter observari; & pro auferendo maximo scandalo Christiani Populi, qui nunc in observatione illius Festi „ se firmavit.

II. „ Ita pro Pietate, & ex causis, eos rationabiliter moventibus, statuit, & ordinavit Facultas sic congregata: deinceps, & in futurum sic inviolabiliter observari ab omnibus „ Suppositis, & Membris ejusdem Facultatis, „ præsentibus, & futuris, ut, antequam Ecclesia legitime aliter determinaverit, ipsa Supposita, & Membra in Sermonibus, Prædicationibus, solemnibus Determinationibus teneantur sic sermocinari, & prædicare, & determinare, B. Christiferam Virginem MARIAM „ esse, & fuisse a Peccato Originali, ex speciali privilegio præservatam; aut de illa materia omnino taceant. Quamvis tamen liceret in Scholis ad aliam partem arguere, more „ scholastico, ut veritas magis elucescat; sic „ tamen, & non aliter &c.

III. „ Et ut ista firmius observentur, statuit Facultas, ut in principio Libri Statutorum haberetur memoria istius Conclusionis; ut injungeretur omnibus promovendis, nec prædicarent, nec sermocinarentur, aut determinarent, Christiferam Virginem, in Originali „ conceptam, sed eam ex privilegio præservatam; aut omnino de ista materia in casibus „ prædictis tacerent, sub pœna eis per Facultatem infligenda. Et voluit Facultas, istam „ Conclusionem extendi ad omnia Membra Facultatis, præsentia, & futura. „ (d)

295. ITa nobis exhibet hoc Statutum Carolus Duplessis, erutum, ut ait, ex Archivo Sacræ Facultatis Theologicæ almæ Universitatis Coloniensis. Ast Johannes Trithemius in Chronico sui Monasterii Sponheimensis, Statutum ejusdem Universitatis longe gravioribus, & expressioribus formulis conceptum refert. (e) „ Eodem anno, *inquit*, Facultas Theologica almæ Universitatis Coloniensis statuit, & decrevit, Constitutione firmissima, tenendum, „ sentiendum, credendum, dicendum, prædicandum, & constantissime defendendum „ ab omnibus Suppositis suis, *quod B. DEI „ Genitrix Maria ab omni labe Originalis Peccati, ex singulari prærogativa Divinæ Potentiæ, semper fuerit præservata, exempta, & „ privilegiata.* Et qui contrarium fecerit, ab „ ipsa Universitate resecatus, honoribus, & „ emolumentis Theologicæ Facultatis, omnino, & omni tempore sit privatus. Et quod „ nullus in ea Facultate promoveatur, nisi „ juraverit, se hoc Statutum semper observaturum. „

Plazza Causa Immacul. Concept. B. M. V.

(z) *Tomo* 3. *Biblioth. Eccles. Scriptor. Sæculi XVII.*
(a) *In* Launojanis, *parte* 2. *pag.* 444. *tomi* 4. *par.* 2.
(b) *In* Launojanis *cit. par.* 1. *pag.* 347.
(c) *Parte* 2. *post Considerationem VII. a pag.* 34.

(d) *Extat apud* Duplessim *tomo* 3. *initio Partis secundæ, pag.* 1. & 2.
(e) *In Chronico cit. ad an.* 1499. *pag.* 410. *part.* 2. *Oper. Historicor.*

296. Trithemius Academiæ Coloniensi conjunctissimus erat, ut liquet ex *num.* 267. & eodem tempore scribebat; annus enim 1499. quo Coloniense Statutum consignatum perhibetur, annus decimus sextus erat suæ Abbatiæ Sponheimensis. Dicendum ergo videtur, geminum ab Universitate Coloniensi editum esse Statutum, unum altero posterius, unum altero gravius, quo Universitas Coloniensis, ad imitationem Parisiensis Academiæ, se, suosque Alumnos Piæ Sententiæ fortius addixit: & ideo fortasse Ms. originale prioris Statuti adeo neglectum fuit, ut ipso indicante Duplessi, vix legi potuerit.

TESTIMONIUM III.

Academia Moguntina.

Statutum,

Editum Anno MDI.

„ FAcultas Theologica Academiæ Moguntinæ imitata Synodi Basileensis Decretum, „ itemque Parisienses, & Colonienses Theologos, omnino decrevit, & statuit sentiendum, „ BB. DEI Genitricem, semperque Virginem „ MARIAM, quam ex omni æternitate sibi Matrem delegit Filius DEI, sine labe Originalis „ Peccati conceptam, idque singulari quodam „ privilegio &c. His ergo, aliisque rationibus „ permota Facultas Theologica Moguntinæ Universitatis, graviter sancivit, deinceps neminem in ea Academia promoveri debere in Sacra Theologia, nisi, juramento interposito, „ prius fidem dederit, se diversam opinionem, „ neque animo retenturum, neque quovis modo approbaturum. „

297. CUm hujus Statuti formam non invenerimus, quæ de ipso refert Surius, (*f*) descripsimus. Paulo aliter idem Statutum refert Trithemius in Chronico cit. ad annum suæ Abbatiæ XVIII. Christi 1501. (*g*) „ Anno, *inquit*, prænotato, Facultas Universitatis Moguntinæ, exemplo Parisiensium, Coloniensiumque provocata, Statutum fecit XIII. die mensis Octobris, pro Fidei veritate, ac defensione Purissimæ Conceptionis BB. MARIÆ, „ semper Virginis, determinans, eam ab omni Originali Macula semper præservatam, „ exemptam, & immunem; Contrariamque „ Assertionem, impiam, erroneamque judicavit. Et nihilo minus decrevit, neminem in „ Theologia promovendum deinceps, nisi juret, quod nunquam velit favere opinioni contrariæ in aliquo. „

298. Academiis Coloniensi, & Moguntinæ adnumerat alibi (*h*) Trithemius plures alias in eadem Germania Universitates, Piæ Sententiæ suo tempore addictas, quamvis earum Vota, vel Juramenta non memoret, scilicet, Lipsiensem, Tubingensem, Lovaniensem, Erphordiensem, Heydelbergensem, Viennensem, Ingolstadiensem, Basileensem.

TESTIMONIUM IV.

Academia Complutensis.

Statutum,

Promulgatum Anno MDCXVII.

„ QUoniam Gloriosissima Virgo MARIA, Mater DEI Augustissima, teste Sacrosancta „ Ecclesia, his, qui elucidant Ipsam [hoc est „ Ipsius Sanctitatem eximiam, & Gratias prope Divinas in lucem proferunt] Vitam æternam pollicetur: Florentissima Complutensis „ Academia, & ejusdem loci Ecclesia Sancta, „ ad gravissimam illam quæstionem, quæ de illius Conceptione, Sanctificationisque exordio est, Patrum monumentis diligenter inspectis, perspectisque matura consideratione „ Theologiæ momentis, amplam admodum occasionem nacta elucidandi ejus Gloriam; Doctrinam, quæ differit, Gloriosissimam Virginem MARIAM, DEI Matrem, præveniente, „ & operante Divini Muneris Gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse Originali „ Peccato, sed Immunem semper fuisse ab omni Originali Culpa, Sanctamque, & Immaculatam; tanquam Piam, & Consonam „ Cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ „ Rationi, & Sacræ Scripturæ, hactenus semper summa consensione defendit. Sed quò felicius tandem ejusdem Sanctissimæ MARIÆ „ Gloriam in lucem proferat, resque sit illustriùs „ omnium oculis testata; eandem veram Sententiam tenendam, & amplectendam posthac, sub Sacrosancta Juramenti Religione, „ tactis Evangeliis promittit, recipit, spondet. „ (*i*)

299. DUo hic observa: Alterum, quod etsi hoc anno Academia Complutensis in Piæ Sententiæ tutelam juraverit, eam tamen semper summa consensione defendisse se dicit. Alterum, quod Piam Sententiam sub iisdem formulis tenendam, & amplectendam profiteatur, quibus illam definivit, & declaravit Basileense Concilium. Quanta celebritate, & omnium Ordinum, multorumque Populorum frequentia, Decretum hoc promulgatum fuerit; referunt Auctores Armamentarii Seraphici in Regesto authentico, & universali *a col.* 336.

300. Eodem anno 1617. plures aliæ in Hispania studiorum Universitates, seu Academiæ, Compostel-

(f) *In Commentario rerum in Orbe gestar. ad* an. 1501. *pag.* 20. *& seq. edit.* Coloniæ, an. 1574.

(g) *Pag.* 413. *partis secundæ cit. Oper. Historicor.*

(h) *Lib.* 1. *de Miraculis ad invocationem B. Mariæ in Urticeto, cap.* 2. *pag.* 1135. *& Epist.* 33. *de Concept. Immacul. Virg. pag.* 977. *ejus Oper. Piorum, edit.* Moguntinæ an. 1605.

(i) *Extat in Regesto Authent. & Univers. col.* 337. *& iterum col.* 355. *& seq.*

postellana, Cæsaraugustana, Granatensis, Toletana, Biatina, [vulgò di Baeza] Sacramento se obstrinxerunt tuendi Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem: quorum Sacramentorum formulæ referuntur in laudato Regesto *a col.* 340. Academia Compostellana juramento Votum adjunxit his verbis: *Spondet, vovet, ac jurat.* In formula Academiæ Granatensis, post juratam Piæ Sententiæ defensionem, additur: *Et pro hac piissima Veritate sanguinem, si oportuerit, profundere, & mortem subire non recusabo.*

TESTIMONIUM V.

Academia Salmanticensis.

Statutum,

Promulgatum Anno MDCXVIII.

» NOs itaque N.N.N. totius nostræ almæ » Universitatis nomine, ac vice, DEO » Optimo Maximo, Tibique Sanctissimæ, » Gloriosissimæque Virgini MARIÆ, Matri e- » jus, votum facimus, & sancte promittimus, » ac juramus, Te, quam semper Beatam, sem- » perque Benedictam, & Immaculatam uno » omnes ore prædicamus; Sanctam quoque a » primo tuæ Conceptionis instanti, ac per JESU » CHRISTI, tui, DEIque Filii Unigeniti meri- » ta, ab æternitate prævisa, Divinâ Te sic Gra- » tiâ præservante, ab Originali Peccato Immu- » nem fuisse, constanter, cùm privatim, tum pu- » blice asserturos, defensuros, prædicaturos, » & nullo unquam tempore, vel latum unguem » ab ea Sententia recessuros. Quò verò certio- » re, ac diuturniore hæc nostra voluntas succes- » su confirmetur; æternùm valituro Edicto » statutum volumus, ut nullus unquam sive » Doctoratus, & Magisterii, sive Licentiæ, » aut Baccalaureatus Gradum, vel Titulum in » eximia hac nostra Academia promoveatur, » vel admittatur, nisi qui huic nostro Voto, » eâdem mentis Sententiâ, factoque suffragabi- » tur, & semper tam publice, quàm privatim » suffragaturum, sese juramento adstrinxerit. » Hoc pariter omnes vovemus, spondemus, » juramus. Sic DEUS adjuvet, & hæc San- » cta DEI Evangelia. » (k)

301. INclyta hæc in toto Orbe Salmanticensis Academia, nonnisi multis præhabitis Theologorum consultationibus, hujusinodi Statutum condidit; & Piissimo Rege Catholico Philippo III. plaudente, ac confirmante, maxima cum solemnitate Votum nuncupavit; eademque solemnitate quotannis, Dominica subsequente Festum S. Lucæ, sub initium scilicet studiorum, Immaculatam recolit DEI Genitricis Conceptionem. Cum autem anno 1627. die 9. mensis Junii, D. Thomæ doctrinam, interposito jurejurando, defendendam susceperit, ad majorem cautionem signanter excepit *Opinionem de Plazza Causa Immacul. Concept. B. M. V. Beatæ Virginis Conceptione.*

302. Circa idem tempus, vel non multo post, plurimæ in Hispania, Lusitania, Gallia, Belgio, Germania, Italia, & Indiis etiam Occidentalibus Academiæ, ad Illibatæ Conceptionis tutelam simili Sacramento se obstrinxerunt. Istarum Academiarum longum Catalogum texuit R. P. F. Petrus de Alva *in Militia Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ &c.* Quem Catalogum nostro hoc tempore possemus in immensum augere.

OBSERVATIONES

IN ACADEMIARUM VOTA, SIVE JURAMENTA DE TUENDA B. VIRGINIS ILLIBATA CONCEPTIONE.

303. PRudentissimam esse, & laude dignissimam hujusinodi Votorum, sive Juramentorum nuncupationem; non modo usus ipse tot celeberrimarum Academiarum suadet, verum etiam Sedes Apostolica suo calculo comprobavit, confirmante Clemente XII. Academiæ Cervariæ Leges, inter quas una erat de juranda Immaculatæ Conceptionis tutela. V. *Act. V. num.* 242.

304. Fatetur id Lampridius, sed totam prudentiæ laudem ad Pacis studium, non ad Veritatis, ac Pietatis amorem refert. (l) Ait enim, *Prudentissime agere Academias, si pacis caussâ tutelæ ejusdem Sententiæ votum adjungunt.* Et paulo post: *Laudanda*, inquit, *maxime Academiarum Prudentia, quòd ad Scotisticam Sententiam amplectendam, ac profitendam sese obstrinxerint, ut ita e Scholis removerentur jurgia, & scandala, olim e conflictu utriusque opinionis progenita.*

305. Itaque, si non pacis causâ, si non ut e Scholis removerentur jurgia, voto se obstrinxerunt Academiæ ad Piam Sententiam amplectendam, ac profitendam; næ illæ, juxta Lampridium, omnino prudenter egerunt. Dicat vero Lampridius, quænam sint Academiæ istæ, quæ pacis, & removendorum jurgiorum causâ, ad Piæ Sententiæ tutelam voto, sive juramento se addixerunt. An quæ post Pauli V. Decretum ejusmodi Statuta ediderunt? Sed jam satis, superque Scholarum paci, & removendis jurgiis consultum, cautumque erat per illud Sedis Apostolicæ Decretum, quovis Academico Statuto fortius, quo Contrariæ Sententiæ, omnibus Scholasticis Disputationibus, & Actibus publicis interdictum est. Profecto quis credat de pace servanda sollicitos fuisse Catholicum Regem Philippum V. proponendo, & Clementem XII. approbando Legem illam juramenti in Academia Cervariæ observandam? An saltem ad istam pacem respexerunt tres illæ Antiquiores Academiæ, Parisiensis, Coloniensis, & Moguntina? Aliam longe diversam causam in suis Statutis præ se ferunt.

 306. Aca-

(k) Extat Authenticum in Regesto cit. col. 376. & seq. & V. col. 372. 373. 384. & 415.

(l) Cap. 1. pag. 9.

306. Academia Parisiensis ad pugnam potius, quam ad pacem respexit: *Non possumus*, inquit, *quorumdam vanam superbiam, temerariam, insanamque obstinationem non admirari, non indigne, molesteque ferre &c. Quorum furori, ut alacrius, & fortius occurramus, atque resistamus &c.* Academia Coloniensis, licet initio pacis studium commendet; tamen *pro auferendo maximo scandalo Christiani Populi &c.* Et *pro Pietate &c. Statuit &c.* Academia Moguntina, *Pro Fidei*, ait, *veritate, ac defensione Purissimæ Conceptionis &c.* Ad hæc, si jurgia dumtaxat e Scholis removenda erant, & pax inter utramque Partem firmanda; nonne satius, & æquius fuisset, utrique Parti silentium indicere, quàm ad unam, cum alterius præjudicio defendendam, interposito Sacramento adstringere?

307. Sed fortasse Lampridius concedere non veretur, minus prudenter egisse Academias, cùm ad Piæ Sententiæ tutelam voto se adstrinxerunt. Nam proxime dixerat: *Prudenter agere, qui voce, & scriptis propugnaturos se vovent sententiam, eximentem a Peccato Originali Deiparam: prudentius agere, qui eandem Sententiam tuentur, sed voto omisso.* Quod quidem dictum absolute prolatum, ex communi de Voto doctrina, nullo negotio refellerem; nisi jam & a Lampridii Adversariis rejectum, & ab ipso Lampridio per Valdesium (*m*) emendatum esset.

308. Aliam alibi (*n*) Lampridius, parum sibi constans, Academiarum votis, & juramentis causam assignat: *Non quod*, inquit, *certam sine formidine eam Sententiam putent, Academiæ censendæ sunt, ei adhærere; sed quòd unam illam tradi posse in Scholis, Apostolicæ Sedi obsequentes animadvertunt.*

309. Hæc Causa non minus falsa est, quàm præcedens. Nam si de Academiis Parisiensi, Coloniensi, & Moguntina loquamur; nullum ejusmodi Sanctæ Sedis Apostolicæ Decretum adhuc viderant, cui obsequerentur. Sin vero loquamur de subsequentibus Academiis; cohibebantur illæ quidem Pauli V. Decreto, ne Contrariam in Scholis defenderent, docerentque Sententiam; at ad Piam Sententiam simpliciter, & multo magis interposito Sacramento, propugnandam, minime adigebantur. Quod si dixeris, hanc fuisse Sedis Apostolicæ mentem in ea lege ferenda, ut Academias ad jurandam, vovendamque Piæ Sententiæ tutelam suaviter induceret; mirum quantum Piæ Sententiæ favebis!

310. Vera igitur Causa, quæ tot, & tam insignibus Academiis persuasit, ut mirabili consensione, Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem, interposita juramenti, vel voti religione defendendam susciperent; fuit cùm Pietas, tum Veritas hujus doctrinæ, [ut & ex ipsarum Statutis colligitur] quam quidem nisi tutam, firmamque credidissent, suorum ingeniorum libertatem tam arcto vinculo non adstrinxissent. Quod tandem fateri coactus est Valdesius *loco cit.* dum Voventium prudentiam in hoc reponit, quod *persuasum habentes, nihil sibi occurrere posse, unde Piæ Sententiæ Dignitas imminui apud se possit, Votum intrepide de tuanda Immaculata Conceptione emittunt.* Quamobrem Alexander VII. Academiarum consensum inter potissima Piæ Sententiæ argumenta enumerat: *Ita ut*, inquit, *accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc Sententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur.*

311. Pium hunc, & laudabilem Academiarum morem in juranda, vovendaque tutela Conceptionis Immaculatæ, propensis animis amplexati sunt reliqui Ecclesiasticorum, & Religiosorum cœtus; Urbium quoque ac Regnorum Magistratus, innumerique singillatim Fideles. Quæ cum ita sint, quis non miretur sortem, atque suavem Divinæ Providentiæ dispositionem, quod nemini hactenus ex Adversariis in mentem, animumque venire permiserit, Contrariam Sententiam, voto, vel juramento specialiter confirmare?

312. Expectabit non nemo, eam a nobis hoc loco tractari quæstionem, quæ inter Lampridium, & Nostrates magna contentione nuper est agitata: An scilicet ratum, & honestum sit votum tuendi usque ad sanguinem Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem? Sed jam ab initio constituimus, incidentibus, ac privatis hujusmodi quæstionibus maximam hanc, & communem Ecclesiæ Causam non interturbare: cùm præsertim ex iis, quæ de Piæ Sententiæ certitudine adversus Lampridium concludemus, affirmantem istius quæstionis partem facile possit quisque colligere, atque defendere.

313. Curioso nihilo minus, & erudito Lectori duo argumenta examinanda proponimus, quibus confici videtur, quod quamvis Votum simpliciter prolatum ex se non obliget imminente mortis periculo, ut declarat P. Suarez; (*o*) simplex tamen Votum defendendi Piam Sententiam, obligationem secum affert defendendi illam [defensione scilicet, ut ajunt, negativa, hoc est non abnegandi illam] usque ad extremum mortis discrimen, atque adeo usque ad sanguinem. Qua fortasse de Causa Votum illud speciale antehac a piis Fidelibus frequentatum non adeo fuit, donec Lampridius oppugnatione ipsa sua, frequentandum persuasit.

314. Primum argumentum: Non aliunde mortis discrimen Defendenti Piam Sententiam imminere potest, quam ab aliquo impiissimo Tyranno, qui necem minitetur, nisi & contra Legem Pontificiam, & contra Votum, serio asseras, B. Virginem cum Originali Peccato conceptam fuisse. Tam barbarum facinus ab hoc Tyranno, non in alium finem intentari, prudenter præsumere possumus, nisi in odium, seu contemptum vel Legis Pontificiæ, vel Voti, vel saltem Pii Sensus, & Cultus Immaculatæ Conceptionis, [uterque enim Pius declaratus est ab Ecclesia.] Cum ergo hujusmodi Contemptus sit intrinsece malus, [Contemptus enim non tantum Legis, sed & cujuscunque pii operis, ex se malus est] ne huic Contemptui obsecundemus, mors utique nobis est eligenda.

315. Al-

(m) *Epist. 11. pag. 127. & seq.*
(n) *Cap. 9. pag. 65. & seq.*

(o) *Tomo 2. de Religione Tract. 6. de Voto, lib. 4. cap. 20. num. 3. & seq.*

315. Alterum Argumentum: Qui Piam Sententiam, interposita Voti, vel Juramenti religione, defensurum se spondet; sibi firmiter persuadet, illam esse veram, quin ad hanc intimam persuasionem deponendam vis ulla externa sufficiat. Veniat ergo Tyrannus, & necem tibi comminetur, nisi asseveres, Piam Sententiam esse falsam, affirmando, B. Virginem Originali Peccato infectam fuisse. Si morem geras, nonne reluctante conscientia, falsum crimen Sanctissimæ DEI Genitrici affinges, ac veluti falsum testimonium in eam dices? Sed quid de falso testimonio sentit Lampridius? (p) *Veniat*, inquit, *Impius, mortem nobis comminando, nisi ...... falsum testimonium dicamus &c. minime obtemperandum est, fortiter vita danda est.*

316. Hoc Argumentum probat, non solum Voventi, sed etiam cuicunque firmiter Sustinenti Piam Sententiam, obligationem adesse eam defendendi usque ad sanguinem, ut de se ipso luculenter testatur Henricus Spondanus; (q) qui narrata repentina morte cujusdam Pauli, publice Concionantis Cracoviæ contra Piam Sententiam, subjungit: *Nos sane pro Assertione Immaculatissimæ Conceptionis Deiparæ Virginis, ejusque propugnatione, paratissimi essemus, toties vitam profundere, quoties contingeret, eam in dubium revocari. Idque ex toto animo scribimus, & profitemur in ipsissima ejus Festivitate, Anno Redemptionis* 1632. Similem attestationem a Johanne Caramuele audivimus *Actione III. numer.* 405.

TESTIMONIUM VI.

Academia Societatis JESU.

Decretum editum Anno MDXCIII.

Sequantur nostri Doctores in Scholastica Theologia Doctrinam S. Thomæ &c. De Conceptione autem B. MARIÆ..... sequantur Sententiam, quæ magis hoc tempore communis, magisque recepta apud Theologos est &c. (r)

OBSERVATIONES.

317. Simile Decretum legitur in Instructionibus pro Cœnobiis Studiorum PP. Carmelitarum Discalceatorum. (s) Sed ne credas, tunc primùm Societatem JESU Piæ Sententiæ defendendæ addictam fuisse. Conditum est laudatum Decretum, ut quod in Societate, a primo sui exortu moribus receptum erat, legibus quoque firmaretur; & ne quis, prætextu existimatæ Doctrinæ Angelici Doctoris, a Pia Sententia recedere fas sibi esse aliquando putaret.

318. Tot sunt, & tam præclara, quæ duobus integris Sæculis, ad propugnandam, illustrandamque Piam Sententiam gessit Societas nostra, ut factis ipsis abunde comprobaverit, quàm verum sit, quod tanquam cælitus acceptum, magno spiritus fervore, Nostris dicere solebat Ven. Fr. Alphonsus Rodriguez: (t) nempe Societatem JESU ad hoc etiam inter alios fines fuisse a DEO specialiter destinatam, ut illibatum suæ Matris Conceptum assereret, & prædicaret. Omnia persequi, nec locus, nec tempus fert; quibus vel obiter referendis, justum volumen vix sufficeret. Aliquid dicemus primùm de ipso Sancto Patriarcha Ignatio, ejusque primis Sociis; tum de iis, qui ejusdem Ignatii ætate in Ordine nostro claruerunt, Scriptoribus: subinde de aliis, qui primi de Societate, singularis doctrinæ merito, in Sacrum Purpuratorum Collegium sunt cooptati: quibus duos adjungemus e nostra Provincia, Sanctitate Vitæ, & Verbi DEI prædicatione Venerabiles Viros. Postremo nullum unquam Societatis Scriptorem in Contraria Sententia fuisse, demonstrabimus.

319. S. P. Ignatium, ejusque primos Socios, cùm Parisiis prima Societatis fundamenta jacerent, ad defendendam Piam Sententiam Sacramento se obstrinxisse; verisimillimum est. Nam omnes [uno excepto Laynio] in Academia Parisiensi, ubi mos ille vigebat, Gradus Licentiæ, & Magisterii in Artibus sunt adepti, ut ex authenticis monumentis demonstrat P. Johan. Pinius. (u)

320. Institutâ jam, & confirmatâ a Paulo Papa III. Societate, duo ex primis Ignatii Sociis, Didacus Laynius, & Alphonsus Salmeron, ab eodem Pontifice, Apostolicæ Sedis nomine, ad Concilium Tridentinum missi, in eo, pro Pia de Immaculata Conceptione Sententia, suum suffragium tulerunt, vel etiam egregie perorarunt, uti narrat Cardinalis Pallavicinus. (x) „ Cum Dogmatum, *inquit*, Decreta de Noxa „ Originaria diligenter expenderentur, & sti„ mularet in primis Pacecus, ut quæstio de „ Sanctissima DEI Parente definiretur &c. Op„ portune paulo ante accesserant duo Theologi „ ejusdem Nationis, eò missi a Pontifice, Dida„ cus Laynius, & Alphonsus Salmeron; quorum „ priorem antiqua nostræ Societatis monumenta „ tradunt, vehementi eloquio perorasse, pro „ Sententia, cui Pacecus favebat. „

321. Post hæc, Doctor Martinus Olavius, DEO mirabiliter vocante, anno 1552. a S. P. Ignatio in Societatem receptus, & anno mox sequente primus Sociorum Sacram Theologiam in Ro-

(p) *Cap.* 3. *pag.* 21.
(q) *Tom.* 1. *Continuat. Annal.* Baronii *ad an.* 1350. *nu.* 24. *pag.* 509. *Mortem illam, citato* Henrico de Hassia Carthusino, *refert Magnum Chronicon Belgicum pag.* 301. *tom.* 3. *Veter. Scriptor. Rerum Germanicar. edit.* Francofurt. an. 1653.
(r) *In Congregatione Generali* 5. *Decreto* 41. *in Regulis pro Delectu Opinionum, n.* 1.
(s) *Recusis Romæ, jussu Capituli Generalis, celebrati* anno 1631. *cap.* 10. §. 2.
(t) *Lib.* 2. *cap.* 12. *pag.* 160. *Vitæ ipsius; edit.* Bononiens. an. 1707.
(u) *In Commentario prævio ad Vitam S. Ignatii*, §. 7. *a n.* 168. *pag.* 441. *& seq. tomi* 7. *Sanctorum Julii.*
(x) *Tomo* 1. *Historiæ Concil. Trident. lib.* 7. *pag.* 660. *edit. latinæ. V. etiam P.* Nadasi *in Annalibus Marianis S. J. ad an.* 1565. *n.* 166.

in Romano Collegio publice profiteri aggressus; (y) in primis suis Thesibus, ad disputandum expositis, *de Conditione, Lapsu, & Reparatione Hominis*, Piam Sententiam inseruit.

322. Hanc porro Thesim expungendam duxit S. P. Ignatius; non ob falsissimam illam rationem, quam, infideliter citato Johanne Petro Maffeio, commentus est Johannes Launojus; (z) sed ob sapientissimam aliam, quam re vera idem Maffeius adducit in Vita latina S. Ignatii. (a) *Cum Martinus*, inquit, *Olavius, qui Collegio Romano annos aliquot magna cum laude præfuit, excellenti Vir ingenio, doctrinaque, Theses aliquot de more proposuisset, in quibus erat caput de Immaculato, ut appellant, Conceptu B. Virginis; licet ea de re Ignatius pro sua egregia in Deum, & Virginem Pietate minime dubitaret, tamen ne Fratres Dominicani, qui ad disputationem invitabantur, id ægre ferrent, seque nominatim provocari putarent, ... eam Thesim induci, tollique omnino imperavit.*

323. Præterea laudatus Alphonsus Salmeron, pluribus Pontificiis legationibus, & ad Concilium Tridentinum missionibus clarus, (b) cùm primum se ad scribendum contulit, & doctissimos in novum Testamentum Commentarios elaboravit, Tomo XIII. istorum Commentar. Epistolam D. Pauli ad Romanos explanans, a disputatione XLIX. ad LIII. de Immaculato DEI Genitricis Conceptu, magna doctrinæ, ac eruditionis ubertate, disseruit, ut in editis Exemplaribus apparet.

324. Primis Ignatii Sociis, prætermisso S. Francisco Borgia, [quem Actione VI. laudavimus] duos accensemus insignes Societatis nostræ Scriptores, qui vivente adhuc Ignatio claruerunt, atque scripserunt; P. Hieronymum Natalem, cujus operâ idem S. P. Ignatius, & sequentes Præpositi Generales in gubernanda, & propaganda Societate usi sunt; & Ven. Petrum Canisium, qui Societatem recens natam, exemplo, doctrina, & præstantis ingenii monumentis, mirifice illustravit, atque in tota Germania Catholicam Fidem, contra hæreses tunc grassantes, fortiter asseruit. (c)

325. Conscripsit Natalis *Annotationes, & Meditationes in Evangelia*, quibus attexuit de *Virginis Mariæ laudibus* Meditationem: ubi de Immaculata Virginis Conceptione sermonem habens, (d) *Juvat*, inquit, *ac promovet nostram exultationem de laudibus Mariæ, ubi videmus tam claram Ecclesiæ inclinationem ad prædicandam Virginis Matris Conceptionem, & a Peccato etiam Originali Immunitatem.* Hanc Ecclesiæ inclinationem colligit ex Sixto IV. ex Concilio Tridentino, & ex ipso Pii V. Officio reformato. Et pulchre observat, noluisse Tridentinum apertius edere Decretum, quia „ Satis habuit Ecclesia Pia Mater indicare. Noluit „ cogere quempiam, ut contra suam persuasionem sentiret, vel crederet; sperans futurum, „ ut suaviter per se omnes Fideles ad illam devotionem accederent: quod ubi videret, vel non „ esset, quod decerneret, vel suaviter illud definiret. „

326. Emisit Canisius contra Hæreticos *de Verbi DEI corruptelis* Tomos duos, quorum posterior est *de Sacrosancta Virgine Maria Deipara.* In hujus Tomi libro I. a capite V. usque ad IX. Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem tam luculenta, tam gravi, & argumentosa oratione propugnat, ut non sequioris ævi Scriptorem, sed unum ex antiquioribus, & sapientioribus Patribus legere te credas. Unde nos aliqua excerpsimus, & in hanc causam utiliter derivavimus.

327. His antiquioribus Societatis nostræ Scriptoribus succedant duo alii, non doctrina tantum, sed & Romanâ Purpurâ conspicui; quam omnium primi, inviti licet, ac reluctantes, in Societatem invexerunt, Franciscus Toletus, & Ven. Robertus Bellarminus. (e)

328. Toletus in iis, quos edidit in Evangelium secundùm Lucam Commentariis, ad illa verba Salutationis Angelicæ, *Gratia plena*, (f) septem Gratiæ Plenitudines in B. Virginem collatas enumerans; tertiam plenitudinem Gratiæ fuisse, ait, Immunitatem ab omni contrario, scilicet ab omni peccato, quam immunitatem B. Virgini contigisse probat: *Quia nullus merus Homo ab omni peccato fuit purus: at B. Virgo eam sortita est Gratiam a Filio, quæ omne Peccatum impedivit: nec enim Originale contraxit, nec ullum actuale, non solum Mortale, sed nec Veniale admisit.* Idque confirmat ex celebri D. Augustini Sententia *cap. 36. de Natura, & Gratia*, cujus verba optimis notis illustrat.

329. Bellarminus tribus in locis, ac tripliciter hoc argumentum tractat. I. Stylo Scholastico, *in Controversiis Christianæ Fidei*, Controversiâ secundâ generali *de Amissione Gratiæ, & statu Peccati lib. 4. cap. 15.* & duobus sequentibus, in quibus illibatam DEI Genitricis Conceptionem late tuetur. II. Stylo Exegetico, parte secunda sui Catechismi, [quem mandante, subindeque approbante Clemente VIII. edidit] in Angelicæ Salutationis expositione, quam laudavimus *Actione I. num. 157. & 165.* III. Stylo Censorio, in Voto seu Suffragio, quod jam Senex, & Cardinalis pro definitione Piæ Sententiæ protulit in Generali Congregatione S. R. Inquisitionis, habita coram Paulo V. die 31. Augusti an. 1617. (g) Cujus Voti selectas

(y) *In Bibliotheca Scriptorum Societ. Jesu, pag. 329. & seq. edit.* Antverpiens. an. 1643.
(z) *Præscript. 7. pag. 15.*
(a) *Lib. 3. cap. 9. pag. 251. edit.* Patavinæ an. 1727. *curata a* P. Josepho Rocco Vulpio S. J. *in qua priorum editionum variantes loci diligenter adnotantur.*
(b) *In Bibliotheca cit. pag. 22.*
(c) *In eadem Bibliotheca pag. 374. & seq.*
(d) *Pag. 593. edit.* Antverp. an. 1595.
(e) *De iis V. Biblioth. cit. a pag. 138. & a pag. 408.*
(f) *Annotat. 67. §.* Tertia plenitudo, *pag. 58. & seq. editionis* Venetæ, an. 1601.
(g) *Hujus Voti exemplar extat apud nos, ex Autographo Romano fideliter exscriptum. Aliud exemplar ad* Catholicum Regem Philippum IV. *olim missum fuisse, testatur* Nierembergius, *cap. 31. de* Perpetuo objecto Festi, *pag. 60.*

lectas quasdam Sententias in præsenti Causa laudamus.

330. Ne Patriæ Pietati deesse videamur, duos e nostra Siciliæ Provincia Sanctissimos, & Apostolicos Viros adjungimus, P. Bernardum Golnagum, & P. Aloysium Lanuzam. Quorum prior, vivente adhuc Ignatio natus, inter primos e Nostris, tam in Cathedris Neapoli, & Messanæ, quam in suggestis totius fere Italiæ, Piam Sententiam publice docuit, & prædicavit; suaque sanctitate, & doctrina ita persuasit, ut multi Votum eam defendendi usque ad sanguinem suscipere non dubitarint. (h) Posterior [cujus Beatificationis causa apud Sanctam Sedem in præsenti agitur] post Sæculum a nato Ignatio natus, cùm Siciliam universam sacris missionibus lustraret, Immaculatæ Conceptionis cultum in suorum Auditorum animis alte impressit, in ejus honorem Sodalitia instituit, & ad ejusdem invocationem, Homini moribundo, spatium, ac spiritum Pœnitentiæ a DEO mirabiliter impetravit. (i)

331. Alios e Societate Jesu Doctores, Piæ Sententiæ propugnandæ, & illustrandæ impensos, supervacaneum est commemorare. Innumeri sunt, qui de hoc argumento disputationes, Tractatus, vel integros etiam libros ediderunt. Aliquot recenset Jacobus Granado (k) ex iis, qui usque ad suam ætatem scripserunt. Inter quos eminent P. Franciscus Suarez, P. Gabriel Vasquez, & P. Gregorius de Valentia. Sed & neminem fortasse invenies Societatis Scriptorem, qui quavis oblata occasione, ad hoc B. Virginis privilegium commendandum non excurrat. Hac de causa Ven. P. Ludovicus a Ponte Societati nostræ, a qua prius alienus erat, nomen dedit. Cum enim gemino permotus miraculo, Piæ Sententiæ tutelam omnino vovisset, nullibi melius, quàm in Societate se hoc Votum implere posse putavit: (l) quod & optime implevit Expositione Morali in Cantica, *lib. I. exhortat.* 11. & *lib. VII. exhortat.* 20. *a* §. 3.

332. Postremo, ut ostendamus, nullum unquam Societatis nostræ Doctorem a Pia Sententia recessisse, satis erit Johannis Launoji calumniam refellere, loco supra citato insuper mentientis, duos ex antiquioribus, & eruditioribus Societatis Jesu Scriptoribus, Franciscum Turrianum, & Johannem Maldonatum (m) maculatæ Conceptionis adhæsisse Sententiæ: *Turriani etiam*, inquit, *ac Maldonati opinionem reliquere Jesuitæ.*

333. Unde id colligit Launojus? Ex Epistola quadam Maldonati ad Turrianum, (n) & ex Commentariis Sacræ Facultatis Parisiensis anni 1574. At luce meridiana clarius est, ex iis locis, ut ab ipso Launojo relatis, id tantum elici, Turrianum, & Maldonatum censuisse, Piam Sententiam nondum esse definitam de Fide. In ea quippe Epistola scribit Maldonatus Turriano, quod Sorbonici Doctores, in quibusdam illius Opusculis probare noluerint, *Ecclesiam, liberum cuique relinquere, ut de B. Virginis Conceptione in alterutram, quam malit partem, sentiat*; quia, inquit, *B. Virginem sine Peccato Conceptam, non opinione libera, sed necessariâ fide credendum esse putant, propter Concilii Basileensis Decretum &c.* In illis autem Commentariis legimus, sugillatam a Maldonato Sacram Facultatem Parisiensem, quod *Sacramentum exigeret a suis, ut tenerent tanquam de fide B. Virginem sine Peccato Originali esse Conceptam.*

334. Age vero Launojum, ipsorummet Turriani, & Maldonati luculentis Testimoniis revincamus; ut fidentius, verbis D. Augustini, hoc ei exprobrare possimus: (o) *Itane audes* Maldonatum, & Turrianum, *tanquam e contrario, tot, taliumque Sententiis Collegarum suorum opponere, eosque ab illorum concordissima societate sejungere, & eis adversarios constituere? Absit, absit hoc malum de tantis Viris credere, aut dicere.*

335. Franciscus Turrianus doctissimam scripsit Epistolam ad Jacobum Amiotum, Episcopum Antisiodorensem, *De Definitione propria Peccati Originalis, ex Dionysio Areopagita: & de Conceptione Virginis, & Matris DEI sine Peccato, ex Scriptura Salutationis Angelicæ, & Testimoniis antiquorum Patrum.* Quam Epistolam typis impressam Ingolstadii, apud Davidem Sartorium anno 1581. memorant Possevinus Tomo I. Apparatus Sacri, *pag.* 511. & Bibliotheca Scriptorum Societatis *pag.* 141. atque pro Pia Sententia laudat P. Gregorius de Valentia *Tomo IV. Comment. Theologic. disput.* 9. *quæst.* 1. *pun.* 2. *col.* 361.

336. Johannes Maldonatus in suis limatissimis Commentariis in Matthæum, *cap. IX. ver.* 13. inquirens: *An aliquos, cùm Christus venit, Justos invenerit; & an propter illos etiam, si qui erant, venerit?* Generatim respondet, invenisse CHRISTUM aliquos, *qui re vera justi erant; neminem, qui per se, id est sine ipso Christo justus esset.* Tum subjungit: *Illa ipsa Christi Mater, Beata Virgo Maria, omnium justorum Hominum Justissima, quam a Peccato etiam Originali præservatam credimus* [audin Launoi?] *inter eos numeratur, qui Gratiâ DEI indiguerant, & propter quos etiam Christus venit; quia si Christus non venisset, ejus Gratiâ præservata non fuisset.*

ANACEPHALÆOSIS.

337. ECce quò tandem recidit adeo decantata ab Adversariis Veterum Scholasticorum Auctoritas! Si de Primoribus loquamur;

(h) *In ejus Vita, a* P. Laurentio Finiclaro *descripta, & edita* Panormi, *anno* 1653. *lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 91.

(i) *In Summario Causæ Beatificationis, & Canonizationis ipsius, edito* Romæ, an. 1712. *pag.* 60. §. 17. *& pag.* 61. §. 37.

(k) *Tomo* 4. *in* 3. *par. Controversi.* 2. *Tract.* 1. *disp.* 3. *sect.* 15.

(l) *In ipsius Vita, ex authenticis monumentis descripta ab alumno suo* P. Francisco Cachupin, *& edita* Salmanticæ, ann. 1652. *lib.* 1. *cap.* 2. *numer.* 5. *& seq.*

(m) *De iis V. Biblioth. cit. a pag.* 140. *& a pag.* 255.

(n) *Extat unà cum aliis* Maldonati *Epistolis, in calce Oper. Theologic.* [*quæ* Maldonati *nomine edita sunt* Parisiis, an. 1677.] *pag.* 18. *col.* 2.

(o) *Lib.* 1. *contra* Julianum *cap.* 6. *n.* 22. *col.* 509. *tomi* 10.

Magister Sententiarum correctione, vel expositione indiget: Alexander de Hales nil expressum habet in Summa contra Piam Sententiam, quin & alibi eam docuisse perhibetur: Magnus Albertus, unum duntaxat, vel alterum verbum contrarium obiter insinuat. Nec pauca, nec levia sunt argumenta, quæ D. Thomam Adversæ Parti eripiant, & Piæ concilient. De solo D. Bonaventura liquet, contrariam defendisse aliquando Sententiam; sed liquet etiam, eam postea revocasse.

338. Reliqui, qui eodem, vel proxime sequenti Sæculo successere, magni nominis Theologi, ab Adversa Parte allegati, vel re maturius considerata, ad pia castra transierunt; ut Richardus de Media Villa, Petrus a Palude, Johannes Baconius, Richardus Rodulphus: vel multis modis favent Piæ Sententiæ, pluresque nobis rationes, quibus eam probemus, & defendamus, sufficiunt; ut Henricus Gandavensis, Durandus a S. Portiano, Gregorius Ariminensis. De solis Ægidio Romano, & Alvaro Pelagio, dicere possumus, quod Contrariæ Sententiæ pertinaciter adhæserunt. At quàm levia, & vacillantia sint ipsorum argumenta, perspeximus. Alios minoris nominis prætermisimus, qui in Auctoritate suorum Magistrorum plerumque & interdum clausis oculis, sunt innixi.

339. Et ecce iterum, quàm falsum est, quod ajebat Cajetanus, (p) *Paulo ante* suam ætatem *paucos fuisse Doctores, qui B. Virginem præservatam esse tenerent.* Ipso primo Scholæ Sæculo, præter eos, quos tacito nomine refert S. Bonaventura, & quos modo indicavimus; claruerunt B. Petrus Paschasius, & Raymundus Lullus, quorum alterum Actione VI. alterum hac Actione pro Pia Sententia viriliter decertantes exhibuimus. Secundo autem Sæculo ita sensim augeri cœpit numerus pro Pia Parte militantium Theologorum, ut jam tertio Sæculo Scholastico, priusquam scriberet Cajetanus, solis fere sui Ordinis Magistris [sed non omnibus] exceptis, una Pia Sententia doceretur in Scholis; quæ & postea in Academiarum omnium veluti dogma evasit.

340. At esto, plures Antiquiores ab Adversa Parte steterint, hoc certe admiratione dignum est, quod „ Plurimi Posteriorum, [inquit Catharinus (q)] imo fere omnes, non sectis „ addicti, Clarissimi, & Catholicissimi Doctores, magnæ etiam pietatis, & doctrinæ, cum „ in aliis quæstionibus Superiores sectari studeant, in hac dumtaxat, aut saltem in hac præ „ cæteris, securissime ab eis declinarunt; ut „ recte possimus existimare, *Digitum DEI hic* „ *esse.* Quî enim fieri potuisset, ut etiam celeberrimæ Universitates, tanto consensu in unam Sententiam adversus Antiquiores Magistros convenissent, quos ipsi tanquam suos „ Auctores magnificiunt, & observant; si „ non perspexissent, DEO monstrante, de „ DEI Matre Sententiam fuisse probabilem, „ piam, & omni acceptione, ac veneratione „ dignissimam? „

CONCLU-

(p) *In Tractatu de Concept. B. M. V. cap. 5.*

(q) *In Disput. pro Veritate Immacul. Concept. &c. ad S. Synodum Trid. par. 1. Tit.* Rationes aliquot, eur Scholasticorum &c. *fol. 66. & 68.*

CONCLUSIO
CAUSÆ
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
SS. Matris DEI MARIÆ Dominæ noſtræ.

Prior Concluſionis Pars.

CERTITUDO THEOLOGICO-MORALIS PIÆ SENTENTIÆ.

§. I.

Varii Certitudinis Gradus recenſentur, & quinam ex iis Piæ Sententiæ competere poſſit, declaratur.

1. NON pauci ſunt, qui Certitudinem primo diſtribuant in *Objectivam*, & *Subjectivam.* Verum hæc locutio figurata eſt, tribuens objectis, ſeu rebus qualitates proprias cognitionum. Certitudo namque, vel Incertitudo, ſicut & Evidentia, vel Obſcuritas, non ſunt propriè in rebus, ſed in cognitionibus noſtris; ut ex D. Thoma obſervat P. Suarez. (a) Quævis enim res ex ſe capax eſt, ut cognoſcatur certâ, vel incertâ, obſcurâ, vel evidente cognitione. Sic multa, quæ nobis incerta ſunt, & obſcura, eadem ſunt Angelis certa, & evidenia. *Omnia autem nuda, & aperta ſunt Oculis DEI.* (b)

2. Itaque Certitudo, alia eſt *Infallibilitatis*, alia *Indubitabilitatis.* Certitudo Infallibilitatis ſtat in intima connexione cognitionis cum ſua veritate, hoc eſt cum objecto, ita ſe habente, ſicut ab ipſa cognitione repræſentatur, & enuntiatur, ita ut ei cognitioni falſum ſubeſſe non poſſit. Certitudo Indubitabilitatis ſtat in adhæſione ita firma intellectus cognoſcentis ad aliquod objectum, ut excludat omnem dubitationem, formidinem, & ſuſpicionem, ſaltem deliberatam, de oppoſito.

3. Certitudo Infallibilitatis, juxta triplicem connexionis modum, tres habet gradus. Aliæ enim ſunt Veritates metaphyſice infallibiles, quæ prorſus, & omnino repugnant falſitati. Uti ſunt Veritates ipſo lumine naturæ notæ: *Quodlibet eſt, vel non eſt: Non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe &c.* Nec non Concluſiones ſcientificæ, quæ ex iis primis veritatibus per neceſſariam conſequentiam deducuntur. Aliæ ſunt Veritates phyſice infallibiles, quæ ſolum naturaliter, hoc eſt attento rerum naturalium curſu, [quem tamen DEUS abſolutâ ſuâ potentiâ invertere poteſt] repugnant falſitati: ut, Sol illuminat, Ignis comburit &c. Aliæ demum ſunt Veritates moraliter infallibiles, quæ moraliter tantum, hoc eſt juxta exiſtimationem Prudentium, repugnant falſitati: ut: Intra ſpatium unius diei, vel menſis, aliquis Homo in toto Mundo loquitur, aliquis peccat &c. Nam etſi non ſolum metaphyſice, ſed etiam phyſice ſit poſſibile, quod nemo loquatur, nemo peccet &c. [nulla enim hinc lex naturæ violaretur] iſtud tamen, ex morali impoſſibilitate, nunquam eventurum quiſque prudens judicabit.

4. Certitudine Infallibilitatis metaphyſica maxime pollent Divinæ Fidei Veritates, utpote innixæ firmiſſimo, & immobili Teſtimonio Primæ Veritatis, cui prorſus repugnat fallere, aut falli. Eodem quoque infallibilitatis gradu gaudent Concluſiones Theologicæ, quæ ex iis Veritatibus, vel ſolis, vel adjuncta alia naturali Veritate metaphyſice certa, per neceſſariam conſequentiam deducuntur. Concluſiones vero, quæ ex una Divinæ Fidei veritate, & ex altera veritate tantum phyſice, vel moraliter certa, neceſſario inferuntur; non habent, quatenus concluſiones ſunt, Certitudinem Infallibilitatis pluſquam phyſicam, vel moralem: quia juxta dialecticum axioma, *Concluſio ſequitur debiliorem partem*, hoc eſt debiliorem ſumptionem.

5. Certitudo Indubitabilitatis, [quæ vera Certitudo ſit, & non Temeritas, vel Pertinacia] in aſſenſibus quidem naturalibus, fundantur in aliqua veritatis Evidentia; cujus ſimiliter tres ſunt gradus. Alia namque eſt Evidentia Metaphyſica, ex ipſo lumine naturalis rationis proveniens: qualis eſt in veritatibus per ſe notis, & in concluſionibus, quæ ex illis evidenter inferuntur. Alia eſt Evidentia Phyſica, oriunda ex conſtanti teſtimonio ſenſuum, & ex inde acquiſita experientia: qualem habere ſolemus de rebus naturalibus, quæ cadunt ſub ſenſum. Alia demum eſt Evidentia Moralis ſimpliciter dicta, quam creat ingens pondus auctoritatis, aut rationis, ſive rationum, rem aliquam ita ſuadentium, ut de ea dubitare, vel formidare, prudentia non ſinat: ut quod fuerit, & ſit Conſtantinopolis; quod non omnes Homines cras ſilebunt &c.

6. Non

(a) Par. 3. Operis de Divina Gratia, lib. 9. cap. 9. n. 2.

(b) Ad Hebr. cap. 4. ver. 13.

6. Non est autem necessarium ad hanc Moralem Evidentiam, quod nihil contra ipsam occurrat; sed satis est illud ingens pondus auctoritatis, vel rationis, cui comparatum quidquid opponitur, leve admodum, & nullius fere momenti reputetur. Nam etiam contra ipsas Physicas, & Metaphysicas Evidentias occurrere possunt argumenta non levis momenti, si absolute, & seorsim considerentur.

7. Hujusmodi Evidentia Moralis, cum suos habeat gradus, talis, ac tanta esse potest, ut quoad efficaciam excludendi re vera omnem dubitationem & formidinem prudentem, vel ipsam superet Evidentiam Physicam. Citius enim dubitaret, aut formidaret quis, num omnis ignis cras sit calefacturus, quàm, num aliquis Homo in toto Mundo cras sit locuturus. Majorem quippe admirationem afferret silentium omnium Hominum per integrum diem, quam si videremus, aliquem ignem non calefacere; quamvis alioqui sciamus, hoc esse physice impossibile, illud vero tantum moraliter: ut in re simili observat P. Franciscus de Oviedo. (c) Addit, & bene, Honoratus a S. Maria, (d) quod *Veritas morali ratione certa, nos in sui fidem inducit ita constanter, & indubitate, ac si de ea demonstrationem geometricam*, [hoc est metaphysice evidentem] *haberemus.*

8. In Assensibus vero Divinæ Fidei supernaturalibus, Certitudo Indubitabilitatis, (quæ supra omnem naturalem evidentiam est) oritur ex Pia Affectione Voluntatis, & Sancta Illustratione Intellectus, præcedente morali evidentia credibilitatis, a DEO infusis; quarum ope Voluntas religiosa, in obsequium Divini Testimonii, adhuc subobscure propositi, imperat efficaciter assensum absque ulla mixtura dubitationis, suspicionis, atque formidinis; & intellectus docilis elicit assensum firmissimum, super omnia reclamantia contra illam veritatem, de qua est fides.

9. Certitudinem Indubitabilitatis mixtam ex Fide, & Evidentia sortitur Conclusio Theologica: nempe Conclusio, quæ ex una veritate divinitus revelata, & ex altera naturali lumine evidente, per necessariam, & evidentem consequentiam infertur. Hujusmodi conclusionis oppositum censetur erroneum in Fide, ac hæresi proximum; & qui hanc conclusionem pertinaciter negaret, haberetur vehementer suspectus de hæresi: quia præsumitur negare potius veritatem Fidei obscuram, quam veritatem naturali lumine evidentem.

10. Jam vero ex recensitis Certitudinis gradibus, fatemur in primis, Piæ Sententiæ non competere Certitudinem Infallibilitatis, & Indubitabilitatis, propriam Fidei Catholicæ; quam non pauci Doctores Parisienses ei tribuebant. Nam Sixtus IV. approbante Concilio Tridentino, & plures alii Summi Pontifices, expressis verbis pronuntiarunt, hanc Sententiam nondum esse a S. R. Ecclesia, & Apostolica Sede definitam; atque gravissimis pœnis subjecerunt eos, qui contrariam Sententiam Hæresis damnare auderent.

11. Sed quamvis Pia Sententia nondum sit certa, certitudine Fidei Catholicæ; potest tamen alicui esse certa, certitudine Fidei Privatæ. Quia præter Fidem Catholicam, fundatam in generali, & publica Revelatione, tradita in Scripturis, vel Traditionibus, & per Ecclesiam omnibus proposita; dari potest Fides Privata, quæ fundetur in aliqua singulari DEI Revelatione, alicui privatim facta; ut communiter docent Theologi. Nihil autem obstat, quo minus possit DEUS Immaculatæ Conceptionis Mysterium revelare, cui voluerit, & hanc revelationem sic ei proponere, ut ipsum obliget ad credendum, se esse qui revelat; & ipse DEO Revelanti credat: cujus Fidei Privatæ assensus non esset minus certus, quam assensus Fidei Catholicæ, cum uterque sit Fidei Divinæ. Qui vero ita crederet, non posset palam damnare Hæresis Contrariam Sententiam: Hæresis quippe apud Ecclesiam est, quæ opponitur Fidei Catholicæ.

12. Illustratur hæc Doctrina ex Concilio Tridentino Sessione VI. Canone 16. ubi universim definit, non habere Fideles absolutam, & infallibilem certitudinem suæ Perseverantiæ usque in finem: & simul excipit eum, qui hoc ex speciali Revelatione didicerit, quam proinde Revelationem possibilem agnoscit. *Si quis*, inquit, *magnum illud usque in finem Perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta, & infallibili certitudine dixerit; nisi hoc ex Speciali Revelatione didicerit; anathema sit.* Cum eadem exceptione loquitur cap. XII. ubi docet neminem habere de sui Divina Prædestinatione certitudinem. *Nam*, inquit, *nisi ex speciali Revelatione, sciri non potest, quos DEUS sibi elegerit.* Videatur P. Suarez *loc. cit. num.* 4. ubi agit de certitudine propriæ justificationis.

13. Fatemur præterea, Piæ Sententiæ non competere Certitudinem Conclusionis Theologicæ, simpliciter dictæ, cujus scilicet oppositum sit erroneum in Fide, & Hæresi proximum. Quia S. Pius V. cautum voluit, ut *neutra Sententia veluti Erronea prædicetur.* Quam cautionem repetiit Paulus V. his verbis: *Dum tamen neutra veluti Erronea, aut Hæretica damnetur.* Et quamvis Alexander VII. illam prætermiserit, cum tamen graviter prohibuerit, ne adhuc Contrariam Sententiam *Peccati Mortalis* damnemus; hoc ipso prohibuit, ne eam Erroris in Fide damnemus. Error quippe in Fide, materia procul dubio est Peccati Mortalis. Quapropter probare non possum, quod R. P. Fr. Johannes de Luca (e) Contrariam Sententiam *Erroneam* censere, & appellare non vereatur.

14. Fatemur denique, Piam Sententiam non esse certam Certitudine aliqua Physica, vel Metaphysica. Nam quamvis nonnulli utramque Certitudinem Piæ Sententiæ attribuant, (f) aliter fortasse hæc vocabula accipientes, ac ac-

(c) *In* 1. 2. *Tract.* 3. *Contr.* 4. *Pun.* 2. *n.* 36. *pag.* 681. *edit.* Lugdun. an. 1646.

(d) *Tomo* 2. *Animadvers. in Regulas, & Usum Crit. lib.* 1. *dissert.* 3. *Reg.* 1. *pag.* 86. *edit. Latinæ.*

(e) *Dissert. de Immacul. B. V. Concept. in Præfat. ad Lectorem, & pag.* 52. *&* 54. *edit.* Neap. an. 1739.

(f) *Apud* Card. Nidhardum, *in Examine Theolog. par.* 2. *§* 7. *&* 8. *a pag.* 312. *edit.* Antverp. an. 1682.

ac accipi debeant; tamen proprie loquendo, neutra Certitudo Piæ Sententiæ competere potest: non Physica, quia non hic agitur de re aliqua naturali, sensibus, & experientiæ subjecta: neque Metaphysica, quia Pia Sententia non est per se, vel per aliud metaphysice evidens, cum ejus veritas unice pendeat a Divina Voluntate; nec etiam metaphysice evidenter colligitur ex veritatibus revelatis, metaphysice certis, Certitudine Infallibilitatis: sic enim esset propriissima Conclusio Theologica.

15. Restat ergo, ut Piæ Sententiæ competere possit Certitudo Moralis in supremo gradu. Hanc nos Certitudinem asserimus, & ex disputatis in tota hac causa colligere paramus: quam quidem Theologico-Moralem appellamus, quia principia, ex quibus eam colligimus, Theologica sunt, & Theologica pollent firmitate. Sed priusquam id præstemus, operæ pretium erit, demonstrare, Piam Sententiam aliquem Certitudinis gradum, jam inde a pluribus Sæculis, in Ecclesia DEI obtinuisse.

§. II.

Fuit olim in Ecclesia DEI, firma persuasio de Immaculata B. Virginis Conceptione.

16. Verba illa S. Augustini, a nobis laudata, & explicata. *Act. II. a num.* 278. *Excepta S. Virgine, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de Peccatis agitur, haberi volo quæstionem:* quibus significatur nihil esse dubitandum de B. Virginis Immunitate ab omni Peccato: de Originali etiam Peccato signanter intellexit B. Ogerius, Medii Sæculi XII. Auctor, laudatus Act. VI. Art. II. Test. XXVII. (g) *Non est*, inquit, *in Filiis Hominum magnus, vel parvus &c. qui non in Peccatis fuerit conceptus; præter Matrem Immaculati Agni &c. de qua, cum de Peccatis agitur, nullam prorsus volo habere quæstionem.* Erat ergo saltem Sæculo XII. apud quosdam Sanctos, & Doctos Viros firma persuasio de Immaculata DEI Matris Conceptione. Verum hæc persuasio a Sæculo XIV. unà cum communi Fidelium sensu, clarius explicare se cœpit, & amplius dilatari; ut productis istorum Sæculorum Testimoniis, jam ostendimus.

SÆCULUM CHRISTI XIV.

17. Circiter annum 1350. Johannes Taulerus Coloniensis, Ord. Prædicat. Theologus Illuminatus appellatus, in Tractatu de decem Cæcitatibus: (h) *Et primo quidem de pulchritudine ejus* [B. Virginis] *id habendum est pro COMPERTO, eam ab initio & ante Sæcula, præ cæteris Creaturis omnibus, a DEO electam, atque dilectam &c. nec non a Summo Artifice, tempore præstituto, longe Nobilissimam, Dignissimam, Speciosissimam esse creatam, ab omnique Peccato, & Macula, tam Originali, quàm Actuali præservatam &c.* Et de Ecclesia loquens, Conceptionis Festum celebrante: *Neque enim*, ait, *id ageret ullo modo, nisi Conceptionem tantæ Virginis, & Matris DEI, omnis fuisse Contagionis expertem, immo & Sanctam pro* CERTO, EXPLORATOQUE *haberet.*

18. Anno 1384. cum quidam e contraria factione, Parisiis palam, & publice asseruisset, *B. Virginem conceptam fuisse in Peccato Originali:* hæc propositio, *ut nova, & insolita*, Doctorum Parisiensium animos excitavit, & commovit, & a Sacra Facultate damnata est, *tanquam scandalosa, & erronea.* V. Actionem VII. *num.* 286.

19. Anno 1394. Johannes I. Aragoniæ Rex, in suo pro Immaculata Dei Genitricis Conceptione diplomate: (i) *Et nos, qui licet immeriti, dona tanta, & beneficia gratiarum ab ipsa Matre Misericordiæ, inter cæteros Mundi Catholicos Reges, suscepimus,* FIRMITER *credimus, & tenemus, quod præfatæ hujus Ss. Virginis Sancta fuerit penitus, & electa Conceptio.*

20. Anno 1398. Martinus I. ejus Frater, & in Regno Successor, in alio simili diplomate: (k) *Hujus* [scilicet Fratris sui] *opinioni, quod Gloriosissimæ Virginis, & Matris Mariæ Beata Conceptio fuit ab omni labe Originalis Peccati exempta,* OMNINO FIRMITER *adhærentes, tanquam salubri, Catholicæ, Piæque non modicum, & devotæ &c.* Verisimile autem est, eamdem tunc temporis in Aragoniæ subjectis Populis firmam persuasionem fuisse.

SÆCULUM CHRISTI XV.

21. Circiter annum 1435. Johannes de Segovia, laudatus *Act. III. n.* 389. in Concilio Basileensi sic perorabat: *Doctrina de Sancta Conceptione, universi ferme Fideles FIRMISSIME credunt, profitentur, laudant, & publice venerantur.*

22. Anno 1439. ipsum Concilium Basileense, Piam Sententiam *ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definivit, & declaravit; nullique de cætero licitum esse in contrarium, prædicare, seu docere.* Quod Decretum an. 1455. Concilium Provinciale Avenionense statuit INVIOLABILITER *observari.* Eidem Decreto, tanquam determinationi Ecclesiæ Catholicæ, insignes ejusdem, & sequentis Sæculi Theologi, præsertim in Germania, & Gallia, firmiter adhæserunt, Ven. Dionysius Carthusianus, Gabriel Biel, Jacobus Almainus, Judocus Clichtoveus, Johannes Viguerius, & Petrus Dorè [ambo ex Ord.Prædicator.] laudati *Act. IV. n.* 47. *& seqq.*

23. An-

(g) *Serm.* 13. *de Cœna Domini, col.* 640. *tom.* 5. *Oper. S. Bernardi, cui olim hi Sermones tribuebantur.*

(h) *Cæcitate* 4. *cap.* 11. *pag.* 872. *& seq. ejus Oper. edit.* Colon. an. 1603.

(i) *De hoc Diplomate V. Act.* 3. *n.* 116. *& seq. & Act.* 5. *num.* 131.

(k) *Extat apud* Marracium *in Regibus Marianis, cap.* 11. §. 2. *a pag.* 189.

23. Anno 1451. Johannes Rex Navarræ I. Dein Aragoniæ, eo nomine II. in quadam sua constitutione: (l) *Mirandum non est omnes ejus* [DEI Genitricis] *devotos Fideles disputare, altercari, atque ineffabilem ejus Puritatem, Sanctamque Conceptionem in dubium revocari audientes, ad iracundiam provocari &c.*

24. Circiter annum 1485. Monachus ille Carthusianus, laudatus Act. III. *num.* 393. in Dialogo Ecclesiæ cum Filio Fideli: *Cum per Orbem universum, nostrorum universitas Filiorum* INCONCUSSE *teneat, ac,* FIRMITER *credat, Eam semper mundissimam extitisse, nec unquam ullam, seu Originalem, seu Actualem contraxisse Culpam.*

25. Anno 1494. Johannes Trithemius (m) testatus est, certanti sibi pro Immaculata B. Virginis Conceptione, contra Vigandum „CONSTANTISSIME adhæsisse Universitates, Parisiensem, Coloniensem, Tubingensem, totumque „Ordinem Carmelitarum, Ordinem Minorum, „Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ majorem cœtum Cardinalium, Archiepiscopos, Episcopos, & Principes multos, & pene omnem „in Germania Clerum, ac Viros doctos, & eruditos innumerabiles.„ Idem alibi profitetur: (n) *Se cum Sancta Ecclesia Christi, Mariam & credere, & dicere omni laude, vere, &* INDUBITANTER *esse dignissimam, totam Pulchram, & speciali munere Spiritus Sancti, ab omni sorde Peccati tam Originalis, quàm Actualis in æternum præservatam.*

26. Anno 1497. prædicante Johanne Veri in Oppido Deppæ, B. Virginem non præservatam, sed purgatam ab Originali Macula fuisse; grande scandalum in Populo exortum est; & Prædicator ille a Sacra Facultate Parisiensi compulsus fuit eam suam propositionem solemniter revocare, *tanquam falsam, impiam, & piarum aurium offensivam &c.* Indeque Sacra Facultas occasionem sumpsit, edendi eodem anno celebre illud Statutum, quo in verba laudati Decreti Basileensis, & ipsa juravit, & suos Alumnos in posterum jurare decrevit, ut fuse narratum est Act. VII. *n.* 284. *& seq.*

SÆCULUM CHRISTI XVI.

27. EX illis insignibus Piæ Sententiæ Assertoribus, quorum ætatem, & opera designavimus Act. VII. in Appendice Sæculi Scholastici III. Johannes Fischerius Episcopus Roffensis, *Et primum*, inquit, *id ambiguum esse nemini potest, quantum ad Gloriosam Christi Genitricem, quæ nævo quovis, & labe caruit tam Originalis, quàm Actualis Peccati: At ipsa tamen innumeras, & easdem acerbissimas perpessa fuit molestias.*

28. Johannes Eckius, *Sed quid*, inquit, *obstat, quin dicam aperte: Cujuscunque Hominis Anima non lætatur de tam Sancto Virginis Matris Conceptu, frustra se Christianum jam profitetur, nec partem expectabit Hæreditatis æternæ.* Et alibi; *Quamvis argumenta hæc cuique Christiano sufficiant ad credendum, quod per se* CERTISSIMUM *est, Mariam sine Peccato Originali fuisse Conceptam, accedant tamen etiam rationes plures &c.*

29. Johannes Lanspergius, *Sentiendum est*, ait, FIRMITERQUE *tenendum, BB. Virginem Mariam conceptam esse sine Peccato Originali.* Et infra: *Quomodo quis dubitare possit de Beatissima Virgine, ab initio, & ante Sæcula in DEI Matrem electa, quin illius Conceptio munda fuerit, & sine Peccato?* Et demum: *Ita suæ Matri facere debuit, ita facere potuit, ita voluit, &, (quod nostrum est, CONSTANTER credere) ita fecit.*

30. Franciscus Titelmannus, *Ex Ecclesia*, inquit, *totius unanimi consensu constat, & sic ab omnibus Piis creditur, Virginem Mariam ab omni Actuali Peccato, etiam levissimo, fuisse semper Immunem. Adde, quod nec ab Originali Peccato libera, pertinaciter negari sine Impietate potest.* Quæ verba, etsi benigne interpretatur Raynaudus, (o) magnam tamen asserentis Certitudinem innuunt.

31. Ludovicus Blosius: *Porro quoad munditiam Conceptionis hujus Virginis Matris DEI attinet, non est, quod dubites; licet plerique ex antiquioribus Patribus dubitasse videantur, cùm nondum Festum ejusdem Conceptionis in Ecclesia Romana celebraretur &c.* Et infra: *Pias aures offendit quisquis modo asserere non veretur, præcelsam illam Heroldem*, [lege, *Heroidem*] *quæ Spiritibus Angelicis sanctior est, obnoxiam fuisse Peccato Originali, quod Hominem efficit membrum Diaboli &c.*

32. Cornelius Mussus: *Horret auris pia, & religiosa dicere, in Matre DEI, quæ invenit Gratiam apud DEUM &c. hanc tantam, vel per instans, labem* [Originalem] *fuisse &c.* Et in Vita, quam conscripsit B. MARIÆ Virginis, prope initium ait, de B. Virginis Sanctificatione in ipsa sui Conceptione, & Præservatione, *non esse dubitandum.*

33. Præterea anno 1571. Benedictus Arias Montanus Hispalensis, peritiâ Linguarum, & Biblica eruditione percelebris; (p) *Talem*, inquit, *Hominem, neminem hactenus fuisse legimus* [qui scilicet ab Originali Labe per gratiam integer extiterit] *Sanctissimam DEI Genitricem semper excipientes, cujus Integritati summæ, cujus Puritati, cujusque admirandæ Sanctitati tantum tribuimus, ut ipsam extra omnem humanæ conditionis aleam constituamus; & cum de Sanctitate, de Integritate, deque omnibus virtutum ornamentis agitur, nihil, quod ad hanc Virginem pertineat, in dubium, aut quæstionem venire patiamur.*

34. Cir-

(l) *Extat apud* Marracium *loco citato cap.* 9. §. 5. *pag.* 138.

(m) *In Chronico Monaster.* Sponheimensis, *ad an.* 1494. *n.* 5. *a pag.* 405. *par.* 2. *Oper. Historic.*

(n) *Lib.* 1. *de Miraculis B. M. V. in Urticeto, ca.* 2. *pag.* 1135. *& seq. Oper. Piorum. Similia habes lib.* 1. *de Miraculis B. M. V. in Eccl. Nova, cap.* 11. *pag.* 1095.

(o) *In Pietate Lugdun. pag.* 332. *col.* 2. *tomi* 8.

(p) *Comment. in* Habbakuq Proph. *c.* 1. *ver.* 3. *pag.*637. *edit.* Antverp. an. 1571. *de hoc Auctore V.* Nicolaum Antonium *in Biblioth. Hispana, pag.* 262. *tomi* 2.

34. Circiter annum 1577. Vener. Petrus Canisius de Contrariæ Sententiæ Assertoribus ajebat: (q) „ Qui secus modo sentiunt, eorum „ sane rarus est numerus, hique pudore impediti, quod in animo gerunt, & secum ipsi tacite „ loquuntur, ac sentiunt, palam efferre, ac pronuntiare non satis tutum arbitrantur. Tum „ si id facere quidem audeant, haud sine publica „ contradictione, Vulgique offensione audiuntur. Usque adeo est invisa, & debilitata, & „ explosa, & quodammodo ejecta est penitus nunc opinio Adversariorum, & Contraria Sententia cunctorum fere mentes occupat. „

35. Demum anno 1591. P. Franciscus Suarez edidit Tomum II. *suorum Commentar. in 3. P.* (r) ubi *disput. III. sect. 6.* censet, Piam Sententiam esse in eo statu, ut definiri ab Ecclesia possit; Contrariam vero definiri non posse, *Cum*, inquit, *falsa sit.* Et quamvis de Pia Sententia solùm dicat, *hoc tempore tam esse probabilem, quàm intra latitudinem opinionis esse potest:* intra hanc latitudinem, Moralem Certitudinem includit, ut patet ex ratione, quam adducit. *Quia*, inquit, *revera Sixtus IV. plurimum illi favet, cujus Decretum Conc. Tridentinum approbavit, & tota Ecclesia in illam vehementer inclinat, quo fit, ut contraria Sententia nullo vel firmo, vel satis apparenti fundamento jam niti possit.* Non ergo istam Sententiam censuit adhuc apparenter probabilem: Piam ergo Sententiam censuit moraliter certam.

36. Videat jam nunc Lampridius, quàm falso, quàm frustra caput sui libri decimum sic instituerit: *Unde persuasum multis, dubitationem omnem de Veritate Sententiæ Scotisticæ sublatam fuisse? E confictis in Hispania quibusdam Historicis. Ex aliis itidem Monumentis Commentitiis.* In quibus insectandis totum fere istud caput, & magnam partem capitis sequentis insumit.

37. Dicat ipse: Quandonam hujusmodi Historici conficti sunt; & Monumenta ista Commentitia apparuerunt in Hispania? *Anno*, inquit, (s) 1594. *cura Hieronymi Romani de la Higuera, famosi Impostoris, cæpit se ostendere apud Hispanos Chronicon Flavii-Dextri &c. Successere deinde alia Veterum Chronica, aut Opuscula &c.* Et infra: (t) *Anno insequenti 1595. in Hispania, in Granatensi agro &c. Laminæ quædam plumbeæ effossæ, arabicis litteris exaratæ &c.* At Scriptores huc usque allegati, multi quidem uno, vel etiam gemino Sæculo præcedente, omnes vero ante annum 1594. certe floruerunt, atque scripserunt: (ut vidimus de eorum postremo P. Suario, quem Lampridius (u) *a falsissimis laminis Granatensibus, a Pseudo-Dextro aliisque Commentis Hispanicæ eruditionis* ludificatum dicit.) Et ex eorum Testimoniis clare deprehendimus, quod & ipsi, & alii quoque ejusdem ætatis in magno numero, Piæ Sententiæ firmiter, & indubitanter adhæserunt.

Plazza Causa Immacul. Concept. B. M. V.

38. Constat insuper, multos ex laudatis Scriptoribus, Gallos esse, plures Germanos, alios Anglos, nonnullos Italos. Cur ergo Lampridius in Hispanos, tanquam in Auctores Certitudinis Piæ Sententiæ, tam acriter invehitur? Cur etiam Piam Sententiam, *Hispanicam* pene dicit? (x) Si ita loqui licet, *Gallicana* potius appellanda erit. Nullibi quippe antiquius, & acrius pro Pia Sententia, quasi *pro aris, & focis*, certatum est, quàm in Gallia, ubi multo tempore tanquam Fide certa habebatur.

SÆCULUM CHRISTI XVII.

39. Firmissimam hoc Sæculo in Christifidelibus persuasionem fuisse de Immaculatæ Conceptionis Veritate; ostendunt in primis offensiones, & scandala in Populo Christiano exorta ex prædicatione, & assertione contraria. Quæ quidem hoc Sæculo ita invaluerunt, ut Summi Pontifices necessarium duxerint, arctissimum, & universale silentium indicere Adversariis: quod ex parte egit Paulus V. an. 1617. plene Gregorius XV. anno 1622. & plenissime Alexander VII. anno 1561. qui & Piam Sententiam *in disputationem, vel in dubium revocari* severissime prohibuit. Cur autem Populus Christianus, audita Conceptione B. Virginis in Peccato, *sine dubio* (ut ajebat Canus) *perstringitur, percutitur, torquetur*; nisi quia de Piæ Sententiæ Veritate, ac Pietate firmissimam habet persuasionem? Vota quoque & Juramenta defendendi Immaculatam B. Virginis Conceptionem, quæ hoc potissimum Sæculo apud omnes fere Catholicorum cætus, & ordines percrebuerunt, id ipsum evincunt; ut observavimus Act. VII. *n.* 310.

40. Innumeri denique sunt hujus Sæculi Scriptores, post Bullam præsertim Alexandri VII. qui Piæ Sententiæ Certitudinem ex instituto propugnarunt; quamvis in designando Certitudinis gradu non omnino conveniant inter se. Multos indicat P. Johannes de Cardenas, (y) plurimos late recenset Fr. Dominicus Lossada. (z)

41. Unum nos memoramus ex Gallia insignem Theologum, ante Bullam Alexandri VII. scribentem, Andream Duvallium Pontesianum, Doctorem Sorbonicum, & Regium Theologiæ in Academia Parisiensi Professorem, (a) qui cum priùs Piæ Sententiæ solùm tribuisset Certitudinem

Hh

(q) *Lib. 1. de Maria Deipara, cap. 7. pag. 51. edit.* Ingolstad. an. 1583.
(r) *Ut apparet ex edendi facultate, quam* P. Consalvus Davila, Provincialis Prov. Tolet. *dedit Compluti* 18. *Junii* 1591. *& ex censura, seu approbatione* Fr. Gabrielis Pineli Ord. S. August. *subcripta* Matriti 6. *Novembr.* 1591.
(s) *Dicto cap. 10. pag. 70.*
(t) *Cap. 11. pag. 80.*
(u) *Cap. 12. pag. 91.*
(x) *Cap. 10. pag. 72.*
(y) 1. *Par. Crisis* Theol. *disput. 9. cap. 18. art. 2. num. 264. & seq.*
(z) *In Discuss. Theol. de Definibilit. Piæ Sent. disp. 1. dissert. 2. §. 1. a pag. 54. edit.* Matrit. an. 1732.
(a) *Tomo 1. in 1. 2. Tract. de Peccatis quæst. ult. art. 6. pag. 277. & Art. 7. pag. 280. edit.* Parisi. an. 1636.

dinem Opinativam in supremo gradu, seu probabilitatem omnium maximam; postea veluti se corrigens, ait: *Cæterum, quia verbum hoc Probabilitatis, etiam si statuatur in superlativo gradu, mihi tamen hoc in negotio Immaculatæ Conceptionis non placet; ideo satius puto dicere, opinionem nostram esse in apice Certitudinis Theologicæ, quippe cum ex Regulis Fidei per discursum quendam ordinatis, & dispositis, abunde probetur.* Quibus verbis Certitudinem *Theologico-Moralem*, a nobis expositam designare videtur.

42. De præsenti Sæculo, quo scribimus, nihil attinet dicere. Quotquot enim rerum, quæ aguntur in Ecclesia, conscii sumus; novimus, quanta cum mentis, ac animi Firmitate, & Doctores defendant, & Pastores tradant, & Populi credant, & Universa Ecclesia veneretur Immaculatam DEI Genitricis Conceptionem: itaut qui additiones fecit ad aureum librum Fr. Vincentii Justiniani Antistii, gallice editum Parisiis anno 1706. merito scripserit, (b) *Piam Sententiam, post Veritates Fidei, haberi tutiorem, & solidiorem, quàm esse possit.*

43. Et tamen Lampridius hoc tempore scribens, dicere audet: (c) *Universa Catholicorum Respublica .... novit, ipsa evidenter in Incertitudine positam.* Si ex tam ampla Republica, Piam subtrahas Christianam Plebem, subtrahas insuper quotquot ex Gallia, Germania, Belgio, Anglia, Hispania, & Italia laudavimus, & novimus Doctores; neminem forte, (exceptis paucis Adversariis) de Piæ Sententiæ Veritate, & ipsum dubitantem, & ab aliis dubitari volentem, præter Lampridium, hodie superesse videbis. Cum quo proinde quisque nostrum, verbis illis D. Augustini expostulare merito posset: (d) *Egone de illa, quam constanter latissime divulgatam video, & Ecclesiarum per totum Orbem dispersarum contestatione munitam, dubitabo miser; & quod &c. te Auctore dubitabo?*

§. III.

Certitudo Theologico-Moralis Piæ Sententiæ multiplici Ratione concluditur.

I. RATIO.

Ex omnibus simul Locis Theologicis.

44. NOn potest non esse certa, saltem moraliter, in Ecclesia Catholica, Doctrina illa, quæ cum ad Christianam Religionem pertineat, licet nondum sit a S. Sede Apostolica definita, his tamen omnibus commendatur titulis, & fulcitur argumentis. I. Quod non sit sacris litteris dissentanea, sed ab iis potius in sensu partim mystico, partim etiam litterali, multifariam, multisque in locis magnifice insinuata. II. Quod non modo Apostolicis Traditionibus non adversetur, verum etiam ex illis non obscure colligi posse videatur. III. Quod totius fere Ecclesiæ Catholicæ consensu recepta sit, & cultu solemni consecrata. IV. Quod nullius Concilii Sanctionibus opponatur, verùm & in antiquis Synodicis Actibus subluceat, & a multis Provincialibus Conciliis approbetur, & ab aliquo Generali Concilio ab omni saltem errore vindicetur. V. Quod S. Sedem Apostolicam, sibi nunquam adversam, sed tribus ab hinc Sæculis constanter sibi propitiam, & in se unam vehementer propensam habuerit. VI. Quod plures numeret Antiquos Patres, & omnes fere recentiores Sanctos, sibi aperte adstipulantes, neminem palam reluctantem. VII. Quod post quorundam Veterum Scholasticorum contradictionem, a tota propemodum Scholastica Theologia, mirabili saltem duorum & amplius Sæculorum consensione defendatur. Sed hujusmodi est Pia de Immaculata Dei Genitricis Conceptione Sententia, seu Doctrina: ut omittamus privatas Revelationes & Miracula, quibus eam DEUS identidem confirmasse videtur. Ergo &c.

45. Minor propositio demonstrata manet ex disputatis in tota hac Causa per totidem Actiones. Recole, si placet, singularum Anacephalæoses. Major autem Viro ingenuo, & cordato per se nota videri potest. In nulla quippe Doctrina, seu profana, seu sacra, quæ moraliter certa, & evidens reputetur, tot, & talia in genere suo, signa, seu argumenta veritatis invenies. Porro cum Deus specialem habeat suæ Ecclesiæ Providentiam, incredibile videtur, ipsum permissurum, ut Fideles sui (inter quos multi Sanctitate conspicui) sub tanta veritatis apparentia, in re ad Religionem spectante, tamdiu, & universaliter decipiantur.

46. Hic noster arguendi modus similis est illi, quem P. Suarez, (e) & reliqui passim Theologi usurpant, ut morali modo demonstrent Incredulis evidentem Catholicæ Religionis credibilitatem: quamquam (fateor) hujus credibilitatis argumenta, pro maxima rei gravitate, gravioris sunt ponderis, & energiæ. Sed (si magna licet componere parvis) argumentorum nostrorum complexio talis est, ut nos etiam de Pia Sententia Deo dicere posse videamur, non *cum omni confidentia*, [sicut de Fide Christiana dicebat Richardus a S. Victore (f)] sed cum aliquantula confidentia: *Domine, si error est, a te ipso decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis, & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt.*

47. Insignis est in hanc rem locus D. Augustini, (g) quo Ratio allata illustratur, & confirmatur. Pro Fide Catholica contra Manichæos ita plane argumentatur Augustinus: „Ut omittam Sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis; multa sunt alia, quæ in ejus „ gremio

(b) *V. in Monumentis* Trevolt. an. 1709. *mensis Februarii, Art.* 22. *pag.* 330.
(c) *Cap.* 9. *pag.* 59.
(d) *Lib. de Moribus Ecclesiæ Cathol. n.*61. *col.* 708. *tomi* 1.
(e) *In Tractatu de Fide disput.* 4. *sect.* 3.
(f) *Lib.* 1. *de Trinit. cap.* 2. *pag.* 226. *col.* 1. *part. primæ edit.* Venetæ, an. 1592.
(g) *Lib. contra Epistol. Fundam. quam vocant Manichæi, cap.* 4. *n.* 5. *col.* 153. *tomi* 8.

„ premio me justissime teneant. Tenet Consensus Populorum, atque Gentium. Tenet „ Auctoritas, miraculis inchoata, spe nutrita, „ caritate aucta, vetustate firmata. Tenet ab „ ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves „ suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, „ successio Sacerdotum. Tenet postremo ipsum „ Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas Hæreses sic ista Ecclesia sola „ obtinuit, ut cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen Peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus „ Hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. „

48. „ Ista ergo tot, & tanta nominis Christiani carissima vincula recte Hominem tenent „ credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi „ propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel „ vitæ meritum, veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est, quod me invitet, & teneat, sola personat veritatis pollicitatio. Quæ quidem si tam „ manifesta monstratur, ut in dubium venire „ non possit, præponenda est omnibus illis rebus, „ quibus in Catholica teneor. Si autem tantummodo promittitur, & non exhibetur, nemo „ me movebit ab ea Fide quæ animum meum „ tot, & tantis nexibus Christianæ Religioni adstringit. „

49. Quàm facile est, hæc Divi Augustini verba Piæ Sententiæ, contra ejus Adversarios, accommodare! Ut & nos omittamus Sapientiam, quam in Immaculatæ Conceptionis Defensoribus esse non creditis; multa sunt alia, quæ in hujus Doctrinæ professione nos justissime tenent. Tenet nos consensus Populorum, atque Gentium; & non Populorum tantum, sed & omnium fere Doctorum, atque Pastorum. Tenet Auctoritas Matris Ecclesiæ, Festum Immaculatæ Conceptionis solemniter instituentis, atque celebrantis; miraculis inchoata, quæ ejus institutionem præcesserunt; spe nutrita tot Gratiarum, quæ ex hoc cultu piis Fidelibus obvenerunt; caritate aucta, & pietate singulari erga Sanctissimam DEI Genitricem; vetustate firmata plurium Sæculorum. Tenet in ipsa Sede Petri, a Sixto IV. usque ad præsentem Episcopum, successio Sacerdotum, Piæ Sententiæ jugiter faventium, & suffragantium. Tenet postremo ipsum *Piæ Sententiæ* nomen, quod non sine causa sic Immaculatæ Conceptionis Sententia obtinuit, ut cùm Adversarii suam quoque Sententiam, Piam dici velint; illam tamen, non suam, *Piæ Sententiæ* nomine, significari credant.

50. Ista ergo tot, & tanta Marianæ Pietatis carissima vincula, recte nos tenent in sensu, & cultu Conceptionis Immaculatæ; etiamsi, propter altissimos Divinæ Providentiæ fines, Veritas hæc per Ecclesiæ definitionem nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem, ubi nihil horum est, quod nos invitet, & teneat, sola personat Veritatis pollicitatio: quæ Veritas, cùm ex Scripturis, Patribus, & Theologis monstranda tantummodo promittatur, sed nondum sit exhibita; nemo nos movebit ab ea Sententia, quæ animum nostrum tot, & tantis nexibus Immaculatæ DEI Genitrici adstringit.

II. RATIO

Ex Cultu Ecclesiastico.

51. EX communi Sanctorum Patrum, & Scholasticorum doctrina, exposita *Act. III.* a *n.* 143. *ad* 171. atque ex perpetua Romanæ, Latinæque Ecclesiæ Consuetudine, comprobata *ibid.* a *num.* 180. *ad* 191. certissime constat, nullius Hominis Conceptionem, Nativitatem, aut Mortem Festo die in Catholica Ecclesia celebrari debere, quæ Sancta non fuerit, & absque Peccato. Sed certissimum etiam est, in Catholica Ecclesia, die VIII. Decembris celebrari Festum Conceptionis B. Virginis, & non Sanctificationis, ut ajebant Adversarii. Id enim declaravit Sixtus IV. in priori Constitut. *Grave nimis.* §. *II.* Id præcepit Gregorius XV. in Decreto anni 1622. §. IV. Id demum ipsa Divina Officia, a S. Pio V. reformata, ubique præseferunt. Lege *Act. V. post n.* 58. *post n.* 132. *&* *a n.* 138. *&* *n.* 97. Certum ergo saltem moraliter esse debet B. Virginis Conceptionem Sanctam fuisse, & absque Peccato.

52. Amplificatur hæc Ratio. Est principium Theologice certum, & indubitatum, Sedem Apostolicam, & Catholicam Ecclesiam errare non posse in iis, quæ spectant ad Cultum Divinum, Pietatemque Christianam; ac proinde nec Sedem Apostolicam instituere, & decernere posse Cultum sacrum, & religiosum, publice, & universaliter exhibendum alicui Rei, vel Personæ, tanquam Sanctæ, quæ Sancta vere non fuerit, sed potius Peccato infecta; nec Catholicam Ecclesiam Cultum sacrum, & religiosum publice, & universaliter exhibere similiter posse alicui Rei, vel Personæ, tanquam Sanctæ, quæ vere Sancta non fuerit, sed potius Peccato infecta: ut late demonstratum est in illa Actione III. Art. II. toto §. III. Sed certum, & evidens, saltem moraliter est, Sedem Apostolicam instituisse, & decrevisse Cultum sacrum, & religiosum, publice, & universaliter exhibendum B. Virginis Conceptioni, tanquam Sanctæ, & Immaculatæ; & Catholicam Ecclesiam hunc Cultum sacrum, & religiosum, publice, & universaliter exhibere eidem B. Virginis Conceptioni, tanquam Sanctæ, & Immaculatæ. Est ergo certum, Theologico-Morali Certitudine, B. Virginis Conceptionem fuisse Sanctam, & Immaculatam.

53. Veritas minoris propositionis, de Sede Apostolica abunde constat cùm ex peculiari officio pro hac solemnitate, per Sixtum IV. instituto: tum etiam ex alio Conceptionis Officio, per S. Pium V. subrogato: tum denique ex eo, quod Gregorius XV. Cultum sacrum, & religiosum ipsi B. Viginis Conceptioni, exhibendum præcepit. (*V. Act. III. num.* 204. *&* *seq. Act. V. num.* 95. *&* *seqq. &* *num.* 145.) Idem vero de Catholica Ecclesia planissime liquet, cùm ex omnibus Divinis Officiis, quibus in Festo Conceptionis B. Virginis, tam Græca, quàm Latina Ecle-

Ecclesia, & olim usa est, & hodie utitur: tum etiam ex luculenta Alexandri VII. Declaratione in Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum.* (V. *Act. III. a num.* 192. *& a num.* 232. *& Act. V. num.* 185.) Tum denique ex ipsa omnium pene Fidelium conscientia, & confessione: ut de Fidelibus etiam sui temporis testatus est gravissimus Theologus Gregorius de Valentia: (*h*) *Sine ulla*, inquit, *dubitatione, Maxima Fidelium Pars, atque adeo promiscue plerique omnes Fideles, exceptis paucis quibusdam unius Ordinis; hoc Festum celebrant, tamquam Festum Immaculatæ prorsus Conceptionis:*

54. Argumentum hoc ex Festo Conceptionis deductum, adeo validum, etiam ante Decretum Gregorii XV. & Constitutionem Alexandri VII. visum est Ven. Cardinali Bellarmino, ut in Voto, quod in generali S. R. U. Inquisitionis protulit coram Paulo V. asserere non dubitaverit: „ Nisi Sixtus IV. dedisset licentiam aliter opinandi, jam esset quæstio definita. Nam, ut „ dicit S. Augustinus in Epistola 118. (hodie „ epist. 54. ad Januarium n. 6.) *Si quid horum „ per Orbem frequentet Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* „ Itaque facillima nunc est definitio: quia solum „ requiritur, & desideratur, ut tollatur illa licentia: si enim illa abesset, non esset opus definitione, quia per se res esset definita. „

55. Sed quamvis ejusmodi licentia, juxta Bellarminum, impedimento sit, ne argumentum nostrum evincat Piæ Sententiæ definitionem; cum tamen mera licentia, seu potius tolerantia quædam sit, non impedit, quominus idem argumentum concludat Theologico-Moralem ejusdem Sententiæ Certitudinem, ab omni erroris, morali saltem, periculo immunem. Quia non impedit, quominus & Sedes Apostolica præcipiat colere, & Universalis Ecclesia colat, non tanquam mere probabilem, (ut quidam fingunt) sed tanquam simpliciter veram, Marianæ Conceptionis Sanctitatem. Hinc vero nos inferimus, hanc Sanctitatem, saltem moraliter, esse certam, & indubitatam.

56. Lubet hic subjicere acrem illam Ambrosii Catharini expostulationem in eos, qui ut dubium reddant Conceptionis Cultum, de omni Cultu ab Ecclesia instituto dubitare non verentur. (*i*) „ Vos autem, *inquit*, dum in iis „ ordinandis, atque instituendis, quæ ad „ Cultum Divinum pertinent, aberrare posse „ Romanam, & Universalem Ecclesiam existimatis, ac de facto in hac Celebritate aberrare „ contenditis; incertum nobis omnem Divinum „ Cultum redditis, & nutantem facitis Christianam Fidem, quam præcipue in Divino Cultu profitemur, atque protestamur. Minus „ autem insipienter erraretis, nullos penitus „ Cultus admittendo, quos Ecclesia instituit „ absque DEI verbo expresso, (ut habet Lu„ theranum Dogma) quam, illos admittendo, „ fateri simul, posse eos esse mendaces, ut „ cuique liceat ad libitum, vel admittere, vel „ negare, absque nostræ Fidei præjudicio, & „ scandalo. Mavult enim penitus non coli „ DEUS, qui Summa Veritas est, quam mendacibus coli Cultibus, & incertis. Vix autem in „ Ecclesia DEI est argumentum validius, quàm „ quod ab institutis Patrum sumitur in Cultu Divino &c. „

57. Huc quoque advocari possunt, uno, vel altero verbo immutato, quæ pro indubitato Cultu Sanctorum Doctor eximius scripsit ad Jacobum Angliæ Regem. (*k*) „ Neque timeat (*quis*) „ errare, aut decipi, colendo, ut Sanctam (*B. „ Virginis Conceptionem*,) quam universa Ecclesia colit, *quæ est Columna, & Firmamentum „ Veritatis*; sed potius vereatur censuram ab „ Augustino datam, quam hoc nostro tempore „ præ oculis habendam, & sæpius repetendam „ censeo: *Si quid horum tota per Orbem frequentat Ecclesia &c.* Non sane alia ratione, nisi „ quia Catholica, & universalis Ecclesia in his, „ quæ communi consensu approbat, & observat, „ errare non sinitur a Spiritu Sancto, quem illi „ CHRISTUS peculiariter promisit ut ab eo specialiter regatur. „

III. RATIO.

EX COMMUNI FIDELIUM CONSENSU.

58. DEbet esse Theologice certum, & indubitatum, Communem Consensum Fidelium, unà cum suis Episcopis, atque Doctoribus, Apostolica præsertim Sede, variis modis favente, & adstipulante, errare non posse in iis rebus, quæ aliquo modo spectant ad Fidem, vel ad Mores: ut plenissime demonstratum est Actione III. tam in Prolusione *a n.* 12. quam Art. III. toto §. II. At est moraliter evidens, quod a quatuor ferme Sæculis communis consensus Fidelium, unâ cum suis Pastoribus, atque Doctoribus, ipsa etiam S. Sede Apostolica variis modis favente, & adstipulante, sentiat, & prædicet, Ss. DEI Genitricem prorsus Immaculatam in sua Conceptione fuisse, & ab omni Originali Peccato servatam Immunem: ut de Fidelibus abunde constat ex Act. III. cit. Art. III. toto §. I. & de Sede Apostolica, ex Actione V. toto Articulo II. Est igitur Theologico-moraliter certum, Ss. Dei Genitricem prorsus Immaculatam in sua Conceptione fuisse &c.

59. In aliis etiam gravioribus rebus, argumentum ex Communi Populorum Consensu desumptum, maximi semper ponderis fuit apud Sapientes. Marcus Tullius, laudatus *Act. III. n.* 477. DEUM esse, hujusmodi argumento invicte demonstrat: quam demonstrationem instruens alibi, (*l*) hoc insigni Effato confirmat: *Omni*

(h) *Tomo* 4. *Commentar. Theolog. de DEO ut Redemptore, quæst.* 1. *pun.* 2. §. Octavo idem, *col.* 367. *edit.* Lugd. an. 1609.

(i) *In Disputat. pro Verit. Immacul. Concept. ad S. Synodum Trident. par.* 2. §. Thomas Argentinas, *col.* 103.

(k) *In Defens. Fidei Cathol. adversf. Anglic. Sectæ errores, lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 9. *pag.* 93. *edit.* Mogun. an. 1619.

(l) *Lib.* 1. *Tusculanar. Disputationum pag.* 142. *&* 143. *edit.* Venetæ, an. 1583. *cum Comment.* Aldi Manutii.

Omni in re, consensio omnium Gentium, Lex Naturæ putanda est: & infra: *Omnium consensus, Naturæ vox est.* Quod nos dicere solemus: *Vox Populi, Vox DEI.* Nec diversa fuit apud Græcos Philosophos, Deum demonstrandi Ratio: ut patet ex florentissima Dissertatione Maximi Tyrii, Platonici Philosophi, (*m*) qui sub Antonino Pio Romam venit.

60. Augustinus quoque nuper citatus, demonstraturus Catholicam Veritatem adversus Manichæos, a capite hoc posuit: *Tenet me consensus Populorum, atque Gentium.* Augustinum imitatus Gregorius de Valentia eodem in primis utitur argumento, ut ostendat evidentem nostræ Fidei credibilitatem: (*n*) „ Quia, *inquit*, „ prudentissime creditur, quod omnes pene „ Gentium Nationes, & in his innumerabiles „ Viri, summa auctoritate, summo ingenio, „ excellenti virtute, atque eximia, variaque „ doctrina præditi, ita crediderunt, ut & rationem disciplinæ suæ reddere omni poscenti „ se, pulchre possent, & contrarios errores.... „ manifeste refellerent &c. „ Quod totum in Piæ Sententiæ Assertoribus mirabiliter relucet.

61. Unum est, quod hujus Rationis efficaciæ in re nostra obstare posse videatur: laudatum scilicet a nobis Fidelium Consensum, non esse ita universalem, ut nulli sint, qui dissentiant. Sed jam *Act. III. a nu.* 480. ratione, & auctoritate ostendimus, perpaucorum dissensu, Communis Fidelium Consensús auctoritatem non infirmari. Profecto valde raro usurpatum invenies hujuscemodi ex communi sensu petitum argumentum, unde aliquot excipere non valeas; quorum tamen, quod paucissimi sint, ratio haberi non debet.

IV. RATIO.

Ab Exemplo Nativitatis, et Assumptionis.

62. PRo certo, & indubitato habetur in Ecclesia, quamvis nondum sit de Fide definitum, quod B. Virgo in Matris utero Sanctificata, inde Sancta, & Immaculata prodierit; quodque paulo post interitum rediviva, Corpore, & Animâ fuerit in Cœlos assumpta. Similiter igitur pro certo, & indubitato haberi debet in Ecclesia, quamvis nondum sit de Fide definitum, quod eadem B. Virgo in ipsa sui Conceptione fuerit Sanctificata, atque ab Originali Peccato præservata.

63. Hujus Argumenti Propositio receptissima est apud Theologos. De B. Virginis Nativitate, ait P. Valentia: (*o*) *B. Virginem fuisse Sanctificatam ante ipsius Nativitatem, est omnino certum in Ecclesia, ita ut absque errore non possit negari.* P. Suarez: (*p*) *Quamvis non sit aperta hæresis, hoc negare, quia hæc veritas non est aperte definita, aut tradita tamquam de Fide; esse tamen censeo erroneum, vel errori proximum.* P. Vasquez: (*q*) *Non solum temeritatis, sed erroris etiam insimulandus, qui B. Virginem in Peccato natam esse diceret.* Similiter de Assumptione, inquit Melchior Canus: (*r*) *B. Virginem non esse in Cœlos cum Corpore assumptam, licet Fidei minime adversum sit; quia communi Ecclesiæ consensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur.* P. Suarez: (*s*) Assumptio Corporea Beatæ Virginis in Cœlum, etsi *non de Fide, est tam recepta, ut a nullo Pio, & Catholico possit in dubium revocari, aut sine temeritate negari.* Cardinalis Gotti: (*t*) *Tanta certitudine, gloriosa B. Virginis in Corpore Assumptio tenenda est, ut sine temeritatis, aut etiam erroris labe negari non possit.*

64. Conclusio autem planissima est consideranti argumenta, quibus permoti Theologi Propositionem illam ut certam habent, & indubitatam. Pro Sancta Nativitate argumentatur Valentia: quia *Celebrat Ecclesia tota Festum Nativitatis B. Virginis, tamquam Nativitatis prorsus Sanctæ, & a Peccato Immunis.* P. Suarez: *Quia hoc negare, est contra communem sensum Sanctorum;* (non utique antiquiorum) *& quia Ecclesia celebrat Festum Nativitatis &c.* P. Vasquez: *Quia Ecclesia a Spiritu Sancto dirigitur, nec in absurdum aliquid incidere permittitur: esset autem maxime absurdum, ita omnes sentire, & hanc solemnitatem in tota Ecclesia celebrare, si B. Virgo in Peccato nata esset.* Similiter de gloriosa Assumptione probat Canus: *Quia eam negare, communi Ecclesiæ consensui repugnat.* P. Suarez: *Quia aperte pugnat cum communi sensu Ecclesiæ, ut constat ex omnium Fidelium, tam Simplicium, quàm Sapientium mente, & sermone &c.* Card. Gotti: *Quia communi Ecclesiæ judicio, quæ in simili materia errare non potest, Corporea B. Virginis Assumptio colenda publice proponitur.*

65. Duo itaque sunt argumenta primaria, ex quibus Theologi colligunt Certitudinem cùm Sanctæ Nativitatis, tum Gloriosæ Assumptionis Beatæ Virginis: Solemnitas Festi, & Communis Fidelium Consensus. Jam vero ex secunda, & tertia Ratione constat, utroque argumento pari efficacia demonstrari Sanctam, & Immaculatam ejusdem Virginis Conceptionem. Et sane, quod ad Festum attinet, Ecclesia nullum prorsus discrimen constituit inter cultum Nativitatis, & cultum Conceptionis; quin immo Festum Conceptionis magis, quam Nativitatis, a Sancta Sede Apostolica commendatum, & illustratum videmus: ut observavimus *Act. III. n.* 313. Quod vero spectat ad Communem Fidelium Consensum: eadem S. Sedes Apostolica opportune providit, ne paucorum dissensio a Pia Sententia, aliquid detraheret Piæ, communique cæterorum Consensioni. Nam dum eos paucos omnino silere jussit,

(m) *Dissert.* 1. Quid sit Deus, secundùm Platonem, *a pag.* 5. *edit.* GL. Cantabrig. an. 1703.
(n) *Tomo* 3. *disputat.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 4. *col.* 70.
(o) *Tomo* 4. *disput.* 2. *quæst.* 1. *pun.* 1. *col.* 355.
(p) *Tomo* 2. *in* 3. *Partem, disp.* 3. *sect.* 1. *prope finem.*
(q) *Tomo* 2. *in* 3. *par. disp.* 114. *cap.* 2. *n.* 11. *&* 12.
(r) *Lib.* 12. *de Locis Theolog. cap.* 10. *fol.* 396. *pag.* 1.
(s) *Tomo cit. disput.* 21. *sect.* 2. §. Sed quæres.
(t) *Tomo* 4. *de Verit. Relig. Christ. par.* 2. *cap.* 41. §. 2.

eorum suffragium in Ecclesia numerari noluit. Ut enim ajebat S. Maximus Martyr. (u) *Tacere sermonem, est eum tollere. Nam per Prophetam dixit Spiritus Sanctus* (Ps. 18.) Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. *Quamobrem qui non dicitur sermo, omnino non est.*

66. Hoc tantum interesse video inter illas de Sancta Nativitate, & Gloriosa Assumptione Sententias, & hanc de Immaculata Conceptione Sententiam; quod Theologi Sententias illis contrarias temeritatis, vel erroris impune damnare possint; huic vero Contrariam Sententiam, nulla gravi Censura valeant afficere, id, justis de causis, Sede Apostolica graviter prohibente. Hæc tamen prohibitio, Piæ Sententiæ Certitudini non officit, ut mox videbimus. Certe Populus Christianus, qui de istis censuris nihil novit, absque ullo discrimine tam certam habet Immaculatam B. Virginis Conceptionem, quàm ejus Sanctam Nativitatem, & Gloriosam Assumptionem.

67. Hæc sunt, mi Lampridi, argumenta, quibus & Nos, & Itali, & Germani, & Galli, atque etiam Hispani, Piæ Sententiæ Certitudinem invicte concludimus; non *Fraudes, Figmenta, Falsæque Interpretationes*; quæ Tu, *Eruditos omnes in Italia, Germania, & Gallia*, intrepide contestatus, *in causa fuisse ait*, (x) *cur Certitudinem.... nonnulli sibi persuaserint se intueri in eadem Sententia.* Potius laborandum nobis fuit, ne plus argumenta illa, quam ne minus evincerent. Sed disputanti Theologo licet, Contrariam Sententiam quàm strenuissime argumentando refellere, quamvis in eam Censuras ferre non liceat.

§. IV.

Repelluntur Oppositiones.

68. Opponit I. Valdesius: (y) *Meridiano Sole clarius est, in Ecclesia Romana haberi quidem Piam, & Probabilem.... Scotisticam Sententiam, non vero Certam.* Unde tanta lux? *Gravissimis*, inquit, *pœnis vetuerunt hactenus Romani Pontifices &c. ne quisquam Peccati, aut Hæresis, alterutram de Conceptione Sententiam ipsimularet. Pius etiam V. præcepit, ne quis Erroris Thomisticam argueret.* Ex quibus tandem concludit: *Quicumque habet honorem Decretis, & Judiciis Romanæ Ecclesiæ, Matris nostræ, nequit non agnoscere, laudandam quidem esse Piam Sententiam, pro certa vero minime esse habendam.*

69. Repellitur. Non aliud ex hujusmodi prohibitionibus elicimus, quàm Piam Sententiam nondum esse a Sede Apostolica definitam de Fide; & Contrariam, nondum damnatam ut Hæreticam, vel Erroneam, vel Temerariam. Ac proinde Piam Sententiam in Ecclesia Romana non haberi Certam, Certitudine propria Fidei, vel proxima, vel propinqua Fidei. Sed cum plures sint Certitudinis gradus, hinc inferre, evidens esse, quod Pia Sententia in Ecclesia Romana simpliciter non habeatur *Certa*, sed *Incerta*, (ut dixerat Lampridius) non est videre, sed hallucinari.

70. Familiare est Lampridio, & Valdesio, ex negata Piæ Sententiæ Certitudine Fidei; contra regulas Dialecticæ, omnis simpliciter Certitudinis negationem inferre. Negant Theologi passim, Sanctitatem Marianæ Nativitatis esse de Fide; [quod imprudenti excidit Lampridio: (z)] & tamen omnes censent, pro certa habendam esse. Idem est de B. Virginis Assumptione Corporea in Cælum: de qua loquens Thomassinus, (a) „ Non dubitamus, *inquit*, quod „ Virgo DEI Parens Corpore quoque in Cælo degat, tametsi Fides Divina hoc minime doceat &c. Quot enim sunt, quæ cum „ minime rata sint, & Divina Fide nixa, ad „ examen tamen revocare non licet? Tollenda „ prorsus esset omnis Humani Generis societas, si cohiberi oporteret assensionem, (*utique firmam*) quoties non suppetit evidens ratio, vel auctoritas, quæ errori non sit obnoxia. „ Physice scilicet, aut metaphysice.

71. Opponit II. Thomas Hurtadus, Cler. Regul. Minor. (b) utriusque Sententiæ Probabilitas definita est ab Ecclesia, per Bullam Sixti IV. a Concilio Tridentino, & Successoribus suis confirmata; & quidem tanquam de Fide, ita ut qui pro ea Probabilitate mortem subiret, esset vere, & proprie Martyr. Stante vero ejusmodi definitione, nemo potest judicare, quod Pia Sententia sit moraliter Certa: sicuti si foret definitum, quod probabile sit, esse Romam, & probabile sit, non esse Romam; nulla moralis evidentia gigni posset de Romæ existentia. Hurtado in hac parte adhærere videtur Caramuel, (c) ubi ait, quod Alexander VII. post alios Pontifices, satis clare damnavit hanc propositionem: *Improbabile est, Deiparam esse in Peccato conceptam.*

72. Repellitur falsissima utriusque imaginatio. In quibus, rogo, Sixti IV. vel Alexandri VII. verbis illa Definitio, aut hæc Damnatio reperitur? In istorum, aliorumve Pontificum Constitutionibus solam prohibitionem legimus damnandi Contrariam Sententiam Hæresis, vel Erroris, vel Peccati mortalis. Quis autem dixerit, per hanc simplicem prohibitionem definiri tanquam de Fide, quod Contraria Sententia sit Probabilis, aut damnari, quod sit Improbabilis?

73. Non

(u) *In Colloquio cum Legatis* Imperat. Constantis, *silentium de gemina in Christo Voluntate, & Operat. suadere nitentibus, apud* Card. Baronium *tomo* 8. *Annalium Ecclesiast. ad* an. 656. *n.* 33.

(x) *Cap.* 10. *pag.* 69.

(y) *Epist.* 17. *pag.* 224. *& seq. V. &* Lampridium *cap.* 9. *pag.* 64.

(z) *Cap.* 12. *pag.* 89. *& frigide defenditur a* Valdesio *Epist.* 5. *pag.* 52. *& seq.*

(a) *In Tract. de Dier. Festor. Celebrat. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 10. *laudatus a* Card. Lambertino *tomo* 1. *par.* 2. *Adnotation. in Festa B. Virginis n.* 115.

(b) *In Resolutionibus Orthodoxo-Moralibus, Resolut.* 25. §. 5. *pag.* 62. *& seq. edit.* Colon. Agripp. an. 1655.

(c) *In Apologemate de Probabilit. contra* Fagnanum, *Epist.* 4. *ad* Card. Pallavicin. *n.* 219. *pag.* 126. *edit.* Lugdun. an. 1663.

73. Non raro Pontifices censuras ferri vetant in aliquas propositiones, nondum ab Ecclesia dijudicatas, non in gratiam veritatis, vel probabilitatis ipsarum, sed ob bonum pacis, & caritatis, & ne privati Doctores Sedis Apostolicæ judicium sibi præripiant. Id optime observavit noster Johannes Card. De Lugo: (d) *Aliquando*, inquit, *solet Pontifex justis de causis prohibere, ne interim alterutra ex duabus Sententiis Censura aliqua Theologica ab Adversariis notetur. Per quod tamen præcise non declarat positive, utramque esse probabilem, sed permittit utramque impune defendi, & ad vitanda scandala probibet utrimque Censuras.*

74. Hujus rei luculentum exemplum habemus in Innocentio XI. qui damnans tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, LXV. Propositiones, monet, se *non intendere per hoc Decretum alias propositiones, in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.* Et tamen, *ut paci, & charitati consulatur*, in calce ejusdem Decreti gravissime præcipit Doctoribus, *ut caveant ab omni censura, & nota, & quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ, super iisdem propositionibus judicium feratur.*

75. Nec dici potest, quod Alexander VII. Contrariæ Sententiæ Probabilitatem definivit, cùm eam non semel, *Opinionem* appellavit. Nam idem Alexander in gemino Decreto anni 1665. & anni 1666. quo XLV. propositiones, *ut minimùm, tanquam Scandalosas* damnat, ac prohibet; eas propositiones semel, & iterum *Opiniones* appellat. Quam vocem usurparunt etiam Innocentius XI. & Alexander VIII. in suis reprobantibus Decretis. Addo: Si Alexander definiisset, Probabilem esse Contrariam Sententiam, definiisset Probabilitatem Erroris in S. Romana Ecclesia. Ipse namque declaravit, a S. Romana Ecclesia celebrari B. Virginis Conceptionem secundùm Piam Sententiam; cujus oppositam (ut ais) Probabilem definivit.

76. Opponet III. Alius quispiam: Si Pia Sententia est Theologico-Moraliter certa, Contraria Sententia nequit esse probabilis: ergo graviter peccat, qui eam defendit. Defendere namque Sententiam improbabilem in re adeo gravi, grave peccatum esse videtur. At Sedes Apostolica vetat, damnare peccati mortalis Contrariam Sententiam, ejusque Defensores: ergo &c.

77. Repellitur. Non veremur concedere, quod Contraria Sententia jam non sit hodie absolute, & simpliciter probabilis, quamvis fuerit aliquando probabilis. Quî enim possumus tuto affirmare, quod sit absolute, & simpliciter probabilis illa Sententia, cui & dictis, & factis tota fere resistit Ecclesia? A qua Doctorum, & Indoctorum Fidelium animi, atque aures abhorrent? Quam Summi Pontifices nec publice, nec privatim, nec voce, nec scripto efferri permittunt? In forensi controversia, cùm uni parti perpetuum silentium indicitur; omne illi jus probabile adimitur.

78. Non ideo tamen Contrariam Sententiam, ejusque Defensores, peccati mortalis damnamus. Nam etsi hæc Sententia non sit reipsa absolute, & simpliciter probabilis; adhuc tamen toleratur ab Ecclesia; ejusque Defensoribus, ad generalia quædam Scripturarum, & Patrum dicta, & ad suorum præsertim Magistrorum auctoritatem attendentibus, Piæ vero Sententiæ fundamenta gravissima non satis perpendentibus, potest videri probabilis: ut de se ipso fassus est Catharinus. (e) *Principio*, inquit, *Religionis, & Studiorum meorum, cùm Hominum auctoritate, paternarumque traditionum æmulatione, paulo propensius, quàm causa veritatis pateretur, adducerer; Sanctissimam DEI Genitricem, in communi cæterorum Hominum sorte, atque sorde relictam, hoc est in iniquitatibus conceptam putavi &c.*

79. Dum vero Contrariam Sententiam absolute Improbabilem dicimus, nullam ei Censuram contra Pontificias Constitutiones inurimus. Quia Improbabilitas, nec Censura Theologica est, ut multi observant cum P. Petro Hurtado; (f) quippe quæ inter tot Censuras, ab Ecclesia diversis temporibus latas, non invenitur: nec etiam, siqua Censura est, hujusmodi Censuram in Contrariam Sententiam ferre prohibemur, ut patet ex dictis.

Hh 4 *Posterior*

(d) *In tract. de Virtute Fidei Divinæ, disput.* 20. *sect.* 3. *n.* 119. *pag.* 559. *edit.* Lugdun. an. 1656.

(e) *In præfat. Disput. pro verit. Immacul. Concept. B. V. ad PP. & FF. Ord. Prædicat. edit.* Senensis an. 1532.

(f) *Tract. de Fide disp.* 81. *sect.* 7. §. 46. *& sect.* 8. §. 1. *pag.* 678. *& seq. edit.* Salmantic. an. 1631. *V.* Cardenas *in* 1. *Crisi disp.* 9. *cap.* 18. *art.* 3. *&* La Croix *lib.* 6. *par.* 2. *num.* 875.

Posterior Conclusionis Pars.

Piæ Sententiæ Definibilitas Proxima.

§. I.

Prænotanda Quædam.

80. Tripliciter aliqua Veritas definiri potest ab Ecclesia, sive a S. Sede Apostolica: primo tanquam de Fide credenda, itaut oppositum sit Hæresis: secundo, tanquam proxima Fidei, itaut oppositum sit Error in Fide, & Hæresi proximum: tertio, tanquam ita Fidei Consentanea, ut oppositum sit Temerarium, Suspectum, vel Scandalosum in Fide.

81. Interdum vero Ecclesia tantum declarat, opinionem aliquam tanquam probabiliorem esse eligendam; ut de opinione affirmante, *tam Parvulis, quàm Adultis conferri in Baptismo informantem Gratiam, & Virtutes*; sanxit Concilium Viennense. In quo casu certum est, Ecclesiam errare non posse circa majorem illius opinionis Probabilitatem. Sed neque circa illius veritatem errare posse, censet P. Aloysius Turrianus, laudatus a P. Ferdinando Quirino de Salazar: (*g*) quia secus Ecclesia maximam errandi occasionem, & ansam omnibus Fidelibus præberet, qui eam Doctrinam, quam ipsa probabiliorem declaravit, Oppositæ constanter præferentes, ut veram simpliciter amplecterentur, & sic in errorem sensim declinarent. Et inde P. Salazar infert Certitudinem Piæ Sententiæ, quòd hæc saltem ut probabilior declarata sit ab Ecclesia.

82. Ut aliqua Veritas sit ab Ecclesia, sive a S. Sede Apostolica definibilis tamquam de Fide credenda, duo omnino postulari videntur. Alterum est, quod Veritas illa ad Sacram Doctrinam Fidei, vel morum Christianæ Religionis, aliqua ratione pertineat; ejusque definitio ad Ecclesiæ utilitatem, vel Fidelium Pietatem conducere possit. Alterum est, quod eadem Veritas, aliquo pacto contineatur in Verbo DEI Scripto, vel Tradito. Nam *Objectum formale* Fidei est Divina Revelatio: Ecclesia autem, sive Sedes Apostolica, ut præter alios observat Card. Bellarminus, (*h*) *non habet; neque scribit immediatas Revelationes, sed tantum declarat, quodnam sit Verbum DEI Scriptum, vel Traditum, & quomodo intelligi debeat; ac præterea ex eo per ratiocinationem deducit Conclusiones.* In quibus definiendis, Ecclesia, ob specialem Præsentiam, & Directionem Spiritus Sancti, errare non potest.

83. Sed non opus est, ut Veritas definienda contineatur *Formaliter*, & *Explicite* in divinis Scripturis, vel Traditionibus: quæ enim in iis hoc pacto continentur, non indigent definitione Ecclesiæ, ut Fide Divina credantur, cùm sufficiat legere Scripturas, vel Traditiones consulere. Satis ergo est, quod Veritas illa contineatur *Implicite*, aut *Virtualiter* in Verbo DEI Scripto, vel Tradito: quia non minori fide dignum est, quod Deus revelat *Implicite*, & *Virtualiter*, quàm quod revelat *Explicite*, & *Formaliter*. V. quæ diximus Actione I. a *n.* 28.

84. Nec etiam opus est, quod ante Definitionem prorsus certò & indubitanter appareat, Veritatem illam implicite, aut virtualiter contineri in Verbo DEI Scripto, vel Tradito. Nam & quæ hujusmodi sunt, non indigent definitione Ecclesiæ, ut Fide firmissima credantur. Et si ad hæc tantum se extenderet potestas definitiva Ecclesiæ, jam nullus esset Supremus Judex Controversiarum Fidei ad decidenda dubia, quæ adhuc inter Catholicos suboriri possunt, circa Veritates a DEO revelatas. Videmus etiam, plures Veritates esse ab Ecclesia definitas, tanquam de Fide credendas; quas ante Definitionem, planum, & obvium non erat, ex Scripturis, vel Traditionibus eruere. Lege P. Thomam Strozzi. (*i*)

85. Satis igitur est, quod Pontifex morali modo sibi persuadeat, quod res illa, de cujus definitione agitur, contineatur saltem implicite, aut virtualiter in Scripturis, vel Traditionibus; quodque alioqui conformis sit, vel saltem non difformis aliis Fidei Regulis, seu Principiis Theologicis: uti sunt Communis Ecclesiæ Consensus, Canones Conciliorum, Decessorum Pontificum Decreta, Unanimis Patrum, vel Scholasticorum Doctrina. (*k*) (Et ad istud conducunt Theologorum Consultationes, præmitti solitæ.) Quibus adhibitis moralibus diligentiis, Spiritus Sanctus adest Summo Pontifici, ne erret in definiendo.

86. Inter illas porro Regulas potissimum locum obtinet Communis Ecclesiæ Consensus; quem tanquam fidum & indubitatum Divinorum Eloquiorum Interpretem, sæpe in suis Definitionibus appellat Concilium Tridentinum. Sess. V. Can. 4. *Quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus &c. nisi quemadmodum Ecclesia Catholica, ubique diffusa semper intellexit.* Et Can. 5. *Hanc Concupiscentiam, quam aliquando Apostolus Peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse, peccatum appellari &c.* Et Sess. VI. cap. 8. *Cum vero Apostolus dicit, justificari Hominem per Fidem, & gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus*

(g) *In Defens. pro Immac. Deiparæ V. Concept. cap.* 43. §. 4. *pag.*405. *edit.* Colon. Agripp. an. 1622.

(h) *Lib.* 2. *de Concilior. Auctorit. c.* 12. *pag.*51. *col.* 1. *tomi* 2. *Controvers.*

(i) *Parte* 2. *Histor. Controvers. Conception. lib.* 10. *cap.*28. *a pag.* 674.

(k) *Has Regulas singillatim exponit* P. Valentia *tomo* 3. *disput.* 1. *quæst.*1. *pun.* 7. *a* §. 43. *col.* 239.

tuus Ecclesiæ Catholicæ Consensus tenuit, & expressit &c.

87 Postremo dupliciter res aliqua definibilis esse potest, uno modo, *Remote*; altero, *Proxime.* Remote definibilis dicitur res illa, ad cujus Definitionem adoriendam, prudenter adhiberi possunt consuetæ diligentiæ, in examinandis Fidei Regulis, ex quibus colligatur, illam fuisse a DEO revelatam; ut iis examinatis, auditisque Theologorum Sententiis, ad Judicium Definitivum rite deveniatur. Dicitur autem proxime definibilis Veritas illa, quæ cum diu, multumque ventilata sit in Ecclesia, & propemodum explorata; ad sui definitionem non indiget ulteriori, & curioso examine, sed veluti in procinctu est, ut quàm primùm, suggerente Spiritu Sancto, ab Ecclesia, seu Sede Apostolica definiatur.

§. II.

Duæ Assertiones prævia.

88. Assertio I. Præsens Controversia terminari ab Ecclesia potest per absolutam Definitionem alterius Partis. Est communissime recepta, contra Melchiorem Canum (l) putantem, quod, etsi *res alioqui gravissima sit*, in eo tamen genere quæstionum est, quæ ad Fidem minime pertineant.

89. Suadetur: Tum quia hæc Controversia spectat ad intelligentiam Catholici Dogmatis de universali transfusione Originalis Peccati, deque indigentia Redemptionis CHRISTI: spectat etiam ad Mores Ecclesiæ, circa Cultum B. Virgini præstandum in ejus Conceptione. Utilis præterea esse potest Ecclesiæ, ipsius Definitio, saltem, ut secundùm Apostolum in re tamdiu controversa, *(m) Omnes idem sentiamus, & in eadem permaneamus Regula.* Et aliunde non desunt in Regulis Fidei documenta, ex quibus ista Definitio erui possit; ut patet ex Sacris Testimoniis utrinque allegatis.

90. Tum maxime quia eandem Controversiam decidi aliquando ab Ecclesia posse, aperte indicarunt Summi Pontifices in Decretis hac de re editis. Sixtus IV. sic loquitur: *Cum nondum sit a Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.* Eadem habet Alexander VII. S. Pius V. ait: *Quandiu per Apostolicam Sedem altera Pars definita non fuerit.* Paulus V. *Donec Articulus hujusmodi a S. Sede fuerit definitus.* Et similiter Gregorius XV. Frustra namque istas Clausulas apponerent Pontifices, nisi rem hanc esse definibilem reputarent. Hanc quoque Definibilitatem cognoverunt Patres Concilii Basileensis, in quo, cùm adhuc esset legitimum, & sub obedientia Eugenii IV. prolixe, & serio egerunt de eadem Controversia definienda; ut constat ex dictis Actione IV. *num.* 52. *& seq.* quamvis tempore Schismatis, qualiscunque illa Definitio prodierit.

91. Quid ergo, inquit Canus, respondebimus Erasmo, qui argumentum, ex Sanctorum omnium auctoritate, ad res Fidei concludendas desumptum, hoc pacto infirmat: *Sancti omnes, qui in ejus rei mentionem inciderunt, uno ore asseveraverunt, Beatam Virginem in Peccato Originali conceptam: & tamen Contraria Sententia, & probabiliter, & pie in Ecclesia defenditur?*

92. Uno verbo respondebimus, mentiri Erasmum in eo, quod de Sanctorum omnium asseveratione præsumit. Et sic etiam respondere debuerat Canus, & non rata habere ea omnia Sanctorum Patrum loca, quæ adversus Immaculatam B. Virginis Conceptionem, tamquam ex Erasmo recenset; (n) nos autem supposititia, aut vitiata demonstravimus *Act. II.* a *n.* 6.

93. Assertio II. Contraria de Maculata B. Virginis Conceptione Sententia, nullo tempore, nulloque pacto definiri ab Ecclesia potest; ita ut Pia de Immaculata ejusdem Virginis Conceptione Sententia declaretur aut hæretica, aut Erronea, aut Temeraria, & Scandalosa in Fide. Hanc conclusionem statuit Card. Bellarminus in Voto sæpe laudato.

94. Suadetur: Ecclesia, sive Sedes Apostolica reprobavit, atque damnavit tamquam *Falsam, Erroneam, & a Veritate penitus Alienam Assertionem* dicentium, Piam de Immaculata Conceptione Sententiam esse hæreticam, vel continere materiam peccati mortalis: ut constat ex duplici Constitutione, *Grave nimis* Sixti IV. a Concilio Tridentino, & subsequentibus Pontificibus approbata, & confirmata. (V. *Act. V. num.* 66. *& seqq.* & *num.* 196. *& seqq.*) Ergo cum damnatio unius propositionis sit, proportione servata, definitio alterius oppositæ; Ecclesia definivit, quod Pia de Immaculata Conceptione Sententia non sit hæretica, nec contineat materiam peccati mortalis; ac proinde non sit erronea, vel temeraria, vel scandalosa in Fide. Ast Judicium Ecclesiæ in ferendis Censuris, præsertim *Omnimodæ Falsitatis, & Erroris*, in aliquas propositiones, est immobile, & irreformabile: secus de omnibus erroribus ab Ecclesia damnatis, & reprobatis dubitare possemus, an illi sint aliquando ab eadem Ecclesia definiendi, & approbandi, tamquam Catholicæ Veritates. Ergo nullo umquam tempore potest Ecclesia definire, seu declarare, Piam Sententiam esse Hæreticam, vel Erroneam, vel Temerariam, & scandalosam in Fide. Ergo nullo tempore, nulloque pacto potest Ecclesia definire Contrariam Sententiam.

95. Ubi jam vides, vim argumenti sitam esse, non in aliqua simplici Ecclesiæ prohibitione, quæ nobis, & Adversariis communis est, quæque temporaria esse potest, & solet; sed in Censura *Falsitatis, & Erroris*, singulariter lata ab Ecclesia in illam Adversariorum Assertionem. Recole, quæ diximus *Act. V. n.* 70. *& seq.* & rursus *n.* 196. *& seqq.*

96. Confirmatur ab *Absurdo.* Si quando Ecclesia Contrariam Sententiam, tamquam de Fide, vel Fidei proximam definiret; eam vero, quæ nunc Pia nominatur, ut hæreticam, vel

(l) *Lib.* 7. *de Locis Theologic. cap.* 3. *concl.* 4. *fol.* 222.
(m) *Ad Philipp. cap.* 3. *ver.* 16.
(n) *Lib.* 7. *cit. cap.* 1. *fol.* 217.

vel erroneam damnaret; quid credendum tunc nobis foret? Omnes pene a Sixto IV. Summos Pontifices hallucinatos esse, qui tot modis Piam Sententiam foverint, & exaltaverint, Contrariam suppresserint. Graviter etiam errasse S. Romanam, eandemque Catholicam Ecclesiam, quæ tribus saltem Sæculis, Marianæ Conceptionis, tamquam Sanctæ, & Immaculatæ, Festum tanta celebritate frequentaverit. Cunctumque fere Populum Christianum cum suis Pastoribus, atque Doctoribus, qui huic doctrinæ adeo constanter adhæserit, tam diuturno tempore turpiter illusum fuisse.

97. Quid præterea Ecclesiæ Rectoribus agendum tunc esset? Tot Constitutiones Apostolicas, in favorem Piæ Sententiæ editas, cassas, & irritas declarare. Officia omnia Ecclesiastica, in quibus B. Virginis Conceptio, Sancta, & Cultu dignissima prædicatur, donec corrigantur, interdicere. Templa, & Altaria Immaculatæ Conceptioni sacra, veluti falso Sanctitatis titulo violata, expiari jubere. Simulacra, numismata, tabellas, schedulas &c. Immaculatæ Conceptionis, vel repræsentantia Mysterium, vel Nomen præferentia, a Fidelium oculis removenda curare. Quæ omnia, & alia plura his similia, quàm absurda, quàm scandalorum plena forent, & in quantum Sedis Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ cessura dedecus, ac contemptum, non sine effusa Hæreticorum irrisione; cæcus sit, oportet, qui non prospiciat. V. quæ ex Vincentio Lirinensi deduximus *Act. III. num.* 462. *& seq.*

98. Ad istæc non respexit Lampridius, qui Contrariæ Sententiæ definitionem, vel quasi cras possibilem, tam sæpe, & confidenter insinuat: (o) *Quando cras*, inquit, *potest a Romanis Pontificibus deprehendi veritas in Contraria Thomistarum Sententia*: scilicet quando cras tot incommoda, & absurda Ecclesiam DEI infestare possunt.

99. Ast, inquit Lampridius, (p) Ipsi voventes Immaculatæ Conceptionis tutelam, hujus Sententiæ damnationem timent, & Contrariæ definitionem; quandoquidem in suis Votis hanc cautionem apponere solent: *Juxta Decreta Summorum Pontificum jam edita, aut deinceps edenda.*

100. Non sunt hæc verba Piæ Sententiæ damnationem timentium, sed potius sperantium definitionem. Cum enim *juxta Decreta Summorum Pontificum jam edita*, Piam Sententiam se defensuros sponte voveant, ac jurent, tamquam Sententiam, sibi quidem certam, sed nondum Catholica Fide credendam; per ea verba, *aut deinceps edenda*, vovent, ac jurant, eandem Sententiam arctiori vinculo se defensuros, tamquam Fidei Dogma, necessario credendum, siquando a Sede Apostolica optatum Decretum prodiret, quo illa inter Catholicæ Fidei Veritates reponeretur.

101. Posset etiam quis dicere, istam clausulam a Voventibus addi, ad exprimendum tam altam se habere Pontificiæ Auctoritatis æstimationem, ut, si (quod numquam futurum timent) Summus Pontifex Piam Sententiam reprobaret, eam deserere sint parati. Quemadmodum Apostolus ad Galatas I. 8. ut exprimeret, quanta firmitate Doctrinam Evangelicam, qua semel imbuti fuerant, retinere deberent, scripsit: *Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ut optime observat Johannes Gersonius: (q) *Paulus*, inquit, *expressurus vehementiam Certitudinis, asseruit conditionalem, cujus antecedens sciebat impossibile.*

§. III.

Piæ Sententiæ Definibilitas Proxima, multiplici Ratione concluditur.

102. QUod Pia Sententia sit definibilis, saltem *Remotè*, ex præviis Assertionibus conficitur. Si enim hæc controversia terminari potest ab Ecclesia per absolutam definitionem alterius Partis; & per definitionem Contrariæ Sententiæ terminari non potest; perspicuum est, quod terminari aliquando possit per absolutam definitionem Piæ Sententiæ, ac proinde quod hæc sit absolute definibilis, saltem remotè. Quod ergo Pia Sententia sit proximè definibilis, tamquam Fidei Dogma; hoc demum ex disputatis in præsenti Causa similiter colligendum est. Quod quidem præter Duvallium laudatum *n.* 41. expresse tuentur innumeri alii, tam hujus, quam præcedentis Sæculi Auctores apud Thomam Strozzi, (r) & Dominicum Lossada: (s) quibus præluxisse videntur P. Suarez, (t) & P. Vasquez. (u)

I. RATIO.

Ex omnibus simul Locis Theologicis.

103. SIqua est Veritas, cæteroquin ad Fidem, vel Mores Ecclesiæ spectans, & ad Fidelium pietatem conducens; quæ ex una parte implicite saltem, & virtualiter, juxta probatam Interpretationem, contineri videtur in Divinis Scripturis, ac Traditionibus: & ex parte altera, post diuturnam, & acrem plurium Sæculorum Disquisitionem, nulli Fidei Regulæ, nulli Theologico principio dissentanea est inventa; sed omnibus potius, & singulis Fidei Regulis, Principiisque Theologicis valde conformis, & consentanea reperta: hujusmodi, inquam, Veritas in eo statu est, ut possit ab Ecclesia, (cui hæc consent) absque ullo ulteriore examine, tuto definiri tamquam de Fide credenda. Quippe

(o) *Cap.* 9. *pag.* 68. *& V. cap.* 5. *pag.* 36. *cap.* 8. *pag.* 56. *cap.* 11. *pag.* 87.
(p) *Cap.* 12. *pag.* 91. *& cap.* 13. *pag.* 93.
(q) *Lib.* 4. *de Consolat. Theologiæ, Prosa* 2. *col.* 171. *tomi* 1.
(r) *Par.* 1. *Histor. cit. cap.* 28. *pag.* 672. *& seq.*
(s) *In discuss. Theol. cit. disp.* 2. *dissert. unica* §. 1. *a pag.* 134.
(t) *Tomo* 2. *in* 3. *Par. disp.* 3. *sect.* 6.
(u) *Ibid. disp.* 117. *cap.* 14.

Quippe mirabilis ista Consensio cum omnibus Fidei Regulis, Principiisque Theologicis, non obscurum indicium est, quod talis Veritas sit a DEO revelata. At ejusmodi est Veritas Conceptionis Immaculatæ: ut Discurrenti per singulis hujus causæ Actiones, vel solas Anacephalæoses relegenti, nisi pervicaci sit animo) non difficulter innotescit. Est ergo eadem Veritas proxime definibilis ab Ecclesia, tamquam de Fide ab omnibus credenda; ut & ipsi Pii Fideles jamdiu postulant, atque desiderant.

II. RATIO.

Ex Cultu Ecclesiastico.

104. QUos Sedes Apostolica *Virtualiter* canonizavit, statuendo nimirum illis Cultum Religiosum, per Divina Officia, certo die, in Universa Ecclesia præstandum; facillime, ac tutissime potest canonizare *Formaliter*, declarando scilicet, & definiendo, illos esse Sanctos, & receptos in Cælum: ut constat ex dictis *Actione III. a num.* 288. Ubi etiam *n.*254. observavimus, Canonizationum Formulas fieri per verba *Declarandi, & Definiendi.* At Sedes Apostolica *Virtualiter* canonizavit, modo explicato, B. Virginis MARIÆ Conceptionem; ut ostensum est *ibid. a nu.* 292. Ergo facillime, ac tutissime potest eandem Conceptionem canonizare *Formaliter*, declarando scilicet, & definiendo, illam fuisse Sanctam, ac proinde ab Originali Peccato Immunem.

105. Hæc porro Formalis Canonizatio Marianæ Conceptionis, seu Definitio, & Declaratio ejus Sanctitatis, esset proculdubio Definitio de Fide. Nam & plurimi graves Auctores apud Prosperum Cardinalem de Lambertinis, hodie Benedictum XIV. (x) sustinent, Canonizationem Formalem Sanctorum esse Definitionem de Fide Sanctitatis ipsorum. Qui vero apud eundem negant, de Fide esse, Canonizatum a Pontifice esse revera Sanctum; ideo potissimum negant, quia Sanctitas hujus, vel illius Hominis particularis, post tempora Apostolorum ab Ecclesia canonizati; ne implicite quidem, & virtualiter continetur in Verbo Dei scripto, vel tradito. Hoc autem de Sanctitate Conceptionis B. MARIÆ, (cujus Virginis tot, & tam insignia præconia habemus in Scripturis, & Traditionibus) jure dici non potest.

106. Accedit, quod Patres magnam inter Catholicam Fidem, & Cultum Ecclesiasticum affinitatem agnovere. Auctor Appendicis Epistolæ B. Cælestini I. ad Episcopos Galliæ, creditus S. Prosper Aquitanus: (y) *Præter eas*, inquit, *Beatissimæ, & Apostolicæ Sedis inviolabiles Sanctiones &c. obsecrationum quoque, Sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto Mundo, atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur; ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Similiter D. Augustinus, ex precibus Ecclesiæ, contra Vitalem evincit, initium Fidei esse donum DEI: (z) *Exsere*, inquit, *contra Orationes Ecclesiæ disputationes tuas: & quando audis Sacerdotem Dei ad Altare exhortantem, Populum Dei orare pro incredulis, ut eos DEUS convertat ad Fidem &c. subsanna pias voces, & dic, te non facere quod hortatur &c.* V. alia in hanc rem ejusdem Sancti Doctoris loca, quæ laudavimus in Prolusione *Act. III. n.* 10. & 11.

III. RATIO.

Ex communi Fidelium consensu.

107. CUm unanimis Fidelium consensus, sit fidus, & indubitatus Divinarum Revelationum antiquarum Interpres; (ut prænotatum est *num.* 9. & latius demonstratum *Actione III. a num.* 12. & *a num.* 458.) verissime scripsit P. Gregorius de Valentia, (a) quod *Signando de re aliqua, in materia Religionis controversa, constaret, Fidelium omnium concordem esse Sententiam; merito posset, & deberet Pontifex illâ uti, ut quæ esset Ecclesiæ Sententia infallibilis.* Ac proinde cum alio indigeat examine ulteriori ad rem illam de Fide definiendam. Sed in præsenti Controversia, de Immaculata B. Virginis Conceptione constat, Fidelium si non omnium omnino, saltem fere omnium concordem esse Sententiam; ut ante oculos posui Act. III. Art. III. toto §. I. Ergo merito potest, ac debet Pontifex hac Sententia uti, ad ipsam Immaculatam B. Virginis Conceptionem definiendam; quin alio indigeat examine ulteriori. Debet, inquam, non absolute, sed sub conditione, quod eam controversiam definire velit.

108. Quod vero hæc Sententia non sit omnium omnino, sed fere omnium Fidelium concors Sententia; non obstat Proximæ Definitioni. Quia præter supra dicta *Act. III. a n.* 481. Ut Concilium Œcumenicum, Universam repræsentans Ecclesiam, cujus & vices, & vocem gerit; legitime definiat veritatem aliquam ad Fidem spectantem; utque Summus Pontifex definitionem hanc incunctanter approbet, atque confirmet; non est necesse, quod omnes omnino Episcopi in eo Concilio congregati, nullis prorsus exceptis, in eandem Sententiam conspirent. Satis est, quod maxima pars Concilii ita sentiat, & censeat.

109. Illustre in hanc rem exemplum habemus in Chalcedonensi Concilio sexcentorum, & amplius Episcoporum. Refert Natalis Alexander, (b) quod „ Cum Ægyptiacæ Diœcesis Epi„ scopi subscribere renuerent Epistolæ S. Leonis „ ad Flavianum, donec ordinatus esset in Dio„ scori locum Alexandrinus Patriarcha &c. „ omnes

(x) *De Servorum DEI Beatificatione &c. lib.* 1. *cap.* 45. *pag.* 413. & *pag.* 411. & *seq.*

(y) *Cap.* 11. *hujus Appendic. col.* 1193. *Tomi I. novissimæ collect. Epistolar. Romanor. Pontificum, edit.* Pariensis anni 1721. & *n.* 8. *col.* 475. *Tomi* 3. *Conciliorum.*

(z) *Epist.* 217. *olim* 107. *n.* 2. *col.* 799.

(a) *Relatus Act.* 3. *n.* 474.

(b) *Dissertat.* 12. *sæculi* 5. *quæst. unica* §. *VII. pag.* 553. *tomi* 9. *postremæ editionis* Parisiens. an. 1743.

„ omnes Episcopi clamaverunt : *Qui non con-* „ *sentit Epistolæ St. Archiepiscopi Leonis, hæ-* „ *reticus est.* Et Rursus : *Subscribant Episto-* „ *læ Leonis : qui non ei subscribit, hæreticus* „ *est.* Acacius Ararathiæ Episcopus dixit : „ *Aut consentiant Epistolæ, aut regularem dam-* „ *nationem suscipiant, & cognoscant, quia ex-* „ *communicati sunt.* Photius Episcopus Tyri „ dixit : *Si recta sapiunt, ostendant propriam* „ *intentionem circa Fidem, & suscipiant Epi-* „ *stolam S. Archiepiscopi Leonis. Si autem* „ *nolunt, excommunicati sunt.* Episcopi cla- „ maverunt : *Hæc omnes dicimus : omnes sic* „ *sapimus.* „ Paucorum ergo Episcoporum dissensio tam celebre Concilium non retardavit, quo minus Hæreticos, & Excommunicatos declararet, qui Dogmaticæ S. Leonis Epistolæ, a reliquis omnibus Patribus approbatæ, subscribere recusabant. Num Adversarii nostri, comparatè ad totam Ecclesiam, plures sunt, quàm Ægyptii Episcopi, comparatè ad illos sexcentos Episcopos ?

110. Multo minus obstare potest Piæ Sententiæ Definitioni, quod Communis in eam Fidelium Consensus, nonnisi quatuor ab hinc Sæculis, invaluerit in Ecclesia. Jam enim *Art. III. n. 6.* ex Cano demonstratum est : *Ea, quæ de Ecclesiæ Auctoritate dicuntur, de cujuscunque temporis Ecclesia intelligenda esse.* Hinc P. Valentia censet, (c) „ Quod si accideret, ut tota prorsus „ Ecclesia Fidelium, nullis exceptis, persuadeat „ sibi, veram esse hanc Sententiam, (*quod ipse* „ *retur aliquando futurum*,) jam eo ipso red- „ deretur secundùm Fidem certa. Siquidem ex „ Fide certum est, Ecclesiam totam non posse „ errare, persuadendo sibi aliquam Sententiam, „ quæ pertinet ad Pietatem, & Cultum Reli- „ gionis. „

IV. RATIO

AB EXEMPLO VITÆ B. VIRGINIS, PRORSUS IMMACULATÆ.

111. QUod B. Virgo in tota Vita sua fuerit Immunis ab omni Peccato Actuali, etiam Veniali levissimo, tempore Concilii Tridentini res erat proxime definibilis ab Ecclesia; ita ut Concilium absque ulteriori disquisitione, & consultatione rem hanc definierit, sive declaraverit. Ergo quod eadem B. Virgo in sua Conceptione fuerit Immunis ab Originali Peccato, res est hoc tempore proxime definibilis ab Ecclesia; ita ut ulteriori disquisitione, & consultatione non indigeat Sedes Apostolica ad rem hanc definiendam.

112. Antecedens propositio colligitur ex ipsa Concilii Tridentini Declaratione : *Sess. VI. Can. 23. Si quis*, inquit, *Hominem semel justificatum dixerit, amplius peccare non posse, neque Gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, numquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.* Quibus verbis Concilium tantummodo declarat, de B. Virginis Immunitate ab omni Actuali Peccato, etiam Veniali, firmam, & constantem Ecclesiæ Sententiam esse. Hanc declarationem Theologi omnes, tamquam Fidei Definitionem reverentur. Unde post multa in hanc rem disputata, sic concludit Dionysius Petavius : (d) *Omnino igitur amplectenda, & certa FIDE tenenda, Catholicæ totius Ecclesiæ rata consensione, de ἀναμαρτησία* (hoc est Impeccantia) *B. Virginis Sententia, quam ab Antiquis acceptam, sanctiori Decreti sui Auctoritate firmavit Tridentina Synodus.*

113. Scio, quod Andreas de Vega, (e) eandem Veritatem definitam olim fuisse dicat in Concilio Claromontano, seu Claremontensi sub Urbano II. cui ipse Urbanus præfuit. Sed in Actis, & Canonibus hujus Concilii, anno 1094. celebrati, quos undique studiose collectos habemus in Labbeana Conciliorum Collectione novissimæ editionis, (f) & quos etiam summatim refert Natalis Alexander; (g) ejusmodi definitio non comparet. Hoc solum Canone ultimo (h) de B. Virgine, legimus, *Mandatum esse etiam omnibus Christianis, ut diebus singulis Sabbati, Officium B. Virginis recitarent.*

114. Consequens autem propositio multipliciter evincitur. Et primo quidem nullum ex Scripturis, & antiquis Traditionibus proferes Testimonium pro Immunitate B. Virginis ab omni Peccato, etiam Veniali; quod æquo, vel etiam æquiori jure non concludat ejusdem Immunitatem ab Originali Peccato. Eatenus quippe Scripturæ, & antiquæ Traditiones testantur priorem B. Virginis Immunitatem, quatenus nobis valde commendant, & mirifice exaltant Matris DEI Dignitatem, Gratiam, Sanctitatem, Puritatem, vel etiam ab omni generatim Peccato remotionem. His autem, & similibus præconiis non minus, immo magis repugnare videtur Peccatum Originale, quàm Veniale; ut observavimus in Apparatu *numer.* 183. *& seqq.* Quamobrem P. Suarez (i) Immunitatem B. Virginis ab omni Peccato Actuali, *esse antiquorum Patrum traditionem, & consensum, constare ait, ex iis, quæ disputat. præcedente Sect. V. adduxit* pro Immunitate ab Originali Peccato.

115. Quod si in iisdem Scripturis, & Traditionibus locutiones aliquas generales offendas, Immunitati B. Virginis ab Originali Peccato in speciem adversas; alias itidem generales locutiones offendes, Immunitati ejusdem Virginis ab omni Actuali Peccato in speciem adversas; utrasque proinde similiter exponendas: ut

(c) Tom. 4. disp. 2. quæst. 1. pun. 2. pag. 367.
(d) Lib. 14. de Incarnat. cap. 1. n. 13. pag. 213. tomi 6.
(e) Lib. 14. in Tridentinum cap. 18.
(f) Tom. 12. a col. 829.
(g) Tomo 13. Histor. Ecclesiast. Seculi XI. & XII. cap. 1. Artic. 13. pag. 66. & seqq. edit. nuper citatæ.
(h) Col. 834. ejusdem Tomi 12.
(i) Tomo 2. in 3. Par. disput. 4. sect. 4.

ut dictum est *Actione I. num.* 54. *& Act. II. nu.* 123. *&* 128.

116. Secundo, si tempore Tridentini Ecclesia tenebat, B. Virginem *in tota Vita sua peccata omnia, etiam Venialia, ex speciali DEI Privilegio, vitasse*; quantumvis olim non defuerint Patres, qui oppositum indicaverint; ut videre est apud Petavium, (*k*) & apud Vasquium. (*l*) Similiter nostro hoc tempore Ecclesia, si non tota, saltem fere tota tenet B. Virginem in sua Conceptione ab Originali Peccato, ex speciali etiam DEI Privilegio, præservatam fuisse; quantumvis olim non defuerint graves Scholastici, (non tamen Patres) qui oppositum docuerint, atque defenderint.

117. Tertio, si duas alias Fidei Regulas attendamus, Conciliorum scilicet Canones, Summorumque Pontificum Decreta: Concilium Tridentinum, quod B. Virginis Præservationem ab omni Actuali Peccato per Sententiam Definitivam declaravit; Præservationem ejusdem ab Originali Peccato, veluti per Sententiam Interlocutoriam, fartam tectam esse voluit; ut vidimus *Act. IV. num.* 74. Hæc eadem Præservatio a Patribus antiquorum Conciliorum non obscure insinuata est; atque a Synodo Basileensi, & a quibusdam Provincialibus Conciliis aperte tradita; ut apparet *eadem Act. IV. a num.* 18. Summi vero Pontifices, cum de priore B. Virginis Præservatione non fuerint solliciti, in posteriorem Præservationem tuendam, exornandam, commendandam, diu, multumque incubuerunt; ut patet ex toto Art. II. Act. V.

118. Denique argumenta omnia (a nobis relata *in Appar. num.* 119.) quibus D. Thomas *Tertia Parte, quæst.* 27. *art.* 4. astruebat Beatæ Virginis Immunitatem ab omni Actuali Peccato, etiam Veniali; æque bene, imo multo melius concludunt ejusdem Immunitatem a Peccato Originali; ut inter alios egregie observat P. Gregorius de Valentia. (*m*) Nam 1. magis dedecet Idoneam Matrem DEI, Peccatum Originale, quod Mortale est, & reddit Animam DEO exosam, & ab eo aversam; quam Peccatum Veniale, quod non avertit a DEO. 2. Major est Ignominia Matris, atque adeo etiam Filii, quodvis Peccatum Mortale, quale est etiam Originale, quam Peccatum Veniale. 3. Singularis Affinitas ad CHRISTUM magis postulat remotionem Peccati Originalis, quam Peccati Venialis, quod cum CHRISTI Gratia componitur. 4. Minus digna est Anima Habitatione Sapientiæ, si alicui Peccato Mortali aliquando subdita fuerit, quàm si fuerit aliquando subdita Peccato Veniali. 5. Tandem Macula Peccati Originalis, utpote Macula Mortalis Peccati, non minus, sed magis excluditur per illud Canticorum IV. *Tota Pulchra es Amica mea, & Macula non est in te.*

119. Annon ergo vides, quot, & quàm solidis fundamentis nitatur proxima Piæ Sententiæ Definibilitas? Num aliquid hîc audisti, e *Laminis Granatensibus*, e *Flaviis-Dextris*, *Luitprandis*, *aliisque id genus monumentis spuriis*, in quibus eam fundari ab Hispanis, jactat Lampridius? (*n*) Jam nunc *Interroga* (Moseis verbis utor Deut. IV. 32.) *de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die, quo DEUS* CHRISTI Ecclesiam constituit, *si facta est aliquando hujuscemodi res, aut unquam cognitum est, ut* aliquid olim in Ecclesia controversum, Sedes Apostolica tandem definierit, ad cujus definitionem tam luculentus, & tam diuturnus præcesserit apparatus?

§. IV.

Diluuntur Difficultates.

120. I. Difficultas ex Cano *l. cit.* Nec Sixtus IV. nec Concilium Lateranense sub Leone X. nec Synodus Tridentina quæstionem hanc deciderunt. Indicium ergo est, quod neutram Partem, tanquam Fidei Dogma, definire poterant.

121. Diluitur. Quot Fidei Dogmata creduntur hodie in Ecclesia, quæ diu, multumque apud ipsos Doctores Catholicos controversa, longo post tempore, contrariis damnatis erroribus, definita sunt? Quam sero declaratum est Dogma de non differenda Sanctis Cælesti Beatitudine, usque ad universalem Resurrectionem! De hoc enim & olim inter Patres, & postea inter Scholasticos non levis controversia fuit, quam primus terminavit Benedictus XII. anno 1336. Error Massiliensium, (qui Semipelagiani dicti sunt) de Fidei initio ex Naturæ viribus, vivente D. Augustino excitatus, & ab ipso rejectus, non ante integrum Sæculum, in Concilio Arausicano II. confirmante Bonifacio II. reprobatus est. Tempore Innocentii III. vigebat inter Scholasticos quæstio: *An Parvulis in Baptismo, informans Gratia, & Virtutes conferantur?* Quam ipse Innocentius memorans, indecisam reliquit. Subinde Clemens V. in Concilio Vienensi, affirmantem Sententiam tantum ut *Probabiliorem eligendam*, declaravit: (V. Act. VII. *num.* 5.) Et tandem post tria, & amplius, Sæcula, Concilium Tridentinum simpliciter definivit; (*o*) ut demonstrat P. Suaréz. (*p*)

122. Quod ergo tandiu distulit, & adhuc differt Ecclesia Piæ Sententiæ Definitionem, argumento non est, quod eam definire non possit. Non definivit olim, quia nondum hæc veritas erat satis illustrata, & explorata; non definivit proxima tempestate, quia nondum id expediens judicavit, ut de Concilio Tridentino testatur Catharinus: (*q*) vel, ut rectius loquamur, quia nondum Spiritui Sancto, cujus afflatu regitur Ecclesia, eam definire visum est. Ut enim ait Card. Gotti, (*r*) *Non omnes Veritates eodem tempore ab Ecclesia definitæ sunt, sed eo tempore,*

(k) *Loco cit. a num.* 3. *& a pag.* 210.
(l) *Tomo* 2. *in* 3. *Partem, disput.* 120. *cap.* 3. *&* 4.
(m) *Tomo* 4. *disput.* 2. *quæst.* 1. *pun.* 2. §. Quinto principaliter, *col.* 374.
(n) *Cap.* 12. *pag.* 87.
(o) *Sess.* 5. *in Decr. de Pecc. Orig. can.* 5.
(p) *Parte* 3. *Operis de Divina Gratia, lib.* 6. *cap.* 3. *a num.* 6.
(q) *Citatus Act. IV. num.* 81. *& seq.*
(r) *Tomo* 4. *de Verit. Christ. Relig. par.* 2. *cap.* 41. §. 21 *num.* 18.

tempore, quo Spiritui Sancto visum est. Si quæras, quodnam erit hoc tempus? Dicetur tibi a CHRISTO Domino: (s) *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

123. II. Difficultas ex Lampridio: (t) „ Per „ tria, & decem Sæcula a CHRISTO nato viguit, „ & communis fuit in Ecclesia Sententia non „ eximens a Peccato Adami, nisi *unum Christum Dominum.* Surrexit postea Johannes „ Duns Scotus, Ordin. Minor. qui circiter an. „ 1037. (corr. 1306.) Sententiam de Immunitate Virginis, ante duo Sæcula, levibus principiis natam, adhuc tamen elumbem, & a præcipuis Theologis improbatam, propugnavit „ &c.„ Vincentius autem Lirinensis clamat: (u) *Annuntiare aliquid Christianis Catholicis, præter id, quod acceperunt, numquam licuit, nusquam licet, numquam licebit.* Quæ verba, & alia his similia, Lampridius inculcat, (x) specie impugnandi exemptionem B. Virginis a Debito Peccati.

124. Omissis aliis, quæ jam dudum sunt rejecta: a J. CHRISTI Sæculo usque ad I. Scholæ Sæculum, quo præsens Controversia agitari cœpit; nemo ex antiquis Patribus Contrariam Sententiam expresse tradidit, ut ostensum est Act. II. Art. I. & II. Ubi *a nu.* 128. declaravimus, quàm necessario, quàm congrue exponantur illæ quorumdam Patrum locutiones, quibus solum CHRISTUM ab Originali Peccato eximere videntur. Quin potius Piam Sententiam & antiquissimi Patres insinuarunt, & alii non pauci satis expresse tradiderunt; ut monstratum est *Act. II. cit. toto Art. III. & Act. VI. Art. II.*

125. Hoc quidem verum est, quod Pia Sententia prioribus Sæculis, & ante Scotum, non fuerit in Ecclesia adeo celebris, & explorata, sed subinde illustrior in dies evaserit. At hoc non impedit, quo minus novissimis hisce diebus ab Ecclesia declarari possit, & definiri. Nam sicuti CHRISTUS Dominus, ut opportune observat S. Gregorius Nazianzenus, (y) paulatim nobis tradidit Spiritus Sancti notitiam, & declaravit Divinitatem: *Ut tacitis potius accessionibus, &, ut David loquitur, ascensionibus, atque ex gloria in gloriam progressionibus, & incrementis; Trinitatis lumen splendidioribus illuceret.* Ita ipse Spiritus Sanctus paulatim tradidit, & declaravit nobis Matris CHRISTI notitiam, & Dignitatem; ut hæc tacitis etiam accessionibus, atque ex gloria in gloriam, splendidioribus incrementis illuceret. Et sic Ecclesia in Concilio Ephesino primùm definivit augustum ejus nomen Theotocon. Deinde Sanctam Nativitatem, & Gloriosam in Cœlum Assumptionem, etsi non definierit, indubitanter agnovit. Et demum in Concilio Tridentino, ab omni prorsus Actuali Peccato Immunitatem declaravit.

126. Hujusmodi profecto Novitates non improbat Lirinensis, sed illas, quæ antiquis Ecclesiæ Dogmatibus adversantur; ut ipse se explicat, ubi ait: (z) „ Sed forsan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia CHRISTI profectus habebitur Religionis? Habeatur plane, & maximus. Nam quis ille est tam invidus Hominibus, tam exosus DEO, qui istud prohibere „ conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit „ ille Fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquæque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur „ &c.„ Immo sponte admittit, ex antiquis Veritatibus alias deduci a nobis posse, quæ in illis, tamquam in semine contineantur. (a) *Severunt*, inquit, *Majores nostri antiquitus in hac Ecclesiastica segete triticeæ Fidei semina: iniquum valde, & incongruum est, ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti, subdititium zizaniæ legamus errorem: quin potius hoc rectum, & consequens est, ut primis, atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus: ut cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, & nunc lætetur, & excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur.*

127. Illustrat hæc omnia Eruditus Magister Ord. Præd. & Piæ Sententiæ alioqui non addictus, Fr. Dominicus Gravina. (b) „ Si hanc, „ *inquit*, vel illam Sententiam definiret Ecclesia, „ non nova proferret, sed antiquitus prædicatam Fidem in lucem proferret, & a posteriori „ ex præsenti definitione colligeremus, hoc esse „ a DEO revelatum, & Apostolis traditum, „ apud Ecclesias custoditum; & re nondum satis explorata ante definitionem, sine erroris „ periculo, hanc, vel illam sustineri potuisse; „ neque unquam totam Ecclesiam de tali dogmate dubitasse dicendum est, etsi aliqui dubitarint, vel illam quæstionem ignorarint antiquitus, cujus ignoratio non præjudicaret veritati noviter definitæ. Unde & in simili „ Augustinus Epist. 56. (c) *Non enim mihi „ propterea veritas cara esse debet, quia non latuit Anaxagoram; sed quia veritas est, etsi „ nullus agnovisset istorum.* „

128. III. Difficultas. Præsens Controversia adeo gravis est, & tanta contentione a Catholicis Doctoribus agitata; ut ejus decisio ad proximum Generale Concilium differenda sit, vel ad eam decidendam, aliqua Synodus Œcumenica cogi deberet.

129. Diluitur. Concilium hoc postulare, illorum dumtaxat est, qui in eo errore versantur, ut putent, Summi Pontificis in rebus Fidei definiendis Auctoritatem, extra Concilium non esse omninu infallibilem. Uti sunt Quesnelliani, qui

(s) *Actor. cap.* 1. *ver.* 7.
(t) *Cap.* 24. *pag.* 201.
(u) *In Commonitorio, non c.* 9. *ut citat* Lampridius, *sed cap.* 14. *pag.* 253. *tomi* 7. *Bibl. Max. PP.*
(x) *Cap.* 25. *pag.* 25. *& seq.*
(y) *Oratione de Spiritu San. quæ est* 5. *de Theologia, &* 37. *in ordine, pag.* 608. *tomi* 1. *edit.* Parisiens. anni 1630.
(z) *Ibidem cap.* 28. *pag.* 258.
(a) *Cap.* 30 *pag.* 259.
(b) *In Catholicis Præscript. lib.* 4. *art.* 8. *pag.* 454. *edit.* Neapolit. an. 1620.
(c) *In edit. Benedictinor. est Epistola* 118. *ad Dioscorum, col.* 340. *tom.* 2.

qui a celeberrima Clementis XI. Constitutione *Unigenitus* appellarunt, non deterriti gravissimo illo Anathematis vinculo, quo hujusmodi Appellantes innodantur in Bulla *Cœna Domini*, clausula 2. (*d*)

130. Sed & ex aliis titulis in re nostra frustra postulatur Concilium. Episcopi ad cogendum generale Concilium ex toto Orbe Catholico convocantur; ut, universam repræsentantes Ecclesiam, in Fidei controversia, de qua agitur, ejusdem Ecclesiæ mentem, & sensum, suis suffragiis declarent, & attestentur. Cum igitur in præsenti controversia de mente, & sensu Ecclesiæ satis constet, quid opus est convocatione Concilii?

131. Præterea ex tot Sanctissimis, & Doctissimis Viris diversarum ætatum, & regionum, quot in hac Causa pro Pia Parte allegavimus; Concilium exhibere possumus plenius, & augustius, quàm quod hodie ex toto Orbe Terrarum cogi posset. Concilium, inquam, simile illi, quod D. Augustinus, plurium Patrum Sententiis pro Originali Peccato allegatis, opponit Juliano: (*e*) *Si Episcopalis*, inquit, *Synodus ex toto Orbe congregaretur, mirum, si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt: sed fideles, & multis excellentiores, paucos Dispensatores suos, DEUS per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placuit, atque expedire judicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis, atque aliis temporibus, atque regionibus, ab Oriente, & Occidente congregatos vides, non in locum, quo navigare cogantur Homines, sed in librum, qui navigare posset ad Homines.*

132. Longe numerosius, pro Immaculata B. Virginis Conceptione, *Concilium Marianum Antistitum, & Theologorum*, in unum collegit P. Theophilus Raynaudus, (*f*) ex Italia, Gallia, Germania, Polonia, Belgio, Anglia, Scotia, Hispania, Lusitania, & ex Orientali Ecclesia, necnon ex Ordine Prædicatorum. Sed nos exploratis magis, quàm agglomeratis Testibus delectamur.

133. IV. Difficultas. Definitio Piæ Sententiæ in dedecus cederet multorum saltem Sanctorum Patrum, & plurium insignium Theologorum, præsertim D. Thomæ, & D. Bonaventuræ, qui contrariam docuere Sententiam, nec non probrosa foret universo Prædicatorum Ordini, qui eandem Sententiam professus est, & adhuc profitetur.

134. Diluitur. Quam improvide ista jactentur de Sanctis Patribus, de D. Thoma, D. Bonaventura, totoque Ordine Prædicator. suis in locis aperte monstravimus. Sed etsi vera essent, dicerem cum Cardinali Henrico Noris: (*g*) „ Neque quicquam detrimenti S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Ægidii, ac tot Patrum, & Scholasticorum Gloria, ac Fama pateretur, si a Sancta Sede Apostolica B. Virginis Conceptus ab Originali Noxa immunis decerneretur; cum magni illi Viri oppositum defenderint, quando nihil ea de re certi Catholica Fides statuisset. „ Recole, quæ diximus *Act. II. num. 176. & seqq.* Sane nemo est tam Doctus, & tam Sanctus, nullusque est privatus Cœtus proborum, & doctorum Hominum; qui promittere sibi possit Immunitatem ab omni errore. Siquando ergo magnos Viros errasse deprehendimus, non hoc ipsis vitio vertere, sed humanæ mentis imbecillitati tribuere debemus.

HÆC SUNT, AUGUSTISSIMA CÆLI, ET TERRÆ IMPERATRIX, QUÆ DE TUO IMMACULATO CONCEPTU, TE MIHI ET CONSILIUM SENSIM INSPIRANTE, ET AUXILIUM MIRABILITER PRÆBENTE, VALUI DISSERERE. TUÆ MAJESTATIS ERIT, CAUSAM HANC TUAM FOVERE, AC TUERI, ET UT FELICEM EXITUM SORTIATUR, EFFICERE. ERIT ET COMITATIS TUÆ, HUIC SERVULO TUO, SIQUID INCOMPOSITE, SIQUID MINUS DIGNE DE INEFFABILI INTEGRITATE, AC SANCTITATE TUA SCRIPSERIT, IGNOSCERE. [POTEST SOLUS DEUS TE PRO MERITIS LAUDARE, QUI IIS, QUIBUS NOVIT IPSE RATIONIBUS, MIRA ILLA OPERA IN TE EFFECIT. TANTUM VERO ABEST, UT ID MIHI DEJECTO, VIXQUE EA, QUÆ SUNT IN PEDIBUS, PERSPECTA HABENTI, CONVENIAT.] (*h*)

(d) *Legitur hæc Clausula in Bullario* Cherubini, *constit.* 81. Gregorii XIII. *constit.* 63. Pauli V. *constit.* 62. Urbani VIII. *& in Bullario* Clementis XI. *constit.* 1.

(e) *Lib.* 2. *contra* Julianum, *cap. ult. num.* 37. *col.* 551. *Par. I. tomi* 10.

(f) *In Pietate Lugdun. Card.* 1: *Tractat. a pag.* 278 *tomi* 8.

(g) *Lib.* 2. *Histor. Pelagianæ*, *cap.* 23. *pag.* 168. *edit* Patavinæ an. 1708.

(h) Andreas Cretensis *orat.* 2. *in Dormit. Deiparæ*, *pag.* 659. *col.* 2. *tomi* 10. *Bibl. Max. PP.*

Monitum ad Lectorem.

Actione VIII. num. 163. edendum promiseram in Calce hujus Operis Sermonem quendam pro Immaculata B. Virginis Conceptione, sub nomine D. Thomæ nuper in Bibliotheca Vaticana repertum, si in tempore ejus exemplum ad me perveniret. Pervenit utique hujus, & alterius etiam Sermonis, de Conceptione B. Virginis, *ex Cod. Vat. n.* 804. *p.* 62. *exscriptum exemplum, ab ibi laudato P. Claudio Scipione Guerin Româ ad me transmissum: sed, ipso monente, tot mendis, tot lacunis, tot falsis citationibus, & inconditis sensibus, Librarii partim incuriâ, partim inscitiâ, deformatum est, ut publica luce sit prorsus indignum. Ad hæc, uterque Sermo multa continet, quibus spurium se prodit, & suppositititium. Primus Sermo argumentis, & considerationibus Auctorum sequioris ævi, præsertim Francisci de Mayronis, consarcinatus videtur. Habet etiam narratiunculas quasdam fabulosas, nec non Doctrinas, solidæ Theologiæ, ipsique adeo D. Thomæ repugnantes. Alter autem Sermo, ut exordium prætercam a Sancti Doctoris gravitate alienum, plures intermiscet historias apocryphas, quarum quæ prolixior, est plane commentitia. Meminit quoque Pontificiam Concessionem de celebrando Conceptionis Festo, quæ cum ætate D. Thomæ non cohæret.*

Unam igitur hoc loco S. Petri Argorum Episcopi (de cujus ætate, ac patria disseruimus Act. III. num. 51. & seqq.) legitimam, & indubitatam exhibemus Orationem, Latine redditam; quam quidem in Idea, & Synopsi Operis, pridem vulgata, Græce, & Latine nos edituros spopondimus: sed ne Græcum Exemplar proferamus, in causa est Græcorum defectus Typorum, & Characterum, quos Typographus noster prope diem expectabat, sed nondum accepit.



S. P. N.

S. P. N.

PETRI, ARGORUM EPISCOPI,

ORATIO

In Conceptionem S. ANNAE, quando concepit Sanctam DEI GENITRICEM.

Benedic Pater.

I. CUM magna, & peregrina maximis rebus præcurrere videam miracula; læto, ac hilari animo summopere in admirationem traducor, & Domini erga nos humanitatis viscera, omnique cogitatione superiorem providentiam demiror. Hodie enim nostræ cum DEO reconciliationis indicia. Hodie expulsa nostra Natura, suæ revocationis exordia prospiciens, lætatur. Hodie primi Parentes gaudent, ut, qui auribus exceperunt, sententiam illam jam fere solvendam esse, quæ illos in terram reversuros edixerat; jam modo admoniti, quod Rosa illa fragrantissima, quæ quicquid sub Sole est, odore replebit, prævaricationisque fœtorem abiget, in sterili plantata est terra; lætantur. Nunc omnium Regis CHRISTI, TEMPLI PURISSIMI jaci fundamenta, contuens omnis Creatura, lætabunda gratias reddit, manibusque plaudit, & omnium bonorum Auctorem DEUM grata veneratur. Nunc utero in arido Divinus plantatur Paradisus, qui nos a priori expulsos, mortique damnatos, suo vitali germine, quod ex ipso orietur, ad vitam revocabit. Nunc spiritalis veris flores odorem spirant, illiusque prænuntiant ingressum. Nardus, Crocus, Liliaque vernant, & suavissimum exhibentia aspectum, nos in peccati squalore, & tristitia jacentes oblectant. Præcessit unâ cum nocte peccati, plena tristitiæ Hyems & cum pietatis die jucundissimum Ver propinquavit, secum Divini Spiritûs fervorem adducens.

II. Exultemus itaque, & in Psalmis omnes jubilemus: videmus quippe, quod nostræ Naturæ Nobilitas in Annæ utero gigni cœpit. Plaudamus manibus, spiritalesque choreas instituamus, festive illius CONCEPTIONEM celebrantes, quæ nobis omnis lætitiæ Auctrix, ineffabilisque gaudii Conciliatrix existet. Cantemus concorditer DEO nostro, cantemus, ut qui ex Anna, & Joachim, PRORSUS IMMACULATA DOMINA, ET VIRGINE ditati sumus, quæ nobis, in Peccati servitute detentis, libertatem comparabit. Itaque & nos tanquam attoniti, unà cum D. Davide dicamus: (a) *Quam magnificata sunt Opera tua Domine! Omnia in Sapientia fecisti!* Quis enim ipsius potentias loqui poterit? Cujus vero cordis amplitudo ipsius investigabilium judiciorum abyssum metietur? Qui in DEI indignationem incurrimus, a condemnatione absolvimur. Qui, malorum causæ, & origini, Dæmoni, seducti obtemperavimus, cum Serpentis specie hortaretur; a Domino nostro Creatore suscipimur. Qui sponte a nostra cervice ipsius jugum excussimus, & in infensi hostis potestatem concessimus, rursus ipsius suavi jugo, ob misericordiæ viscera, subjicimur. Qui intolerando peccatorum pondere nosmetipsos oneravimus, ad requiem revocati jam sumus. Horum porro bonorum omnium, sed & cæterorum principium, & origo præsens existit Festivitas: Quæ tanquam præveniens Solis ortum Aurora, omnes seipsâ lucis splendores prænuntiat.

III. Joachim enim, ex præstantioribus Hebræis unus, magnique inter illos nominis, & ex Davidico stipite originem ducens, Uxorem habuit, Divinæ Gratiæ cognominem, Annam, ex eadem cognatione. Nec enim apud illos conjugia ex aliena Tribu comparare licebat. Hi sane virtutem æquo, concordique animo utrique exercentes, æque unus, ac altera, omnes illius tempestatis Homines, quantum vix dici potest, facile excellerunt. Cujus rei evidens argumentum dabunt, quæ post partum sequuta sunt. Soli etenim, ex aliis omnibus hujusmodi Mysterii digni Ministri habiti sunt, adeo ut DEI Matris Genitores extiterint, Deique ex terrena Generatione Avi. Sed & cum tanti prius essent, absque liberis senescebant; ob idque mærore jugiter conficiebantur. Eo quippe bono, quod inter promissa illis a DEO caput erat, eo, inquam, bono carebant.

IV. Cum vero magna apud illos adventasset dies; quæ ut arbitror, Scenopegia erat, quæ Γοgπιαῖον circiter, idest mense Septembri, celebrabatur; (Namque oportebat, omnes ex universis Tribubus ex Lege Hierosolymis congregari: Lex enim ter per singulos annos id faciendum mandabat, in hac nempe, & decima quarta primi Mensis, & in Pentecoste; & ob eam causam Festivitates hæc Magnæ vocabantur. Atque omnes pro viribus ad divum illud, & nominatissimum Templum, dona DEO oblaturi accedebant. (b) *Non apparebis* enim *in conspectu meo vacuus.* Id enim DEUS Lege illis statuerat, ut a cultu illorum, qui Dii non erant, avocaret, sibique soli ascisceret. Non enim no-

(a) *Psalmo* 103. *ver.* 24.

(b) *Exodi cap.* 23. *ver.* 15.

ftrarum rerum indiget DEUS, qui omnibus, cum non essent, esse dedit; sed, ut omnis bonitatis Fons, nostram salutem requirit.)

V. Cum omnes igitur, ut dixi, per singulas Tribus DEO dona offerrent, aderat & divum illud Par, Joachim, inquam, & Anna, legalis cultus firmamentum, & Evangelicæ Philosophiæ gloriatio, Tribusque Juda nobilissimum insigne, & omnium Domini CHRISTI, secundum Generationem in Carne præclarissimum decus, ut principium, & causa; Sacratissimum Davidis Ornamentum, & omnium nostrum Salutis elegantissimum specimen: aderat, inquam non tumidas adversus alios cervices erigens, & maxime adversus Ruben, nec supercilia attollens. Non sese aliis præferebat, nec qui majora dona darent, metiebatur; at quiete, & tacite, sensilium rerum loco, cor contritum, & humiliatum, istud non despicienti consecrabat. At impudenter omnia Ruben in os exprobrat, atque hos, quod liberis carerent, injuriis excipere audet, oblationesque horum tamquam indignas repellit. Quid hæc agis, ô Ruben? Quid contra hos insontes, multis absurditatibus Reus, accusationem instituere fidenter audes? Quis ob ea, quæ agere non valet, in jus vocatur? Quis DEO præcipienti sese opponere potuit; & contra stimulum calcitrare audet? Ubinam, DEUM repellere Filiis expertes, audisti? Numquid non recepit, Abel cum dona afferret, & tamen is Filios non genuerat? Nonne Abrahæ, Saræque benedixit, cum prole carerent? Nonne Annam, (cui Phenenna æmula erat) deprecantem exaudivit tandem, cum esset sterilis? Et quandonam Elias, & Elisæus liberis gignendis operam dederunt? Et nihilominus DEUS illos orantes exaudivit, oblataque sacrificia excipiens, infinitis miraculis decoravit. Sed & Zachariam ipsum non fuisse DEO acceptum, cum offerret, fateberis, immo cum, Pontificem agens, aliorum dona susciperet, Dominoque dedicaret? Cæterum manifeste constat, Sacerdotis esse hujusmodi res judicare, non tui, qui paternum cubile incestasti. Levi, non tibi hocce munus demandavit Moses, immo per Mosen DEUS ipse. Quomodo non reformidas contra Sacerdotale, Regaleque Genus insurgere?

VI. Neque enim cum bene vobis diceret Patriarcha, aut cum ea, quæ vobis eventura essent, prædiceret, te, Fratresque tuos laudandos prænuntiavit, aut vestris Hostibus vos superiores fore proclamavit. Judæ munus hoc distribuit; tuum vero facinus amarè redarguit, atque notavit, teque aliis Tribubus inferiorem futurum dixit. Ex Juda autem fore, ut, elucesceret in novissimo dierum absconditum Mysterium, prædixit; is nempe, qui *Gentium* erat *expectatio*, Dominus noster JESUS CHRISTUS. Nec vero id solum, sed & tempus ipsum, quo sedentibus nobis in tenebris, & umbra mortis, magnus Justitiæ Sol orietur, his verbis prædixit: (c) *Non deficiet Princeps ex Juda, & Dux de femoribus ejus, donec veniat, cui reposita sunt, & ipse est Expectatio gentium.* Prædicit etiam hujus passionem, quæ omnibus impassibilitatem procuravit, Auctricemque immortalitatis mortem, quæ mortem destruxit: (d) *Recumbens*, inquit, *dormiit, ut Leo, quis suscitabit eum?* Et, (e) *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum.* Deinceps & jucundissimam Resurrectionis gratiam vaticinatur, dicens: *Gratifici oculi ejus a vino, & candidi dentes ejus, magis, quàm lac:* atque iterum fortissimam prædicationis ipsius efficacitatem, dicens: *Alligans ad vitem Pullum suum*; præparans nempe Gentes, ut Apostolorum prædicationem sequerentur: *Et ad helicem vitis Animam suam:* neque enim solis Gentibus, sed & Judæis Divi Mystagogi, atque iis primùm, salutarem prædicationem intulerunt.

VII. Quid ergo DEO accepta, & Sancta illa Dyas, Anna, inquam, & Joachim, illius insolentiæ opponunt, qui rationabiles illorum rationes criminabatur? Enitebantur, se probatiorea illo exhibere; cumque haberent, quæ probabiliter illi reponere potuissent, nequaquam præstitere. Sed acerbis, amarulentisque doloribus cor exulcerabant; non tam ob redargutionem, quàm quod dona non viderentur accepta; Deusque ipse, ut putabant, rejiceret. Simul vero tacite, leniterque gemebundi, ac flentes domum regrediuntur. Jam enim CHRISTI, ipsorum Nepotis secundum Carnem, voluntas ipsos illustrabat: (f) *Qui, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.* Quem & antea per Isaiam clamantem audierant: (g) *Ad quem respiciam, nisi ad mitem, & quietum, & trementem sermones meos?*

VIII. Domum vero reversi, totos se in DEUM convertunt, omnique cura seposita, id unum dumtaxat requirunt, ut Filium ipsis largiretur, suggerentes illi, quanta fecerit ab initio miracula: Quot, sterilitate soluta, liberorum Patres effecerit: quantis, cum jam nulla subesset spes, quod ad extremam senectutem devenissent, præter omnem spem, Liberos procreare concesserit: quomodo ex mæsta, tristique conditione, ad lætitiæ, & alacritatis plenam vitam plures traduxerit.

IX. Hunc in modum noctu, diuque DEO, qui Justorum preces exaudit, assiduò unà cum jejuniis, omnique alio bono opere, intentis deprecationibus, vacant; atque adjiciunt, si petitis potiantur, se ipsi DEO, qui dederit, dono daturos. Audiit, qui timentium se voluntatem facit, ipsorumque preces audit, & in veritate illum invocantibus appropinquat, DEUS. Et vero non utcumque Genitores, sed omnibus præstantiores effecit. Quanto enim aliorum Liberis, hæc ipsorum Filia, absque ulla comparatione, sese extulit, tanto ii, quibusvis Parentibus excellentiores esse probantur. Quandoquidem

(c) Genes. cap. 49. ver. 10.
(d) Ibid. ver. 9.
(e) Ibid. ver. 11. & seq.
(f) 1. Petri cap. 2. ver. 23.
(g) Isa. cap. 66. ver. 2.

doquidem enim nos, qui ob peccatum morti, corruptionique damnati eramus, DEI Incarnatione indigebamus, atque oportebat, ut quæ horum magnalium Administra futura erat, PURITATE HOMINES OMNES ANTECELLERET, ut ea quæ fieret, (o mirum!) Mater DEI; necesse profecto erat, ut hujus DEI Genitricis Parentes longe aliis essent meliores, ut DEI, qui ex illa nasceretur, Progenitores. Neque enim decebat, aut hujus alios esse Genitores, aut hanc aliorum Filiam nominari.

X. Ob id hodie Universitas gaudio exultat, Naturaque nostra gratiarum actione refertas voces DEO offert, dicens: Gratias tibi ago Domine, qui me sterilem, & infæcundam Liberis procreandis excitasti; & me a damnationis spinis purgare cœpisti, culturæque propter Divam Annam, & Joachim adaptasti. Gratias ago tibi, qui me, postquam erudieris, iterum hodie suscipis. Quid retribuam tibi, qui me ob prævaricationem in doloribus parere damnasti, & denuo hoc partu gaudii signa mihi annuntias? Nunc ex me in Annæ utero germinans Rosa, MARIA, corruptelæ fœtorem de medio mei tollet; suamque fragrantiam impertiens, divinæ exultationis participem me efficiet. Ob Mulierem huc usque infelix ego, ob Mulierem nunc beata sum effecta. Video enim, quæ a tuis Prophetis de te prædicata sunt, jam jam compleri, horumque finem propemodum me videre præstolor. Nunc Virgo illa Isaiæ, quæ te Emmanuel in utero habebit, & pariet, in tuæ Sterilis utero plantatur, & levis nubes componitur, & virga radices agit, super quam ego innitar. Nunc Porta illa ad Orientem vergens ex Ezechiele, tuique unius ingressui servata, præparatur. Mons ille Danielis excrescit, ex quo tu non excisus lapis abruptus, omnibus tibi contrariis Regnis de medio sublatis, tuum sempiternum Regnum omnibus manifestum efficies.

XI. Hodie Mons, in quo inhabitare tibi placebit, ut inquit David, in Annæ ventre assurgit; auctamque Davidicam Tribum omnibus exhibet Hodie juxta magnum Patriarcham Jacob, e Terra ad Cælos scala firmatur, per quam descendens mihi unieris, meque lapsam ad Paternum Thronum deduces. Gaudete mecum hodie & Vos sterilis Annæ, & Joachim Progenitores. Vestra Instauratio jam propinquavit, Redemptio vestra tractatur: Quæ vos suo partu ab adeo diuturna damnatione eripiet, formatur. Gaudete Justi omnes Patriarchæ, & Prophetæ omnes, gaudete. Generis nostri Flos ortus est: vestrarum prædictionum eventus prope est: præstituta repromissionibus tempora jam complentur: quæ multifariam, multisque modis, DEI voce promissa vobis sunt, ad suum finem adventarunt. Haud amplius spe continentur, quæ expectabantur, ipsis oculis veluti subjecta. Nunc & Cælestis Ss. Angelorum multitudo gaudet; quippe qui suum Dominum imitantes, valde Homines diligunt. Etenim si super uno Peccatore pœnitentiam agente gaudent; quî fiet, ut, Instaurationis omnium nostrum initia prospicientes, non lætentur? Et quomodo intuentes PALATIUM PURISSIMUM, quod omnium Regi CHRISTO præparatur, haud exultabunt? Quanam ratione, disruptam sepem, & dissita in unum coëuntia, omnesque unum CHRISTI gregem effici conspicientes, lætitiâ, & gaudio, supra quam dici, cogitarique possit, non replebuntur?

XII. Gaudete & Vos, Par prorsus admirabile, qui omnibus hodie gaudium procurastis. Gaude tu Anna, Divinâ Gratiâ. Gaudeas ô Sterilis, quæ universum genus fœcunditate vicisti. Gaudeas arida Tellus, quæ ipsum DEI Paradisum irrigasti. Gaudeas, quæ propter sterilitatem, Filiorum expers, DEI Matrem germinasti. Gaudeas, quæ omnia pugillo continentem concepturam, in utero concepisti. Gaude Tu, quæ Terris, Cælisque ampliorem tuo ventre continuisti. Gaude, quæ supra omnes Matres, præter Filiam tuam, caput extulisti. Hæc enim una prohibet, ne inter omnes principem locum consequaris. Gaude, quæ verum Gaudium nobis genuisti. Salve, quæ in Lege DEO recte obsequuta, Gratiam, ut Gratia, insinuasti. Salve Mater Matris Domini, & Avia CHRISTI, Matrumque omnium decus, & magnificentia. Ave, quæ tuo partu, senectutis, & sterilitatis angore abjecto, novâ a DEO contextâ Stolâ, propter tuum Partum induta es. Ave & tui o Joachim, Justorum omnium Ornamentum, & Patrum eximia Gloriatio. Ave Pater Matris DEI, hujusque Avus augustissimus. Ave dignus manibus illam complecti, quæ nusquam comprehensum, ut DEUM, complexa est. Salve, qui ob tuam Filiam ad æqualem cum Angelis honorem ascendisti. Salve, qui omnes terrestres Patres antecellis. Salve, qui diuturnis precibus ad DEUM emissis, Filiam ab illo sortitus es, quæ ob suum Filium, omnes supergressa est, præter unum ipsius Filium, & DEUM. Salve Tu in Lege justissimus, & Gratiâ, ut qui tuæ Filiæ causa, hujus initia præbueris, Sanctissimus. Vos Magno Abraham, & Sarâ, generatione tantò præstantiores, quantò vestrum Germen, Isaac est honorabilius. Vos Rebecca, hujusque Conjuge, nedum generatione, sed & donis aliis longe excellentiores. Quandoquidem nec DEI Mater cum illorum Filio conferri queat: (nec enim illum, malitiâ famosum, Esau, hoc loco annumeraverim.) Vos Jacob, multis Filiis ex Lia, & Rachele divitem, quantum nec dici potest, excessistis. Sublimiores fuistis Phenenna, & Helcana, ipsisque vestris cognatis Zacharia, & Elisabeth; ut qui illam genuistis, quæ omnium Dominum peperit.

XIII. At Vos, ô DEI Genitricis Parentes, Deique Progenitores Sanctissimi, vos dulcissimum nostræ naturæ solamen, o Legis, & Gratiæ sacerrimæ, ac venerabiles summitates, & initia, nobis omnibus, quæso, pacificum rerum statum largiamini. Gentium ferociæ modum imponite, atque horum in altum erectam cervicem prosternite; elatumque supercilium deprimite: ipsorum contra nos concitatum, acutumque gladium retundite. Deprecamini CHRISTUM, ut manus in ipsorum superbias extollat: nec patiamini, quod nos, tamquam fœnum, suis sceleſtis, sanguinolentisque manibus amplius deprædentur: nec rabie furens barbarus contra

nos irruat, extendens clypeos, gladium, arcusque, & hastas; nec super nobis gaudeant Inimici nostri. Intuemini, quot, & quales jaculis misere confoderint. Respicite, quomodo Præstantiorum sanguine effuso, Terræ Bestiis, Cælique Volatilibus reliquerint pabulum, insepultosque Soli, Stellis, Hyemi quoque, & Æstati projecerint, reliquisque Hominibus, dignum multis lacrymis, miserabile exhibuerint spectaculum.

At exurgite, festinate: ad preces vestram Filiam, Deique Matrem excitate: neque enim deprecantes Genitores despiciet: atque unâ deprecamini hujus Filium, & DEUM, vestrumque, secundùm Carnem, Nepotem. Scimus enim quod Matris, Avorumque supplicationes non repellet, at exaudiet; atque ab Inimicis nostris visibilibus, & invisibilibus, qui acriter nobis insultant, nos tuebitur; & has vitæ nostræ reliquias stabiles, pacificas, atque quietas servabit. Quoniam ipse Misericordiæ, & Clementiæ DEUS est; ipsumque decet gloria omnis, honor, & adoratio, unâ cum ejus principii experte Patre, Sanctissimoque, & Optimo, & Vivificante ipsius Spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Testimonium Exscriptoris, et Interpretis.

Requisitus ab Adm. Rev. Patre Antonio Maria Portio Soc. Jesu, Ego infrascriptus Græcæ Linguæ Lector, & Bibliothecæ hujus Magni, & Regii Monasterii Smi Salvatoris Messanæ in lingua Phari Custos, annuente Rmo S. Th. M. D. Basilio de Neapoli, ejusdem Monasterii Abbate, exscripsi ex Codice XLII. dictæ Bibliothecæ, & latine reddidi superiorem Orationem S. P. N. Petri, Episcopi Argorum, in Conceptionem S. Annæ, quando S. DEI Genitricem concepit.

Est autem Codex hujusmodi, integer, membranaceus, in folio majori, Græco numero MB., idest XLII. obsignatus, tabulisque leucophæa pelle a tergo contectis coopertus, inscriptusque exterius sic, MET. nempe Metaphrastæ. Cæterum qui illum scripsit Daniel, πανηγυρικὸν vocat.

Totum hoc Opus πανηγυρικὸν duobus Voluminibus ejusdem ferme Molis, & Characteris, continetur; atque in iis varias per annum Legendas, vel Orationes, vel Sanctorum Historias reperies. In priori igitur Volumine, quod Festivitates exhibet ab Kal. Septembris usque ad III. Non. Aprilis; V. Idus Decembris habetur dicta Oratio S. P. N. Petri Episcopi, undecim ferme Columnis comprehensa: incip. ab ultimis decem lineis ultimæ Columnæ Quaternionis XX. usque ad lineam XXX. Columnæ XI. Quaternionis sequentis. Singulæ verò Columnæ lineis XLIII. ut plurimum concluduntur. Scriptus est autem Codex hic Anno VICDDCCCXVI. ab O. C. (hoc est sexmillesimo octingentesimo decimo sexto ab Orbe condito) *ut Græci Calligraphi supputant, idest anno Incarnationis Dominicæ CDCCCVIII. Etenim in fine Codicis legitur nota hæc.* Explicitus est hic Panegyricus liber manu peccatoris Daniel, & Scevophylacis magnæ Mandræ Salvatoris Promontorii Messanæ IV. Non. Mens. Septembris, Die Sabbati, hora IX. Anno VICDDCCCXVI. Indictione VI. Orate pro me, & non maledicatis mihi. Quoniam qui scribit, scribendo errat.

In quorum fidem &c. Prid. Non. Februarii An. Domini CDDCCXLV.

BENEDICTUS MONALDINIUS HIEROMONACHUS.

Ita est, Abbas Basilius de Neapoli.

✠ Locus Sigilli.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM,

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR,

Et tam facris Oratoribus, quàm Theologis, cæterifque Litteratis Viris ufui effe poffunt.

Littera P. *denotat Paginam*; N. *Numerum marginis* : *litteræ* P. S. *Piam Sententiam*; C. S. *Contrariam Sententiam indicant.*

Armandus

B

C

Sunt

F

G

H

Henricus

I

Ima-

L

L

M



F I N I S.



